Ex Libris P. A. Lepy Doctoris Medici Parisiensis.

LABYRINTHI MEDICI EXTRICATI,

Sive

METHODUS VITANDORUM ERRORUM qui in PRAXI occurrunt,

Monstrantibus

GULIELMO BALLONIO & LUD. SEPTALIO.

Operâ THEOPHILI BONETI Sereniſſimi quondam Principis HENRICI AURELIANI, Longavillæ Ducis &c. Medici.

Additus est ejusdem SEPTALII *Tractatus* DE NÆVIS.

Cum Indicibus Neceſſariis.



COLONIÆ ALLOBROGUM,
Sumptibus SAMUELIS DE TOURNES.

M. DC. LXXXVII.





ILLUSTRISSIMO ET AMPLISSIMO VIRO


DOMINO D.

GEORGIO DE MOMMOLIN

SERENISSIMO

PRINCIPI DE LONGUEVILLE &c.

à Consiliis Status, Cancellario &c. in Principatu Neocomensi.



VEM olim nuncupatum Tibi volui laborum meorum primigenium Fœtum, benevole exceptum quod in ædibus Tuis natales habuerit, hic idem se Tibi iterum sistit, sed adultior & auctior, peregrinationibus variis clarus, quippe qui Principibus placuit Viris, quorum gratiam demeruit, ut eo nomine Tuam etiam ambiat, siquidem jam aliquid commendationis apud Te nactus est, nec abs re, utpote qui afflictis corporibus opem præsentem pollicetur; Laborum fœtum dixi, at corporis potius quam ingenii: hoc exercere hac in palæstra volui, totus in eo ut Artem, quam pro-

fiteor, pluribus erroribus obnoxiam, intemeratis tractarem manibus; Auctorum operâ idcirco usus qui non famæ aut quæstui solum velificantur, sed toti saluti ægrorum incumbunt: Hos inter eminet *Gulielmus Ballonius*, Academiæ Parisiensis quondam Antistes & Decanus, cujus Opera quantisperis in praxi Medica cautus fuerit palam testantur; Putavit hic grande nefas & morte piandum in arte omnium difficillima periclitari, & experimenta per mortes agere: *Hippocratem* idcirco, qui teste *Macrobio*, nec fallere nec falli potuit, perpetuum ducem sectatus est; Vastum illud Medicinæ pelagus ingressus, quas cautes & syrtes in sua navigatione deprehenderit, candide exponit in suis Operibus: Hæc dum sedulus evolvo, Cautiones ab ipso adnotatas colligo, quo me itidem facerent aliena pericula cautum: Id mihi semper in votis fuisse non semel testimonium perhibuisti, *Vir Illustrissime*, quod unum mille instar fuit; Ingenue illud a Te prolatum fuisse fidem facit fiducia qua meis consiliis auscultasti, quæ non semel auxilia fuêre; Regendæ valetudinis præcepta intrepide excepisti, obtemperasti, nec pœnituit, titubantem enim & nutantem illam sæpe confirmavi, collapsam erexi & restitui in integrum. *Galeni* nostri sortem expertus es, qui lubricæ sanitatis juventutem nactus, ὑγιεινῆς præceptis obediens, prosperam & seram attigit senectutem; In id perpetuo incubuisti ut esset mens sana in corpore sano; Istud a naturæ primordiis minus robustum adeptus, robur continentia & indefesso exercitio illi conciliasti: Ingentes animos jam tum angusto in corpore versabas, Ingenium a teneris unguiculis ad sublimia natum cunctis exhibens, Iudicium acre ante annos maturum,

turum ; memoriæ vividam vim, perſpicientiam inſignem, hinc ut nihil tam abſtruſum fuerit quod non penetrares, non ſuperares: hinc doctrina vim promovente inſitam, in quod multi aſpirant, pauci attingunt, faſtigium aſſequutus es: Quò pacto ad *Sereniſſimum Principem* celer patuit aditus, qui quod Te non minus in rebus gerendis negotiiſque expediendis promptum ac ſedulum animadverterit, ad ſublimia Officia illicò erexit, quo factum eſt ut brevi tempore illuſtrareris; Turbato deinceps rerum ſtatu, aliquandiu privatam duxiſti vitam, Republica interim, Tui ſideris, veluti eclipſi, intercepto hoc luminari, in confuſionem devoluta, Poſteaquam vero clavus Tibi redditus, tranquillitas rebus illico rediit: Te Deus Patriæ diu incolumem præſtet, Amicis, &c, ob innumera beneficia Tibi devinctiſſimo,

Addictiſſimo clienti

TH. BONETO.



PRÆFATIO AD LECTOREM.



PERIS *iſtius pars ante octodecim circiter annos à me exiit,* Pharos Medicorum *fronte gerens, Totum & emaculatum ut prodiret, quamprimum lucis uſura frui Liber cœpit, urgebat & literis ad me datis contendebat Vir ſummus, Almæ & Saluberrimæ Facultatis Medicæ Pariſienſis Antiſtes & Decanus quondam,* Guido Patinus: *Animos ille fecit ut præſtantiſſimum* Gulielmum Ballonium, *jampridem dimiſſum, in manus reſumerem, perlegerem, recognoſcerem, ac quæ diligentiam meam effugerant ex ſingulis ejus Operibus excerperem, colligerem, & ſuo quæque loco redderem, ampliori poſtmodum volumine concluſurus: Annuentem votis tunc nactus ſum Bibliopolam, ſed pollicitis verbo tenus ſtantem, quo factum eſt ut dum moras ſubinde ille necteret, interim collectanea hæc nova tineis & blattis exponerentur. Illud porro in memoriam rediit, ubi primum huic inſtituto operam navavi, veſtigiis me* Septalii *inſtitiſſe, eadem methodo in digerendis & conſtruendis Cautionibus & Animadverſionibus obſervata, eademque librorum & capitum ſervata ſerie, quo factum eſt ut Amborum poſtea connubium meditatus ſim, quod uterque eundem in ſcopum conſpiret & collineet, emiſſis videlicet* Cautionibus & Animadverſionibus *cautum in Praxi reddant Medicum, illúmque ab erroribus, quibus etiam præſtantiſſimi quique obnoxii ſunt, revocent & retrahant; Si prior Editio illuſtrem titulum præ ſe fert,* Phari Medicorum, *quia videlicet Opus Medico in tenebris verſanti facem præfert, poſterior hæc, quæ rationem edocet eundem vagum & erroneum e* Labyrinthis *educendi, filumque Ariadneum porrigit, forte aſſentientes habitura eſt: Revera in* Labyrinthis *non*

raro

raro deerrat Medicus tum in Therapeia tum in Diagnosi, unus quippe morbus, diverso tempore, vel in diversis personis non est idem: Varietates multæ ætatis, sexus, tempestatis anni, & si qua alia, Medicum in ambagibus viarum detinent: Morbos muliebres a virilibus discrepare notum est, adeo ut artis periti in iis dignoscendis juxta ac curandis vacillent: Aliam esse affectuum indolem in rufis, qui κακοήθειαν sæpe redoleant, tradit Ballonius: Autumnalium morborum non eandem esse naturam ac vernalium palam faciunt febres illis tempestatibus obortæ, Vere mitiores sunt, medicamentis auscultantes, Autumno graviores, pertinaces, adeo ut sæpe Medicus quò se vertat nesciat: Nec minus hic se intricatum videt si complicati occurrunt morbi, quorum operosa est disquisitio, donec artificiosa resolutione primam originem deprehenderit; difficile enim tenetur pars primaria affectus causa: Sæpius quoque morbus sese abscondit, atque in latebris jacet, quem multa cum difficultate quæritat vel maxime gnarus, unde præjudiciis falsis non raro ansa præbetur: Crebro ille imis in præcordiis res gerit, corporisque penetralibus, obscura sui exitus emittens indicia; Nonnunquam idem sese foras exerit, mox subitò pedem referens ad tempus se subducit, demum iterum erumpens: Alias quasi in labyrintho ipse oberraret, nescitur quo pergat antequam perrexit, sicq; Medicum persequentem eludit & angit, qui perrecturum hanc viam credit, cum deflexisse ab instituto tramite videt, adeo ut assequi nequeat: Sed & in novis morbis sæpe consilii ambiguus est Medicus, & undique circumspicit: Sic ubi primum Lues venerea, Sudor Anglicus &c. emersere, quid agendum, qua evadendum non apparebat: Rarius, sed aliquando tamen, scribit Celsus, morbus quoque ipse novus est, quem non incidere manifeste falsum est, cum ætate nostra quidam ex naturalibus partibus carne prolapsa & arente intra paucas horas expiraverit, sic ut nobilissimi Medici neque genus mali neque remedium invenerint, Quos ideo ego nihil tentasse judico; quia nemo in splendida persona periclitariconjectura sua voluerit, ne occidisse, nisi servasset, videretur. Acutorum morborum instabilitas, & τὸ εὐμετάβολον cuivis patet, quorum mores ita sepæ sunt comparati ut alium atque alium subinde vultum gerant variasque mutationes subeant: Sæpe illi μεταπίπτουσι vel in peius vel in melius: hic stat Medicus quid aggrediatur anceps & dubius. Fit & nonnunquam ut multiplices affectus, quasi agmine facto, simul invadant, nedum opprimant, ut Medicus quem prius quem posterius oppugnet nesciat, neque introitum neque exitum vel


in

in curatione, vel in ipsa diagnosi perspiciens. Sed & varie ludunt illuduntque morbi per varias metatheses & metastases humorum, unde inconstanter se habent; quos oppugnare non datur donec hi constiterint; Atque mirari hic subit varios naturæ conatus ad salutem vel ad pernitiem in orgasmo materiæ percitæ, hac illac delatæ, eruptionem molientis, modo huic, modo illi parti bellum indicentis. Morbus interdum velox præoccupat diagnosin & therapeian; Sæpe τὸ ὅτι *manifestum, ignotum* τὸ διότι: *ubi* ἀγχίνοια & *solertia Medici desideratur, uti & præcipue cum mali moris occurrit morbus &* ἀλλοπρόσαλλος, *flexuoso incedit passu: Tunc* παντοδαπὸν σχῆμα *gerere Medicum decet, &* ἄλλῳ καὶ ἄλλῳ εὐθέως γνώμην λαβεῖν; *Sed & similitudines, quod scribit* Hippocrates, *eruditis imponunt, ut rectam inire viam existiment, cum tamen aberrent, quod artem* στοχαστικὴν *plerumque efficit; adeo ut etsi Ratiocinationi locus sit, conjectura tamen non raro in subsidium vocanda sit: Quin & insidias struunt morbi latentes*, Medici prudentis est & cati (*inquit Ballonius*) videre & providere ne quid insidiarum struat morbus latens: sæpe vidimus ægros insultu gravissimo morbi quamprimum territos, deinde morbum desæviisse, & cum omnia secura esse viderentur, repente morte præreptos esse; adeo humores præsentissimo cuique veneno adæquandi in corpore latent: *Solertia Medici præsertim eminet in morbis nascentibus deprehendendis, quo protinus erumpentes opprimat: Pullulantes herbas & germinantes novit peritus Botanicus, nec solum adultas & florentes, cuivis idiotæ obvias, Morborum indolem, mores & vim, præsertim dum nascuntur, perspecta habet sagax Medicus; progressos & adultos omnes fere novere: Quin & loci affecti conditio Medicum extra semitam rectitudinis abducit*, attamen minima etiam causa, *inquit Hippocrates, lib. Præcept.* curationem turbare & pervertere potest, si quid circa locum affectum intempestivè evenerit. *Impedimenta hæc & alia quamplurima Medicum properantem morantur; Methodum dari dixeris, viámque per illam patere ad artis finem; Duobus ad incessum cruribus Medicum instructum esse, firmóque sic stare talo*, Ratione *videlicet, seu* Judicio, *&* Experientia, *At quale de his fert antiquus medendi Magister judicium, ipso in aphorismorum limine?* Judicium difficile, Experientia periculosa; Id Judicium, *ait Commentator Heurnius*, versatur in distinctione similium ac dissimilium, morborum, causarum, corporum, signorum & remediorum, ex qua distinctione optime perspecta cognoscendi, prædicendi ac curandi ratio comparatur: At hoc

Judicium difficile, nam illa similia & difficilia non facile dignoſcuntur, adeo ut in his ſæpe judicium fallatur: *Hinc τέκμαρσις difficilis, h. e. viritim medendi ratio ; ad quam individualis notitia magni ſemper æſtimata; attamen κατ' ἕκαστα inveſtigatu difficilia: utut τὸ καθόλου dignoſcatur, hinc fraudem illi faciunt qui ex qualicunque præceptorum generalium notitia, Medicandi rationem ad ſingulos transferunt. Ars quippe Medica non eſt in ſolis præceptis & medicamentis, ſed in medicamentorum vero intellectu, rectóque circa individua uſu : Facile quidem præcepta tenere, & ſcire quid ſint illa de quibus præcepta traduntur, ardua eſt eorundem adminiſtratio, quæ ἡγεμονικὸν eſt in Arte: Sunt morbi quorum pervicacia validiora poſcit uſitatis, ſunt in quibus remedium anceps melius quam nullum, malúmque magnum mediocri permutandum :* Experientiam *ſi conſulamus,* eſt ſane, *ait Heurnius,* periculoſe fallax experientia, & fallaciter periculoſa, dum ea tentat in fabrica humana quæ longa die non ſunt probata, Temerariæ enim experientiæ finis eſt certa mors: *Sed alia eſt vere & proprie dicta Experientia quæ non fallit, Iudiciumque jungit; at falſa temere ut judicat, ſic temere agit & reapſe periclitatur. Hinc* Galenus 1. *de Aliment. Facult. c.* 7. ut id univerſim dicam, potis non eſt ut alicujus rei facultates experientia commode explores, ſi non prius exacte compertum habueris affectum cui adhibetur id quod exploratur, ſive id ſit potus, ſive cibus, ſive pharmacum. *Alias Experientia ad fidem faciendam ſuum locum meritò tuetur, & κριτήριον etiam firmum eſt, dummodo recte in uſum flectatur & non falſum pro vero reputemus, fallit namque & ſapientes & doctos ſine ratione experientia.* Hippocratem *quod ſpectat,* ἐμπειρίαν *ille in dubium non vocat, ſed* πεῖραν, *quæ dubium facit animum ; nam qui hanc ſine dextra, quam vocamus Rationem, ſequuntur, in errores ſæpiſſime labuntur graves: caſu illi curant, ut cæcus viam ſine duce tenet : Ex utriuſque conjugio, Rationis & legitimæ Experientiæ, ars Medica conſtituitur; Conſummatus eſt ille Medicus* Galeno lib. Defin. Med. *qui* in ſpeculatione & cognitione univerſalium theorematum; & actione, ſive particularium exercitatione omnes numeros explevit. Τέλειος ὅδε ἰατρὸς ὁ ἐν θεωρίᾳ καὶ πράξει ἀπηρτισμένος. *At quam paucis conceſſum eſt hanc adire Corinthum, paucis, quos æquus amavit Iupiter accidit ut τέλειοι ἰατροὶ evadant: Ad Artem, quam longam dicit* Hippocrates, *viæ compendia quæruntur, Verum non ſolum obſtat viæ longitudo, ſalebroſum præterea lubricum ac flexuoſum ad eam iter eſt. Quodnam inſtituendum ſit oſtendit* Seneca Epiſt. ad Lucilium 6. Longum

est iter per præcepta, breve & efficax per exempla : *Sed nec minus efficax, etsi forte non breve, per* Cautiones *&* Animadversiones, *quæ Præceptorum simul & Exemplorum vices adimplent ; ab iis traditas qui perplexum iter triverunt, aut in Labyrinthis constituti, quomodo se ab iis sit expediendum & extricandum demonstrarunt : In his eminent laudati* Ballonius *&* Septalius, *Ille quidem in Excellentissimis suis Scriptis adnotavit quæcunque remoram objecerunt in artis exercitio, sparsim tradita, a me in locos communes ad proprios usus collecta, congesta & digesta, mox publicis juris facta :* Hic *vero* (Septalius), *ex professo* Animadversionum *&* Cautionum *practicarum propriarum librum edidit, magno, ob excellentiam, applausu exceptum : Ex his combinatis exsurgit Opus istud, Medico in Labyrintho versanti utile & pernecessarium : Aliud ejusdem momenti a me ante lustrum emissum est, titulo* Mercurii Compilatitii, *ex pluribus Autoribus contextum ; prætermissis* Ballonio *&* Septalio, *quibus peculiarem locum hic assignavi : Omnium tamen est consensus, eoque res recidit,* Multo labore, assiduo studio, varia exercitatione, pluribus experimentis, altissima prudentia, præsentissimo consilio, constare artem medendi, *quod de arte Dicendi prodidit olim* Quintilianus.

GULIELMI



GULIELMI BALLONII
VITA,
EX LIBRO
RENATI MORÆI
DOCTORIS MEDICI PARISIENSIS
& Professoris Regii de Illustribus Medicis Parisiensibus.



NTER cætera καὶ καλὰ καὶ μιμήσεως ἄξια, hoc in Thucydide summum & eximium est, docente Halicarnassæo, quod neque mendacium ultro dixerit, neque suam ipse conscientiam prodiderit. Quisquis ad historiam scribendam accedit, velim intelligat μόνη θυτέον τῇ ἀληθείᾳ, præceptóque Phocylidis obsequatur.

In Iudicio de Thucyd.

Lucian. de scribenda hist.

Ψεύδεα μὴ βάζειν τὰδ' ἐτήτυμα πάντα ἀγορεύειν.

Sic ut nihil odio, nihil amicitiæ tribuat, non metuat, non speret, non parcat, non misereatur, non erubescat. Ut historia fax est & lumen temporum, sic historiæ veritas: sine qua degenerat in fabulam καὶ εἰς ἀπάτην καὶ εἰς γοήτειαν. Sic mecum ab initio hujus Operis constitui; ut nihil ad fucum, nihil ad pompam scriberem, nec dissimulatis, si quæ sint, criminibus, nec virtutibus, si desint, inductis. *Elogiorum* ea lex est ut

In prœm. νκθιλ.

Idem Lucia. ibid.

Idem Halicar. ibid.

Vt Elogia differant à vitis

ſplendeant ſolis virtutum luminibus, neque ultra hos carceres progrediantur, liberiora ſunt βιογραφίας ſpatia, laudis & vituperii alternat vices, virtutis & vitii coloribus diſcriminatur; atque ut fidentiùs exultat in commemoratione rerum præclarè geſtarum, facinora tamen licet verecundè, καὶ ἀπὸ κηδεμονίας delibat; Facit quod Pictores ſolent, qui dum venuſtas imagines penicillo exprimunt, nævos & umbras non prætermittunt, ne conciliandæ magis gratiæ quàm delineandæ ſpeciei lenocinari videantur. In hoc ego imitatus graves & ſummos Viros, in ipſa vitarum deſcriptione à nonnullis maculis interdum non abſtineo; non tam conviciandi pruritu & libidine, quàm ut inſinuem non modò quod ſequendum, ſed etiam quod ſit fugiendum. Quod quidem non ideo longo deduximus exordio, ut in GULIELMO DE BAILLOU, cujus hiſtoriam enarrandam ſuſcipimus, multorum criminum aut vitiorum veniam deprecer, quàm ut à me criminationem adulationis removeam; quod in illo culpandum nihil aut vituperandum invenerim.

Plut. in Cimone.

Plutar. Sueton. Tacit. Caßius Herodia. Corn. Nep. Eunap.

Is Lutetiæ natus circa annum Chriſti milleſimum quingenteſimum triceſimum octavum, Nicolao patre (quod illi fuit cum Galeno ſingulare) Geometriæ & Architecturæ peritiſſimo: qui è generoſâ ſtirpe BALLONIORUM apud Unellos ad Nogentum Retrodi, ubi eorum eſt nobile prædium, oriundus, ſedem & domicilium fortunarum ſuarum Lutetiam tranſtulerat; allectus favore atque amicitia *Guillalariorum Mortariorum*, qui eo ſæculo primos dignitatis gradus in Imperio Gallico erant confecuti. Ex his enim ſenior ſupremus Ærarii Tribunus Catharinæ Mediceæ regia & egregia ædificia molienti, apud quam gratiâ valebat plurimum, *Nicolaum* obtulit, ut eximium Architectum qui linearem daret delineationem, & Sacelli illius politiſſimi Sueſſionenſis Palatii, & ſcalarum regiarum quæ ſunt in poſticâ Lupara, quo opere nec auguſtius quicquam nec elegantius priſca ſæcula viderunt. *Andreas* verò *Guillarius*, in ſupremo Senatu Præſes, vir integerrimæ vitæ, vel eo argumento quod ſolus cum Sancerræ Comite, & Cancellario Hoſpitalio Principis

Patria & natalia BALLONII Parens Architecturæ peritus.

Guillarii.

Andreas Guillarius.

Condæi

Condæi damnatoriæ sententiæ subscribere noluerit; *Gulielmum* Nicolai filium unà cum liberis suis erudiendum in ludum litterarium miserit ac propriis sumptibus aluerit. Florebat ea tempestate Academia Parisiensis non modò celeberrimis Professoribus, sed disciplinis institutisque severioribus: sic ut *Gulielmus noster*, cum esset proclivi ad artes & scientias ingenio, & ad virtutes à natura comparato, intra aliquot annos Græci Latinique sermonis peritissimus, Philologicarum & Philosophicarum rerum scientissimus, modestiæ, pietatis, temperantiæ, cæterarumque virtutum studiosissimus evaderet. Ut erat solitudinis amans, expers curarum, ludi & aleæ nescius, honestarum etiam voluptatum negligens, impatiens otii, librorum helluo, pulcherrimarum rerum avidus, prosa, versaque oratione dies & noctes stylum exercens, primas in oratoria & poëtica consecutus est: adeò ut qui purius Latinè loqueretur, aut floridius scriberet, aut literas pingeret elegantius parem non habuerit. Ita feliciter emenso liberalium disciplinarum stadio, philosophicisque studiis ex uno Aristotele delibatis, de *Pædagogia* cogitare cœpit, quæ ut hodierna die fax est sæculi & ingeniorum remora, sic ea tempestate fax fuit eruditionis, virtutis & gloriæ seminarium. Annis aliquot in Montano Athenæo humaniores docuit literas, quæ ornamenta sunt superiorum disciplinarum; deinde invalescente eruditionis fama ad Aristotelem (quem nonnulli ex Academia exterminare contendebant) explicandum accitus & invitatus frequentissimum auditorium habuit nobilium illustriumque discipulorum, qui tam ex ejus ore facundo & erudito philosophiæ præcepta, quàm ex modesto & verecundo ejus vultu virtutum exempla hauserunt. Interim verò sub *Rochæo*, *Contæo*, & *Dureto* seniore, Parisiensibus Medicinæ Professoribus, rudimentum ejus artis posuit, cujus postea futurus erat ornamentum. Tunc temporis erat Medicina velut in ætatis flore constituta, ex quo sub *Copo*, *Brissoto*, *Ruellio*, *Tagautio*, *Andernaco*, ex cineribus Arabum reviviscens, & adolescens sub *Hollerio*, *Flexelio*, *Sylvio*, & *Fernelio*, qui beatissimis suis consiliis emorientem Valesiorum stirpem fœcundissi-

Serranus ad annum 1560.

Studia Ballonii.

Dotes ejus.

Literas humaniores & Philosophiam docet.

Studet Medicinæ.

Status Medicinæ sæculo superiori.

mâ prole ad vitam excitavisset; cœperat florere & vigere ducibus *Varadæo*, *Dureto*, *Rochæo*, *Fabro*, *Pietreo*, *Laffilæo*, auctoritate, gratiâ, dignitate, gloria, opibus locupletata. Hoc lenocinio excitatus *Gulielmus* ad præclarissimam artem, Baccalaureorum numero adscriptus est anno 1568. ac sequenti biennio post *Martinum Akakiam* ἰατρȣ̃ παῖδα; primum in licentia gradum obtinuit; cum alioquin quatuordecim haberet Commilitones & Antagonistas, atque inter eos viros egregios doctrina & eruditione illustres, *Antonium Valetum*, Hollerii scholiasten, *Nicolaum Ellenium* scholæ nostræ Athlantem, *Henricum Blacuodæum*, *Ioannem Amicum*, *Ioannem Pelleterium*, *Claudium Bazinum*, *& Antonium Bruelium*, qui licet in eodem ordine, & sub iisdem ducibus cum *GVLIELMO BALLONIO* meruissent & pugnavissent, attamen non nisi post eum sacramento legibusque soluti missionem & exauctorationem adepti sunt. Renunciatus Doctor à *M. Nicolao le Grand*, anno 1570. sic se ad omnia Doctoris munia & officia exequenda comparavit, qua disputando, qua orando, qua docendo, ut per quadraginta sex annos continuos suam stationem deseruisse non perhibeatur. In palæstra Medica tam strenuus pugil, disputator tam vehemens, tam acutus syllogismorum artifex, & subtilis argumentorum architectus, ut non solùm in commentariis nostris ab eruditissimo Gourmeleno, *Vir acutißimus*; sed etiam vulgò *flagellum majus Baccalaureorum* singulari Elogio diceretur. In componendis adornandisque *Thesibus*, sive sententiarum ubertatem, sive sermonis ornatum, sive polymathiam, sive concinnam rerum recto ordine cohærentium seriem spectes, nemini postremus: sic ut (quod hactenus in scholis nostris fuit inauditum) eruditissimam Thesim: *An cuique hominum sua μοῖρα πεπρωμένη, suus Genius*, bis disputandam proposuerit, anno scilicet 1602. & rursum anno 1615. omnium Medicorum rogatu perfectissimum illum & absolutissimum ingenii fœtum suspicientium, è quo licet brevi & exiguo plus ille laudis & nominis est consecutus.

Quam levis è tota Marsus Amazonide.

Baccalaureatus ejus. Alterum licentiæ locum obtinet.

Doctor factus.

Eximius disputator.

Elogia ejus.

Thesium peritus artifex.

Thesis bis disputata.

Martial. ep. 29. l. 4.

Thesium

Thesium apud Medicos Parisienses compositio ut varium & eruditum opus, sic difficile, arduum, & argutum: concisa dictio, sed compta, artificium singulare, sed de industriâ involutum, multiplices rerum & verborum ad gratiam non ad lasciviam comparatæ delitiæ, eruditio mascula, non elumbis, condita sententiis non lenociniis epicheiremata; syllogismo nititur quinque appendicibus quasi totidem fulto columinibus seu transtris; πρότασις duobus primis corollariis exposita & confirmata sensim ducit ad ὑπολαμβανόμενον, tertio & quarto explicatum & probatum, è quo συμπέρασμα, ultima appendice deducitur ad totius negotii complementum, argumento tam acri junctura & subtili stamine contexto, ut artificium nonnisi peritis & oculatis innotescat. *Theses* aliorum more si scribas, nihilo plus laboris & industriæ colloces, quàm si è libro transcribas: plana & facilis narratio, sed jejuna & sterilis, nuda & plerumque barbara vocabula, scabra & inculta rerum maceries, nullæ scintillæ dignitatis litterariæ, nulli flosculi; ut occurrunt verba sic cadunt sub numeros, sed sine numeris, sine luminibus, nequidem sententiarum quibus disciplinæ solent collustrari. Medicæ autem Parisienses ut verborum suavitate demulcent, sic sententiarum gravitate delectant, doctrina nobiles, arte illustres, rerum varietate mirabiles, totæ tamen suæ. Sese hîc explicant eruditorum ingenia, & in hoc scriptionis genere se produnt probantque tanquam in perplexo omnium opere atque arduo, è quo licet Doctorum eruditionem, facundiam & solertiam æstimare. Præfiscine dictum hîc velim ad amoliendam invidiam, neve quemquam meo sermone commoveam, si palam & publicè profitear in isto laudis & studii argumento *Gulielmum* nostrum cæteros omnes antevertisse. *Thesis illa* bis agitata, semel atque iterum probata, laudata semper, ut & *illa*, quam de Rheumatismo & Arthritide exposuit, omnes in admirationem rapuere, nonnullos in æmulationem, in societatem gloriæ neminem. Solet plerumque invidia alienis incrementis insidiari, & comitari incedentes per gloriam non secus ac umbra deambulantes per Solem. Eam tamen *Gulielmus Ballonius*,

Thesis argutum opus.

Vt differunt Theses Medicæ Paris. ab aliis.

Stobæus de invid. serm. 38.

Livor abfuit ab illo. Claudia. in Stilic.

lonius, virtutum ſuarum ſplendore extinxit & comitate morum ſuperavit.

Facta ſequebatur quamvis ingentia livor,
Solus hic invidiæ fines virtute reliquit
Humanumque modum.

Decanus electus.

Calamitas ſcholarum Pariſ. Peſtis. Bellum Chirurgicum.

Collegas enim ſuos tam faventes & benevolos expertus eſt ut primam illi ordinis ſui dignitatem contulerint, eúmque menſe Novembri anni 1580, *Decanum*, qui caput eſt Facultatis, conſpirantibus omnium votis, in biennium procrearint. Laboravit per ea tempora Medicus ordo Pariſienſis duabus maximis calamitatibus, *ſolitudine & ſeditione. Illam* induxerat peſtilens lues, quæ ferini & contagioſi catarrhi, à caputio denominati prænuncia, ſcholas feriari coëgit diſperſis Doctoribus & diſcipulis urbem & Academiam deſerentibus. *Seditionem* movêre adverſus facultatem *togati Chirurgi*, & arroganter publicè profitentes docentéſque Medicinam, & impudenter Doctorum nomen & titulum ambientes. Per eas rerum anguſtias, & in illo negotiorum æſtu, in uno *Ballonio*, ſpes omnium & expectatio fuit collocata: utpote qui & auctoritate qua pollebat, & virtute qua cunctos demerebatur, & morum integritate, qua plurimos antecellebat, & animi conſtantia atque fortitudine, qua ſe à rebus adverſis frangi non patiebatur, unus eſſet qui nutantem & labantem dignitatem noſtram, labefactatumque imperium ſuſtinere & fulcire poſſe videretur. Initio quoque ſui magiſtratus nihil prius aut antiquius habuit quam ut Agyrtas, Circumforaneos, & Empiricos, quorum capita erant Itali duo, *Cyprianus* neſcio quis, & *Caurianus & Cabrianus*, ex urbe exterminaret. Ut gens illa eſt adulteriis, lenociniis, Aſtrologicis & ſuperſtitioſis divinationibus famoſa, ſic ſe ſolet tacitis artibus in aulas Principum inſinuare, & in Nobilium domos, qui nihil niſi quod peregrinum eſt & exoticum amant & admirantur. Horum parricidia ut compeſceret reos apud Senatum egit: neve hæc impetigo ad Facultatis uſque Medicos ſerperet, renovandum antiquum decretum omniumque Doctorum ſigillis ac novo jurejurando confirmandum curavit adverſus eos qui ſocietatem

Lis in Empiricos.

Decretum in Empiricos renovatum.

tem inirent cum Empiricis & illegitimè Medicinam exercentibus. Interim aperto Marte repugnandum illi fuit in Ministros Medicinæ refractarios, servile bellum Facultati & Academiæ intentantes. Cum enim *togati Chirurgi*, superioribus annis subreptitios libellos à Rege obtinuissent, non solum de docenda publicè Medicinâ, sed de adipiscendis Licentiarum & Doctoratus titulis; sensissentque elusos & retusos conatus suos, novo diplomate Regio à M. *Claudio Rousselet*, primo Decanatus sui anno, qui fuit 1576. impetrato, ad novas artes & technas convolandum rati, à summo Pontifice, nescio quo suadente Genio, diploma *indulti* nomine extorserunt; quo Cancellario Ecclesiæ Parisiensis Facultatis demandabatur concedendi illis Apostolicam benedictionem ut Licentiatorum gloriâ relucerent. Mirare quò se ambitiosa illa Societas extulerit, & quo fastu in omnium florentissimam Academiam quintam quamdam Facultatem introducere speraverit! Cum itaque verendum foret, ne si taceretur, jus præscriptionis litteræ illæ habituræ essent, coercendusque initio videretur impetus iste novitatis, qui jam Rectorem Academiæ (inconsultis licet ordinibus) cum toto suo ornatu & comitatu ad actus Chirurgorum evocaverat: Decanus primò expostulatione facta in Rectorem, ab illo publicam hanc confessionem extorsit, *pœnitere se facti, & quod contra jura Academiæ illum actum Chirurgorum exornasset*. Deinde verò litem omnem ad supremum Senatum detulit, & cum Academia ejusque Cancellario ad ipsum provocavit. Interea summi Pontificis fides & æquitas imploratur, multorum Purpuratorum, Estensis, Pellevæi, Rambulieti auctoritas interpellatur, Foxii apud Pontificem Oratoris Regii, Mureti, aliorumque clarissimorum Virorum gratia & favor crebris literis sollicitatur. Quid plura? apud Legatum Pontificium frequentes itiones & reditiones, orationes à Decano habitæ, variç actionum formularumque argutię susceptę, tandem dicta à summo Præside dies cum duabus aliis integris

Causa litis in Chirurgos.

Diploma Pontificium pro Chirurgis.

Animadversio in Rectorem.

Articuli digesti & oblati.

Ex Commentariis Facult.

in Patronorum actionibus insumuntur. *M. I. Chouart, pro Academia prudentissimè summoque judicio dixit; M. D. Chopinus pro Facultate aliquot capita satis plausibiliter perstrinxit: M. C. Robert, pro Cancellario Universitatis ingeniosè oravit: M. Augustinus de Thou, Regius patronus, breviter & ad rem convenienter: Pro Chirurgis M. I. le Verst, à Chirurgo natus & Chirurgorum patronus, vastè & effœminatè dixit, Academiæ cardines & firma Facultatis Medicæ fundamenta molliuscula & effœminata oratione concutere ac convellere giganteo more tentavit.* Nec tamen, ut ipse fatetur *BALLONIUS* in Commentariis sui Decanatus, plurimis licet sumptis laboribus hoc consequi potuit, ut absolutum ea de re Senatusconsultum obtineretur. *Defuit*, inquit, *voluntas nusquam, sed fortuna: Affectum quidem, sed non perfectum negotium. Nullus non à nobis susceptus labor est, partim ut apud Senatum, partim apud Romanam Curiam res conficeretur. Nobis is defuit favor qui in literas, & in publicam rem esse debet. Quod enim commune est negligitur. Accedit quod tot sunt ambages, tot in foro formulæ & diverticula, ut antè in medio cursu obruamur, quàm portum aliquem conspiciamus.* Hactenus commentarii de illo negotio, cui quamvis extremam manum non imposuerit GULIELMUS BALLONIUS, ita tamen affecit & disposuit; ut illud non solum diuturnitate temporis sponte sit dissipatum, sed ambitiosa Chirurgorum societas sic attrita, ut quæ olim chirurgicarum rerum & medicarum cognitione superbiret, nunc rerum propè omnium ignoratione videatur gloriari. Relicta rerum publicarum administratione, BALLONIUS ad usum Medicinæ se contulit, in quo tam prudenter feliciterque se gessit, ut inter primi nominis Medicos haberetur acceptissimus gratissimúsque Viris consultissimis *Marescoto, Magno, Altino, Riolano seniori, Pietrao, Liebautio, Gourmeleno, Mironio, Laurentio, Seguino* Archiatris, quibus fama & gloria par esse potuisset, si quantum doctrina & ingenio valebat, tantum usu & exercitatione voluisset contendere. Sed homo ab omni famæ aucupio alienus, divitiarum

Ex iisdem comment.

Ad medendum se applicat.

tiarum quoque minimè appetens, neglexit adminicula quibus ad summos honores, & facultates conscenditur. Minus aulâ quàm Musæo delectabatur, magisque ægris plebeiis & ignobilibus quàm illustribus & Aulicis, qui Medicos velut catulos in compedibus vinctos & alligatos retinent. Eum *Henricus Magnus* ante urbis deditionem in oppido sancti Dionisii & benignissimè exceperat, & de rebus gravissimis, præsertim vero de calamitate Parisiensium disserentem longo tempore audiverat; ut si voluisset ad aulam convolare faventia habiturus fuisset numina. Sed ab Aulâ velut famulitio abhorrens privatam vitam amplexus est; exinde anno 1601. evocatus à Rege Potentissimo, hortante & suadente illustrissima Domina de Monglas, Regiorum Liberorum curatrice, ut curam susciperet salutis Serenissimi Principis Delphini, cujus capite salus orbis continebatur; dignitatem eam recusavit, senilem ætatem, effœtas vires, ingeniique tenuitatem objiciens, ne cogeretur otium domesticum aulico negotio, philosophicamque parcimoniam, Principum delitiis permutare. Ita sui juris & potestatis factus popularibus suis medicinam factitavit, non ad aucupandam (quod nunc fieri amat) popularem auram, vel ad opes summo æstu comparandas, sed ad ægrorum tædia levanda & lenienda, tanta humanitate & comitate ut non instar Archagati à sævitia urendi & secandi *hominum carnifex*, sed à mitissima curandi ratione *infantium Medicus*, vulgò nuncuparetur. Interim nihil de studio remittere, Græcos Latinósque Auctores probæ & antiquæ notæ diurna nocturnáque manu evolvere, difficillima eorum loca & notare & illustrare, priscam Hippocratis & Galeni doctrinam adversus Novatorum calumnias tueri, de gravissimis morbis & peritissimos quosque literis consulere, & vicissim à multis consuli, rariores morbos ac prodigiosos in adversaria cogere & explicare, singulorum morborum historias Hippocratis exemplo describere, quotidie aliquid adnotare, observare, designare; ut mirum sit negotioso homini tantum studii ad tot monimenta conscribenda; homini verò studioso tantùm otii ad tam multa circa

Gratus Regi Henrico.

Recusat dignitatem Aulicam.

Medicus infantium dictus.

Labor & studium ejus.

ægros ſuſcipienda negotia ſuperfuiſſe. Cùm verò perfectiſſimum & abſolutiſſimum Medicum ſola eruditio non conſtituat, ſed probitas & virtus, cujus gratiâ cætera quæ in vita contingunt expetuntur; potuit GULIELMUS BALLONIUS, ut ingenii gloria, ſic morum integritate gloriari: Pietatem enim imprimis, quæ virtutum eſt condimentum, καὶ κτημάτων τὸ κάλλιστον, ita excoluit, ut nullum diem à ſacro Miſſæ ſacrificio intermiſiſſe perhibeatur: omnia auſpicatus à Deo & in Deum omnia referens, utpote cum Θεοῦ παρόντος, ἅπαν ἄπορον πόριμον, præſente & favente Numine, quod inextricabile eſt, facili negotio explicari poſſe profiteretur. Tanta autem charitate exardeſcebat, ut non ſolùm conſilio ægros omnibus adjumentis deſtitutos ſolaretur, ſed pecuniis ſublevaret, quas non paucas in pauperes ſingulis diebus erogaſſe multi recordantur. Ignotorum miſeriis illacrymari, aut verbis recreare gementes integrum non eſt humanitatis noſtræ officium, ſed egenis proſpicere, ac dare operam ut pauperibus alimenta non deſint. Licet vero Orthodoxæ religionis incenſus amore hæreticæ pravitatis ſectarios cane pejus & angue averſaretur; non potuit tamen probare peſſima eorum conſilia, qui Henricum IV. legitimum regni ſucceſſorem avita hæreditate privare malis artibus contendebant; ſed ejus partibus, licet in Vrbe rebelli, non ſolùm tacitè favit, ſed publico monimento, quod, ſub *Riveti* nomine, de calamitate & miſeria civium Pariſienſium conſcripſit. Duxerat in uxorem filiam Gervaſii Honoræi Pharmacopœi Pariſienſis pudiciſſimam fœminam, ſingularis virtutis, prudentiæ, probitatis, frugalitatis; è qua inter cæteros liberos filium natu minorem ſuſceperat quem Medicinæ deſtinabat. Sed is poſtquam multa & virtutis & ingenii argumenta præbuiſſet, optimóque Parenti propter eximios in literis factos progreſſus eſſet acceptiſſimus, œſtro quodam pietatis in familiam Capucinorum tranſilivit, inſcio & inconſulto, ut fieri ſolet, Parente. Qui cum hoc triſti nuncio quaſi turbine afflatus fuiſſet, ſubito quidem caſu exanimatus & velut è mentis ſtatione dimotus fuit; ſed mox revocata in conſilium ratione, & inſtitutum

Vir ut doctus ſic probus.

Pietas ejus.

Philo de nominum mut.

Syneſ. epi. 139.

Charitas vera.

Valent. & Marcian. l. 12. §. 2. C. de Sacroſanct. Eccleſ.

Factioni non ſubſcripſit.

Vxor.

Filius natu minor Franciſcanus.

filii divinæ providentiæ committens, in hæc verba Evangelii prorupit, *meliorem illum partem elegisse quæ ab eo non auferetur*, piissimâque hac meditatione recreatus secessum amantissimi filii patientissimè toleravit. Singulas virtutes quid attinet commemorare? cum obitu suo qui est universæ vitæ ἀνακεφαλαίωσις, & comœdiæ totius conclusio, quanta sanctimonia & mentis puritate vixerit, reliquerit quasi consignatum. Eo enim temporis & rerum articulo quo virtutes & vitia, pro suo in nos imperio, solent cogitationibus nostris obversari, eas ad Deum fudit preces, ea constantia venientem mortem excepit, eo spiritu mundi veneficia ejuravit, iis votis in cælum aspiravit, ut igniculos pietatis spectatoribus ingeneraret, cogerétque religiosissimum virum ex Capucinorum ordine, qui ut vicem absentis filii suppleret illi assidebat, palàm exclamare, *in Ballonio se justi Lothi imaginem atque speculum contemplari.* *Obitus & mors.*

Quadrato fuit GULIELMUS BALLONIUS, & obesulo corpore, pleno, aperto, & ad lætitiam composito vultu, raso capillitio & barbitio, suavitate vocis eximia, blando eloquio, & in sales explicato, non dicaci, non petulanti. *Corporis dotes.*

Ingenio plurimum valuit, prudentia & sagacitate, laborum patientissimus, virtutum egregius cultor, comis quidem, sed ab urbanitate sæculi alienus, totus in libris, sed in administratione rei familiaris propè nullus, quam uxoris prudentiæ committebat. *Ingenium & virtus.*

Stylus illi floridus, limatus, nitidus, & in utraque oratione prosa & vorsa accuratus; dictio compta & elegans, circumcisa potius quam diffusa; condendi Epigrammatis insignis artifex, cujus exemplum non pigebit apponere ex Commentariis Dureti in Coacas Hippocratis desumptum, quibus Epigramma præfixit. *Stylus & dictio.* *Poëta non vulgaris.*

Exit opus tandem, multos quod pressit in annos
Duretus, Coi lux & imago senis:
Fallor non operis, non libri nomina quadrant:
At melius dici bibliotheca potest:

Cunctarum hic seges est medicarum uberrima legum,
Et modica medicas mole coercet opes:
Morborum causas & signa, προγνωσιν & horum
Legibus & cautè, queis medeare, docet:
Vænalis Medicinæ hæc Ilias unica prostet;
Frustra alios cudes Bibliopola libros.

Liberi. Ex suavissima uxore liberos quatuor suscepit, duos mares, fœminas totidem: Filius natu major armaturæ militaris inspector & arbiter: minor militiæ Capucinorum nomen dedit, Polycarpi cognomen consecutus, vir ut facundiâ sic pietate nulli secundus: filiarum alia D. Chappotino tributarii judicii Nivernensis Præsidi saltuarióque Præfecto nupsit, altera D. Subleto armatæ militiæ Censori & Aristarcho, quos opimâ satis hæreditate beavit.

Antiquior Doctor. Obiit *Antiquior Scholarum Magister*, anno Doctoratus sui 46. ætatis 78. Christi 1616. elatus in ædem D. Paulo sacram ubi resurrectionem expectat.

Mortis annus. Loco filiorum duos Pronepotes habuit Doctores Medicos Parisienses, unum à sorore *Simonem le Letier*, eruditissimum prudentissimúmque virum; alterum ab uxore JACOBUM THEVART, non minùs virtutum quàm Librorum & Manuscriptorum hæredem. *Pronepotes duo.* Is cultissimi ingenii vir, doctrina & eruditione nobilis, rerum Philosophicarum & Medicarum cognitione clarus, ut reipublicæ medicæ dignitatem promoveat, simúlque memoriam optimi Senis intermorituram exsuscitet, Opera ejus omnia publici juris facere constituit, quod ut cito perficiat omnium Literatorum nomine rogo & obtestor, ut si quidem tanti beneficii non sit auctor, saltem erogator habeatur. *Icon.* Idem quoque vir Iconem BALLONII pollicetur, ut eodem momento, & mentis imaginem & corporis simulacrum liceat intueri.

Libri edendi Inter libros editioni paratos, sequentes in bibliotheca ejusdem clarissimi THEVARTII asservantur.

Consiliorum Medicinalium libri duo.
Epidemiorum & Ephemeridum libri duo.

De

GVLIELMI BALLONII.

De Virginum & Mulierum morbis liber.

Epistolarum Medicinalium liber.

Opuscula Medica de Arthritide, Lapide, & Vrinarum sedimento.
In quibus omnibus Veterum auctoritas contra Joannem Fernelium defenditur:

Definitionum Medicarum liber.

Commentarius in librum Theophrasti de Vertigine.

Adversariorum Medicinalium liber.

De Gibbositate libellus.

Paradeigmaton liber.

Epitome primorum librorum 5. Gal. de simpl. medicamentorum facultatibus.

Morborum omnium Onomasticum.

Dicta septem Sapientum carmine latino expressa, quæ servantur in Bibliotheca D. le Letier Pronepotis.

Amicos, familiares, discipulos ejus superfluum esset recensere, cùm ex Epistolarum & Consiliorum libris repeti facili negotio possint. *Amici.*

FINIS.

LVDO-



LUDOVICI SEPTALII
MEDIOLANENSIS
MEDICINÆ DOCTORIS CELEBERRIMI
VITA,

Ex Abbatis GHILINI, *&* LAURENTII CRASSI *Hominum Literatorum Elogiis Italicè ſcriptis*, Extracta.



NTER *illuſtres Viros ex antiquâ & Nobili Septaliorum familia oriundos, honoratiſſimum locum tenuit LVDOVICVS SEPTALIVS, Doctor in Collegio Medicorum Vrbis Mediolanenſis, qui acutiſſimi ingenii ſublimitate, omnigenæ præſtantioris Doctrinæ, Medicinæ præſertim, culturâ, & ſuavium morum ſinceritate & candore cuivis celeberrimo Viro æquiparandus apud ſuos & inter plures exteros habitus fuit. Natus eſt Mediolani, in Patria ſua, 27ª die Menſis Februarii anni* 1550. *patre* Franciſcô Septaliô *& matre* Juliâ Ripâ. *A quibus liberaliter educatus, poſtquam feliciſſimo ingenio humaniorum Literarum ſtadia decurriſſet, Lyceum ingreſſus, miros adeò in Philoſophiæ ſtudio fecit profectus, ut ætatis ſuæ anno decimo ſexto publicè ſuſtinuerit Concluſiones ſuas, coram S. Carolo Borromæo, tunc Cardinali & Archiepiſcopo Mediolanenſi, qui, ut & cæteri Auditores, Iuvenis Ingenium & ſolertiam admiratus, magnis eum evexit laudibus, & ſe alium, adeò teneræ ætatis, qui in cœpto difficili adeò gloriosè triumphaſſet, nullum unquam vidiſſe teſtatus eſt. Deinde Ticinum* (Papiam) *ſe contulit, ubi indefeſſo ſtudio Philoſophiæ adyta ſibi aperuit, & anno ætatis ſuæ vigeſimo primo, per continuum triduum & aulâ cuicunque adversùs ipſum argumentaturo apertâ, rarô exemplô, totius Philoſophiæ curſum, in inclita illa Vniverſitate, cum laude defendit, & maximo omnium applauſu Doctoratûs lauream conſecutus eſt. Et ſicut in Lyceo novus ſui temporis*

poris Aristoteles factus erat, ita etiam, felici Medicinæ studio, novum Patriæ suæ, imò totius Italiæ Æsculapium se præbuit, eximiâ eruditione, summâ integritate, & felicissimo successu in omnibus Curationibus suis. Anno ætatis vigesimo tertio in Studio Papiensi Medicinæ Practicæ primam Cathedram obtinuit, cui tanta cum laude præfuit, ut maxima doctrinæ ope celebre sibi comparaverit nomen, non in vicinis solùm sed etiam in peregrinis Civitatibus, & apud magnos Principes. Inde factum fuit, ut Bavariæ Dux & Magnus Etruriæ Dux eum pro primario Philosophiæ Lectore in Ingolstadiensi & Pisana Academiis petierint; Legatus Bononiensis eum ad primarii Practicæ in illa Universitate Lectoris munus vocarit; Respublica Veneta, quæ dignoscendis & sibi comparandis Viris celeberrimis semper studet, omnem navarit operam, ut in prima Patavinæ Universitatis Cathedra Practicam publicè legere dignaretur; sed quanquam ab omnibus illis Universitatibus oblata ipsi fuerint magna & honorifica, & Celeberrimis doctissimisque tantùm conferri solita stipendia, illa tamen omnia recusavit, præ amore erga Patriam, in cujus commodum nulli parcebat labori, & in qua Politicam & Ethicam publicè legebat in Scholis Canobianis, In hoc autem munere peculiari privilegio, & immortali Nominis & Doctrinæ famâ toto vitæ suæ tempore permansit. Historiographi Regii munus & titulum, (in hac enim Scientia inter omnes alios peritissimus erat) illi conferre voluit Statûs Mediolanensis Gubernator, sed, ut Professionis suæ studiis & exercitiis attendere & vacare meliùs posset, oblatum illud munus recusavit. Catholicus tandem Hispaniarum Rex Philippus IV. de mira Ludovici nostri Septalii eruditione & meritis certior factus, Protophysici Generalis Mediolanensis Statûs nomen & dignitatem maximis cum encomiis detulit. At in hoc aliisque muneribus & Officiis occupatissimus, studiorum tamen dulcissimum otium, & componendorum librorum opportunum tempus nunquam omisit, ad ea tanquam ad centrum suum, uti dicebat identidem se convertens. Ipsius autem laborum certissimi sunt effectus, & de iis manifestum præbent testimonium doctissima Opera, quæ studiosorum Ingeniorum bono publicè edidit, & tum Latino, tum Italico idiomate prælo subjici curavit. Hæc autem sunt ipsius Opera.
Commentariorum in Aristotelis Problemata Tomus I. septem primas sectiones continens, ab eodem Latinè factas. Commentariorum in Aristotelis Problemata Tomus II, secundam Heptadem continens, ab eodem Latinè factam. In librum Hippocratis, de Aëre, Aquis & Locis Commentarii 5. Analyticarum & Animasticarum dissertationum libri 2. De ratione instituendæ & gubernandæ familiæ libri 5. Animadversio-

num & Cautionum Medicarum libri 7. *Opus autem hoc Medicis adeò utile & necessarium quinquies in variis Vrbibus prælum subiit.* Cautiones ad vulnera curanda, & ad componenda pharmaca. *Liber hic in Italicam Linguam versus fuit.* De Peste & pestiferis affectibus libri 5. De Nævis liber unus, *qui valdè utilis & cognitu dignus cùm sit, sæpius typis excusus & in linguam Italicam translatus fuit.* De Margaritis nuper ex Indiâ ad nos allatis Judicium. De morbis ex mucronata cartilagine evenientibus. *Italico deinde præterea idiomate sequentia scripsit & excudi curavit Opera.* De Ratione statûs libros 7. De præservatione à Peste. Epistola, quâ explicat causam propter quam festum Paschatis, sicut cætera festa fixum non sit & stabile, sed mobile, eô tamen modô ut nunquam præcedat vigesimam secundam diem mensis Martii, nec unquam sequatur vigesimamquintam Aprilis. *Scripsit præterea libros aliquot, scilicet.* Solutionum apparentium contradictionum Hippocratis & Galeni. De morbo Gallico. Epistolarum de Politica & Ethica Aristotelis volumina duo. Discussiones aliquot Peripateticas. Exercitia de Galeno. *Sed quoniam has compositiones ipse ad perfectionem deducere non potuit, eas in publicam lucem emitti non permisit. Extant adhuc* Epistolarum Latinarum volumen; Brevis tractatus de Risu, *&* Consiliorum Medicam artem spectantium volumina duo.

Vultû Majestatem & gravitatem hilaritati conjunctam præferebat LUDOVICUS SEPTALIUS, *affabilitate tanta præditus erat ut quemcunque alloqueretur ad se alliceret, dote illa fruebantur præsertim ægroti quos invisebat, ipsius alloquio non minùs quàm medicamentis morbos ipsorum curari & dolores leniri ipsis videbantur. Peculiare habuit literarum commercium cum Serenissima Republica Veneta, cum Ducibus Sabaudiæ, Mantuæ & Vrbini, cum multis Cardinalibus & Statûs Mediolanensis Gubernatoribus. Amicitiam exercuit cum virtuosis & Literatis Viris totius Europæ, ut ex memorato Epistolarum volumine, & illorum operibus colligi potest, in quibus honorificam de ipso mentionem faciunt. Laudabili etiam variæ Doctrinæ Arcam, vitæ ac innocentiæ integritatis vivum simulachrum, & urbanitatis ac comitatis compendium videndi curiositate motus Doctorum quicunque Mediolanum adibat, invisebat Ipsum, & cùm omnibus abundè satisfaceret, magnâ voluptate perceptâ ab eo discedebat. In prognosi circa curationem ægrotorum parem non habuit, & adeò excelluit ut felicium æquè ac infaustorum eventuum non diem solùm sed etiam horam plerumque assignarit, unde Medicorum Phœnix in Prognosticis verè dici potuit. Memoriâ præ-*

ditus

ditus fuit felici & tenacissima, & Studiis adeò intentus, ut se nec horam quidem amisisse solitus fuerit dicere. Familiæ tamen causâ uxorem duxit Angelam Aronam, Nobilem Mediolanensem, ex quâ sedecim liberos suscepit, quorum tredecim, mares septem, feminas sex, superstites vidit, quibus omnibus abundè largitus est. Ingenio itaque fertilis, Nomine clarus, & prole felicissimus fuit. Sed denique bonorum omnium dolori, & Cathedrarum damno & cum luctu Eruditorum vitam finiit Mediolani, hora secunda noctis ante 12. diem Septembris anni 1633. ætatis 82. extincto in ipsius Familia clarissimo splendore & erepto Patriæ optimo & benemerito Cive, cujus corpus in Æde S. Nazari sepultum fuit.

GENIO ET IMAGINI SEPTALIANÆ.

Amœnum. Vultum. Scalptor.
Amænum. Animum. Ipse. Scalptus.
Prodit.
Vtrique. Gratiam.
In. Vultu. Animus. In. Animo
Virtus. Doctrina. Nobilitas.
Habitant.
Hunc. Vultum. Et. Hunc. Animum
Vide Lector. Nosce. Venerare
Viri. Pleno. Pennatóque. Gradû
Ad Æternitatem Euntis.
Qui
Ter. Quatérque. Alatus. Et Illustris.
Triplici. Te. Radio
Virtutis. Doctrinæ. Nobilitatis
Perfundet. Non. Perstringet.
Modestiæ. Suæ. Vmbra. Sive. Auræ
Recreaturus.

ERICIUS. PUTEANUS.
Eloquentiæ. Regius. Apud. Mediol.
Professor. P.

GVLIELMI DE MONTHOLON

AD LUDOVICUM SEPTALIUM PATRICIUM

Mediolanensem, Aristotelis Stagiritæ Problemata Elucidantem.

PRodite aurea scripta Stagiritæ,
Et Vos Septalii aurei Labores
Prodite, istius illa perpolita
Manu: illa istius arte cultiora.
Nam postquam æthera, aquásque Ludoicus,
Et Locos penetrans remotiores,
Thesauros dedit eruditionum:
Nunc ipsos aditus petens Deorum,
Supremæ reserat pius Sophiæ
Arcana, & Sapiens Sophi sagáxque
Prisci Dogmata, Principísque lustrat
Sophi: qui modò per manus, per ora
Gallorum, ac Italûm frequens volabit.
Sic jam Septalii Arte Stagirites
Magis clarus erit, magísque notus.
Septem Septaliúsque Stagiritæ
Alas adjiciens, virum per ora
Magis clarus erit, magísque notus.
Insubrûmque caput prius fabrili.
Famosum magis arte, Marte, Cælo,
Primorum Imperio Ducum, solóque
Pingui, divitiísque nunc Alumni
Felici Ingenio sui superbum
Litteris celebres præibit urbes.

CAVTIO-



CAVTIONVM, ANIMADVERSIONVM ET OBSERVATIONVM PRACTICARVM EX GVL. BALLONII OPERIBVS EXCERPTARVM

LIBER PRIMVS,

Continens eas quæ Medici, quà Medici, officij sunt.

§. 1.  ODESTIÆ est in Medico, vt cum multa norit, aliqua didicisse non pigeat: Leve ingenium cum nihil habeat, nil sibi detrahit: egregium verò, ingens & magnarum rerum habens fiduciam, præclaræ indolis edit argumentum, cùm etiam in rebus perspicuis aliorum judicium requirit. *Consilio 49. lib. 2. pag. 301.*

Peritia propria ne nimium tribuat sed in dubijs alios adsciscat.

§. 2. Mala quædam non tam per se formidanda quàm consequutione majorum metuenda: Ex metu securitas, nec aliquis celerius opprimitur quàm qui nihil timet: Apud Comicos Timido celeritas tribuitur ad quærendum, percontandum, Securo tarditas: Timens

Inter securitatem & timiditatem medius incedat.

Timens paucis verbis & vtitur & alium audit. Securus pluribus, Summum indicium securitatis superbia est: Nimia Securitas frequens est initium calamitatis. *Conf.* 24. *lib.* 3.

Discendi semper sit cupidus: eorum quæ scit copiam aliis faciens.

§. 3. Socratis sit imitator, qui scientissimus parum se scire prædicabat, & dum se ad discendum pauperem credidit, ad docendum se locupletem fecit, profiteri enim se discere volentem, est lumen ad consummatam rerum cognitionem: Ignari nulla de re dubitant, soli sapiunt, philautia hos transversos agit, in alienis æstimandis sunt ambitiosè tristes, aut elevant aliena, aut cachinnantur. Aliter facit bonus Medicus, cui animus, civilis, candidus, rotundus: Item sunt alii qui nolunt docere quod sciunt, tanquam arcanum putant; & neminem docere, & communicare id quod sciunt in authoritatem scientiæ esse putant, quod culpa non vacat. *Consilio* 36. *lib.* 3.

Ne sit timidus, temerarius, vel ostentator.

§. 4. In morbis Medicum nec præcipitanter timidum, nec temerè securum esse oportet, hinc enim & illinc nonnisi aut, præ timore, morborum derelictio, aut præ confidentiæ securitate temeraria remediorum vsurpatio, & prognosis parum tuta. Ideo rem attollere malum, peius verò extenuare, si quid est quod sit alicujus momenti. Rem attollere; vel quo plus profecisse videaris, vel quo ignaris & idiotis excellentior Medicus existimeris, non vacat vel suspicione inanis gloriolæ, vel fortassis ignorantiæ aut avaritiæ. *Consilio* 20. *lib.* 3.

Cõsultationes ambiat.

§. 5. Multorum conventus rectiùs decernit quàm vir vnus: plus pedes multi faciunt quàm vnus: convivium à pluribus collatum melius est ac lautius quàm vnum atque simplex. *Consilio* 24. *lib.* 3. In collatis consiliis est quid auspicatius, firmius & augustius quàm in singulari iudicio: Si morbo victore frustra data, & tardiùs missa, id morbo celeri non negligentiæ cunctabundæ tribuendum, Est in numero quid magnum, & augusta vis perhibetur consilij collati; quod singulis quibusque iudicii parum insit, omnibus plurimum. *Consil.* 29 *lib.* 3.

Candor adsit & sincerus animus in consultationibus.

§ 6. Inter viros bonos, quos malus animus & affectus transversos non agit, tam grata esse debet dissentientis simplicitas, quàm probantis authoritas, modò sit studium & cognoscendæ veritatis stimulus: candor debet adesse potiùs quàm tristis & ambitiosa censura: difficilis sæpe rerum cognitio & in ambiguo multa ambigunt & vacillant. *Ibidem.*

Generaliũ propositionũ ne nimium sit tenax.

§. 7. Vt in Jure omnis definitio periculosa, ita generales propositiones in Arte Medica sunt periculosæ, Nam distinctione & diorismo indigent, qui est velut Anima earum propositionum generalium, alioquin in magnos errores promptus est lapsus; hæc est doctrina Hippoc. qui expendens has propositiones, Omnis caseus bonus,

bonus, omnis malus; omne vinum meracum bonum, malúmve: docet quantis ſubjaceant erroribus qui indefinitè eas pronunciant *Conſ.* 4. *lib,* 3.

§. 8. Non ſufficit Medicorum Theorematum vim omnem tenere, niſi ad inferiora te dimittas, quod Hippocrates τέκμαρσιν vocat, ideo Hippocr. Gnidios medendi magiſtros ſugillat, qui ſpecioſis remediorum nominibus & titulis cùm in populo jactationem habere ſe jam perſpicerent, inde in magnos Medicos evadere ſe arbitrarentur: Cur eos erroris inſimulat? Quia rati erant ſatis eſſe ad faciendam medicinam in generali rerum contemplatione verſari, nec infra deſcendentes quid in quaque re proprium ſit conſiderabant: Quomodo magna ægrotantium clade plerique qui ſe Phyſicos profitentur, ex eo jam magnos medendi artifices & principes exiſtere ſe falsò ſibi perſuadent, quod in naturali rerum ſpeculatione, καὶ τῇ πραγματείᾳ magnos progreſſus feciſſe ſe opinantur. *Conſ.* 58. *lib.* 1. Τέκμαρσις eſt Ratio cuique convenienter medendi: Nec enim ſatis eſſe putat Hippoc. confuſam animo tenere medendi effigiem, niſi qua ratione huic aut illi Medicina ſit facienda intelligatur. Itaque cùm veteres θεράπειαν conſectati eſſent, quæ Artis ſcopus eſt ad quem collimare oporteat, neceſſe quoque fuit eos τὴν διάγνωσιν in numerato habere & πρόγνωσιν: Quæ tria veteres attigiſſe credibile eſt: Quid ergo illud eſt in quo errauerint & erroris ab Hippocr. conuincantur? Quoniam τέκμαρσιν negligerent, puta ſe Medicos palam profitentes, quod generales animo de Arte medica Notiones retinerent, nec infra ſeſe dimittentes, rationem cuique faciundæ Medicinæ, adhibendæque ſingulis operæ, conſectarentur: In hoc τεκμάρσεως ratio omnis vertitur, cùm non homini, ſed Calliæ & Socrati medicina fieri debeat *l. Defin. Med. voce* Τέκμαρσις.

In generalibus ne ſubſiſtat, ſed ad tecmarſin deſcendat.

§. 9. Empirici aliquando mirificum quendam effectum præſtant dum ſuis vtuntur metallicis: imo vincuntur morbi qui ordinariis evacuationibus vinci non poterant: An quoniam per iſtas ὑφαιρέσεις ſoluitur veluti tenor & vis Naturæ, & fit colliquatio quædam ſuccorum tam laudabilium quàm illaudabilium, vt idem contingat quod in litu hydrargyri? Soluitur enim compages & ἕξις, & vis partium omnium, & humiditas etiam ipſis inſita partibus illiquefit, vnde non modò ordinarij humores ſed διαθέσεις ipſæ ſolvuntur & evaneſcunt. *Epid. lib.* 20. *pag.* 270.

Empiricorum aliquando ſit imitator.

§. 10. Intelligant qui Artem medicam (Chirurgiam ei adminiſtram ſubaudio) exercent, multa ſæpe fortuitò experiunda eſſe & contra quam Ratio ipſa nobis dictare ſoleat. Etſi enim magna conſilij iudiciique vis eſt, apprimè ad feliciter medendum conferens, & ad gloriam conſequendam plurimum compendij afferens, tamen ex-

Ad experimenta aliquando cõfugiat etiam repugnante ratione.

perientia quædam fortunáque quædam cæca ac bruta aliquando pluris facienda: Sæpe enim Axiomatum nostrorum prætextus speciosus, ac mordicus facta obseruatio, in præcipitia quædam pericula ægros magno damno coniicit. *Obseru.* 30. *lib.* 1. Sæpe enim præceptionum ac theorematum Artis nostræ nimis religiosa obseruatio magnis nos afficit incommodis, quod multa audere & tentare sit religio quæ alioquin essent profutura: *Conf.* 50. *lib.* 1.

Analogismo & epilogismo vtatur.

§. 11. Morborum quidam cogniti sunt, incogniti alij: Ad incognitos multa remedia adhibentur. Analogismo quodam & Epilogismo quæsita periculi faciundi causa, & ita infra modum confidetur, vt si non aliquod commemorabile auxilium afferimus, saltem non obsimus: Et interea si secundùm rationem omnia fiant, nec tamen pro agentium voto res procedant, perseuerandum in remediis quoad aut certum magis sit de morbo ac constituatur, aut noua occasio, nouumque consilium quæratur: *Conf.* 53. *lib.* 1.

Sit audax, sed duce ratione.

§. 12. Sæpe multa audenda sunt cum ratione, quia sedes & idea morborum sensum fugit; & nosse oportet illud verum esse quod scribit *Hippocrates* libro de lege; *Timiditas in medendo impotentiam, audacia ignorantiam artis significat.* *Consil.* 34. *lib.* 1. Medicos sæpe præcipitanter timidos esse turpe est. *Epidem. lib.* 2. *pag.* 133.

Nihil ad pompam, omnia ad praxin referat.

§. 13. Operæ pretium est multorum audire magnifica verba περὶ ἀδήλου καὶ θείου, quo se explicent & culpa vacent dum superba nomina pronuntiantes, in remediis ieiuni & steriles frigent: Id quod Hipp. in Gnidiis medendi magistris reprehendit, vt sæpe vnius homunculi periclitatoris opera temeraria plus ægro prosit quàm medici ampullosa & ad pompam spectans disputatio: Admirari morbos non autem curare hominis est sua Arte & Ingenio abutentis: Dumque Diuina Animi vis voluptuaria illecebrisque plena admiratione retinetur, melior pars Artis medicæ inculta iacet, hinc pro vbere fructu, nil inde redit nisi cassum quiddam & inani vocis sono decoratum, *lib. de Arthr. pag.* 2.

Humorum vires & partium figuram attentè exploret.

§. 14. In corpore duo maximè considerari debent, τῶν χυμῶν δυνάμεις, καὶ τῶν μορίων σχήματα; succorum, humorúmve per corpus sparsorum vires, & partium corpus constituentium figuræ, conformatio & situs: Quæ duo Diuus *Hippocr.* 1. De prisc. med. longa serie prosequitur ad morborum diagnosin exactam, repudiato eorum errore qui satis in arte medica sibi esse factum putant si Physicorum generalia de rerum principiis theoremata ad vnguem didicerint. *lib. de mul. morbis cap.* vj. *pag.* 50.

Videat ne obsit si prodesse non potest.

§ 15. Hoc Medicum sollicitare debet, non tam vt prosit, quàm vt non obsit: Non quin in vtroque enitendum sit, sed turpius est videri nocuisse quàm non profuisse, *lib. de Arthritide pag.* 2.

Faustum euentum

§. 16. Remedium aliquando, licet non sit sequuta manifesta alleuiatio,

viatio, nihil perinde est, Iterandum tamen est: quasi si quis artem medicus, is & artis eventum præstare semper debeat & possit: In arte medica licet sit perpetuum quod fieri debet, non est tamen perpetuum quod sequi convenit. *Cons. 79. lib. 2.* vide aphor. 52. 2. *non semper præstare tenetur.*

§. 17. Non est Artificis rationem semper reddere cur id vel illud Ægro præscripseris, cùm & Artis & vsus fiducia pronuntiet; edicat vt Artifex hoc vel illud faciendum, denique αὐτὸς ἔφα: Ne si rationem reddat hæsitanti ægro, & omnia secura metuenti, maiorem hæsitandi occasionem prætexat ac insinuet: Medicorum & aliorum in Arte magistrorum decreta tanquam Senatusconsulta esse debent, quorum ratio, vt omnia arcana pectore conclusa, nonnisi loco & tempore ab eo tanquam ab oraculo elicienda est: *Consil. 64. lib. 3.* *Non reddat rationem imperitis œconomia circa agrũ.*

§. 18. Tamen apud magistros Artis succinctè & præcisè, non ad pompam & fastum, dictorum factorúmque rationem reddere Medicus consortione officij, vt frater, non erubescit, nec eum quantum id fiat pœnitet, modò ad ægrotantis salutem id referatur. *Ibidem.* *Imò artis magistris.*

§. 19. Αὐτοψία Medicum assidentem aut docet aut confirmat: consules Medicos absentia ipsa dubios & ancipites reddit: æqua lanx ad Medicum domesticum; desiderium & incertum consilium ad absentes Medicos pertinet: Non potest Medicus per epistolas cibi aut balnei tempus eligere, vena tangenda est: vetus Proverbium est, Gladiatorem in arena consilium capere: aliquid adversarij vultus, aliquid manus mota, aliquid inclinatio ipsa corporis intuentem monet: Quid fieri soleat, in vniuersum mandari non potest & scribi: Tale consilium non tantum absentibus sed etiam posteris datur: illud autem quando fieri debeat, aut quemadmodum ex longinquo, nemo suadebit, cùm rebus ipsis deliberandum est: Non tantum præsentis sed vigilantis est occasionem observare properantem: *Ex Senec. Ep. Lib. 3. Cons. 29. l. 3.* Iudicium Medico domestico relinquendum: plus pedes multi faciunt quàm vnus: addat, detrahat pro ratione loci, temporis, ægroti & ingenii morbi, *cons. 24. lib. 3.* *Medici domestici potissimum cura æger committendus.*

§. 20. Medici est amici notare peculiarem naturam, quo faciliùs imminentes morbi arceantur & præsentes abigantur: faciliùs quippe morbus excluditur quàm introductus expellitur, hoc autem operæ pretium magis faciet amicus Medicus quàm extraneus, vtilior enim est amicus, licet par sit scientia; ideo in suo Medico non solùm scientiam sed & fidelitatem & benevolentiam Tullius requisivit: Nihil magis ægris prodest quàm ab eo curari à quo volunt. *Consilio 98. libr. 3.* *Medicus amicus aliis præferendus.*

§. 21. Magno errore tenetur major Medicorum pars, quæ vt nil non agere videatur, existimat se parum proficere ægris si non quicquam præscripserit, aut propinarit aut secuerit: & tum temeraria *Remediis ægrum temerè ne fatiget.*

hæc medendi methodus, per manus tradita ad iuniores transfertur, magna ægrotantium clade medicina administratur, & in hoc errant graviter. *histor. 4. lib. 2. consilior. pag.* 120.

Ægro ad interitum vergenti remedia ne det.

§. 22. Notum ex *Hippocrate* turpem tristemque calamitatem esse si eo ipso die quo datum est medicamentum, aut vena secta, æger intereat; Itaque prudenter agendum est, ne commissi erroris culpa nos artemque nostram dedecoret. *Epid. & Ephemer. lib. ij. pag.* 236.

Culpa vacat etsi deploratos non sanet.

§. 23. An Artis defectus est aliquis quod deploratis morbis nil opis adhiberi possit? Respondet Hippocr. lib. de Arte, Qui ideo Artem medicam rejiciunt quod ea victis à morbo suppetias non ferat, si medicis indignarentur quod ipsorum talia dicentium vt delirantium curam non habeant, magis hercle meritò succensere debeant quàm iustam Artis reprehendendæ occasionem habeant; Si quis enim ab Arte potentiam in ea quæ non profitetur requirat, aut à Natura facultatem in ea ad quæ nata non est exigat, is ignorat insaniam potiùs dementiæ quàm ignorantiæ convenire: Quare Artis vim magis ex merito admiremur, si quem ex clandestino morbo ægrum restituat, quàm si impossibilibus & desperatis opem aliquam ferre studeat; *cons.* 106. *lib.* 1.

In morbis ne sit nimis securus.

§. 24. In morbis omnia penè timenda sunt, & non oportet nos securos esse de morbis, præsertim si pars aliqua primaria laborat, donec ægros nostros convaluisse viderimus; Nam timendæ sunt morborum successiones. *Epidem. lib. 2. pag.* 205.

Caveat ne similitudines morborum imponant.

§. 25. Verum quod scribit Hippocrates, Similitudines bonis & eruditis fraudem facere, quod artem medicam coniecturalem admodum facit, etsi enim in plerisque Ratiocinationi locus est, Demonstrationisque leges sunt certissimæ, in aliis multis ita ambigit ac fluctuat Ratio ipsa, ob signorum complicationem & verisimilitudinem, vt quid tenendum vix explicatum exploratumque sit: *Consil.* 43. *lib.* 1. Eiusdem quippe morbi varia atque varia in aliis atque aliis corporibus signa apparent, quod efficit vt Ars nostra planè sit στοχαστική non autem ἀποδεικτική; oportet enim multa συντεκμαίρεσθαι, id est, probabilibus quibusdam rationibus atque apparentibus signis colligere, non autem ἀποδεικτικῶς & συλλογιστικῶς concludere, ac si aliter contingere non posset in Socrate atque Sophronisco: Variæ enim sunt humorum Ideæ, variæ Spirituum, variæ corporum, variæ morborum, Quæ omnia imprimis Artem nostram difficillimam reddunt & immensam planè, *Cons.* 46. *lib.* 1. Symptomatum varietate ludimur, & excrementa morbum alium pro alio supponunt. *Consilio* 34. *lib.* 1.

Eorũ fraudes & insidias perpẽdat.

§. 26. Medici prudentis est & cati videre ac providere ne quid insidiarum struat morbus latens: sæpe vidimus ægros insultu gravissimo morbi quamprimum territos, deinde morbum desæviisse, & cùm

omnia ſecura eſſe viderentur, repentè morte præreptos eſſe, adeo humores præſentiſſimo cuique veneno adæquandi in corpore latent. Ad hunc locum pertinent duæ tréſve hiſtoriæ à Galeno citatæ de quibuſdam, qui minime opinantibus Medicis, cùm morbus mitis & homini necando non ſatis videretur, ſublati ſunt è medio, *Epid. lib. 2. p* 164.

Comm. in partem 17. Sect. 2. lib. 1. prorr.

§. 27. Cum ſigna ſunt communia, & hæc & illa ſignificantia, oportet Medicos diligenter ſuam intelligentiam excutere, ne decipiantur. *Annot. 3. in conſil. 41 lib. 1.*

Accuratus ſit ubi ſigna adſunt cōmunia.

§. 28. Medicus ſatagere debet num qui partem obſidet affectus peculiarem imbecillitatem ſequatur, an non in alia corporis parte ſit ſcaturigo è qua humor emanet: nam hæmorrhois excitata, aut varix procuratus morborum terrificorum, cerebrum appetentium ſolvendorum cauſa eſſe poteſt. Galen. vetat ſic affectas venas ſecare, ne quibus ſectæ ſunt melancholia corripiantur. *Conſil. 17. lib. ij* Piſcator, ex Galeno 4. 4. de loc. aff. cum ſolo frigido diu piſcans deſediſſet, in involuntariam fæcum & vrinæ excretionem incidit, fomentorum calidorum vſu ſanatus eſt: Quidam ſub multa pluvia fecit iter ac validis ventis, pallium madefactum cervici impoſuerat, pars pericranii ſenſu carebat; Medici capiti remedia aſſiduè applicabant, nil proficiebatur, cervici conſultum eſt, ſanatur: his ex locis patet conſultos nos eſſe oportere in remediis vſurpandis, ne parti temerè illa adhibeantur, cum tantum compatiendi lege laborat. *Paradigm.* 169. & 170.

Videat an affectus ſit per conſenſum an idiopathicus.

§ 29. Idem morbis evenit quod & naſcentibus herbis: hæ enim nonniſi à peritiſſimo rei herbariæ agnoſcuntur orientes, florentes & adultas quivis idiota internoſcit: morborum mores, ingenium, vim & momenta, præſertim dum naſcuntur, non niſi medendi peritus animadvertit; natos verò & progreſſos omnes pene novêre: Hinc nemo vnquam credat tantas à quopiam morbo excitari poſſe tragœdias, nec infœlicem eventum fore, cum nihil in fronte promittant quod tanti eſſe debeat. *Hiſtor. 4. lib. 3. conſil. p.* 118.

Morbos naſcentes agnoſcere ſatagat.

§. 30. In morbis Medico multum eſt negotij ſæpe in reddenda ratione τῆς συμπλοκῆς καὶ μίξεως τῶν νοσημάτων: Nec enim ſolum ei cura eſt habenda meſenterij, ſed Pulmonum, capitis: etenim quod alvo contingit, idem & cæteris partibus: Alvus ſæpe quia commune eſt receptaculum potulentorum & eſculentorum, habet & evacuationes καταῤῥήξεις; Idem aliis partibus euenit; poſtquam enim diu congeſſerunt excrementa, tandem minima occaſione externa laxatis veluti fibris, exonerare ſe volunt, hinc tuſſiendi diuturnæ moleſtiæ, defluxiones, diarrhœæ & in febribus longis ῥευματισμοί, vt Author. lib. de Typis annotavit. *Epid. lib. 2. pag.* 175. In affectuum complicatione difficile tenetur pars primaria affectus cauſa, quod ſæpe à capite in

Ad morbos complicatos attentus ſit.

partes

partes superas sæpe ab his in illas fiat defluxio : sæpe proprii humoris generatio per corruptionem propriam, ob partis diathesin malam : quæ omnia morborum difficilem cognitionem reddunt. *Consilio 70. lib. 1.*

Pertinaces obstinate impugnet.

§. 31. In crudis coctuque difficilibus dispositionibus, in quibus cùm aliquid fit cum ratione, non desistendum : Ideo *Hippocrates 2.* aphorism. Sic monebat. *Omnia secundùm rationem agenti, si non succedat secundùm rationem, non est transeundum ad aliud, manente eo quod ab initio visum fuit.* Et Galenus aptè ad hunc locum, *Vt cùm gutta lapidem ferit, vix est in lapide sensibilis passio, sic in crudis coctisque &c. Annot. 1. in consil. 106. lib. 1.*

Principiis morborum obstandum.

§. 32. Cuique ætati sua est sanitas, sui germani & proprii morbi, progressus & incrementum impediendum, licet currentibus annis multæ eveniant mutationes : Senibus, inter alios morbos, vertigo est familiaris affectus, sed qui plus terroris sæpe quàm periculi afferat, ideo non negligendus : Nam & morbi animi, sic & corporis, non ibi finiuntur vbi oriuntur : facilis ortus, difficilis interitus eorum : vbi sunt in ortu,& quasi incunabulis, facile vitantur,adulti vix evitantur. *Cons. 24. lib. 3.*

Morborum muliebriū notitiam & curam exacte calleat, famæ aucupio.

§. 33. Non omittendum quod quidam ex recentioribus non ineptè scribit, Medicis gloriosum esse ac fructuosum morborum muliebrium cognitionem ac scientiam diligenter assequi, quod mulieres Medicorum tubæ vulgò esse soleant : At fortuna, ait Galenus l. de loc. aff. 5. cap. vltimo, sæpe non contemnendam laudis occasionem & argumentum Medicis porrigit, qua ignari medici ob imperitiam vti non possunt. *de Virg.* & *mul. morb. cap. 4. pag. 38.* Nostris temporibus in quodvis morborum genus, etiam nunquam antea auditum, mulieres tam facile tamque frequenter præcipites ruunt, & nullo non tempore & loco graves & frequentes experiuntur : imo ita est eorum natura ideaque involuta, vt præstricta oculorum acie peritissimi quique medendi artis magistri in iis dignoscendis, iuxta ac curandis, cæcutiant, imò tanquam ignorantes illud quicquid est, ad Deos referre conentur, quod illi communem aliorum morborum sortem naturamque superare videantur, quod ipsum an ignorantiæ tribuendum sit,an ita natura morbi mulierum difficilioris reconditiorisque sint cognitionis quàm virorum, an verò earum intemperantia commissum sit vt eam naturam induant, An potius nobis fucum faciant mulieres, quæ cùm leviter ægrotant, vt arte nostra coniecturaque assequi possimus, nescio quas dolorum species effingant ac comminiscantur. l. *de virg.& mul. morb. cap. 3. pag. 18.*

Indoli morborum in Rufis attendat.

§. 34. Quicunque Rufi sunt, morbis vix liberantur; humor enim qui in iis abundat habet aliquid virulenti. Et morbi magis formidolosi sunt quicunque eos adoriuntur, Et Medici prudentiores cautioresque,

tioresque esse debent. *2. Epid. p.* 205. Eorum corpora quadam bile abundant, & qui humor dominatur, & morbum facit, vix coctionem admittit. *Ib. p.* 245. Macæus servus D. N. biliosus, rufus, doluit latus, febricitavit; humoris impetus furibundus, vix sedari potuit: Malum artem vincebat, & remedia fere eluderat. *Ibid. p.* 214.

§. 35. Nullus credat quæ sit fœtura Symptomatum morbos Autumnales comitantium, vt Medici circa ea debeant potius esse Spectatores quam Actores: & nisi experientia docuisset, nunquam id credidissem: Ac quod maximum est, sæpe in morbis Autumni medentium oleum & opera perditur: Et vt ingenuè dicam, idem ingenium videntur habere morbi autumnales quod & carcinomata: Ac non mirum si ægrescant medendo: Hæc annotata volui, vt certiores facti de more & indole istorum morborum, & in Diætetice & in Pharmaceutice aliter nos geramus quàm in aliis morbis: *Epid. lib.* 2. *pag.* 182. Et Acutissimi & longissimi morbi in Autumnum incidunt: hi quidem cum potiùs congeries est fæcis quàm humoris maligni: illi verò cùm contra fit: Ac quod id accidat Autumno Hippocr. scribit aph. 25. 2. *Quartanæ Autumno longissimæ.* De malignis ita scribit aphor. 9. lib. 3. *Autumno morbi acutissimi & exitiales magna ex parte.* Et lib. 2. Epid. sect. 1. *Ferinum Autumno, & cordis dolores, & horridum & melancholicum*: horum malorum causas duas assignavit Galenus aph. 9. 3. Humoris qui tunc generatur abundantiam, alteram temporis illius inæqualitatem: Denique hoc tempore grassantur morbi mali ob cacoethiam humoris, venenatam qualitatem, inflammationem, impedimentum partium principum, difficultatem curandi, cruditatem humorum cacochymiæ junctam, temporis inæqualitatem, ob adustionem ratione æstatis præteritæ, virium debilitatem præterito tempore allatam; inclinationem humoris foris intro, & præsertim manè & vesperi: Hippocr. enim vesperi morbos autumnales maximè recrudescere ait: denique ob fructuum vsum immodicum. *Consilio* 64. *lib.* 1. Ichôr & sanies maximè dolores & morbos excitant: Et mirum non est si Autumno morbi potius qualitate quàm quantitate humoris agitent nos; Hippocr. enim lib. de hom. structura ait *Autumno atram bilem & saniem succrescere*, quod siccus sit & frigidus: Saniem autem istam aquosam & sanguineam dicit, Et sub finem hoc pleniùs explicat dum ait *A 26. Novemb. ad 12. Decemb. sanies augetur, ideo acerbis & austeris utendum:* hinc profluviorum in autumnum incidentium maleficium & diuturnitas. *Epidemior. lib.* 1 *pag.* 144. Autumnales morbi, & præsertim febres pessimæ sunt, Et levi de causa febris repetit ob humorum adustionem & penitiorem vim putredinis: nam cùm humores per æstatem adusti sint, imò & partes internæ quadamtenus siccatæ sint & squalidæ factæ, maxima est in febrem proclivitas:

Autumnalium insidam indolē observet.

B Nec

Nec facile morbi tales depelluntur, quia habituales fiunt : Ac præclarum esset philosophari de humorum & morborum autumnalium proprietate : nec enim inæqualitas temporis horum malorum author esse videtur, vt placet veteribus, est alia quædam abditior causa, An quod eo tempore serum dominatur, vt placet Hippocr. ? an quod vbi est infirmitas, ibi morborum est proventus & contumacia ? at autumnus peculiarem hominibus conciliat imbecillitatem; nec vis elucet & apparet vt in aliis temporibus : quod declarant ipsæ arbores, quæ folia relinquentes, omnes senescunt, Si id quercubus evenit, cur non homini quercubus imbecilliori? 2. *Epidem. pag.* 176. Et quantùm judico, in morbis Autumnalibus est κακοήθεια, ob adustionem, & excitantur paroxysmi inordinatè & erraticè per quandam effumationem venenatam. Annotarunt & Chirurgi : hac maximè constitutione omnia esse dysepulotica : hoc autem inclementiam & gravitatem ipsius aëris indicat. *Ibidem pag.* 180. Imò in paroxysmis febrium & morborum autumnalium vidimus sæpe & iuscula, & cibos coctionis facilis exhibitos, & vim caloris statim debilitatam ac fractam fuisse. *Ibidem* 187.

Gentilitios notet.

§. 36. Plurimi est in Arte medica ponderis scire qua quis sit familia : vt proprij & vernaculi cognoscantur : alioqui lapsuri medici qui aliter fecerint. *Epid. lib. 2. pag.* 172.

Difficilium curam ne respuat.

§. 37. Jam infinitorum morborum cura relinquitur magno Medicorum dedecore. Imò & plerique contumaces morbi, magna cum eorum vituperatione, Medicorum vocantur opprobrium : vt iam in jis tantùm morbis sese jactent venditenttue Medici qui sua sponte, solóque naturæ adminiculo facile sanarentur? Sed quorum morborum abstrusior est cognitio, & paulum ardua curatio, eos pro derelictis & conclamatis habent, in quibus tamen si quis Artis medicæ & honos & vsus & profectus esset, suam industriam & acuere & explicare deberent. Atque idem fere Medicis contingit quod & navium gubernatoribus *Qui navem regunt in tranquillitate, si forte aut deficiant aut delinquant, non fiunt manifesti errores : cùm verò deprehenderit ipsos ventus & tempestas, palam iam conspicui sunt omnibus hominibus, quod & ignorantia & culpa erroris sui, navem perdiderint : Sic sanè & multi mali Medici cùm curant homines nihil grave patientes, in quos etiamsi quis graviter delinquat, nil grave faciat : Sunt autem multi tales morbi, & multò sæpius quàm graves hominibus accidunt : In talibus sanè delinquentes, non fiunt manifesti hominibus Idiotis : vbi verò obtigerit magnus, fortis & periculosus morbus, tum ipsorum delicta & Ars omnibus in conspicuo sunt : Nec enim longè absunt singulorum pœnæ ac cruces, sed brevi adsunt.* Atque his docet, & artis vim, & Medici industriam maximè elucere

elucere in magnis morbis, cùm & leves morbi facilè per ſe ipſi ſaneſcant, & ſi quid in jis ſatagat Medicus, nullum tamen operæ pretium faciat, cùm nulla hic artis vis vigeat. *Conſilio* 106. *libr.* 1.

§. 38. An Ars noſtra tantùm poteſt vt qui morbus tum ratione ſui, tum ex eventu fortè protractus eſt, is brevior artificio noſtro reddatur? Nam ſæpe videmus in tacitis eorum qui ægro adſunt, aut amicitiæ gratia eum inviſunt, animis, vt frequentiore & crebriore Medicorum & coitione & conſilio promptius aliquod diuturni languoris præſidium expoſcant; quaſi factum ſit, aut incuria Medici qui quotidianam diligentiam præſtitit, aut Artis defectu ac impotentia, vt qui morbus ſpecie & natura longus futurus erat, talis fortaſſe redderetur; Ac primum & veterum authoritas, & ratio ipſa, & medendi vſus jam confirmavit neceſſariò morbos exiſtere chronicos: Cùm Hippocrates ſexto Epidem. part. 1. ſect. 5. ſcribit, Naturæ morborum medicæ, duo maximè proponit, & in morbis pleriſque naturam cum Arti concurrere ad oppugnationem morbi, etiam ſine Arte, id eſt, ſine artis manifeſto miniſterio naturam morbos tandem evincere ac ſuperare: Non quod hoc de natura elogio Hippocrates Artis Medicæ dignitatem offendat aut tollat, ſed vt & Naturæ & Arti, duobus morborum oppugnatoribus, quæ debetur in evictione morborum, gratia referatur: Cùm itaque morbi aut breves, aut longi ſint, cur Ars ipſa non poteſt curſum diuturni morbi intercipere, quin aliquando annui, aliquando ſeptennes morbi reperiantur? Hippocr. paſſim duos humores conſtituit, Bilem & Pituitam, & eos τὰ συγγεγοτότα vocat: Non quod adeo jejunus fuerit Hippoc. vt præter duos illos nullum alium ſubeſſe docuerit, verùm, vt experietia manifeſtum facit, omnis mos, indoles & ingenium morborum, aut pituitam aut bilem faciiè reſipit: Nam ſanguis facilè in bilem degenerat, ſuccus autem melancholicus & pituita aliquid habent συνηθέες: itaque qui duos humores conſtituit, aliorum vim quodammodo adumbrat, & ſatis indicat duo ſumma morborum genera, vnum acutorum, alterum longorum, atque illorum χεύσις eſt, horum verò, λύσις: Itaque ex humorum naturâ, qui interna ſunt inſitáque noſtræ generationis principia, neceſſario ſtatuere oportet morbos omnes alios longos, alios breues: vt omnem vim Naturæ generationiſque primordia adimere conentur, qui omnes longos morbos, aut breues omnes, poſſe eſſe credant: ſic humorum vis ipſa & Natura pro morborum varietate pugnat: Atque Galen. & Hippocr. ex humorum varietate duo iſta ſumma morborum genera duxerunt: Morbi Acuti ſunt, ait, quorum natura in humoribus calidis conſiſtit, qui vel æqualiter per omnes partes

morbum propria natura longum, brevè efficere non tenetur.

"*Com. in aph.* 14. *lib.* 2.

" tes animalis fusi sunt, vel aliquam partem obsederunt: morbi verò lon-
" gi ob lentos, crassos ac frigidos humores fiunt, qui non facilè
" concoqui possunt & in partibus patientibus impacti sunt: ita vt
" eorum dispositiones magis præduris tumoribus quàm inflamma-
" tionibus similes existant: Deinde subdit, Morbos istos longos,
" aut atræ bilis, aut pituitæ naturam habere: Porrò illud verum
Aph. 39. lib. 2. " quod scribit Gal. omnes morbos diuturnos frigidos esse: sed præter humores, qui causæ sunt aut breuitatis aut diuturnitatis morborum, est & alia causa potentissima, nempe διάθεσις quædam in partibus impressa, quam efficere vult potissimum Galenus relapsum & circuitionem morborum: vnde tametsi omni arte curáque effeceris vt humores pellantur, nihil tamen præstiteris nisi dispositio ipsa penitus sublata fuerit: vt mirum sit cur post diuturnum profluuium, quo omnis corporis sentina extracta est, febres etiamnum maneant æque pertinaces ac ante: adeo magna vis διαθέσεως ad alendum fovendumque morborum semen: Sic cum visceris alicuius temperies est mutata, citra inflammationem aut scirrhum, aut obstructionen (quod de Hepatis κακοπραγίᾳ docet Gal.) mirùm quam protrahantur affectus ipsi: Sic Quartanarum diuturnitatis causa non aliunde petenda quam ex Cancrosa dispositione in corpore Lienis: *Ibid. & lib. de virg. & mul. morb. cap. 7. Galen.* comm. in part. 1. lib. 2. Prorrhet docet cùm facta est mutatio, & inducta diathesis, frustra nos laborare, manet enim, licet omnem humorem evacuaverimus: non est in nostra potestate morbos inde natos, fautos & altos tollere, imo ne impedire quo minùs aut septennis aut septimestris morbus fiat: Itaque non humoribus hæc morborum tædiosa prolixitas, non naturæ, non artis impotentiæ tribuenda, sed partium diathesi, quæ fomitis instar & alit, & fovet, & renovat morbos ferè extinctos: vnde non mirum si post diuturnum alvi profluvium, quo omnis corporis sentina exhausta est: si post liberam & copiosam sputi in morbis thoracis, excretionem, febres etiamnum maneant æque pertinaces vt plurimum, atque ante, *Ib. annotat.* 13.

Incogniti curam suscipiat. §. 39. Cum morbus est incognitus, etiamnum remedia sunt tentanda: hæc si minus iuvent, modò alleuetur æger, sæpius repetantur, communibus autem vtendum remediis donec res patuerit: id maximè in longis, quia res vrget in acutis. Hipp. *libro de locis in hom.* In deliberando aliquid ponere quod non est, magni refert; Exactè etiam nimis quærere, nec aliquid statuere donec ἀποδεικτικῶς, res innotescat non vacat periculo, id etiam affectatum nimis. *Cons.* 55. *lib.* 3. *lib. de Arthr. pag.* 2.

Negotii ta- §. 40. Si Morbi species non statim se prodat, maior pars negotij

gotij Naturæ committatur : illa enim legitima vitæ ratione adhibita, patefaciet id de quo dubitatur, cùm incerta medicatio nonnisi dispendio decernatur : hoc autem maximè in inconstantibus temporibus fit. *Conf.* 64. *lib.* 1.

men magnam partem naturæ committat.

§. 41. Cùm morbus progressus est, & nescitur quorsum evadat, naturæ medicatrici committendus est, Natura enim maximè medica in longis apparet, coquendo, secernendo, abscessum moliendo. *Consilio* 23. *libri* 1.

Productum naturæ committat.

§. 42. Medicus in eo maximè debet laborare vt τῇ διανοίᾳ στοχασμῷ, aut τοῖς τεκμηρίοις venetur & exploret partes affectas. *Consil.* 23. *lib.* 1.

Partes affectas sedulo rimetur.

§. 43. Videndum ne habitus exterior nos decipiat fraudemque faciat, sæpe enim exterior interiori non est similis : Quidam multis signis melancholici deprehenduntur, qui tamen mollem carnem habent, candidam, obesulam : At qui talem carnem habent, Gal. l. de loc. aff. nequaquam habent humorem melancholicum. *Consil.* 77. *lib.* 3.

Ex habitu exteriore de interno indicium non ferat.

§ 44. (Non negligendus affectus nascens qui membrum nobile aggreditur) nam vt notauit Hippocr. lib. de præcept. Parua etiam num causa in parte principe magnum quid affert, magnas enim tragœdias ciet : malum initio non tam aliquando formidandum quam consecutione maiorum metuendum, Ex metu securitas, nec aliquis celerius opprimitur quam qui nihil timet, Apud Comicos timido celeritas tribuitur ad quærendum, percontandum ; securo tarditas : Timens paucis verbis & vtitur & alium audit, securus pluribus : summum indicium securitatis superbia est : nimia securitas frequens est initium calamitatis. *Conf.* 24. *lib.* 3. In morbis omnia pene timenda sunt, & non oportet nos securos esse de morbis, præsertim si pars aliqua primaria laborat, donec ægros nostros conualuisse viderimus, nam timendæ sunt morborum successiones : *Epid. p.* 205. Si quod symptoma ἐπιγινόμενον contingat per augmentum causæ morbificæ, illud augmentum considerandum est aliàs ex humorum vi & magnitudine, aliàs ex natura & conditione partis laborantis, vt quod magna aliqua causa in parte minus præcipua facit, in principe parte minor causa par & idem committat & ejusdem momenti : Sic in Phrenitide *Galenus* habet rationem τοῦ ἐπιδεικτικοῦ : in dolore capitis, peripneumonia, febre acuta, τοῦ ποιητικοῦ i. e. in phrenitide ut & in morbis partium principum, dignitatem & principatum partis obseruat : In aliis morbis vim ac potentiam humorum : quamquam in phrenitide obseruatio humorum non est differenda nec negligenda : sed in aliis morbis quid materiale cernitur, In partium principum morbis, Quæ pars : hinc illud Hippocr. l. de præcept.

Cautus sit in affectibus partium principum etiam inchoantibus.

Parva, causa medelis exolvituri nisi quid circa locum principalem affectum sit. Nam vbi vitium est in parte præcipua, sæpe non tam est laborandum in evacuando quàm tollendo partis vitio: Id & in morbis longis & acutis observari debet: Tanti momenti est pars, & vitium partis dominatum in corpore habentis, vt longitudo morbi sit ei accepta ferenda. *Consilio 1. lib. ij.*

Si pendent à partium διαφορά, prudens sit in prædictione & vsu remediorũ.

§. 45. In iis qui vitio singulari, præsertim vero corruptione partis intereunt, parum tutos securosque esse oportet, nec prædici exitus potest, vt fit in morbis humoralibus, imò febre ferè vacare videntur. *Consilio 96. lib. ij* Faber lignarius à vomitione molesta liberari non potuit: aperto cadavere semilacer erat ventriculus & putredine corruptus: Idem ferè in D. N. est inventum, nam languit ferè per 45. dies, nec manifestus erat morbus: animo sæpe deficiebat, vt facultatis, vitalis virtus videretur extingui, alimentis resurgebat: aperto cadavere totum pene hepar putre; pulmones corrupti: Quibus in ægris eadem symptomata conspiciuntur, cautè medicamenta exhibere oportet: nam sæpe calamitosè statim à sumpto medicamento intereunt, at præmatura morte corripiuntur. *Paradigmate 174.*

morborum causas sedulo rimesur.

§. 46. In morbis multa contingunt quorum obscura ac implicita est adeo cognitio, vt acutissimorum Medicorum aciem eludat: quod non modò in Acutis vsuvenit, in quibus exiguis intervallis magnæ mutationes incidunt, sed & in longis: imò in longis tantæ sæpe difficultates & latebræ occurrunt, vt licèt eorum, authoritate Galeni, causa sit fixa stabilisque, sub obtutum tamen oculorum non cadant nec mente comprehendantur: in ejusmodi autem, meo quidem iudicio plus Natura quam Ars potest, vt non sit mirum si olim Chirurgiam, licèt Artem mechanicam, præclaræ Arti Medicæ prætulerint, imò hanc præ illa nihili duxerint, Quin etiam Chirurgiæ euidentem profectum esse volunt, quòd ea quæ manu administrantur sese offerant ac promittant: In medendi Arte, quæ ratione & agitatione assidua mentis nititur, fortunam dominari contenderunt, quod in longis morbis, si quid voto respondeat, id Naturæ, quæ temporis flexu cursúque morbi victrix est, attribuendum sit, Nam quod Ars vno velut impetu agit, Natura cunctando ac tardando fœlici successu consequitur: Tamen vt Arti nimis multum tribuere, cùm in multis manca sit ac deficiat, vitio non caret, ita tantùm ei detrahere vt nihil possit ipsa per se, errore non vacat. *Cons. 34. lib. 1.*

Humorum qualitatem propriam noscat.

§. 47. Qualitas propria humorum tenenda est: Quid enim est quod quidam domiti sint, alii indomiti? Alij chæradas in quibusdam generent, alij cancros, epilepsiam alii, arthritin alii?

Id

Id tenendum exactè vt de remediis certum sit : observatum est quibusdam obortos dolores fuisse non admodum acerbos, aliàs acerbos qui vagi fuerint, nec certa sede morati fuerint, post tempus aliquod tandem desierunt in partem aliquam; & tuberculo, cicer magnitudine non superante ibi relicto, tandem reliquas partes reliquere : Sed tuberculum illud aut cancrum minabatur, aut aliquid simile; Adeo difficilis est morborum cognitio, difficilior sæpe curatio : *Libro ij Epidem. pag.* 253. Non omittenda est adustio humorum quam æstas affert : at cum humores adusti sunt, levi de causa irritantur, & irritati molesti sunt, & partibus à quibus emanant, & iis per quas transmittuntur. *Cons.* 23. *lib.* 2. Vsti humores graves & periculosos morbos producunt, vstione enim malignitatem acquirunt. *Ibid. Annot.* 3.

§. 48. Verum sæpe quod scribit *Hippocrates* lib. de vet. medic. Non à calore simplici aut à frigore, Sed ab amaro, acido, acri æstimandos morbos esse, vt in sanando potiùs quàm in alterando laboremus: *Consilio* 59. *lib.* 1. *Qualitatibus primis ne nimium assignet.*

§. 49. Magni interest ad hominum sanitatem conservandam sçire An quoddam morborum genus Divinum sit, an non ? Etenim in arte Medendi ita se gerere oportet vt admirationis potiùs quàm rerùm exactæ indagationis ratio non habeatur, alioqui cum idiotis, quibus omnia θεῖα videntur, repuerascentes & insanientes, nullos eorum morborum attingemus quorum cognitionem facilè non assequemur, imò pro desperatis relinquemus, satis officio nostro factum dicentes, si quid habere Divini vulgo proponamus. *lib. de virg. & mul. morbis pag.* 33. Hippocr. in prognost. τὸ θεῖον, καὶ τοῦ νοσήματος ἰχνὼ in morbis constituit, quæ verba discrepant, sed eodem tamen referuntur : Sic τὸ θεῖον in morbis, λοιμώδες, καὶ ἱερὸν, καὶ θαυμαστὸν, καὶ μέγα, καὶ οὐράνιον appellare possumus eodem ferè in sensu, cùm his nominibus aliquid latens & ad cognoscendum difficile comprehendatur : Idem quoque subindicat lib. de nat. hum. cùm morborum originem à diæta & spiritu repetit, nomine spiritus, aërem, quem vivendo quisque ducit, intelligit, à quo νοσερή τις ἀπόκρισις, i. e. exspiratio quædam morbosa derivatur, multos è medio simul adempturа &c. περὶ θείου ita censet Hippocr. in prognosticis vt considerandum esse dicat an in morbis θεῖόν τι, & illius accuratè præsensio tenenda est, vt sibi Medicus laudem & commendationem quærat. *Ibidem pag.* 34. Quidam, inquit Galenus, dixerunt ideo τὸ θεῖον in morbis dici quod aut omnium, aut quorundam morborum origo Diis tribuenda sit, Sed Hippocr. nunquam in ea opinione hæsisse ex eius libris constat. Nam cùm morborum occultorum meminit, consuetudini loquendi, communique, vt aiunt, foro consulens, morbum ἱερὸν, θεῖον dicit, addit que ὡς καλέουσι, acsi non tam manifesta assensione tritam ea de re hominum opinio-

opinionem recipiant, quàm occulta cogitatione eandem refellat: *Ibidem pag.* 36. Itaque iubendi sunt valere Neoterici quidam, qui confingunt morbos quosdam Divinos. Si eorum scriptis fides adhibenda, omnes morbi vt Divini habebuntur, & si Divina origo est, θεράπειαν quoque divinam esse oportebit: *Ibidem pag.* 36. Cùm τοῦ θείου præsensio commendatur, hoc Hippocr. consilium videtur vt temporum præteritorum, præsertim & futurorum ratio ineatur ad bene & prudenter de morbis præsentiendum, Quod idem Galeno videtur in comm. Sed nos & aliud adiungemus, Non solùm Divinum illud de alterationibus & vicissitudinibus temporum intelligi debet, sed & de defectione & alienatione eorundem, quod cùm contingit, morbi pestilentes maligniq;ue oboriuntur, qui præ cæteris aliquid latens & reconditum habent: nam & pepasmi ἀδυναμίᾳ sunt funesti, cùm humores invadentes à maligno, & Spirituum dissipatione, cùm pars animalis occupatur, & partium solidarum corruptione, cùm illæ obsidentur: simpliciter autem Epidemii dicuntur & mali, cùm ab alteratione tantum temporum oriuntur: Κατ᾽ἐξοχὴν autem in defectionibus temporum θεῖον intelligemus, cùm morbi qui inde nascuntur communem aliorum sortem supe ant, Medicorumque operam ludunt, quos multorum periculo sæpe sapere oporteat: Occultus autem morbus non dicetur, cùm aërem cœlumq;ue, tanquam causam & πρόφασιν habeat, sed quod venenatæ qualitatis ingenium & species non intelligatur, vnde morbi κακοήθεις dicuntur, omnibus remediis ritè comparatis nihil pene cedentes: Eò autem attentiores in iis dignoscendis nos esse oportet, & quod sensum omnem, cogitationemque nostram decipiant, & homines incautos tollant, & si eorum vim accuratè tenemus, curandi præsentiendiq;ue omnis ratio nobis erit in parato: Sic Divinitas in morbis æstimanda, non autem nescio quibus portentosis figmentis involvenda, quæ feriandi potiùs, & à morbis curandis temperandi occasio erit: quam in eorundem diagnosin, therapian, & prognosin incumbendi: *Ibidem pag.* 37.

Κακοήθειας morborum indolem & originem exploret.

§. 50. Abunde constat quantùm hæc infima corpora vim superiorum experiantur, quacunque ratione id fiat: maxime verò quod qualitates quædam sunt ac interiacent quibus fit is consensus ac conglutinatio vt sese invicem excipiant, aliaque in alia convertantur: quæ causa est cur corpora nostra aëris qualitatem facilè experiantur, sive eius alienam mutationem: Atque vna cum temporibus mutari corporum conditionem certum est, ita vt qualis est aër, tales spiritus & humores existant: Imò ab Hippocr. cœlum, id est, rerum cœlestium vis, vnum è principiis morborum statuitur: adeo magna est vis à superis causis in hæc inferiora influens, magnaq;ue adeo aëris nos circumfluentis, spirituum, humorum & partium solidarum consensus: Quia autem morem & ingenium morborum,

morborum, vnde aut εὐήθεις aut κακοήθεις dicuntur, ab observatione tum antegressorum tum præsentium temporum facilè repetimus, & ad normam istam dignoscendi, præsentiendi, imò & medendi momenta captamus, ideo Medicus inglorius, suaque functione parum dignus videatur, qui horum rationem animo complexus non fuerit: Si ideo morborum κακοήθεια æstimatur quod ii superent nostra remedia, tametsi ex arte ac legitime quæsita ac administrata sint, nostrarum est partium ex observatione temporum pensiculatim attendere an ista κακοήθεια corpori an cœlo tribuenda sit, ut si præ vi, ac ingenio pravo morbi ægro contingat obire, omnes animadvertant non industriam defuisse, sed adversum eventum mori morbi tribuendum esse: *Præfatione in libr. Epidemior. & Ephemer.*

§. 51. In re quaque, sive ea nutriat, sive dolorem excitet, sive morbum faciat, nosse oportet esse aliquid tenue, sive sit ὀῤῥὸς, sive flatus, seu vapor aut exhalatio, sive quid aliud vix sub sensum cadens quod tantas habeat vires: id quod primum in doloribus capitis à solo odore cernere est; nam quid illud est quod sola exhalatio è rosa exhalans catarrhum cieat, & moschi odor tantopere lædat; & tamen aromata dicuntur cerebrum roborare, & ei dicant operam suam: præterea, in febribus quid illud est quod lassitudinem tantam inferat initio paroxysmorum &c. (vide lib. v.) In nutritione quoque ipsa, vapor benignus, aut tantillum vini, aut paucum panis sæpe naturæ facit satis: Et licet multum adsit humoris, id ipsum natura tanquam alimentum non reputat sed tanquam excrementum: Sic statuere oportet, sive in nutritione, sive in doloris generatione, aut in morbis aliquid esse tenue quod tantas vires habeat, vt non abs re incitati fuerint Medici πνευματικοὶ qui tantum flatui & simili rei tribuerunt, vt omnes morbos & symptomata penè ab iis repetiverint. *Lib. ij Epidem. pag.* 252. Quis credat, quod etiam minima aura tantos dolores corpori afferat & mala tam formidolosa? Numquid illud videmus in ipsis plantis, quarum corpus validius est nostris corporibus, afflatum auræ nescio cuius, siderationem, & crudorem, & calamitatem, & vstionem afferre? Hoc dico, quoniam id sæpe in vsum venire potest, & vt ex iis discant iudicare de morbis qui nulla morbi causa moventur, nisi ea sit evidens & penè sensum ipsum feriat. *Ibidem pag.* 203.

Admirabiles vires seri & flatus observet.

§. 52. Tametsi quorundam Medicorum opinione procatarcticarum causarum observatio in morbis curandis inutilis videatur, tamen in dignoscendis, præsertim quod ad ideam spectat, plurimùm posse videtur: hinc Hippoc. in historia de Sileno causarum procatarcticarum meminit: Et alibi loquitur de quodam qui cùm rudimentum febris haberet, incidit in febrem pernitiosam, quod

Procatarcticarum causarum providentiam habeat.

cùm iam leviter febricitaret largiter potavit : Illum errorem commissum tanti facit Galenus vt periculum creavisse existimarit : Item dum Euryanactidis filiæ historiam commemorat, causam procatarcticam quandam non omisit, *hanc racemum gustasse dicebant* : Et si conditio vitæ, vt si quis ruri degat : aut in vrbe, ad constitutionem morborum tenendam apprimè conducit, cur & non causa procatarctica? Et hic non verebor dicere observasse me omnes morbos, qui mœroribus affectibusque animi successere, aut eosdem perpetuò comites habent, esse δυσκρίτους καὶ δυσλύτους *Consil.* 85. *lib.* 1. *pag* 425. Sunt ex Medicis qui causas procatarcticas negligunt, sunt qui pluris faciunt, nam cum extra corpus positæ sint, videntur negligendæ : tamen καὶ πρὸς τὴν διάγνωσιν καὶ τὴν θεράπειαν non parum habent momenti. Vulgus fere totum est in causis externis & frustra eas tanti facit : Nec enim videndum quid morbum faciat, sed quid tollat, ait *Celsus* ; Externæ causæ internas & antecedentes quasi irritant & provocant : ab externa enim causa fere fit initium motus : huc pertinet quod *Galenus* scripsit ad historiam de *Sileno*, Causæ externæ diarias febres excitant, si corpus morbo non sit opportunum. Et ita laborasset *Silenus*, sed quia iam ad aliquid deterius aptum & comparatum erat corpus : ideo gravi morbo est implicatus, vnde statim morbi initio gravia diraque symptomata apparuerunt & causæ procatarcticæ tam lethalem morbum non produxissent, sed internas causas provocantes, mutuas quasi operas in pernitiem dederunt. *Cons.* 5. *l.* 3.

Efficaciam anni tēpestatum in producendis morbis notet.

§. 53. Illud τὸ θεῖον quod in constitutionibus & statu temporum observari solet; meo quidem judicio & ad partium diathesin & ad humorum conditionem referre oportet : Si enim flante Austro nervi imbecilliores redduntur : si præeunte hyeme austrina & pluviosa & εὐδίῳ, vere autem sicco, squalido & aquilonio, mulieres ferè abortiunt, tum peculiari humoris generatione, tum partium generationi dicatarum affectione, non mirum si morbi generantur & vagantur ἢ εὐσταθεῖς ἢ κακοήθεις aut alterius moris : vnde in quibusdam temporibus morbi potius sæviunt in cerebrum, in aliis in thoracem, in aliis in habitum corporis, prout aër ad hanc aut illam partem afficiendam aptus & affectus fuit : cur enim aliis temporibus σπλῆνες i. e. lienares morbi vagarentur, aliis φάρυγγες, i e. faucium labores, nisi peculiaris esset συμπτωσία inter τὸ ποιητικὸν & τὸ ἐπιδεκτικόν ? Quod etsi plerisque ad contemplandum inutile videtur, nobis non ita placet? Siquidem & ad diagnosin, & ad prognosin, & ad præcautionem pertinet, vt studium sit earum partium quibus talis τῶν ὡρέων κατάστασις ne malè exerceamus & fatigemus corpus medicamentis, re inco-

re incognita: cùm enim aut catarrhi suffocantes, aut sudor Anglicus aut siderasiones partium ob peculiarem aëris affectionem & syderum aspectum, vagantur, quis adeo hebes vt horum contemplationem omittat & non inquirat vnde & quomodo ista lues oboriatur? Etsi in constitutione Austrina, veluti liquefacto cerebro multa pituita occurrat in os, nonne potius ad corroborandum cerebrum confugiet, & ad illud asserendum, quoad fieri poterit ab externis iniuriis quàm ad medicamenta phlegmagoga? Ita hercle, Vt non sit mirum si in humorum magna cruditate, calor febrilis accensus immiserit tetros vapores. qui cerebrum jam imbecillius redditum ob vim tempestatis deteriùs affecerint quàm ante fuerit. *Historia viij. libri ij.*

§. 54. Magna vis Astrorum in hæc inferiora corpora: Et maximè eorum vis patet, cum morbo affecta magnam virium jacturam fecerunt: ideo Hippocr. magnas temporum mutationes diligenter obseruandas putavit, libr. de Aëre Aq. & Loc. Imò ne medicamentis tum agitanda esse corpora judicauit: Obseruatum quoque est non satis feliciter mitti sanguinem silente deficientéque Luna: quod Medicos latere non debet, ne plus apud nos valeat trita vulgarísque factitandæ medicinæ via, quàm ratio & medendi cautio, legitimis fundata argumentis: Narratum est à fide dignis Medicis contigisse aliquando vt in defectione Solis curandam Dominam Illustrem de Varades haberent, eam in ipso defectionis momento Animam ferè egisse, sed Sole suum primarium cursum repetente, & prout vires acquirebat, ægram vires resumpsisse *Epid. lib. 1. pag. 48.* *Astrologia non sit imperitus.*

§. 55. In Prognosi instituenda præcipitem nimium esse non oportet, nec in eadem securum & tardum. E medio enim quempiam tolli non prædicto morbi exitu, cum præsertim historia morbi integra cognita est; Medico dedecori vitióque verti debet, vt & calumnia non vacat metu ægros terrere & omnia periculi plena asseuerare: Quanquam propter ægrorum nostrorum intemperantiam vereri potiùs debemus quàm imprudenter esse securi: *cons. 34. lib. 1.* *Prognosin ne temere instituat.*

§. 56. Non temerè negligendi relinquendíque morbi qui primo quidem obtutu tanquam immedicabiles sese nobis offerunt: nec præterea de morbis præcipitanter est pronuntiandum: suspendi enim oportet judicium in prognosi præstituenda, nisi certò constet, præsertim cùm hoc tempore propter ingluviem morbi pullulent & veteribus nunquam cogniti, & contra quàm factitatum sit à veteribus, nulla Criticorum dierum habita ratione, subinde ac identidem, variis remediis ægros oneremus, vt omne Naturæ studium ac ordo peruertatur ac pereat; & magna cum nominis *Cautus sit in ea instituenda.*

 minis

minis sui calumnia: multi etiam ex primariis Medicis, aut eos morituros falsò præsenserunt ac prædixerunt, qui tamen non ita longè post à mala sententia tanquam provocarent, superfuerunt: & contra multos victuros pronuntiarunt, quos non ita longè post mors sequuta est. *Cons.* 48. *lib.* 1.

Ægros desperatos ne deserat sed pro virili sublevet.

§. 57. In morbis obstinatis, vt melancholicis, ea quærenda quæ eorum molestias elevent & querelas percrebras demulcere possint: Et licet malo ars victa fuerit morbique diuturnitas eam eluserit, tamen ab omni remedio temperare maligni & desperantis hominis est; solaque desperatio pro omni superest solatio: Non Artis vitium est si morbus incuratus manet, sed accusanda morbi pertinacia, Medicus se tuetur artis patrocinio, & cum ad experimentum vsque proceditur, difficultas saltem morbi compescitur. *Consil.* 49. *lib.* 2. *pag.* 309.

Obstinatos morbos pro viribus impugnet.

§. 58. In vitiis à natura pendentibus etsi probè intelligant Medici corrigi non posse, arte tamen sublevare tentant, ne non aliquid agant & vt efflagitanti vrgentique ægro nihil denegent, variis ac variis illum bona spe erigant: Ac si vt eos qui Medicinam castè & integrè factitant, decet, lubenter quærenti denegarent, cùm sæpe frustra contra eiusmodi inveterata mala, à naturaque contracta pugnetur: At misellorum ægrotantium morbi, etiam desperati aliqua remediorum formula sunt eludendi. *Conf.* 21. *lib.* 1.

Dolori illicò succurrendum.

§. 59. Cùm nihil tam infirmum corpus faciat quàm dolor, is primùm omni arte est mitigandus, & is morbus in quo dolores adsunt pluris est æstimandus, maioreque procuratione dignus quàm is à quo dolores absunt: Sæpe, ait Tullius, non sunt graviora carnificum tormenta quàm quorundam morborum cruciamenta: At ferè iis non condolemus qui assiduo dolore affliguntur, quasi conquerendi eorum assiduitas, opinionem faciat aut sublati aut imminuti mali. *Consilio* 79. *lib.* 3.

Ne vatem agat ex vrinis.

§. 60. Nil æque vsu tritum est ac Vrinas Medico inspiciendas proponere, atque huic profano muneri ariobolare pretium statutum est, & iuniorum Medicorum ædes ægrotantium lotiis, veluti inaugurantur; Nec enim ex vrinis inspectis minorem solertiam sese posse consequi credunt, quàm si exta ipsa inspicerent. Relinquendus hic fucus seplasiariis ac periclitantibus, nec sacrum Artis ministerium dolo malo contaminandum. Id ipsum est teruncio æternam infamiam mercari, est & animas negotiari famam novitate aucupando: meliùs verò esset nonnulla apud vulgus ignorantiæ suspicione, si eius expectationi non fiat satis, expressam veritatis imaginem prosequi, quàm tantùm dedecoris pretio exiguo pacisci: Non hæc scribuntur, vt vrinarum inspectionem negligendam putemus, nemo enim sanæ mentis id faciat, sed vt eos accusem qui fucum faciunt & nil non ex inspectis

tis vrinis scire profitentur: maiorem fortè horum opinione ad cognoscendos morbos opportunitatem vrinarum inspectio affert, nec non etiam minorem quàm quis putet: multa ei tribuo, multa quoque detraho: hic maximè prudentiam ac interiorem quandam iudicandi legem nobis insitam desidero: Et vt omnium morborum cognitionem ab iis peti posse, summæ est arrogantiæ profiteri, ita nullorum summæ ignorantiæ est. *Præfat. in lib. de vrinar. hypost.*

Vrinarum inspectioni ne nimis tribuat.

§. 61. Non placet eorum opinio qui omnium corporis affectuum, in specie & Idea, notitiam, ab vrinâ tanquam ab oraculo Delphico repetunt: Minùs verò aliorum qui eam inspectionem omnino damnant: In illis, aut turpe lucri desiderium notandum, aut inanis eruditionis ostentatio: In his mera infantia & ignorantia: Accedunt & ii qui in vtroque ambigunt: nam dum vacillant, moxque illud probant, moxque reiiciunt, non possunt vrbaniùs ex confessione propriæ inscitiæ labi: Sed οὐρομάντεις καὶ οὐροπότας, non dicam οὐροφάγους fucum populo venditare sinamus, quod verum expressum ac solidum retineamus. *Lib. de vrinarum hypostasi. pag.* 88. Parum tutum est iudicium vrinarum in Nephriticis, nam sæpe humor crudus excernitur à renibus ipsis, qui falsò hypostasin laudabilem refert. *Consilio* 14. *lib.* 1.

Pulsus diligenter exploret.

§. 62. Circa Pulsus diligentem & sedulum esse oportet; magnum enim habet momentum ad therapian & ad reliquas Medicinæ partes; Sed & ad diagnosin prognosinque maximè: At qualis in sanitate Pulsus sit, diligenter scire oportet, alioqui falli necesse est. Ac primùm vtriusque manus Pulsum continges, diuersus enim sæpe est: Et in multos incides, quibus aliàs dextræ arteriæ, corpus profundius, aliàs sinistræ, & ita facilè Tactus iudicium fallit; vnde in febribus continuis vidimus aliquando dextræ Arteriæ pulsum frequentem & humilem, sinistræ frequentem, magnum & elatum in omnem dimensionem: vnus à remediis tentandis paulum reuocat: alter validissimum remedium clamat, & id magni ponderis est: Nam si vitium conformationis ipsius Arteriæ causa est, cur aut plenior maiorve Pulsus appareat, aut minor & vacuus, quid hic agas? quid consilii capias? &c. *Epid. lib.* 2. *pag* 194. Difficile est circa Pulsus iudicium, & magno ægrotantium incommodo in ista hæretur difficultate, prout enim quisque variam habet de Pulsu opinionem, ita variè corpus ægrotum exercet. Si validum Pulsum & altum existimat, aliam indicationem inde sumit, aliam si aliter affectus sit: Et fortè huic validus Pulsus videtur quod satis fortiter pulset Arteria cùm tamen talis non sit, prout enim affectum est Instrumentum ita aliud iudicium esse solet. Item cùm applicatio manus sit diversa, aut comprimens, aut suspensa, aut mediocris, ita varia de Pulsu est opinio, hic

Medicus comprimit & Arteria compressa aliam Pulsus Ideam refert, ille Medicus suspendet manum eandem arteriam contingens & arteria alium Pulsum habet; itaque non temerè in ea Pulsuum materiâ versandum est. *Epid. lib. 2. pag.* 200. & *pag.* 233.

Illorum fallacia sit attentus.

§. 63. Quid quod videmus eos quibus pulsus validus est magis sæpe obnoxios morbis; alios quibus pulsus languidiusculus, diutius sæpe vivere: An quia maior resistentia in iis quibus pulsus validior est? An quia pulsus iste aliquando fallax est? Nam plerisque ob motus animi præcipites, & satagendi studium, in spiritibus habent conceptam veluti philogosin, propterea cæteris sunt magis febriculosi. An quia suis viribus fisi plus edunt & maiora in sanitatem peccata cõmittunt? An quia facile est decipi in pulsus vel firmitate vel infirmitate? An quia in iis quos infirmos iudicamus, pars aliqua est princeps, vt pote cor, quæ firma sit & compacta, vnde pulsus non ita sese ostentat? vel potius dicemus in iis, quibus vires sunt infirmæ, non ita validos esse motus & humorum & naturæ. Motus autem vis mutationum magnarum causa est, & subitarum translationum de parte in partem. Nisi fortè dicamus non esse æstimandas vires ex mole: Contra quibus pulsus debiles, & vires sunt infirmæ, ii minus sunt de sanitate sua tuti, & minus in commoda valetudinis peccant, unde vulgare istud, *Vn pot fesle dure plus qu'un neuf. Epid. & Ephemer. lib. 2. pag.* 233.

Ex pulsus inæqualitate & intermissione ne statim male de eventu morbi auguretur.

§. 64. In Pictore *Petro Dangers* observavimus perspicuam pulsus intermissionem in magna affatimque facta distillatione: hoc illi familiare est, & tandem deprehendimus duabus de causis hoc illi evenire, etiam cùm primùm incipit ægrotare: prior est illi connata superioris orificii ventriculi infirmitas, vt minima etiam occasione in leipothymiam deliquiumque animi præceps ruat, sed pane in vino infriato in os injecto statim recreatur: Posterior est ingens copia materiæ pituitosæ & frigidæ, à cerebro imbecillo facto ob vsum modioli, continenter illabente: rejecta enim vomitione materia multa, statim priores vires recuperat: Et nos illum novimus à gravibus funestisque morbis, quibus sæpe subjacet, defunctum superstitemque evasisse: In D. *Barthelemi* jam grandi ætate, eadem à nobis, pulsus inæqualitas & intermissio, cum magnitudine tamen, observata est sæpe, integris satis viribus: Et quod mirum est, sæpe in molliusculis pueris istam inæqualitatem conspicuam videmus, præsertim cùm dormirent: *Consilio* 59. *lib.* 1. *Galenus* cap. 6. lib. 4. de præsag. ex pulsibus docet inæquales esse solere pulsus in affectione oris ventriculi, aliàs affecto fundo eius, Inæqualitas ista, & etiam intermissio, quædam, ab oppressione & copia potest accidere: Et cum Galen. ait Inæqualitatem & intermissionem in arteriarum obstructione & asthmate minùs esse terrificam, quod de asthmate dixit, idem potest audiri

de

de infarctu pulmonum & copia pituitæ, licet homo ita repletus, quod fortè habeat latum thoracem, non sit asthmaticus : Sic est vbi debet esse formidabile istud vitium in pulsu, est vbi non esse debet: Et ne quis terreatur, sciendum istas inæqualitates ab oppressione esse maxime : nam Galen. lib. de puls. ad Tyr. Inæqualitates in pulsibus propriæ sunt facultatis pressæ & gravatæ : Sic oportet sensim deonerare naturam & pulsui sua reddetur æqualitas. *Annotat. 7. in id consilium.*

§. 65. In Senibus Pulsus mutationes non ita citò nos terrere debent. Mater Domini Hellaia aliquando in febrem incidit, fuit in ea Intercisus Pulsus, quasi tendens ad caprizantem, inæqualis, inordinatus, aliquantùm intermittens : talis perseuerauit per quinque aut sex dies : Et cùm id ab humoris melancholici tetro vapore contingere videretur, non dubitum est eam purgare : purgata est : Pulsus ad suam naturam & symmetriam rediit; *Ibid. pag. 217.* *In pulsu senum sit cautus.*

§. 66. Ex *Galeni* sententia in gravidis pulsus est parvus & oppressus, vnde sæpe gravidas febre non laborare existimamus, cum tamen revera laborent. *Consilio 15. lib. 1.* *Et gravidarum.*

§. 67. Medici terreri non debent cùm ægrum divexari agitarique viderint, augerique symptomata : hoc enim naturæ aggressionem significat : quod dum major quædam fit vis naturæ, & sinendum donec virus aut partem materiæ superari; id quod in omnibus morbis fieri credendum est. *Consil. 30. lib. 2. annot 4 pag. 259.* Vulgus Medicorum gaudet si qua videatur allevatio, tametsi ex symptomatis pernitiosis proficiscatur; nesciens cum natura enecatur, & extinguitur calor insitus, accidere solere febris intermissionem aut remissionem sine ratione, aliásque affectiones tales. *Ibidem pag. 256.* *Ne terreatur symptomatis augescentibus: vel gaudeat iisdem remittentibus.*

§. 68. Cuique ætati sua est sanitas, sui germani & proprii morbi, progressus & incrementum impediendum, licet currentibus annis multæ eveniant mutationes : Senibus sunt peculiares affectus : nam vt morbi animi sic & corporis, non ibi finiuntur vbi oriuntur; facilis ortus, difficilis interitus eorum : vbi sunt in ortu & quasi incunabulis, facile vitantur, adulti vix curantur. *Conf. 24. lib. 7.* *Cum senibus caute agat.*

§. 69. Rogat Senatus vt selecti viri iudicent num Socrates, e. g. sit elephanticus : Est artificis absolutè respondere vel elephanticum esse vel non esse : Ratio non est reddenda, nisi sit necesse, nec reddenda nisi apud peritos artis qui rerum momenta æstimare possunt : Sed hic nec præcipitanter timidos esse oportet, nec temere securos. Ex æquo quippe & bono res est æstimanda, vt nec nimia facilitate res extenuetur & elevetur, vel præiudicata opinione aliter ac est iudicetur : At in iudicio ferendo videndum ne quid tale committatur : *Conf. 49. lib. 2.* *Prudens sit in judicio ferendo coram Senatu.*

FINIS LIB. I.

LVD. SEPTALII

ANIMADVERSIONVM, ET CAVTIONVM MEDICARVM

LIBER PRIMVS,

continens eas

Quæ ad Medicum pertinent, quatenus Medicus est, qui proœmii loco esse poterit.

Medicus pietatis cultor.



EDICUS pietatis, & religionis maximè sit cultor, atque ad eandem ægros conetur revocare.

Sanitatem præ se ferat.

2. Habitu corporis in omnibus sanitatem præ se ferat, quantum peculiaris ejus natura concesserit: putant enim plerique hominum, si quis minùs feliciter corpus dispositum habeant, eos neque aliis consulere posse. Hipp. *lib. de Medico.* nam ajunt: *Curet primùm se, & tunc me illi dabo.*

Non sit valetudinarius.

3. Caveant igitur Medici, ne se valetudinarios prædicent; & si quando periodicis morbis tentantur, cur illos evitare nequeant, ostendant; quomodo autem facilè illos evincant, etiam doceant.

Studiosus munditiei esto.

4. Sit studiosus externæ munditiei, manibus potissimùm, unguibus, capillis, & barbâ. Ex Hipp. *lib. de Medico.*

Non excedat in ea.

5. Caveat tamen excessum, ne in mollitiem cadat, néve excrementorum alvi, lotii, & excretorum per tussim conspectum aversari credatur.

Vestitu decorus.

6. Vestitu utatur decoro. Hipp. *lib. de Medico.* Caveat, ne in suspicionem ampullosi artificis cadat, & Sophistæ, quem depingit suis coloribus Hippocrates *lib. de decenti ornatu,* his verbis: *Ii enim conventu facto, ambitiosa & quæstuosa sua professione decipientes, in urbium circulis versantur. Quos ex vestitu, & cæteris ornamentis quis cognoscere poterit. Quin etiam, quò sumptuosiùs ornati fuerint, eò majore odio aversandi, & ab eis, qui eos circumspexerint, fugiendi. Ex usu autem fuerit, contrarium in his spectare, quibus non inest exquisitus, neque curiosus ornatus*

natus, qui ſeſe & cultus venuſtate, & frugalitate, non tam ad ſuperfluam curioſitatem, quàm ad optimam exiſtimationem, prudentiam, & animi moderationem comparârunt. Cùm enim illi doctrinâ ſibi auctoritatem comparare nequeant, ſplendore auri, veſtium cultu medico, ac ſervorum grege eam comparare ſtudent; quos ridens Ariſtophanes *in Nebul.* joco vocat σφραγιδονυχαργοκομήτας, quòd digitos ad ungues uſque annulis ornent.

7. Odoratis utatur; caveat tamen, ne morbi inde concitentur: ſæpè enim moſchum, & ſimilia redolentes hyſtericas mulieres enecant. Sint igitur temperata omnia. *In odoribus qualis*

8. Qualis eſſe debeat Medicus in omnibus præſtans, non aliis verbis, quàm Hippocratis deſcribendus videtur, *lib. de decenti ornatu.* In reliquo vitæ cultu minimè ſint diffluentes, aut ſuperflui; id eſt, honeſti in omnibus, ſtudentes, dicto; nec facto ſuas actiones ultrà, quàm decet, jactantes, ſed cum candore, veritate, & integritate, ſepoſitâ omni ſimulatione, ſincerè omnia repræſentantes; in hominum concurſibus graves; ad reſpondendum faciles, & appoſiti; adverſus altercantes graves, & pro veritate conſtantes; in ſimilium amicitiis contrahendis proſpicientes; cum omnibus humani, familiares, & affabiles; in ſeditioſis contentionibus taciturni, eóſque audiant patienter, & in reſpondendo, ſi effugere non poſſint, modeſti, & quaſi cogitabundi prudenter reſpondeant; errores aliorum ita corrigant, vt non reprehenſionem, ſed veritatem ob oculos ſibi præfixiſſe oſtendant. In occaſione prudenter captandâ, & cognoſcendâ oculati. In victu frugales, & paucis contenti; liberales ſint, non ſordidi, aut petaces. Patientes ſint in occaſione exſpectandâ, neque ſinant ſe, aut ægri, aut aſſiſtentium precibus, aut importunis verbis vinci, aut ad medicamentum ante tempus dandum, aut ſolidiores cibos, vinúmque concedendum. Non ſint taciturni, neque loquaces, ſed in eâ re moderationem ſervent; promptitudinem tamen, datâ occaſione, ad ratiocinandum oſtendant, nihil ſine demonſtratione proferentes; non barbarè, aut populariter loquantur, ſed cum aſſiſtentibus, & ægro eleganter, & purè, cum Medicis Latinè. Rectè ſciat perſuadere; nam Plato 1. *de Legibus* vult, ut primùm doceat, & perſuadeat Medicus, quid ſit ægro faciendum, & non priùs imperet, ita promptiùs parebit. Quare dicebat Ariſtoteles, *Parebo lubens, ſi vera hæc, quæ dicis, eſſe demonſtraveris.* Honores per ſe contemnant, ambitione carentes; ſed ob virtutem, cujus comes eſt gloria, pro ipſo etiam honore certent, virtutem tamen, certâ ratione ſtabilitam, libenter admittant, ne opinionis ſuæ nimium ſtudioſi videantur. *Medicus in omnibus præſtans qualis.*

9. Caveant maximè, ne inani gloriâ, aut nimio ſui amore tententur; *Non inani gloria, aut*

sui amore tenteatur. tenteatur; illâ enim, quod nesciunt, discere præ pudore renuunt, ne inscitiam cum rubore prodant: per alium verò eò pervenisse se persuadent sibi, quò pergendum erat.

Nullius sit secta. 10. Ne se alicujus sectæ, tanquam mancipium, addicant; nec jurent in alicujus auctoris sententiam, sed nudam tantùm sectentur veritatem, illique soli subscribant.

Qualis in congressibus. 11. Medicorum congressus, & consultationes libenter admittant, illud observantes, ut in iis superflua omnia devitent, nihil ad pompam proponant, contradicendi studio non ducantur; sed eum solum sibi finem præfigant, ut morbum evincant, ac pristinam restituant sanitatem.

Consultationes fiant, seclusis arbitris. 12. Congressus hi, & plurium Medicorum consultationes, seclusis arbitris, fiant, neque affines, & domestici admittantur: liberiùs enim sic proferuntur sententiæ, atque facta à primo Medico, si quando correctione indigent, corrigi liberè possunt sine notâ ignorantiæ; quæ si firmis rationibus erunt firmata, facilè à Medico admittentur; quæ si palàm, & domesticis audientibus proponantur, ab eodem mordicus defendentur etiam si falsum defendere se cognoverit, ne, si mors subsequatur, illius causa in eum referatur. Unde perpetua dissidia inter Medicos oriuntur, quod antiqui Patres nostri, in hac nostrâ Urbe, & nostro Collegio observantes, lege caverunt, ne consultationes Medicæ publicè haberentur; unde etiam tanta concordia inter Medicos magnæ hujus urbis semper perseveravit, ut inter tam multos vix unum reperias, qui alium ad Medicas consultationes non admittat.

Sylvam medicamentorum ad manus habeat. 13. Sylvam medicamentorum præstantissimorum, ad morborum genus quodcunq; promptam, ad manus habeant: ne, ingruente morbo, ac inducias non faciente, veluti in salo hærere videantur.

Secreta remedia non habeat, sed cõmunicet. 14. Ut selectiora quædam, & experta, sæpiúsque experientiâ confirmata habere eos convenit, ita illa in arcanis ita habere non decet, ut etiam aliis communia non faciant.

Quomodo excolendus. 15. Sit re, & opere Medicus, non famâ, aut nomine tantùm; quod ut assequatur, his omnibus præditum esse oportet, de quibus Hipp. *lib. de Lege.* Nam excoli optimè debent hominum ingenia, si ad perfectionem in hac facultate pervenire debeant. Qualis enim in terris nascentium est cultura, talis etiam Medicinæ cognitio. Indigemus igitur *Natura*, *Doctrina*, *Moribus generosis*, *Loco*, *ad discendum accomodato*, *Institutione à puero*, *Industria*, & *Tempore. Natura nostra veluti ager est; dogmata verò docentium veluti semina sunt. Institutio à puero respondet opportuno tempori, quo semina terræ committi debent. Locus studiis aptus est, veluti ambiens aër, quo è terra nascentibus nutrimentum accedit. Industria*, & *stu*

dium

dium cultura est. Tempus tandem hac omnia confirmat, ut perfectè nutriantur.

16. Exercitationem medicam sub docto, & perito viro facere non dedignetur, neque erubescat difficilia quæque perscrutari, atque de obscuris interrogare: sic per aliquod temporis intervallum in magnis urbibus sese exerceat, non statim in vilibus oppidis, stipendio constituto, quod plerique faciunt, ad medicinam faciendam sese accingat. *Exerceat se sub perito Medico.*

17. Modestiâ quâdam accinctus ægrotantium domos ingrediatur; quâlibet enim horâ virgines, matronæ occurrunt, ut continentiam omnibus in rebus & habere, & repræsentare teneatur. *Modestè domos ingrediatur.*

18. Cum imperitis, & mulierculis de morborum causis, aut præsidiis adhibendis non agat; sed necessaria solum proponat: solent enim imperiti Medici, ut gratiam apud multos aucupentur, hoc medio mulieres & imperitos seducere, quasi illas multi facientes, ut, si quando morbis tententur, eos ad curationem accersant. *Cum mulierculis, & imperitis de rebus medicis non disserat.*

19. Gratis aliquando medendum tum pauperibus, tum veris amicis, ne aut sordidi animi, aut minùs grati notam subire cogantur. *Gratis aliquando curandum.*

20. Neque tamen velim, Medicos mercedem aut datam non recipere, aut oblatam quasi aversari, aut exhibitam, quasi cum rubore, aut veluti furtim excipere: si enim promptè mercedem recipere viderit, sibi æger persuadebit, Medicum illius curationem libenter suscepturum, neque quippiam eorum omissurum, quæ pro sanitate introducendâ fuerint peragenda. Mercede autem non receptâ, aut dubitabit toto animo curationem non suscepisse, aut certè dignum illum eâ non se cognoscere; unde contemptus, & existimationis non levis jactura. Sunt enim, qui hac ratione multorum curationes aucupentur, quibus cùm expectationi præmium non postmodùm correspondeat, aut molestiam, & onus illud sine fructu sustinere coguntur, aut mussitantes, & in angiportu de ingrati animi vitio conquerentes, quasi ridiculi, amissis laboribus, & laborum præmiis, deseruntur, aut etiam exploduntur, aliis in illorum locum electis. *Mercedem promptè accipiat.*

21. Impium est, magno morbo urgente, de mercede pacisci: ut enim in nobili hac arte semper hoc indignum videtur, ita urgente morbo, impium: occasio enim medendi sæpe avolat, dum de mercede æger deliberat: hujus enim opportunitatis momenta redire nequeunt, &, eâ elapsâ, inclinatio fit ad mortem, aut ad deterius. *De mercede non paciscatur.*

22. At ne etiam, si quem ingratum futurum arbitretur, in periculis *Ingratos in necessitati-*

bus non deferat. riculis deferat; fatiùs enim femper fuit, ingratos etiam futuros humanitate fervare, quàm inhumaniter ob ingratitudinis metum deferere: & meliùs multò eft, à morbo evalefcentibus exprobrare, quàm calamitosè affectos deferere. Hipp. *in Præceptionibus.*


Non fit jactabundus, & nimius pollicitator 23. Ne immoderatè, aut immodeftè nimiâ cum jactantiâ nimium polliceatur: nimia enim ante curationem pollicitatio excufationem poft curam requirit.

Doctrina, & ufu polleat. 24. Nec ratione in curandis morbis folùm nitatur, nec ufu, aut nudâ experientiâ: claudicat enim Medicus, alterutro horum crure deftitutus. Ratio igitur ab experientiâ incipiat, & in eam etiam defînat: Experientia autem ducem habeat rationem, & in eam denique terminetur; utraque enim per fe indigens, altera alterius auxilio eget.

Non fit feverus. 25. Non inhumanâ feveritate ubique utatur, fed fecundum conditionem hominum fe gubernet; nonnunquam gratis curet, vel ob gratitudinis memoriam, vel præfentem exiftimationem ne avaritiæ notam incurrat. Quòd fi occafio exercendæ liberalitatis fefe obtulerit, vel peregrino, vel egeno omnino fuccurrat: Si enim adfuerit benignitas, aderit etiam, artificio comparatus, arti amor. Adeò ut quidam ægri, etiamfi fentiant morbum fuum calamitofum effe, tamen propter Medici benignitatem fibi perfuadeant, fe ad fanitatem redire poffe. Hipp. *in Præceptionibus.*

In fermonibus varius pro ægrorum varietate. 26. Pro laborantium variâ naturâ, & conditione in congreffibus, & fermonibus conferendis orationem inftituat, & materiam fibi deligat: alió enim modo cum vero Philofopho eft differendum, & alio cum Aulico; diverfa eft ratio alloquendi puellam virginem, & matronam gravem: cum bibace aliquid de vino loquetur: de frigidæ & limpidæ aquæ deliciis cum abftemio; & fic in fingulis.

CAV-



CAVTIONVM, ANIMADVERSIONVM & Obſervationum Practicarum.

EX G. BALLONIO DECERPTARVM

LIBER II.

Complectens ea quæ circa rectam Victus Rationem occurrunt, præſertim in morbis Acutis.

1. IN Acutis morbis Hippoc. aliàs pleniorem Diætam præſcribit, aliàs tenuiorem, pro robore, Natura, Temperamento, morbi temporibus in eodem morbo circunſtantiis & occaſionibus, morbi natura, conſuetudine ægrotantium: Etiam eodem tempore morbi aliquando accuratus victus conſulitur, aliquando plenior paulò; imò in uno loco adiectionem in morbis commendat, alias eandem reiicit, habetque rationem vniuerſalis & particularis naturæ: Atque id tantæ difficultatis in vnius Diætæ præſcriptione oboriri mihi videtur duabus de cauſis, vna eſt, quod difficilis admodum conjectura, quam quiſque prudens Medicus habere debet de morbi ingenio, vigore vel ſtatim futuro, vel longè poſt; item difficilis cognitio Naturæ vniuerſalis & particularis cujuſque, conſuetudinis anteactæque vitæ, ne temerè ab otio ad negotium aut contra, converſio fiat: Altera ratio tantæ difficultatis eſt propter veterum in ea re ancipites ambiguaſque controuerſias: nam nullo ferè adhibito iudicio, nulloque dioriſmo, modò abſolutam tridui quatriduiúe inediam præſcribebant: & ſic fame ægros miſerè necabant & ſub vigoris tempus cibum offerre cogebantur: aut cum intelligerent inchoantibus morbis adiectioni potiùs attendi debere, ægros ſaturabant pleniuſque cibabant, vnde incommoda ſequerentur quæ nulla fere ars corrigeret ac emendaret: At Hippocr. ſingulari iudicio præditus, neutris calculum additurus, exquirit diligentiſſimo & maximo artificio- *Acutorum morborum victam accuratè inſtituat.*

sè Diætam in Acutis ex ratione temporum morbi, consuetudine ægri, morbi indole, privatâ vniuersâque cujusque Natura, cuius maximum est in medendo momentum: Itaque sententiam suam ita protulit. Non intempestiuè oportet fortes vasorum inanitiones moliri, nec scùm morbi vrgent feruéntque cibum offerre, nec repente in hanc illamúe partem mutare licet. *Consil.* 42, *lib.* 1.

1. de Diat. Acut. parte 32.

Exquisitissimam Diætam ne temerè præscribat.

2. Nec sine distinctione & temerè exquisitissima Diæta retinenda: Sed primùm hoc censeri debet, ineunte morbo, aut in principiis morborum Acutorum, dum sicci manent, potiùs in eorum curam incumbi debere quàm paulò pleniore victu naturæ consulere: An propterea inedia præscribenda, vt quidam volunt? Nequaquam, nam cùm dicimus, potiùs aut magis, non excluditur omnis cibi adjectio, Primum enim in Aphorismo quinto In tenui victu ægri delinquunt, ait, & error qui committitur magnus, maior fit in tenui victu quàm in pleniore: duabus de causis, ait Galenus, Quia Natura à tali victu debilitatur plurimum, & quia ad insuetam Diætam tenuem conuersio fit: Nam cum ita tenuis Diæta præscribitur, non perspecta morbi naturâ & viribus ægri, contingit nos vires eas tridui inedia frangere, & cibi accessionem adiungere affecto iam morbo, cùm minimè sit opus ac deceat, cùm enim graviores sint mutationes quæ fiunt ab otio ad negotium quàm contrariæ, sic graviùs in se peccat qui defraudato genio repente ciborum pleniore manu indulget, quam qui à saturitate ad cibi abstinentiam sese convertit: præterea Hipp. 1. de Diæta Acut. satis apertè docet non ita amplecti se ineuntibus morbis exquisitam Diætam, Qui in morbis Ptisana vtetur, ne vno die vasa inaniri permittat, nec ab vsu desistat, nisi propter Medicamentum, aut Clysterem, aut sectam venam. Tunc loquitur de morbis nondum validis; nam si dolor vrget, vt locus sit medicamento, aut sectioni venæ, non ita plena manu cibandus æger, Sed dandum vult consuetudini, vt si bis cibum capere consueuerit, bis detur Ptisana, vt duabus vicibus, propter consuetudinem tantùm expleatur, quod semel, si morbus non adesset, expleri deberet: Paulò post subiicit, Initio non multam & crassam Ptisanam dari oportere, sed videndum qualis consuetudo, tum ne magna vasorum inanitio fiat, An illud est tam accuratum esse in Diæta præscribenda? nam dum de morbi siccitate loquitur, quæ videatur alioqui abstinentiam suadere, quoniam cruditatem significat, scribit, Si morbus siccior sit, non multùm dari alimenti oportet, At aliud est dicere, in morborum cruditate non multum dari alimenti oportere, aliud est dicere omnimodam abstinentiam à cibo præscribi, vt Prodicus & Diatritarii medici factitabant. Hippocr. enim illa superiore ratione

ne qua vtitur in hoc morbo (Pleuritide, de cæteris idem iudicetur) alimento medicamentoso nec tenuiùs nec pleniùs alit, sed mediam quandam formam & æqualitatem retinet; Est enim in morbis Thoracicis cibo consulendum viribus & ad eductionem & Actionem; est & naturæ consulendum, subducta alimenti portione ad mitificationem materiæque præparationem, *Ibidem*.

3. Cautiones autem istæ, Cibare oportet in morbis, nisi vel clysteri vel medicamento, vel venæ sectioni locus sit, Indicant aperte detrahendum quippiam de cibo, si dolor adsit, vt eius occasione aliquod illorum præsidiorum vsurpandum sit: Nam ita occurrimus obiectionibus quas educat quis ex duobus Hippocr. locis. Si cibo incluso, id est, stercore diu retento, vt ait Gal. sorbitionem quis det, statim dolorem augebit si adest, si non adsit, inferet: Nec enim hoc impedit quominus adiiciamus aliquid alimenti: sed cùm aluus adstricta est, quoniam assumptæ Ptissanæ exhibitæ distributio prohiberetur, vult præmitti clysterem aut secari venam priusquam de nutritione cogitetur: Si enim in sanis aluo minimè libera, ingestio esculentorum sæpe tormina ac contorsiones afferat, multò magis dum aut morbus adest aut imminet: Alter autem locus videtur vrgere paulò ampliùs, Si lateris « dolor assiduus est, calidis fomentis non cedens, Si sputum non « procedit, nisi quis vel subductione alui, vel medicamento dolo- « rem laxaverit, Ptissanam autem dederit, in perniciem præcipi- « tat ægrum: Itaque dicet aliquis, in Peripneumonia, in Pleuriti- « de, cum dolores adsunt, cibum dare nocentissimum, sed omnino inedia præscribenda est? Non hic est animus Hippocratis, atque eum locum bifariam intelligimus obiectionémque diluimus: Prior quidem ratio, illic de vigore morbi agit Hippocr. ac plus minusúe Ptissanæ exhibuit ineunte morbo, docens non multùm dari oportere si siccus manet morbus; nunc autem omnium dolorum & symptomatum vehementiam proponit, & vigorem morbi designat: Quis adeo hebes sit, qui cùm dolores vrgeant ad nutriendum se convertat, cùm præmonuerit alendum ægrum plus minusúe pro re nata? Altera ratio, scribit, Nisi quis dolorem vel medicamento vel phlebotomia soluerit, hoc satis indicat vrgentibus doloribus vigentibusque succurrendum esse præsidiis Artis, cum illis symptomatis vires deterantur, priusquam Ptisanam exhibeamus præsertim Iulepum, id est, priusquam pleniùs cibemus: præmisso autem clystere, & secta vena, tum de cibando consuletur: Ex quibus manifestò patet, eam nunquam fuisse Hippocr. mentem, vt velit, (etiam in Pleuriticis) exactam admodum Diætam obseruari, præsertim initio morbi, cùm dubium esse non debeat,

Cibus subtrahendus ob dolorem.

part. 1. c. 12 comm. de Diæt. Acut

beat, in omnium morborum vigore ac ſtatu cum dolorum ſumma ſunt omnia, tutius eſſe morbi depellendi prouinciam naturæ committere, quàm adiectis cibis eandem ab inſtituto auocare. *Conſil. 41. lib. 1.*

Cibi adiectio quando facienda.

4. Conciliandi duo Hippocr. loci qui planè diſſentire videntur: prior eſt Aphor. 5. lib. 1. vbi in morbis adiectioni ciborum attendendum eſſe vult, ac in tenui victu delinquere ægros potiùs ſcribit, quam in paulò pleniore: Alter ei planè contrarius eſt in lib. Acut. Ciborum adiectioni attendendum multò minus, nam „ ſubtrahere omnino ſæpe expedit, cum æger ſufficere poſſit, do„ nec vigor morbi matureſcat. Huic & ſimilis eſt apud Galenum. „ In quibus morbis vigor primo quaternario adeſſe debet, modò „ natura fortior ſit, integram inediam ſeruare debemus, in quibus „ non vltra primam, forti natura exiſtente, ſolo vtendum melicrato: „ ſi naturæ robori non fidimus, Ptiſſanæ vtemur ſucco: Quaſi verò „ ſuccus Ptiſſanæ multùm ad robur Naturæ addendum ſit collaturus? Sed ſi mens Hippocratis intelligatur, ſatis abundè omnibus factum putabimus: Aliàs paulò pleniorem ciborum adiectionem concedit, alias eandem planè diſſuadet, ob grauia quæ inde ſequerentur incommoda, atque id duabus de cauſis, priore quidem, quod ex veteribus medendi magiſtris quidam abſolutè plenam Diætam inſtituerent, Alii vero omnino cibum ſubtraherent: quos vtroſque vt errare oſtenderet, eſt vbi paulò plenius & vberius in morbis cibet, eſt vbi tenuiſſimè; Sic modò vnum conſulit, modò alterum; non immemor ac diſſimilis ſui, Sed vt oſtendat quam erroneum ſit aliquid ea in re ſtatum ratúmque ſtatuere: poſteriore autem, quòd cum cognoſceret præſidiorum ſingulorum quantitatem artificioſâ egere coniectura, hanc autem aſſequi coniiciendi vim, difficillimum eſſe, & ad eum pertinere qui omnium quæ in Arte ſunt vires norit, maluit in ea re ancipitem dubiámque ſententiam ſuam proponere quam hoc aut illud certò definiendo, multis errandi occaſionem porrexiſſe. Itaque dum 1. Aphor. paulò pleniorem victum laudat, vniuerſalem planè non proponit regulam, vt hæc eſt quam in lib. Acut. ſcripſit, cùm ciborum adiectioni in morbis multò minùs attendi debere dixit; Nemo enim dubitat corpus ægrum non tam indicare refectionem ſui, quàm ablationem morbi quo occupatur: vt enim cibus ſano corpori præſidium eſt & robur, ita ægrum morboſúmque corpus offendit ac lædit, ſed offenſio eſt maior minorúe, prout plus minuſúe cibi offertur: Itaque 1. Aph. vult euertere dogma eorum qui magnis mutationibus magnas mutationes opponere in animo habentes, initiis morborum ſine vllo delectu inediam abſolutam præſcribebant, &, quod citra damnum fieri non

part. 37. comment. de D. Acutor.

non poterat, tempore vigoris cibum adiicere cogebantur: Satiùs autem vult esse Hippocr. initio morborum alimento vires recreare, vt cùm ad vigorem ventum sit, absoluta inedia minus æger offendatur, ita tamen vt si breui vigor futurus sit, tantum demamus de cibi adiectione quanto propinquior is videatur: At lib. Acut. præceptum generale ponit in morbis, dum multo minus adjectioni attendi debere opinatur: quod adhuc per comparationem dicitur, vt nil temerè & absque ratione dicere consueuit, quoniam, vt dictum est ante ex comm. Gal. in hanc particulam, artificiosa conjectura, quam consequi debet quisquis quantitatis remediorum rationem ad vnguem tenere velit, difficillime omnium attingitur: accedit quod scribit Galenus ibidem, Quod plus est, »
ait, & exuperat, noxas immendabiles facit: quod verò minus est »
facilè emendatur, nempe si virtus labascere videatur, cibi exi- »
guum ministrare debemus: Quod in ventrem iniectum est, tolle- »
re est difficillimum. *Ibidem.*

Victus in Pulmonis Inflammatione plenior sit quam in Pleuritide.

§ 5. Hippocrates in libris de Diæta Acutor. eam præscribere volens, Pleuritidem in exemplum subiicit: Et quoniam Inflammatio Pulmonis ex acutissimorum morborum numero censeri debet, quæstione digna res proponenda, An ea lex quam Hippocr. in Pleuritidis cura sanciuit, tenenda confirmandáque in Inflammatione Pulmonis? Duabus enim de causis idem iuris esse videtur, prior est, quoniam Peripneumonia acutissimus morbus est, citò litis controuersiam dirimens: posterior, quoniam, ex sententia omnium veterum & recentiorum, eadem Diætæ ratio & Therapiæ seruatur in curanda Peripneumonia & Pleuritide, imò eorum plerique leuiter tantum attigerunt de Peripneumonia, & peculiare caput non descripserunt, volentes Peripneumoniæ curandæ rationem ex capite de Pleuritide depromi: Atque hoc non ita relinquendum est intactum: Galeni locus obseruatione dignus est. In Pulmone, ait, Spiritus tenuis est & leuis & quem »
coërceri oportet, sanguis verò crassus & quem in singulas Pulmonis »
particulas dimitti opus sit; Nam Pulmo copiosiori alimento eget »
quam partes cæteræ, tribus aut quatuor de causis, prima est motus »
perpetuus, Secunda caliditatis copia; caliditas autem & propter cor- »
dis viciniam & propter motus assiduitatem & constantiam, addo & »
natiuam vernaculamque caliditatem, cum & spirituosa sit pars & ra- »
ra: Et paulò post, Tria adinuenta ad affluentiam alimenti ad Pulmo- »
nem ipsum, idque necessariò. Primum copia vernaculæ caliditatis, »
quæ efficit ut alimentum omne in partes minimas comminuatur dif- »
fundatur, ac citius euaporetur; alterum Pulmonis dilatatio est in »
inspirationibus, quæ efficiat vt ex densissimis instrumentis, cuiusmo- »
di est vena Arteriosa, violenter quippiam arripiatur; Tertium, ac om- »
nium maximum, ab eo sanguine qui soli Pulmoni à Corde mittitur »

„ prius in illo planè confecto ac attenuato; Itaque si sanus Pulmo copiosiore cibo dum sanus est, eget, (etenim Diætæ instituendæ ratio reuocari quoque debet ad naturalem symmetriam partium) quàm partes cæteræ, vt hepar & ventriculus dum inflammatione tentatus est, minus exquisita Diæta definiri describique debet inflammato Pulmoni quàm aut hepati aut ventriculo: cuius rei confirmatio & fides
" desumi potest ex Galeni authoritate, Non sicut in Iecinore & ven-
" triculo, ita in Pulmonibus tenuissimo victu vtendum est, in ventricu-
" lo enim & Iecore alimentum coquitur, metúsque est ne ipsis phleg-
" mone laborantibus nutrimentum ritè non concoquatur & phlegmo-
" ne augeatur: in Pectus vero tantum alimenti iam cocti peruenit
" quantum vni particulæ nutriendæ conueniat: Sed cum Galenus non vult tenuissimo victu vtendum in Pulmonis inflammatione, notari debet quod tantum per comparationem loquatur, Ait enim, non est tenuissimo victu vtendum in Pulmonis inflammatione, vt & in Iecoris & ventriculi phlegmone, quæ partes sunt officiales in quas alimentum integris viribus injicitur, Pulmo autem pars naturalis non est, Officialis saltem & ad eum, authore Galeno, tantum alimenti aduehitur quantum vni parti alendæ sufficit, quocirca non ita incommodum sequeretur ex pleniore cibo: Dicendum ergo aliud esse considerare Pulmonem inflammatione laborantem, tanquam morbo Acuto, tunc non est dubium quin quandiu morbus siccus erit, Diæta reuocari debeat ad eam quam de Pleuritide Hipp. explicauit, Aliud esse eundem laborantem conferre cum ventriculo & Iecore, nam reuera accuratior victus esse debet in ventriculo inflammato ac Iecore quàm in Pulmonis inflammatione: Quanquam sit dubium, An nulla facta comparatione cum inflammato ventriculo, locus sit tenuissimo victui? videtur ita, quia in iis morbis qui extremos statim labores habent, extremè tenuis Diæta conferat: Item, quia exhibita etiam Ptissana homines fiant πνιδματίαι: præterea cùm à corde nutriatur Pulmo, si multum ingeritur cibi, plurimùm ad cor sanguinis deferetur & ita ad Pulmones attrahentes adinuicem, sic inflammatio augebitur, in omni autem inflammatione iis abstinendum quæ multum sanguinis generant; Videtur quod non, Dum sanus Pulmo multo copiosóque alimento eget, comparatione cum partibus aliis facta, ex mente Galeni, Ergo consentaneum erit vt non ita parcè ac duriter Peripneumonicos nutriamus: præterea calefactus Pulmo multùm consumit, multum etiam attrahit ratione caloris & motus aucti; Si desit ob inediam alimentum Pulmoni vndelibet rapiet, imò potius ichorosos humores ex qualibet parte, sic augebitur Peripneumonia præsertim biliosa, venæ enim arefactæ biliosos & ichorosos humores ad se ex aliis partibus attrahunt, sic & Pulmo: præterea arefiet cor raptis & sanguine & spiritu ob incendium Pulmonis, vnde Peripneumonicos animo

animo deficere videmus: Et si, authore Mesueo, Peripneumonia fit aut à pituitoso aut à bilioso humore, Si à pituitoso, tanquam ab excremento; si à bilioso, tanquam à nutrimento; in biliosa Peripneumonia pleniùs cibare oportebit, & quod nutrimentum parti adesse oporteat, non tantum quantum quidem si sana esset, sed vt in sanis robur alimento augeamus, saltem in ægris seruare quoad possumus debemus: Item quod biliosi Ichores ferociunt magis proteruiuntque detracto alimento, nutrimentum enim temperat eos, humefacit & expectorationem promouet humectando. *Cons.* 42. *l.* 1.

§.6. In Inflammatione Hepatis & Ventriculi tenuissimè alendum, quod morbi omnium sint acutissimi, proptereáque statim extremos habent labores: Vigor enim in propinquo est: Et hic plus occupatos nos esse oportet in oppugnatione morbi, qui plurimi est momenti, quàm naturæ corroborationi, tametsi magna virium iactura sequatur: præterea ex euentu tenuissima Diætæ occasio sese profert, cùm enim partes illæ extremè laborent, dubium non est quin in eis alimentum corrumpatur, corruptio autem illa ægris damnum est magis auctura, quam si in totum alimento abstineatur: *Cons.* 42. *lib.* 1. *In inflammatione Hepatis & Ventriculi tenuissimus sit.*

§. 7. In Accessionibus, contra præceptum Hippocratis, dare cibum oportet biliosis, quibus os ventriculi biliosis humoribus tentatur facilè & exquisitioris sensus est, febribus syncopalibus laborantibus, morbo extenuatis & famelicis melancholicis, alioqui facilè eis linqueretur deficerétque animus, *Epid. lib.* 1. *pag.* 62. Iohannes Pongurét Tertiana febre detentus symptomata formidinis plena sustinuit, nam ineunte Paroxysmo ita agitabatur vt animam agere videretur; inquietudo erat, partium extimarum refrigeratio maxima, vomendi desiderium sed inane, oppressio summa, pulsus languidissimus, non poterat incalescere: habebat temperamentum biliosum sed atrabilarium factum per adustionem; ante febre quartana crudelissima laborauerat, & à vetere fermento ea etiam symptomata manauisse credidimus: Si vomuisset nec humor tam rebellis fuisset, non ea effloruissent tam vehementia symptomata: coacti fuimus ante augmentum febris subluere aluum clystere & iuscula exhibere ad eluendum & mitigandum humorem: principium febris erat ferè quatuor horarum: *Gal. cap.* 4. *lib.* 10. *Meth.* annotauit ex vsu esse vt etiam cibentur, aut saltem recreentur cibo ægri nonnulli, etiam dum horrent, & se vsu panis in vino macerati, ineunte horrore dati, febrem prohibuisse: Quibus verò corporibus & Quando,eo loco docet, *Epid. lib.* 2. *p.* 161. *In accessionibus qui cibandi.*

§. 8. Non abs re toties decantat illud *Hippocr.* In paroxysmis nihil dare oportet: Ideo paroxysmos cuiusque morbi tenendos monet, vt cibationis occasio antevertatur: Et sufficiet tantùm hoc *In paroxysmis cibus non dandus.*

loco ea adducere quæ Hippocr. tam diligenter inculcavit, *Nosces quibus in morbis sorbitiones non conferunt: nam si dantur, nec loco, exacerbantur febres & dolores, & patet quod sumptum alimentum morbo dat incrementum, corpori vero labor & infirmitas existit*, Et paulo post, *Sanorum diata* (supple non legitimè instituta) *ægris est nocentior quàm sit ferarum diata sanis*. Porrò duo sunt loci valde notandi apud Hippocr. ex quibus cognoscas quantum afferat detrimenti intempestivus cibus & potus in morbis; prior est hic cùm loquitur de mulieribus implicitis febre continua ob suppressionem, parte 79. sect. 2. lib. 1. Epid. *Virginibus menses evenerunt & nulla mortua est, nam Philonis filia, cùm ei sanguis copiosè è naribus effluxisset, septimo die intempestivius cœnata defuncta est*: Si ergo intempestiva cœna, etiam iam morbo crisi minuto, ut par erat, per hæmorrhagiam, tam nocuit, vide quid aliis sit allatura: Alter locus est de quodam (1. Epid. Sect. 3. histor. antepen.) qui cùm incalesceret tantùm, intempestivè cœnatus est, vt morbus qui levis sua natura foret, eo errore commisso lethalis extiterit. *Historia 4. lib. 2. pag. 118.*

Lentarum febrium Diata.

§. 9. Plerique febres habent Lentas Symptomaticas, quas vulgus febres non putat esse: Nam cum sensui addictum sit, non putat verè febricitare nisi aut rigor, frigus, horror, aut aliqua θλῖψις adsit, vnde sine distinctione, sine iudicio cibant ægros nec vllius accessionis & ἐπισημασίας latentis rationem habent: Nam cùm lateat putredo, & humor conclusus sit non disseminatus per partes sensiles (vnde rigoris sensus adest) latens est & obscura ἐπισημασία: vnde in talibus ἐπισημασίαις ægri pereunt incautis medicis: maximè verò id contingit si febri lentæ coniuncta sit periodica: id quod euenit sæpe & maximo ægrotantium incommodo: Porrò animaduertendum illud quod cap. 9. de diff. feb. 1. obseruat Galenus, quomodo ἐπισημασία ἄθλιπτος (id est, initium cuiusdam accessionis febrilis sine angustia & molestia quæ in aliis febribus adesse solet, in quibus rigor aut frigus manifestum est) non modò in Hecticis cernatur sed & in Putridis febribus; Nam in febribus continuis sunt quidam Paroxysmi excitati à motu novæ materiei non traductæ per partes (quanquam non existimo istam materiam dimoueri & transferri, sed tenuiorem quandam partem aut serum potius) & tales Paroxysmi latent sæpe nos. Et intempestiva cibatione morbi imprudenter porriguntur. *Ep. lib. 2. pag. 195.*

Vinum vix febricitantibus concedendum.

§. 10. Vinum febris planè dehortatur, etsi propter cruditatem Medici interdici nolunt; incredibile onim dictu quantopere febrem augeat: Nam dum valemus, ac calor naturalis intra suos limites consistit, magna etiam generosi vini copia, nihilopere auctiorem calorem reddit; Sed dum è gradu discessit, & iam febricula corpus occupauit, etiam tenue vinum ptopinatum statim symptomata excitat,

tat, quod qualitas caloris prætet naturam facilè adiecto stimulo appareat. *Conf. 24. lib. 1.*

§. 11. Vxor Adriani Vallæi tota febriculosa cùm peperisset ægrè, in morbum incidit valde grauem: magna & aquarum & sanguinis fuit effusio: Clinica mulier alimenti copia volens istam euacuationem compensare, febrem auxit, cruditates attulit, hincque speciem aliquam corruptionis: Tandem post phlebotomiam vnam atque alteram, & purgationes satis frequentes, restituta. *Epid. lib. 2. pag. 231.* *Non intempestiuè cibandus æger.*

§. 12. Admirabilis morbus in Damisella de Louans: collecta erat incredibilis copia humoris fere purulenti in Pulmonibus, calor erat intolerabilis, Animam videbatur efflare & penè deficiebat animo; Increscente febre iuuabatur plurimum ingesto cibo & data vini portiuncula in febris æstu: propterea Hippocr. respiciendam consuetudinem admonuit: Nec tam sæpe seueris medicorum legibus insistendum, maximè iis quibus corpus est λεπτομερὲς, delicatum diffluens, καταῤῥώδες, iis pleniùs alimentum dandum. *Epid. lib. 2. p. 208.* *In victu instituendo idiosyncrasia attendat.*

§. 13. In morbis Autumnalibus non est exactè cibandum, & obseruanda ea lex & ratio victus quæ in aliorum temporum morbis tenetur, Eorum enim κακοήθεια adiectione succi alibilis tollitur, Et cùm humorum & spirituum sit quædam exustio & squalor, id mitigandum est ac contemperandum bonitate alimenti. Id ipsum Hippocr. & post eum Gal. animaduertit: ita enim hic: Morbis qui ex corruptione fiunt Autumnus assimilatur: ideo qui eo febricitant tempore, continua optimi alimenti indigent adiectione, Et si vires validæ fuerint, sæpe & multa: si imbecilles pauca & sæpiùs offeremus. Et paulò ante dixerat defectum per se exigere adiectionem alimenti, corruptionem autem τὴν ἐπίκρασιν. *Epid. lib. 2. pag. 181.* *Autumnaliū morborum Diæta.*

§. 14. Insufflatis, Turgidulis, & iis qui à morbis conualescunt, & iis quibus flatibus Hypochondria distenduntur, missum facere oportet frequentem iusculorum vsum, ἱφθότητα enim quandam & dissolutionem afferunt. *Epid. lib. 1. pag. 22.* *Iusculorum frequens vsus quibus noxius.*

§. 15. Hoc quotidie factitari solet à plerisque, qui postquam sanguinem abundè detraxerunt, tum expressum capi aut aliquid simile multi alimenti offerunt, vt vires detracto sanguine imminutas instaurent: Sed quid magis ridiculum quam non relinquere sanguinem Naturæ iam factum & asservatum, & necessitate cogi ad nutriendos ægrotos? at satius est aliquid sanguinis, quod proprium est partium nutrimentum, relinquere, vt paucas exhibeamus sorbitiones, quibus tanquam medicamentis potiùs quàm tanquam alimentis vtimur, *Conf. 32. lib. 2.* *Sanguine detracto largior cibus non est exhibendus.*

§. 16. Ne temerè iis assentiamur qui quoniam hoc vel illo Potu ægri delectantur, promiscuè omnibus illud propinandum putant quod *Non quonuis potum ægro grat...*

sed ex Arte exhibeat. in deliciis eſt: Ac vt concedam vinum, aquam, hydromeli, œnomeli & ſexcenta alia, magnas habere opportunitates, habent quoque & ſua incommoda: Sic in vſu in artéque medendi alium cibum poculumque pro alio ſubſtituere ignorantiæ & inſcitiæ plenum eſt, vt & indiſtinctè hunc ea re interdicere, alium verò ad eandem inuitare temeritatem redolet: Vt non abs re quoſdam ætatis ſuæ Medicos redarguerit Hippocr. qui abſolutè pronuntiabant vinum bonum eſſe, caſeum malum, & id genus alia, quorum aliquis vſus foret & incommoditas quædam, prout vel loco vel iure vel tempore in vſum aptarentur. *Conſ.* 110. *lib.* 1. *lib. de Vet. Med.*

Partic. 15. ſect. 4. 6 Epid. Locus ſomni ineundi in febribus. §. 17. De Somno in febribus notandus Hippocr. Aphor. Natura calido refrigeratio, potus aqua, quieſcere, ſomnus in frigore veſtibus contecto: Et ex comment. Gal. ſenſum iſtum elicuimus, Inter dormiendum calor intus augetur, maximéque iis qui calore acri ac febrili abundant: propteréaque in loco frigido dormire debent & veſtibus cooperiri: Dormire quidem in loco frigido, vt aërem frigidum inſpiratu attrahant; veſtibus verò & ſtragulis cooperiri, vt caliditas, quæ ſe intro intulit, ad habitum reuocetur: Sic corpus inſpiratu aëris frigidi, dum in loco frigido dormit, & recalefactione ſuperficiei veſtimentorum vi, ad temperaturæ quandam mediocritatem redigetur: Mens quidem fuit Hippocr. illo loco de naturis calidis id audire, ſed meo iudicio bellè aptéque ad febricitantes aptari poteſt: *conſ.* 31. *lib.* 2.

Inedia quomodo inſtituenda ad humores ſuperfluos abſumendos. §. 18. *Galenus* edito eleganti commentario in aph. 59. ſect. 7. *Corporibus carnes humidas habentibus fames adhibenda, ſiccat enim corpora*, ait carnes eorum qui vel fame, vel luctu & mœrore; vel iracundia, vel dolore extenuantur, mucoſas etiamnum fieri, quia per ea pathemata ipſis in carnibus fiunt quædam συντήξεις, colliquationes, & muco liquato opplentur carnes, qui per eam corporis ſuperficiem non difflatur, nec ſenſibili nec inſenſibili tranſpiratu; At cum Medicus diætam inſtituit, & corpus attenuare vult, primum id inedia coercet, deinde frictione & exercitatione, ſi aliqua colliquatio contingit, vel per manifeſtum ſudorem, vel inſenſibilem tranſpiratum reliquum digerit, ſic ſi qua ex corpore reliqua eſt humiditas, eaeducitur; ni educatur, corpus liquatum manet. Hic locus dignus eſt nota, vt diſputemus contra eos qui deducto alimento ſatis eſſe putant ad conſumendos humores ſuperfluos famem præſcribere: nam ſi corpora ſunt bilioſa, bilis magis effervescit, & æruginis naturam induit: ſi pituitoſa, liquato adipe & carnibus mucus quidam colligitur qui moleſtiam infert: at vbi vel exercitatio vel frictio, vel decoctum conveniens adhibetur, foras digeritur & egeritur quod dilapſum ac colliqueſactum erat. *Conſilio* 80. *lib.* 3. Vulgo dicitur per inedias ventrem bilioſos & acres humores ad ſe attrahere; vnde

de apud Hippocrat. 4. de morb. Ventriculus vacuus fruitur corpore colliquescente. *Annot.* 8. *in id conf.* Calor appulsu novi alimenti recreatur; sed cùm defectu novi cogitur mendicare aliunde, ac veluti resumere dimissum alimentum ac remandere revocatum, tunc fatiscit, & corpus magis & magis collabitur: vnde in febribus prout sunt gradus purgationis, ita & renutritionis. *Ibidem Annot.* ix.

Appendix de Diata Sanorum.

§. 19. Quæstio non contemnenda est de Iusculorum vsu ad Analepsim & impinguationem: sunt qui iis frequentibus vtuntur, tum vt habitiores fiant, tum vt alvus non ita adstricta sit: Aliis id non placet: nam intestinorum corruptionem ex frequenti iusculorum & rerum liquidarum vsu consequi posse putant, nam & fæces liquidiores & aqua dilutæ fœtentiores sunt; Item, cum serum maximè morborum sit parens, si intestina multo humore madeant, si hepar multum aquæ attrahat, sanguis fit serosior, & hepatis, imo ipsius massæ sanguinis σύστασις quodammodo dissoluitur ac elanguescit: at εὐτονία καὶ συντονία & firmitas partium actionis melioris causa existit, Aqua autem & aquea dissoluunt, nec enim τὸ γλίσχρον habent, id est, glutinositatem quæ partium robur conciliet, *Ep. lib.* 2. *pag.* 184. Si ficeum sano est propinquius in vulneribus & vlceribus, Si prouocatio sudorum tam prodest, si Diæta & desiccatio tantùm proficit, cur tam multi sumus in vsu iusculorum? Et vnum maximè obseruandum est, vsu rerum liquidarum ventriculi vires dissoluuntur, & facultas retentrix ipsius exsoluitur: Sic & ad facultatem retentricem & attractricem moderata desiderari debet siccitas, *ibidem pag.* 187. Videmus eos qui succulenti sunt, & multis iusculis cibisque humidis vtuntur, in ingentem molem excrescere, & hi sunt morbis obnoxij: Porro videtur magis è re sanitatis esse si corpus potiùs siccetur quam si humectetur: Quoniam plurimi in hoc sunt vt consulant potiùs humectationi, Balneis, crebro iusculorum vsu & aliis humectantibus, sic multùm seri succrescit, & dum putrescit, morbos & virus parit: reuera corpora sicca & diutiùs durant & minùs sunt morbis obnoxia, & sunt expeditiora καὶ προθυμότερα, vnde illud vulgare. *Il est dispos comme vn Bearnois*, & tamen isti homines sunt fere omnes squalidi, *Ib. pag.* 223.

An frequẽs vsus Iusculorum conducat.

§. 20. Etsi Vini sua sunt commoda, præsertim si præsumptis cibis hauriatur, ita maximum sequitur detrimentum si jejuno vacuóque ventriculo & nullo proiecto alimento bibatur: præclarum est ea de re Gal. edictum, Qui vel inedia, vel alui profluuio, aut fluxu, sanguinis, aut tali vacuatione famem habent, non capiunt ex vini vsu vtilitatem.

Vinum ieiunis non porrigendum.

tatem ; imò offenduntur, quoniam & conuulſionibus & deliriis confeſtim corripiuntur ſi antequam cibum ſumpſerint vinum bibant. Item dum loquitur de iis qui ſunt oportuni podagricis inſultibus, Nocent ait, & potus multi & generoſi vini, præcipuè cum aliquis ieiunus potarit, *conſ.* 80. *lib.* 3.

Conſuetudo non immutanda in numero cibationum.

§. 21. Admirabile illud eſt quod ſcripſit Hippocrates lib. de Diæta Acut. Quibus in more poſitum eſt bis die cibum capere, ſi fortè illi non pranderint, infirmi fiunt, iacent & ad omne opus timidi, ſtomachi morſu tentantur, κρέμασθαι δοκέει τὰ σπλάγχνα αὐτέοισιν, id " eſt viſcera ſuſpendi videntur, meiunt vrinam calidam & flauam & " ſtercus peruritur : Iſte κρεμασμὸς non aliunde eſt quàm ob collapſum ſtomachi habitum, qui cùm intumuit, viſceribus eſt cuiuſdam fulcri loco.

Vini frugalis ſit vſus.

§. 22. Vino omnino non abſtinendum, quoniam coctioni & humorum diſtributioni operam dicat : iucundiorem vitam facit ſed breviorem ; idem facit quod calx arborum radicibus affuſa, celerius matureſcunt fructus, at arbor facile tabeſcit, *Conſil.* 5. *lib.* 2. *pag.* 202.

Vini noxa vtemēdāda in ſtomacho debilibus.

§. 23. Quibus Vini vſus non confert, tamen circumciſus ſtomacho imbecillitatem parit, aqua primo hauſtu in paſtu ſumetur, vt viſcera ſuperiore abſtinentia paululum reſiccata, rapto ad ſeſe primo hauſtu humeſcant, nec incaleſcant, *conſ.* 2. *lib.* 1.

Aquæ potus noxius.

§. 24. Frigidæ potus ſolus non convenit : vias enim obſtruit, obſtructio alimenti diſtributionem impedit. *Ibidem.*

Zythi potus inſalubris.

§, 25. De Zytho dubitatur, quia craſſum generat ſuccum, acrimoniam habet per hordei putrefactionem, vt niſi lupulus adderetur, vix ſtatim ab acore vindicaretur : Imò aiunt quidam medicinæ proceres, hordeum putrefactum lolii vires æmulari : lolium autem quàm officiat, nemo dubitat : imò & lolium & Zythum gravat caput & inebriat. *conſil.* 106. *lib.* 3. Quanquam bona habitudo, corporis & roboris firmitas, ſuavitas coloris eorum qui verſus ſeptentrionem cereviſia vtuntur : ſatis ipſi cereviſiæ videantur patrocinari, tamen eius vtilitates vna maceratione, putredinis matre & corruptionis, obſcurantur & abolentur : cum, ſicut in aceto fieri ſolet, quod acidum eſt, parte ſeroſa & liquida, ſuperſtite pauco calore nativo : at parte terreſtri acriuſculum, ob caloris putredinalis impreſſionem, calor nativus hordei penè exulet & ſuccedat putredinalis, hinc elephas, hinc caribaria, hinc impetigo. Lolii enim naturam hordeum maceratione, putrilagine & fermentatione acquirit ; at lolium vi malefica inſigne : Quithum autem damnat *Dioſcorides*, damnat etiam *Galenus. Iacobus Thevart Annotatione in idem Conſilium. pag.* 265.

26. Galenus

26. Galenus notat quibusdam ex diuturno lactis vsu lapides in Renibus concreuisse : aliis dentes eodem vsu excidisse : Quidam agricola centum annos vixerat in vsu frequenti lac habens aliàs solum, aliàs cum cacuminibus thymi, alius spe longioris vitæ idem factitare voluit : incredibile quot symptomata inde contigerint : Hinc patet vnum & idem non easdem habere in multis vires : *Paradigm.* 182.

Lac non omnibus æque confert.

27. Acetariorum vsus & horariorum fructuum magnam seri ferè indomiti copiam generat, vnde acris in eo calor succenditur, & sic facies rubore suffundi solet.

Acetariorũ, & fructuum horaorum creber vsus noxius.

28. De Aquis in arte medica hoc sancitum esse debet ex Vitruuio probato authore; Cùm laudabiles erunt & iis dotibus præditæ quibus debent, breuem coctionem quærunt : contra, cùm illaudabiles erunt, multa coctione opus habent, nam bonæ coctione amarescunt deterioresque fiunt : malæ verò coctione dum malitiam exuunt, adscititiam naturæ indolem induunt, *Ep. lib.* 1. *pag.* 94.

Aqua qua coctione emendanda.

§. 29. Admirabile illud est quod scripsit Hippocrates lib. de Diæta Acut. Quibus in more positum est bis die cibum capere, si fortè illi non pranderint, infirmi fiunt, iacent & ad omne opus timidi, stomachi morsu tentantur, κρέμασθαι δοκέει τὰ σπλάγχνα αὐτέοισιν, id est viscera suspendi videntur, meiunt vrinam calidam & flauam & stercus peruritur : Iste κρεμασμὸς non aliunde est quàm ob collapsum stomachi habitum, qui cùm intumuit, visceribus est cuiusdam fulcri loco; Viscerum enim repletio, viscerum est rectitudo quædam : vnde fit vt quidam squalido habitu & melancholico, cùm tulerunt abstinentiam vnius diei aut plurium dierum, existiment sua veluti viscera pendere, & mali Medici frustra eos medicamentis sollicitant; potiùs verò adiectioni studendum est quàm detractioni. *cons.* 16. *lib.* 2.

Consuetudo non immutanda in numero cibationum.

§. 30. Maximè vero peccant Medici si corporibus biliosis abstinentiam præscribunt, nam efferatur magis bilis in illis, vrinæ redduntur magis tinctæ, augetur intemperies : dejectio exuritur, habitus corporis, & præsertim extimæ partes refrigerantur; nam in picrocholis vernaculus calor, ait Galenus, in id quod igneum est digreditur, propterea & temporum pulsus est manifestus & extimæ partes refrigerantur quod venter, humoribus, (græcè ἰχῶρες,) biliosis repleatur, quorum morsu atque contristatione affectus, virtutem dissoluit, corporisque extrema refrigerat : Et cùm solum Encorema sufficiat in corporibus valde biliosis ad Crisim, hoc docet quod tales morbi non tam in materia multâ, quàm in pauca eáque qualitate nescio qua affecta consistat. *Ibid.*

Biliosis inedia noxia.

part. 24. *lib.* 2. *Acut.*

F §. 31. Caco-

Et cacochymis.

§. 31. Cacochymi ferè sunt inappetentes & cibos fastidiunt, sucque quasi tabo & malo succo aluntur, more venenatorum animalium, quæ fame non intereunt, quia illis nec calor nec sanguis, nec sudor, quæ sale naturali aviditatem augent: Ideo iis omni ratione excitandus appetitus, à cibo enim abstinere malum. *Consilio* 35. *lib.* 3.

Temperantia nimia sæpe insalubris.

§. 32. Videtur è re naturæ esse temperantiæ limites parum egrediendo paulo crebriore potulentorum & esculentorum vsu alvi libertatem procurare, quam strictiore ac religisiore victus ratione densitatem adstrictionemque alvi causari, dolorum iuxta ac morborum parentem: Nec tam ipsius necessitatis legibus obediendum quin aliquando voluptatibus ipsis inservias. *Epid. lib.* 2 *p.* 228.

Initio æstatis plurimū comedendū.

§. 33. Apud Hippocr. 2. aut 3. de Diæta, initio æstatis plurimum comedendum est, vt faciamus idem quod arbores, quæ ad futuros æstus facilius ferendos, sibi vmbram ex pampinis & foliis comparant, Idem homines sibi debent comparare. *Annot.* 4. *in Cons.* 48. *lib.* 2.

Pingues vt macrefiant.

§. 34. Iuveni annos vndeviginti nato præter modum pinguescenti, quod in cute curanda plus æquo operetur & soleat.

In medios dormire dies &

6. Epid.

Ad strepitum citharæ cessatum ducere curam. Consultum est illud quod scribit Hippocr. vt maza & lucta vteretur, id est, laboraret plurimùm & non cibis satiaretur: Volebat omnino abstinere à jentaculo, aliàs à cœnâ: hoc non probarum est, imò consultùm vt levi jentaculo sublevaret illam famem insatiabilem quam in pastibus habet: accedit quod iis qui breuiore collo sunt & aqualiculo obesiore, ad os ventriculi solet quædam coarctatio contingere ob abdominis pressum pinguioris, ac ferè idem contingit quod & mulieribus præter naturam crassis, quę non concipiunt quoniam omenti pinguedo os vteri coarctat ac comprimit, Nunquid idem ad regionem oris ventriculi contingere potest? Hoc notandum est: Consultum præterea est vt aliquando uteretur decocto absynthii pontici, item ut manderet sæpe coriandrum: etsi enim calidum, non transmittit gibbas hepatis: potiùs vesceretur assis: hyeme pane, vt vocant, biscocto, non solenni. *Epid. lib.* 1. *pag.* 92.

Alvi tardæ causa frequens.

§. 35. De tardioris Alvi Causis vide lib. 8. artic. 55.

Noxa venti per rimam & cuniculum sic hepatis.

§. 36. Quî fit vt Ventus qui per rimulam aut angustiorem locum aspirat (vent Coulis) deterius partes afficiat quàm qui per ampliorem locum irrepit, imò quendam veluti σφακελισμὸν & venenatam vim infert? Epid. l. 2. p. 186.

Cùm

§. 37. Cùm Auster maxima ex parte perflat, nervorum & cerebri œconomia plurimum labefactatur, Et revera habet θεῖόν τι: nec enim tam est humorum parens quàm author διαθέσεως τινὸς in partibus ipsis: vel enim partes firmat vel imbecillas facit: vnde flante Austro βαρυκοΐαι, νωθρότητες, Quare? quia συντονία ipsorum nervorum afficitur ac labefactatur: corpus fit καθαρρώδες, fiunt in corpore quædam καταῤῥήξεις, modò in interno corpore, modò in externo: Si in interno, vel in alvum ipsam fiunt, hinc diarrhœæ & alvi profusiones: Si in pulmone id fit, dolores lateris, præsertim pituita liquescente, & πνευματωμένη, & sic de reliquis partibus. In externo corpore fiunt istæ καταῤῥήξεις, vel à capite ipso in subiectas partes, vnde paraplegiæ & hemiplegiæ: vel in ipsissimis partibus, hinc paralyses particulares: Sed morborum magna fœtura est, præsertim paralyseon, hemiplegiarum, defluxionum, διαχύσεων τοῦ φλέγματος, si caput affectum est aut gravatum: Affectum, vt cùm inclementia cœli afficitur; vnde plerique exeunt domo manè sani & sicci, qui attracto haustoque aëre nubiloso, aut frigidioris auræ appulsu statim tussiunt, vocem raucam compressamque habent: Gravatum autem caput veteris excrementi suppressione. 2. *Epidem* *pag.* 190. *Austri vis malefica cavenda.*

§. 38 Mulier nunquam articularem morbum passa, sanis parentibus orta, sub dio in multam noctem sermonem producit: ab influxu Lunæ crudore quodam cerebrum percellitur, dolores capitis ingentes, hinc omnis generis arthritis eam adoritur. *Paradigmate* 140. *Luna irradiatio noxia.*

§. 39. Modum Somnum capien di naturæ calidæ congruum vide supra artic. 18. *Somnum qualiter inire debet natura calidus.*

§. 40. Unum notandum est pertinens ad cognitionem naturæ somni nocturni: Illud enim experimento constat eos qui cum suis vestimentis super lectum dormire volunt, præsertim si nocte id fiat, rigescere, & nescio quam lassitudinem persentire cum molesto punctionis inexplicabili sensu, quod non ita evidenter interdiu evenit: quod temporis nocturni naturæ & temperamento tribuendum videtur: vna enim cum recessu & inclinatione Solis fit nescio quæ mutatio in humoribus, recessus, & per quandam ἀντιπερίστασιν, eorum reciproca successio, quæ potissima videtur esse causa: Sed notandum de fuliginoso excremento, quod Galen. comm. ad aphor. 15. lib. iij ait naturæ operationem subterfugere, cùm nec assimilari nec agglutinari possit corpori quod nutritur: Et forte est illud excrementum fuliginosum quod suppressum dolores excitat & varia symptomata. *Consilio* 3. *lib.* 2. *Annot.* 2. *Somnus non capiendus vestibus non exutis.*

§. 41. Est vbi prosunt animi pathemata in ægris, est vbi ob- *Animi pass.*

ones moderanda in ægris.

ſunt: Galen. comm. ad partem 9. ſect. 5. lib. 6. Epid. docet quibus de induſtria ira excitari debeat, & quibus non: quibus cor & caput calidiora ſunt, & affectu calido laborant, ſed contra: Et idem Hippocr. ait conſuluiſſe in defectibus animi vt conatus fortitudine, defectus imbecillitas ſanetur: vnde notatur ex Hippocr. illud Colorum mutationes fiunt, aut corde laxante (vnde pulchri aut pellucidi) aut conſtringentes vnde ſubvirides. Triſtitia & mœror στενοχωρίαν affert. Et hiſtor. xi. ſect. 3. lib. 3. Epid. vide quos effectus habuerit mœror, cùm tamen eſſet morbus tantùm à plenitudine (id quod minimè eſt periculoſum, & facit ut etiam dies ſextus bene iudicet, vt de virgine Lariſſæa patet) namque convulſiones & terrifica fuere ſymptomata. *Annot. 13. in conſil. v. lib. iij.* Damiſella Thieſalda illud eſt experta quod Hippocr. ſcripſit part. ix. ſect. 5. lib. 6. Epid. ὀξυθυμίη ἀνασπᾷ καὶ καρδίην καὶ πνεύμονα ἐς ἑωυτά, καὶ εἰς κεφαλήν: cùm enim calidis viſceribus ſit, & capite calido, ob varias perturbationes & iras, tota oppreſſa viſa eſt: conculcatur enim & obruitur circum præcordia calor & alimentum: propterea in dolorem lateris, qui pleuritim ementiretur, præceps ruit; nec id tam à capite aut pulmone ipſo fuit, quàm à refluxu & ἀναῤῥοπῇ humorum, intumeſcit enim hepar & expanditur. *Epidem. lib. ij. pag. 191,*

Somni in multam lucē producti iniuria.

§. 42. Somnus multus ſive per ſe, ſive de induſtria inductus, torporem, ſegnitiem, languorem, gravitatem capitis & ἐφθότητα affert, vt dicit Hippocr. Nomine τῆς ἐφθότητος accommodatè & ſignificanter Galenus vult intelligi τοῦ τόνου ἔκλυσιν, id eſt, roboris ac virium exolutionem: latinè autem redditur ἐφθότης, Excoctio, & homines qui immodice dormiunt ἑψήμενοι, dicuntur, latinè Recocti Excoctique, quod eorum caro ſit humidior reddita, habitúſque corporis albicantior & tumidior, idque fit ob ſuppreſſionem fuliginoſi excrementi halituoſique quod per vigilias deberet exhalare: Et hæc præſertim in ſanis intelliguntur, quibus arctior profundiorque ſomnus placet & longior. *Conſil. 65. lib. 1.*

Animi paſſionum, mœroris præſertim, vis in excitandis morbis.

§. 43. Potentiſſimam vim Paſſionum Animi eſſe affirmamus, Cauſa hæc πρόφασις necne dicatur, tamen vbi quis ex ægritudine tanquam cauſa procatarctica in morbum incidit, graviſſime omnium laborat: Ipſa enim ægritudo imprimit neſcio quid animo, deinde corpori, animi inſtrumento, vnde functionum omnium, & omnis œconomiæ ratio, & vt ita dicam, cardines concuti ac convelli videntur, Et niſi ipſa ægritudo reſederit, ægre autem levatur ac reſidit, vix ac ne vix quidem corpus ſuum priſtinum robur ac vigorem recuperat ac reſumit: declarat hecticarum prompta ob ægritudinem animique pathemata & mœrorem generatio: Quod enim

nim vix longo intervallo facit febris etiam ſatis magna, id eſt non tactis partibus & ſolidis partibus ipſius cordis hecticam non generat, id breviſſimo ſpatio facit mœror animique ægritudo: Nos autem in operibus Artis exercitati experientia didicimus eos omnes quos mœror ægritudoque animi in morbum, tanquam cauſa primaria ac externa conjecerit, aut lethaliter aut graviſſime, periculoſiſſimeque ægrotare, vix ènim ægri, ſi liberari debent, etiam rebus omnibus rite factis liberantur: Tanta eſt vis ægritudinis ipſius pathematumq; animi: Nam cùm omnis ægritudo miſeria eſt, tum etiam eſt carnificina, habet ardorem libido, (*Cicero in Tuſcul.*) levitatem lætitia geſtiens, humilitatem metus: Sed ægritudo majora quædam affert, tabem, cruciatum, afflictionem, fœditatem: lacerat, ipſa ex eſt animun, planeque conficit. *Itaque cum ægritudo tale ſit monſtrum, & quod renaſcentis hydræ inſtar repullulet ac reviviſcat, qua poſſumus ratione & animo pene herculeo oppugnemus, vincamus, elidamus, conteramus: Denique eam animi præſentiam infractionemque adhibeamus, quæ maſculam virilemque virtutem in nobis ineſſe declaret ac teſtetur. Conſilio* 5. *lib.* 3.

§. 44. Ex Hippocrate, 2. *Epid.* Excandeſcentia valet ad bonos ſuccos generandos & bonum habitum comparandum, Galen. comm. in part. 2. ſect. 3. lib. 2. Epid. notat quod illud dicitur de obeſis, pituitoſis, ſegnibus & ignavis non, de bilioſis quibus quies & tranquillitas potiùs confert: aliis verò ſtupidis cogitatio valet, vnde illud τὸ τῆς ψυχῆς πεῖπακος φρόνπς ἀνθρώποις Et 2. ſect. 4. δεῖ ἐμποιεῖν ὀξυθυμέω χρώματος ἀναλήψεως ἕνεκα καὶ ἐγχυμώσεως: Id quod docet lib. de Oſſium Nat. Colorum mutationes fiunt corde laxante, vnde florentes & pellucidi; aut conſtringente, vnde ſubvirides aut pravi alius coloris. *Annot. 9. in conſ.* 1. *lib.* 3 Quidam enim ſunt plumbei, defœdati, pallidi, pituitoſi, in quibus velut reſtagnat in venis ſanguis, qui quia non excitatur nec effluit vi ex venis, & ſuffunditur in ſuperficiem per quandam ἔμφραξιν, decoloratio & ἀχροια manet: Si autem ira inducitur, aut aliquid ſimile quod ſpiritus & ſanguinem ignavos exſuſcitet, attenuet & ſuffundat, tum demum coloratio corporis apparet. *Epid. lib.* 1. *pag.* 104. *Et lib.* 2. *pag.* 191. *Excandeſcentia frigidis & pituitoſis cõfert.*

§. 45. Veneris ſit vſus moderatior, & quem languor non excipiat, nam Venus maximè capiti & nervoſo generi officit, corpus infirmius reddit & ad reſiſtendum morbis impotentius: ideo Hippocr. à coitu hominem imbecillimum reddi credidit, quod ab homine exeat fortiſſimum: ſemen autem eſt: deinde in coitu homo quaſi ab homine exilit, ait Plinius, *Conſilio* 1. *lib.* 3. Inter cætera animantia homo à congreſſu maximè exolvitur, quia proportione corporis multum ſeminis excernitur, & quod robuſtum *Venereorum vſus ſit mediocris.*

est exilit, Et vt ædificii constructio, sic corporis compages quatitur ac convellitur dum semen secedit. *Ibidem consil.* 54. Usu veneris vis & animo & corpori infertur, vnde corpora victa & flaccidiora sunt, animus imbecillior: nec omitti debet nominis Eunuchi etymologia, dicitur quasi ἐυ νοῦν ἔχεις, quasi magis mente constet, ob neglectum veneris vsum: vnde venerea antiquis dicebantur ἀνόητα, quasi extra rationem seu irrationalia. *Ibidem Annot.* 1. Res venerea prudenter exerceatur: quod enim ad venerea, quæ sunt λυσιμελέα καὶ λυσιγήα, καὶ ἄγνοιαν sæpe accersunt, hic præclarè facit aurea mediocritas. *Ibid. consil.* 120.

Vitandus nimius labor corporis & animi.

§. 45. Vitetur nimius labor corporis & animi, ne labore pertinaci vires trucidentur: labor animi reddit corpus infirmius, & corporis idem rependit animo: licet ignavia corpus hebetet, labor firmet: illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam faciat: hæc sint mediocria, Valetudinarij, vivunt qui inquieti vivunt: moderanda ergo omnis animi actio, quod ad sanitatem confert, authore Platone, sumens simile ex equis coniugatis eundem currum trahentibus, vt par eorum sit tractus, labor & conatus. *Consilio* 24. *lib. iij.* Sequitur enim illud quod eleganti verbo vocatur ab Hippocrate cerebri ἀνάλωσις, i. e. consumptio, quæ iis maximè contingere potest qui pertinacius res & cogitant & tractant. *Consil.* 1. *libr. iij & cons.* 43.

Synopsis Diætæ Benevalentium.

§. 46. Vitæ lex in cibo, potu, corporis exercitatione, Animi studio ac Instituto vitæ considerator: in horum mediocritate & morum & humorum ratio ac moderatio consistito.

Medicæ leges ad sanitatis custodiam prandium liberalius, frugaliorem cœnam indicunt.

Simplicior & melior cibus, sæpe non gratior, vsu venito, & tantum capiatur quantum sustentandis viribus non obruendis videatur.

Vini & aquæ æqualis mixtio: album in vsu aliquando esto: Si gravitatem capiti afferat, interdicitor.

Aquæ vsus liberalior vt obstructionis & corruptionis viscerum parens deuitator.

Nec delitiarum suarum patrocinium, tanquam ipsius necessitatis, afferre oportet.

Si molestior sitis, non tam illius sedandæ quam leniendæ aut fallendæ cura esto.

Corporis Exercitatio, frictio deorsum, agitatio, cursus lucta, ludus pilæ conferre creduntor.

Sed hæc statim à cibo, aut pertinaciore studio interdicuntor.

Qui

Qui crudus ludit aut exercetur, cruditati fomitem ſuggerere creditor.

Vt Cruditas, ita & inedia vitanda: illa obruit ſpiritus, hæc exhaurit, conſumit & impenſe calefacit.

Ita ludere oportet vt ludus nos non ludat.

Vt in cibo & potu moderatos eſſe oportet, ita in excolendo animo & ſtudiis proſequendis moderatio adhibetor.

Animi relaxatio & remiſſio non languor & exolutio conſuli putator: illis invaleſcit & roboratur, his emoritur ac elangueſcit.

Dare ſe vitæ jucunditati pars ſanitatis judicator.

Omnia denique quoad licet & fieri poteſt mediocria adhibentor. *Conſ.* 45. *lib.* 2.

Enchiridion ſanitatis *Domini N.* in militiam profecturo præſcriptum.

§. 47. Si neceſſitas vrget, infundetur clyſma ex *hydromelite*, aut juſculo domeſtico, aut aqua ſalſa, diſſolvendo *catholicon.*

Pilulis ex Rheo ad ℈1. vtetur ſi forte ſibi gravior videatur, aut ante cœnam tres pilulas ſine quibus deglutiet.

Si nec febris adeſt, nec dolor capitis, *in vino albo Rheum* ad ℈ii.ſ. infundet; ſin minus in *ptiſſana,* diſſolvendo ℥i. *ſyrup. roſar. pallid.* aut *catholici* ℥ß. *diaphœn.* ℈i.

Non niſi vrgente neceſſitate demendus ſanguis, nam cùm ſit λεπτόφλεβος, non facilè feret phlebotomiam, niſi aut affuerit febris ἀξιόλογος, aut difficultas ſpirandi: Becichis vtetur ſi forte tuſſis vrgeat.

Utetur bolo aut *caſſiæ* aut *Catholic.* dupl. Ad vitandum aërem corruptum pomum odoriferum geſtabit, aut nodulum ex caryophyllis & cinnamomo.

Utetur Mithridatio ex vino albo aut conſerva roſarum.


Si vulneratus fuerit, pulvere *Rhei cum mumia* vtetur, addito *mithridatio.*

Si forte opreſſus fuerit aut peſſundatus, involvetur panno in vino madefacto: Item mithridatio ad proliciendum ſudorem:

Si dolor colicus vrgeat, fotus ex chamæmelo & ſeminibus *lini* & *fænugr.* vtetur, valet quoque *equinum ſtercus. Conſilio* 117. *lib.* 1.

§. 48. *Superiori adde ſequ.* magis ac magis rubeſcit; Hoc non obſervatum eſt: Imo putant corpus refrigerari, & ſic occaſionem hujus ſuffuſi ruboris tolli. *Epid. &c.*

LUD.



LVD. SEPTALII

MEDIOLANENSIS

ANIMADVERSIONVM

ET

CAVTIONVM MEDICARM

LIBER SECVNDVS,

Continens eas

Quæ in recta victus ratione, potissimum in acutis, occurrunt.

Victus in acutis tenuis cur.



Uamvis acutâ febre laborantibus victus tenuis conveniat, pro varietate acutiei immutandus, & tn materiæ concoquendæ natura magis possit vacare, atque morbo & symptomatibus conflictata, cibo etiam & crassiori, & pluri oppressa, non succumbat. † Virtute tamen debili per se ipsam existente, & non vi morbi, aut forma victus per unum gradum, aut saltem quantitas erit augenda. Si verò vi morbi debilis reddatur, ut aliquo modo quantitas augeri potest, ita nunquam forma victûs erit immutanda.

† Victus, virtute per se debili, augendus etiã in forma; si vi morbi, solum in quantitate.

2. † In virium imbecillitate alia sit ratio victûs in quantitate, si per resolutionem fiat; & alia, si per aggravationem: in hac enim parùm, & raró; in illâ parùm, & sæpè cibus offerendus est.

† In viriũ imbecillitase cibus parum, & rarò, si per aggravatio nem: si per resolutionem, parũ, & sæpè dãdus.

3. † Victûs forma, & quantitas, licet ab Hippocrate & Medicis præscribatur definita pro conditione morbi, & virtutis; cautio tamen maxima adhibenda est respectu naturalis temperamenti, cùm alios ad inediam minùs idoneos videamus, alios jejunio ne tantillum quidem debi itari. Quare augendam in illis quantitatem dicimus; quin & formæ gradum aliquando immutandum, ut in calidis, & calidis & siccis observamus, in quibus nisi id fiat, & acuuntur magis febres, aduruntur humores, & exhauriuntur spiritus; unde in animi deliquia.

† Victus immutandus ratione tẽperamentorum.

liquia, ſyncopas, & maraſmum denique terminantur ægri.

4. Cautio etiam adhibenda eſt in victu inſtituendo, qualis ſit corporis habitudo, an mollis, laxa, poris pervia; an ſolidior, toroſa, & durior: in illa enim quantitas erit cibi augenda, in hac potiùs minuenda.

4. Victus immutandus ratione habitus corporis.

5. Habenda etiam maximè eſt ratio ventriculi: Si enim vegetus ſit, calore, & multo ſenſu præditus, aliquantò plus illi erit concedendum: ſi ad coctionem iners, & calore deſtitutus, ſubtrahendum de quantitate erit.

5. Victus immutandus ratione diſpoſitionis ventriculi.

6. Viris, quàm mulieribus, iracundis, & robuſtis, quàm puſilli animi homuncionibus plus ſemper eſt concedendum.

6. Cibi quantitas mutanda reſpectu ſexus.

7. In ætatibus, ut pueris & adoleſcentibus, plura ſunt concedenda, tum ob difflationem nimiam, & ob caloris robur, & ob teneram, mollémque ſubſtantiæ compagem, tum quòd perenni quodam corporis motu agitati facilè exhauriuntur: ita ſenibus liberiùs etiam jejunium poteſt imperari. Cave tamen, ne inter ſenes decrepitos collocaveris; hi enim, cùm virium imbecillitate tententur, ac ſpirituum paucitate, ut pauco cibo ſunt reficiendi, ne paucus calor à multo ſuffocetur; ita ſæpè cibandi, ne conſumantur, 1. *Aphor.* 14.

7. Pueris, & adoleſcentibus plus cibi concedendum, quàm ſenibus. Decrepitis parum, & ſæpe.

8. In quantitate verò, qualitate, numero exhibitionum, ac forma victûs, & conſuetudini, & regioni multum tribuendum cenſebat Dictator noſter, 1. *Aphor.* 17. quia quorum ventriculus ſemel, aut bis humeſcere, intumeſcere, & concoquere conſuevit, ſi defraudetur, mutatâ conſuetudine, temperamentum, habitum, & actionem immutat. Et ſi multa & ingerere, & concoquere ſolito, aut potionem ſimplicem, aut ſorbitiunculam exhibeas, in marcorem citò induces, ac vires vitales quàmprimùm deſtrues.

8. Victus ratio pro varietate conſuetudinis, & regionis eſt mutandus.

9. Cavendum etiam in quantitate cibi præſcribendâ in febribus, ne ſemper, & omnibus anni temporibus eandem definiamus, cùm hyeme, & vere, quòd ventres tunc naturali calore maximè abundent, unicâ exhibitione plus ſit exhibendum: hoc enim eſt quod docebatur ab Hippocrate, 1. *Aphor.* 15. Æſtate autem, & autumno, cùm calor langueat, minor quantitas ſingulis vicibus erit concedenda, ſed ſæpiùs repetenda, ut calor, qui diſſolvitur, poſſit inſtaurari: quod inſinuavit 1. *Aphor.* 18.

Hyeme plus concedendum, ſed rarius; Æſtate minus, ſed ſæpius.

10. Cautio tamen ſit, ut æſtate, ſi partitas exhibitiones, & quantitatem totam, aut unius diei, aut integri quatridui metitus eris, major ſit quantitas, minor autem hyeme: nam hyeme minor adeſt neceſſitas, quòd tunc minùs reſolvatur corpus; æſtate autem copioſiori cibo, ſed partitis vicibus conceſſo, & imbecillitati caloris ſatisfaciemus, minus ſingulâ vice exhibentes, & multæ reſolutioni, ſæpiùs cibum exhibentes: quod Galenus inſinuavit, 1. *de rat. vict. in acut.*

Æſtate quomodo plus concedendũ in acutis.

acut. 44. ubi enumerans, quæ ad cibi in ægris ſubtractionem faciunt, unum id eſſe inter alia ſcribit, quòd hyeme quis laboret, minus enim tunc cibi erit offerendum: recenſens autem, quæ ad cibi adjectionem faciunt, unum eſſe dixit, ſi æſtate laboret, quod Avic. 1. 4. *Tract* 2. *cap.* 8. de cibatione febricitantium in generali agens confirmavit.

Hyeme quando minus nutriendum.

11. Obſervandum autem, prædicta non perpetuam habere veritatem; neque ratione corporum, neque ratione temporum anni: aliqua enim dantur corpora, quorum naturalis calor adeò eſt imbecillis, ut à frigiditate hyemis facilè evincatur, calore verò æſtatis quaſi foveatur: alia etiam, ſive occultâ quâdam, & nobis incognitâ proprietate, in aliquibus dictorum temporum anni, in robore virium, aut imbecillitate, proportione non reſpondent diſpoſitionibus ex anni temporibus profluentibus; aliquos enim videas æſtate robuſtiores reddi quàm hyeme; & alios fortiores autumno, quàm vere. In his in ratione victûs inſtituendâ, potiſſimùm reſpectu quantitatis, id, quod proximè dictum eſt, non erit ſervandum, tum in quantitate continuâ, tum in diſcretâ. Et hyeme pauciora, ſed ſæpiùs; æſtate plura, ſed rariùs erunt concedenda; & anni tempora, ſi naturalem non ſervaverint naturam, victum inſtituendum oſtendent pro ratione temporis, cujus naturam induerunt.

Victus forma in acutis variãda pro varietate regionis.

12. Forma etiam victûs pro regionum varietate, & locorum conſuetudine aliquo modo eſt immutanda, & quidem eâdem ſervatâ proportione per gradus, ut in quantitate variandâ ratione temporum obſervandum diximus. Unde laudandus Aver. 7. *Collect. cap.* 10. aſſerens, in ſuâ regione, nempe in Hiſpaniæ parte calidiori, tenuiſſimam diætam eſſe, aut cremorem hordei, aut panem, aut inciſum, aut friatum ex aquâ coctum; cùm antiquis, & Galeno potiſſimùm eſſet aut omnimoda quatriduana inedia, aut ad ſummum melicratum; ſic tamen, ut victûs forma ſolùm per gradum unum immutetur, non autem tranſitus fiat, non à gradu ad gradum, ſed à tenui ad medium, & aliquando etiam, ut dicam poſteà, ad plenum, quaſi Petronæ ſectatores, quod in multis Italiæ nobiliſſimis Provinciis, & apud Hiſpanos, & Gallos paſſim fieri obſervamus. Pro variandâ verò hac victûs ratione reſpectu regionum, etiam juxta præcepta Hippocratis, legendus eſt pulcherrimus ejus liber *De aëre, aquis, & locis*, qui etiam luculentis Commentarijs à nobis eſt illuſtratus.

Vitæ inſtitutum mutat formam victus in acutis.

13. Ex vitæ inſtituto, ex arte etiam, quam exercent, deſumenda erit à Medico & forma quandoque victûs, & quantitas, eáque utraque mutanda, prout magis minúſve & laboribus ſolidiores partes colliquantur, & humores ſpiritúſve exhauriuntur.

14. In

14. In quantitate etiam præscribendâ anteactæ vitæ rationem habere non parvi momenti est: si enim lautè altus sit, si plura ingesserit, subtrahenda erit quantitas: si verò jejunaverit, & pauca, eáque concoctu facillima assumpserit, per aliquod temporis intervallum quantitas erit augenda, aut formæ gradus.

Victus mutandus ex anteacta vita.

15. Cùm à morbi longitudine aut brevitate, distantiâque status Morbi maximè desumatur, & forma victûs, & aliquâ ex parte quantitas, ut virtutis ad quam omnis victûs ratio, maximè habeatur ratio, optimè consultum Medicis & ægris censemus, quod ab Avic. constitutum est: *Cum ignoras ægritudinem, subtilia regimen*: id enim in morbis, à materiâ pendentibus, omnino intelligendum est: brevi enim illo temporis intervallo materia non augetur, nec virtus distrahitur à proprio fungendo munere agendi in materiam: interim enim suis se signis morbus, & materia, faciens morbum, facilè ostendet.

Morbus cùm ignoratur, attenuandum quomodo, & cur.

16. Ut verissimum est Medicorum illud præceptum, & commune tam diuturnis morbis, quàm acutis; *In statu tenuiori victu utendum esse, quàm in principio*; quoniam tamen sæpenumerò evenit ob ingluviem in aliquibus civitatibus, ventriculos primis statim diebus, qui principio debentur, crudis humoribus esse refertos, in iisdem etiam tenuiori victu, quàm per principium liceret, uti, & aliquando etiam tenuiori, quàm in statu, cùm & inedia aliquando omnimoda conveniat, oportere censendum est. Celsus *lib.* 2. *cap.* 16. dicebat: *Initia morborum primùm famem sitimque desiderant.*

In principio cur tenuiùs aliquando cibandum.

17. Laudanda illorum est distinctio in tenui, aut crasso victu instituendo in acutis, & diuturnis morbis; quòd in febribus acutis tenuior esse debet, datâ eâdem brevitate, quàm in aliis acutis morbis, quòd in illis magis coctioni incumbendum sit, quàm virtuti, ac majora subsint symptomata: in diuturnis autem febribus minùs tenuiter alendum est, quàm in aliis diuturnis morbis, quòd in illis major, quam in his, fiat virium exsolutio, & propterea etiam magis in febribus virtuti est prospiciendum.

Acutis in febribus tenuiùs cibandum quàm in aliis acutis.

18. Cùm Hippocratis aphoristicæ sententiæ quàm maximè universales esse soleant, ea itidem, quæ lib. 1. proposita est numero 8. quâ asseritur: *Cùm morbus in suo vigore constiterit, tenuissimo victu utendum est*, ut universalis sit, omnibúsque morbis conveniat, de statu intelligenda erit, qui ex magnitudine symptomatum sumitur: sic enim tam vera erit in morbis non servantibus materiam ad unam Criticam expulsionem, quàm in servantibus, secùs quàm communiter Medici crediderint, qui Aphorismum illum solùm verum esse censuerunt in morbis servantibus materiam ad unam criticam expulsionem, de statu arbitrantes Hippocratem loqui,

Tenuissimo victu utendum in statu semper 1. Aph. 8. verissimum de statu penes symptomata.

 qui

qui à coctione sumitur: in quo observârunt, Hippocratem 1. *de victu acut.* 22. in morbo, non servante materiam ad unam criticam expulsionem, ut in pleuritide, in statu penes coctionem pleniùs nutriendum statuisse. Quòd si statum penes magnitudinem symptomatum etiam in iis morbis sumamus, ut in pleuritide, etiam tenuissimo victu utitur *eodem lib. text.* 21. Cùm os amarescit, & siccus morbus est, tenuiùs erit alendum; tunc enim, etiamsi sit principium, aut augmentum penes coctionem, in statu tamen penes symptomata constitutus est morbus.

Tenuissimo victu licet vtendum in peracutis, pestilentes tamẽ febres sunt excipiendæ.

19. Quamvis verissima Hippocratis sententia, 1. *Aphor.* 7. tenuissimâ diætâ utendum esse, ubi morbus peracutus est, extremos habet labores; eximendæ tamen ab his omnino erunt febres pestilentes, in quibus quamvis summa sint symptomata, & citissimè ad statum perveniatur, quòd vires in eis statim quasi collabascunt, lautiùs & uberiùs est nutriendum, ipso etiam vigoris tempore; ut abundè demonstravimus in nostro libro *de Peste*.

Victus formam inacutis quæ doceant.

20. Ad formam victûs instituendam, puta, an tenuissimo, an, mediocri, an omnimodâ inediâ, an solo potu, an sorbitionibus an ferculis, puta, totâ ptissanâ, pane conciso, aut contrito ex jure vtendum; quamvis virtus primum locum sibi vendicet, Galeno teste, 9. *Meth. med. cap.* 11. & 13. & 1. *de rat. vict. in acut.* 44. quòd cùm morbus sui ablationem solùm indicet, virtus verò sui custodiam; hæc potissimùm victûs formam ostendet, morbi tamen dispositio etiam ad hoc concurrit: nam *Aphor.* 7. dicebat, *Vbi morbus peracutus est, & statim extremos habet labores, extremè tenuissimo victu utendum est*, per labores, accessiones & symptomata intelligens, quæ morbi dispositionem constituunt, ut & colligi potest ex *Aphor. seq.* & 1. *acut.* 42. 43. 44. & 2. *acut.* 36. ubi ad formam victûs investigandam dicit necessariam esse cognitionem & roboris virium, & dispositionis morbi; & 3. *acut.* 61. Et jure quidem merito: quis enim nesciat, ex longis, gravibúsque accessionibus, gravibúsque symptomatis formam victûs tenuiorem indicari, ne natura, tunc in resistendo causæ morbificæ, & symptomatibus detenta, ad concoquendum cibum distrahatur? Verùm nec virtus sola sufficit, neque illi conjuncta morbi dispositio, nisi iis distantiæ statûs præcognitionem adjungamus; nam etsi ex constitutione morbi, & virium robore solam potionem in præsenti convenientem esse cognoverimus perfectè tamen hoc scire non licebit citra statûs præcognitionem, an cibo illo in posterum sufficere valeat citra virtutis incommodum. Ob id Hippocrates, postquàm morborum dispositionem recensuisset, subintulit: *Conjicere autem oportet, ægrotantem, si sufficiat, cum victu perdurare, donec morbus consistat.* Et ob id Hippocrates in consideratione virtutis statûs meminit.

Formam victus ostendit primò virtus, secundò mo b's, tetriò distãtia status.

A morbi

A morbi igitur dispositione victûs formam eliciemus, deinde ægrotantis virtutem inspiciemus; deinde statûs distantiam conjiciemus; demùm æstimabimus, an eo victu, quem morbi constitutio indicat, virtus ægrotantis ad statum citra magnum virium incommodum durare queat; in quam sententiam venisse Galenum videmus 1. *Aphor.* 12,

21. Cùm in victûs institutione illud maximè sit, & apud antiquos Patres nostros, & recentiores controversum, cùm difficili admodum negotio & forma victus, & quantitas determinata præscribi possit, ad quam partem præstet declinare, ut minùs lædamus, an ad ampliorem, an ad tenuiorem, ob locos Hippocratis controversos, 1. *Aphor.* 5. *&* 2. *de rat. vict. in acut.* 37. *& alios*, in eâ difficultate has adhibeat cautiones Medicus. Cùm à virtute primò illa dicatur institui, & per se, per adjectionem; secundariò, & per accidens à morbo, per subtractionem; si Medico in victûs ratione instituendâ, tum in formâ, tum in quantitate, viribus non multùm validis, nec morbo multùm contrà indicante, contingat aliquantisper à rectâ victûs ratione deflectere, satiùs multò est, paulò pleniori uti victu, & ad latus (ut ajunt) plenioris accedere, quàm ad tenuiorem, prævalente indicatione virtutis: Quam regulam etiam exemplo confirmavit Gal. 1. *acut.* 44. Quemadmodum è contrà, contraindicatione morbi subtrahendi prævalente, & viribus validis, cæteris etiam morbum adjuvantibus, præstabit omnino ad tenuiorem deflectere, ac, si quando errando à recto illo tramite recedat, minùs peccabit, si ad latus tenuioris accedet; sic enim ratio dictat, prævalente, eò quòd subtrahendum esse indicat, morbo, Quod ibidem Galenus affirmavit.

Errores in tenui victu, prævalente indicatione virtutis, sunt deteriores, si in defectu.

Prævalente morbo sunt deteriores si in excessu.

22. Observandum autem, si par sit indicatio à virtute, & contraindicatio à morbo, in victûs formâ instituendâ æquale omnino esse peccatum, si per unum etiam solum gradum à rectâ deflectamus; tum suprà, tum infrà; si nempe aut plenior, aut tenuior instituatur victus, secùs quàm censuerint hactenus interpretes omnes, quorum alii uni, alii alteri sententiæ sunt addicti. Hipp. *lib. de veteri Medicina* id ostendit, eorum opinionem refellens, qui asseruerunt, tutius esse, si quis aberret, deflectere ad tenuiorem, quàm ad pleniorem: Loquitur verò de formâ victûs, ut ejus verba ostendunt, cùm inquit: *Si quidem igitur simpliciter, velut aliqui putant, quæ fortiora sunt, nocerent; quæ debiliora, prodessent, facilis sanè res erat: Multum enim de securo detrahere oportebat, ut ad debilissimum deduceretur. Nunc autem non minus delictum, nec minus lædit hominem, si pauciora, & defectuosiora, quàm satis est, assumantur: fames enim magnam potentiam in naturam hominis habet & sanandi, & debilitandi, & occidendi: multa autem etiam alia mala diversa quidem ab iis, quæ ex repletione fiunt, non minùs autem gravia inanitionis sunt; quamobrem multò variegatior est, & majorem diligentiam*

Errores in forma victus, pari indicatione à virtute, & morbo existente, sunt pares.

gentiam requirit; oportet enim modum aliquem conjectare. Modum autem, neque pondus, neque numerum aliquem, ad quem referas, cognosces; Certitudinem enim exactam non reperies aliam, quàm corporis sensum. Quapropter valde operosum est ita exactè condiscere, ut parum in alterutram partem delinquas; quamquam ego etiam eum Medicum vehementer laudarem, qui parum delinquat; Certitudinem enim exactam rarò videre contingit. Mox comparat malos Medicos malis navium gubernatoribus, qui dum tranquillum sulcant mare, etiamsi aberrent, non fiunt manifesti eorum errores: at ubi tempestas ingruerit, statim eorum detegitur ignorantia; Ita & Medicorum errores, dum salubres morbos curant, etiam si maximè delinquant, non fiunt manifesti: at ubi graves morbi sese illis offerunt curandi, tunc manifestè deprehenduntur. Mox exemplo sanorum docet, non minora incommoda provenire à repletione, quàm ab inanitione; & loquitur non de quantitate, sed de formâ victus, ut patet ex primis, cum dicit: *Si quæ fortiora sunt, nocent:* quod ad substantiam ciborum pertinere constat.

Errores in quantitate sunt peiores, si plus concedatur, quàm oportet.

23. At verò paribus, & ex virtute, & ex morbo vigentibus indicationibus, si quis in metiendâ quantitate à rectâ ratione recesserit, ita ut plus in quantitate, quàm oporteat, exhibeat, aut à debitâ mensurâ aliquid detrahat; puta, si sex uncias succi ptissanæ exhibere debeat, & aut octo, aut quatuor præbeat, majus committet erratum, si octo concedat, quàm si quatuor solas propinet: hoc enim est, quod Hipp. *tex.* 37. *lib.* 2. *acut.* docebat; adjectioni autem ciborum multò minùs attendendum. Et rationem reddit, nam quod plus est, noxas affert inemendabiles; quod verò minus, facilè emendatur, nempe si virtus labascere videatur, cibi exiguum possumus ministrare; verùm si in ventrem cibus sit absorptus, quod superfluit, si aliàs, multò magis in acutis morbis, tollere est difficile. Ubi & Hippocratis, & Galeni verba non de formâ victûs, sed de quantitate esse, manifestum est. Multùm verò id refert, quoniam victûs formæ & gradu, & specie diversæ sunt; cognoscíque, & eligi, discerníque Medico, in Hippocratis, & Galeni operibus exercitato, poterunt, síque in ea errores committantur, necesse est speciem mutare, sicque magna erit mutatio, etiamsi per unum solum gradum, aut speciem transieris, ut à melicrato ad inediam, vel succum ptissanæ, unde & par error committitur. At in quantitate, cùm conjecturâ solâ uti possimus, an magis, an minùs sit exhibendum, non est par ratio; quia, si tantam quantitatem exhibueris primâ cibatione, ut commodè conficere possit, nullo morbi aut in vehementiâ, aut in accessionibus facto augmento, & eam quantitatem facilè ferat, videatúrque majorem etiam quantitatem citra incommodum ferre posse, quia inde conjicis te minùs, quàm oportet, exhibuisse, in sequenti oblatione

ne parùm adjicies, ita, quod minùs est, facilè emendatur; quòd si plus exhiberemus, quàm ægrotantis natura ferre posset, noxam emendare ita facilè non esset: Nam hunc errorem hæc sequuntur incommoda, gravitas hypochondriorum, frequentia anhelitus, febriles incensiones, sitis, capitis dolores, & hujusmodi, quæ omnia difficilè tolli possunt; nam repletionem hanc medicamento tollere non licet, cum in acutis passionibus rarò medicamentis purgantibus uti liceat, præsertim ante declinationem. In formâ verò secùs est; nam si à debitâ forma, vel suprà, vel infrà etiam, per unum gradum tantùm deflexeris, ægrum præcipitem ages in mortem, ut longa oratione docuerunt Hippocrates & Galenus 1. *acut.* 30. 40. & 44. & 2. *acut.* 19. 37. & 48. Locus verò, 1. *Aph.* 5. qui huic determinationi è directo adversari videtur, nullo modo repugnat: neque enim loquitur de tenuiori victu, quàm par sit, sed de erroribus, & læsionibus, in tenui victûs ratione evenientibus, dicens, esse majores læsiones, quæ accidunt ex erroribus, in tenui victu accidentibus, quàm quæ ex erroribus, commissis in paulò pleniori. Vel certè dici potest, in illo 5. Aphorismo loqui de tota victûs rationis forma in toto morbo, quæ multò periculosior est, quia errores commissi magis lædunt: at 2. *acut.* 37. loquitur de unica, aut altera cibi exhibitione in quantitate, quæ si plus fuerit, quàm oportet, plus lædit, quàm si minus. *Aphorismus quintus quomodo intelligendus.*

24. Ne quis errorem censeat, si Medicus aliquando ex pluribus cibis, non malis, minùs bonum seligat, & per totum morbi decursum in usum ducat, si multò magis palato ægrotantis arrideat, sive ex consuetudine, sive ex natura peculiari, sive ex appetitu in morbo: Docebat enim Hippocrates, id omnino præstandum 2. *Aph.* 38. Sed diligenter attendat, ne luxu & intemperantia ægri in errores ducantur, quod passim ab adulantibus Medicis fieri video, qui ut principum virorum gulæ tanquam mancipia inserviant, abutentes utilissima Hippocratis sententia, aut ægrotantes præcipites agunt in mortem, intemperantiæ, & dominandi cujusdam libidinis pœnas dantes, aut morbo prorogato crumenas suas omnino implentes; cùm sciant, Hippocratem dixisse non absolutè, sed paulò deteriorem præstantiori modò suavior sit, esse præferendum. *Cibus paulò deterior, modò suavior, concedendus, quomodo intelligendum.*

25. Gratificandum prætereà quandoq; ægris docebat Hipp. 6. *Epid sect.* 4. *text.* 8. At id aliquid amplius est, unam enim, aut alteram cibationem respicit, in qua dejecto appetitu, aut vi morbi, aut longitudine, aut ut obsequentem magis in reliquis habeamus, aliquid concedendum, quod extra limites instituti victûs etiam sit positum, modò modicum sit: interim plura polliceantur, ut importunitatem cohibeant. *Cibatione in unagratificandum ægris etiam contra regulas.*

26. Aliquando tamen eò usque dejecta est in ægris appetentia, ut cibi *Aversantib. omnino*

cibum aliquando etiam pessima concedenda.

cibi genus omne refugiant, ac aversentur; quin etiam, ratione suadente, cùm vim sibi ipsis inferant, cibos assumentes, statim illos evomunt, & tunc Medicus deterrima quæque concedere semel aut iterum debet, ut vires custodiat, ne in certissimam mortem cadant: sæpè enim evenit, ut ex malo illo cibo assumpto expetito natura instauretur, & morbus omnino quasi conclamatus superetur.

Cibos aversantes ne illas præparare videant.

27. Caveant in aversantibus cibum, ne alimenta præparentur ipsis præsentibus; aut enim major ex diuturna visione subsequetur aversio; aut recula aliqua minùs illis arridente visa, in majorem cadent abominationem.

Victus humidus febricitantibus omnibus convenit actu & potentia talis.

28. Cùm Hipp. 1. *Aphor.* 16. febricitantium victum omnem humidum esse debere scribat, cave, ne censeas de humido solùm potentia loqui; quamvis enim & illud requiratur, humidum tamen actu, sive liquidum esse debere, manifestè intelligit: nam alibi, ut 1. *de Diata*, cibum humidum esse debere, id est, potentia imbecillum, sitis expertem, coctu facilem, & liquidum omnino testatur, qualem ibi ptissanam constituit: humidum verò potentia etiam liquidum esse debere, docet & Cornel. Cels. *lib.* 3. *cap.* 6. cujus etiam rei rationem reddit Gal. *lib. de opt. Secta ad Thrasib.* 4. cum ait: *Quoniam qua concoquuntur, effunduntur, ideo & mox distribuuntur, & agrotantes non multo labore in cibis conficiendis indigent. Et ab his praceptum nascitur, liquidos cibos omnes febricitantibus convenire.* Quod confirmavit 1. *acut.* 18. *&* 1. *ad Glauc. cap.* 13. *de cura febr. cont. sine accidentibus*, ubi cibos omnes febricitantium debere esse liquidos testatur; quia humida actu & facilius in chyli formam reducuntur, & cæteris paribus, facilius multò concoquuntur: cum enim ex febre calor naturalis imbecillior reddatur, ea erunt exhibenda quæ facilè conficiuntur. Viderint igitur, quàm bene victum in febricitantibus instituant qui, Petronam imitantes, solidiora concedunt, & non solum elixatas carnes exhibent, sed assatas etiam, in quibus vix humiditas in potentia reperitur. Sed de hoc posteà.

In longis accessionibus quomodo, & quãdo cibandum.

29. Ut verissimum est, in accessionibus, id est, principio, augmento, & statu abstinendum esse, declinationémque in continuis, & potiùs intervallum in intermittentibus commodum tempus esse nutriendi, ut colligi potest *ex* 1. *Aphr.* 11. *& in fine* 1. *de ratione vict. in acut.* Ita declinante febre acutâ, si vires urgeant, forma aliquo modo erit mutanda, ut si ptissana hordeacea sit forma, in fine statûs, aut inchoante declinatione primò potionem dabimus, ut cremorem hordei, vel jusculum refrigerans, vel stillatum carnium cum aliquâ aquâ refrigerante, mox interpositis tribus, aut quatuor horis, cibum jam institutum concedemus, ut innuit Hipp. 1. *acut. in fine.*

30. In

30. In Synochis verò, quæ uniformes sunt, eamdémque à principio morbi ad finem usque servant formam, unicâque accessione perficiuntur, quandonam sit æger cibandus, docuit Gal. 11. *Meth. med. cap.* 5. nempe, quando æger faciliùs tolerare morbum videtur, & quando, dum sanitate frueretur, cibum sumere consueverat: si igitur & facilior tolerantia cum solitâ horâ coincidat, hæc erit eligenda: sin minùs, semper prævalebit facilis tolerantia, quæ si immanifesta modò fuerit, à solâ consuetudine tunc tempus nutriendi erit desumendum.

In Synochis quando cibandum.

31. Quòd si contingat in intermittentibus etiam intervallum nullum esse, & declinante morbo novam exspectari accessionem, ita ut tantum temporis à fine statûs ad novam invasionem non intercedat, ut cibus ingestus coqui possit; puta, spatium trium horarum tantùm, ita ut necessarium sit, aut in summo vigore nutrire, vel sequenti accessioni occurrere cibo incocto, & repleto ventriculo, quod sæpè in praxi exercendâ occurrit, quid in eo casu faciendùm erit? Annè satiùs erit vigente accessione cibum propinare, an potiùs vigore evitato satiùs erit, cibo in ventriculo existente, febri occurrere? Communiter ab omnibus respondetur, deterius esse multò in principio cibum exhibere, quàm in statu; quòd nocumenta principii etiam aliis temporibus communicantur, non sic autem nocumenta statûs. Verùm multò secùs Gal. 11. *Meth. med. ult.* rem hanc definivit, ubi, casu proposito eodem, considerandum esse id docet, quod magis urget, quòdque magis nociturum judicaverimus, fugiendum: docétque, esse consideranda locum affectum, affectionem, principii & statûs naturam, tum & morem morbi. Locus quidem, & affectio, ut si ventriculus, vel hepar afficeretur inflammatione, si paulò ante accessionem cibaremus, omnino esset perniciosum: hepate enim affecto, alvi dejectiones unà cum accessionibus solent invadere: ore autem ventriculi vexato, syncopes superveniunt. Ubi verò abest inflammatio, & vires debiles fuerint, statu omnino evitato, propius principio cibum offerre expedit, potissimùm si mos morbi, principii & statûs morbi respondeat; hic verò consideratur in vigore, & principio, si annotaverimus in summo vigore, *an citra magnitudinem febrilis caloris siccus sit, & squalens, an citra squalorem urens; Priorem namque humectante victu madefacere quamprimùm oportet: In secundo, dum plurimum caloris remittat, exspectare. In principio verò accessionis morem æstimabis, an corporis extrema perfrigeret, & magnam sanguinis revocationem ad interiora corporis faciat, an omnino corpus non premat: quippe secundum hoc ceu facile, mansuetúmve contemnes; in priore distinguas oportet. Nam si absque visceris phlegmone, aut succorum redundantia motus ad interiora in accessionibus pollet, nihil offendes paulò antè cibans;*

Cibare præstat in fine status, quàm prope invasionem, & quando.

sin vel phlegmone, vel redundantia subsit, cavenda est ante accessionem cibatio, ceu res maximè noxia. Cùm tamen multò major sit quantitas morborum, & habitudinum corporis, quæ exposcunt, ut potiùs in fine statûs nutriamus, quàm prope principium novæ accessionis, magis laudarem eam propositionem Medicam, quâ asseretur: urgente hac necessitate, præstare in fine statûs nutrire, quàm etiam per duas horas ante principium, quòd major quantitas febrium sit ex genere putridarum, ex obstructione ob abundantiam crassorum humorum, & ex internâ, vel externâ phlegmone, in quibus, Galeno teste, præstat in fine statûs nutrire, quàm proximè ante principium.

Cibum offerre in principio, & augmento accessionis quando liceat.

32. Commendandus tamen aliquando cibus & in principio, & in augmento, & statu, & proximè ante principium, ubi habitus corporis aridus admodum, atque squalens fuerit, & in febre admodum ardente, bilioso humore etiam exuberante, atque ad ventriculi os transfuso; tum ubi longa præcessit inedia, vigilia immoderata, tristitia, & sollicitudo, quibus & exsiccatum est plùs nimio, & excalefactum corpus, multique congesti acres, & mordaces humores: pro quâ re bene intelligendâ legendus est Galenus noster, 10. *Meth. med.* 2. 3. 4. & 5. In quibus casibus præstabit ante invasionem, & in ipso principio cibare, quàm in fine statûs. Verùm cùm hoc rariùs contingat in casu proposito, ubi à statu ad principium novæ invasionis tantum temporis intercedit, ut commodè cibum offerre possimus, præstabit dicere, meliùs esse in fine statûs nutrire, quàm proximè ante principium, secùs quàm recentiores omnes Medici hactenus crediderint; Cùm alioqui passim Hipp. *&* 1. *acut. penult. &* 4. *acut* 39. & Galen. *in Com.* multò plura referant incommoda, si quis in principio cibum offerat, quàm si in statu. Et hoc est, quod innuit 1. *Aphor.* 11. cùm dicit, *In accessionibus abstinere oportet* id est, & proximè ante, & inchoante invasione.

Augmentũ accessionis minus incommodum cibationi, quàm status.

33. Quoniam autem aut in complicatione duarum febrium, aut in unâ etiam, in quâ tempora adeò extenduntur, ut, antequàm superveniat declinatio, nova accessio superveniat, sicque neque intervallum, neque declinatio reperiatur; in quibus cibum offerre ex ratione possimus, in ambiguo Medicorum animus hæret, quandónam cibum offerre expediat. Augmenti tempus pauciores, & minores secum invehere læsiones censerem; quòd ne ea immineant damna, quæ sequi docuit Gal. 11. *Meth. &* 1. *acut penult. &* 4. *acut.* 39. neque eò usque calor, & symptomata pervenerint ad summum, ut in vigore. Non negandum, noxas etiam ex oblato cibo in augmento non parvas excitari; at indicatione à virtute urgente, commodo tempore, morbi importunitate

sublatâ

ſublatâ, illud eligendum cenſemus, quod minora ſecum invehit incommoda.

Horæ tres à cibatione ad acceſſionem non ſufficiunt.

34. Caveant, ne tempus trium horarum cenſeant ſufficere à cibi oblatione ad novam invaſionem, quod plerique cenſuerunt, Galeni auctoritate ducti, 8. *Meth.* 4. ubi aſſerit, ſatis eſſe, ſi tres horas æquinoctiales, quatuórve inter balneum, acceſſioníſque tempus interponatur: à balneo enim cibum exhibere ſolebant; cùm alioqui Gal. 11. *Meth.* 15. docuerit, maximè in omni febre coctioni incumbendum eſſe: quia ſi, adveniente acceſſione, cibus in ventriculo non ſit confectus, ex retractione caloris ad interna febris omnino intendetur, peſſima illa ſymptomata producentur, de quibus Hipp. & Gal. 4 *acut.* 39. Et Avic. 1. 4. *Tract.* 2. *cap.* 8. ita in febribus cibandum præcipit, ut vacuo ventriculo occurrant: hæc verò concoctio in ſanis quidem trium horarum ſpatio confici poteſt, cùm in ægris natura, ex morbo debilis reddita, ſegniter coctioni vacet. Si igitur fuerit ſorbitio, ut ptiſſana, aut contritus panis lotus ex jure, aut idem conciſus, aut hujus quippiam, quinque, ſex, aut etiam ſeptem horæ concedendæ ſunt, plùs minùs pro robore ventriculi, & pro conditione febris, aut humoris peccantis. Si verò potio ſimplex fuerit, ut cremor hordei, mulſa, oxymel, aqua ex ſaccharo cum ſucco aurantiorum, aut juſculum alteratum, tres quidem horæ æquinoctiales ſufficient; de quâ re locutus eſt Gal. 8. *Meth.* 4. de decocto enim radicum apii loquitur, non de ſorbitione, aut ferculo, quæ non exhibuiſſe conſtat ob anguſtiam temporis ad ſequentem acceſſionem; ſubdit enim: *Si verò circa veſperam, aut duabus horis citiùs acceſſio invadat, tum laviſſe manè liceat, tum cibaſſe*; ut evitet illa incommoda, quæ ſequi docet Hipp. 4. *acut.* 39. ubi cibis incoctis in ventriculo acceſſio ſupervenerit: *Venter enim*, inquit, *calet, faſtidit cibum, intenditur hypochondrium, jactatur corpus propter internam turbationem, mens fixa non eſt, dolet æger, lancinatur, vellicatur, vomere affectat, & ſi mala evomuerit, dolet.*

In acceſſione quando offerre cibum oportet, & in quibus.

35. Excipienda tamen ab hac regulâ, & horarum cibandi ante acceſſionem, & non offerendi alimenti aut in principio, aut ante principium acceſſionis, ea corpora, quæ & calida & ſicca ſunt temperamento, & habitu gracili, quibus ſpiritus facilè diſſolvuntur, quæ ore ventriculi admodum ſentiente, & in quibus acris humor, & mordax ad ventriculum transfuſus ita ægrum infeſtat, ut in ipſius etiam invaſionis initio ſyncope inductâ, vel etiam in ſimplicibus tertianis intermittentibus ſæpenumerò mortem inducat; in iis enim ante invaſionem, vel in illius principio cibandum cenſuit Gal. 10. *Meth. cap.* 2. 3. 4. & 5.

Cibus quando offeren-

36. Adhibenda tamen ea eſt cautio, quòd, ſi animi deliquia in febrium

dus in principio accessionum, & quando paulo ante. febrium initio supervenerint, affluente acri humore ad ventriculum, & os illius mordicante, cibus vel immediatè ante accessionem, vel in ipso principio erit exhibendus, ut admixta cibo bilis minùs mordicare valeat. Si verò ex spirituum subtilitate exsolutio sequatur in principio febrium, nutriendi erunt ægri per duas trésve horas cibis hujusmodi, qui citò instaurare possint spiritus, faciléque commutari, ut sunt ova sorbilia, juscula, quæ instaurativa dicuntur, & similia, quibus adstringentis si non nihil addiderimus, ut succi granatorum, aurantiorum, aut similium, optimè illis consultum fore existimamus.

Acidorum usus in febribus acutis utilis, sed moderandus, & quomodo. 37. In acidis tamen iis in usum ducendis illud maximè cavendum existimo, ne nimio plus limonum succus, aut acidorum aurantiorum addatur, quod passim etiam à doctissimis viris fieri video, qui in acutis, & malignis febribus, in omnibus ferculis, & jusculis succi limonum quàm plurimum adjungunt, non animadvertentes, tantam illi inesse acerbitatem, ut, si modum excedat, aut coctione non temperetur, quod in syrupo de limonibus, & de succo citri fit, aut sacchari mixtione non moderetur, obstructiones in venis pariat inemendabiles, ideò moderatè illo utendum; in quâ mensurâ, si in usum veniat, refrigerabit, & incidet, altiúsque medicatas potiones exserere faciet. Aurantiorum succus aliquantò minorem habet austeritatem, & propterea non tantâ liquoris mistione indiget.

Victus tenuis in acutis quotuplex antiquis, & qui recipiendus, & qui excludendus. 38. Victum omnem aut crassum, aut tenuem, aut tenuissimum antiquos constituisse, docuit Hipp. *lib. de prisca Medicina*, nempe cùm crassa comedimus, cùm sorbemus, & cùm bibimus: Quartum Galenus victûs genus addidit, omnimodam cibi, & potûs abstinentiam, 4. *Com.* 1. *Aphor.* quod *extremè tenuissimum* appellavit; quòd si quæ sorbentur, bifariam partiamur, nempe in tenuem, & crassam sorbitionem, omnes victûs habebimus differentias. Verùm quatuor sunt, quæ acutè febricitantibus conveniunt: Crassa sorbitio, de quâ 1. *acut.* 26. est integra ptissana, alica, panis lotus, sive contritus, sive concisus, & contusa carnium. Tenuis sorbitio est, ut ptissana colata, aut fercula eâdem tenuiora. Potiones sunt aut oxymel, antiquo more paratum, mulsa, stillatitius liquor ex carne, juscula cujusque generis. Aquæ verò frigidæ potus, aut omnimoda abstinentia summè illum tenuissimum victum constituunt. Quæ omnes victûs rationes, ultimâ exceptâ, vires augent, atque instaurant, quamvis aliquando imbecillas vires reddere dici soleant, habito respectu ad corpora sanorum, qui si illis victibus uterentur, ad marcorem ducerentur. Nostris tamen temporibus victus ille extremè tenuissimus, & quatriduana illa inedia, aut ob consuetudinem, aut ob regionem exterminari omnino debet, ut pote periculi

periculi omnino plena, ex quâ & mors ægris inducitur, & Medicis infamiæ nota inuritur, sed loco illius potiones iuduci debent, syrupus acetosus, vel de succo citri cum stillatitio aliquo liquore, aut juscula alterata, vel cremor hordei.

39. Cavendum tamen, ne transitus fiat ad victum illum, qui extra limites victûs febricitantium continetur, ne scilicet quæ comeduntur, súntque solidiora, non liquida, concedantur, ut panis, carnes, & quod deterius est, horarii fructus, quod passim extra hanc provinciam fieri vidimus.

Victus crassus in acutis rejiciẽdus, ut & horarii fructus.

40. Cùm nihil sit, quod in ægrotantibus cibandis, & apud antiquos, & apud recentiores, antiquo more febricitantibus maximè rectè victum instituentes, magis in usum ducatur ipsâ ptissanâ hordeaceâ, optimè consultum Medicis his meis Cautionibus practicis censui, si aliqua hoc loco interposuero de rectâ conficiendæ ptissanæ ratione, de quâ etiam Gal. 1. *de alim. facul. cap. 9. lib. de Ptissana, cap.* 4. Orib. 4. *Collect.* 1. *&* 11. & Paul. *lib.* 1. *cap.* 78. potissimùm, cùm adeò variare in eâ scriptores antiquos videam, recentiorum autem aliquos doctissimos etiam longè aberrare. In eâ igitur prima sit in electione hordei cautio, quòd cùm hordeum sit duplex, alterum, quod sponte nudum nascitur, 1. *de alim. facul. cap.* 13. *& lib. de attenuanti victu, cap. 6.* quod in Cappadociâ nasci scribit, ut alicubi etiam apud nos Insubres; alterum vestitum, quod magis commune est; postremum hoc eligi debet, deglubitum tamen, & à cortice exutum; quamvis enim multi primo illo potiùs utendum censeant, eâ fortè ducti ratione, quòd, cùm Galenus arte corticem adimat, satiùs videatur sponte tali nato uti; sed non bono argumento: Galenus enim illud cùm noverit 1. *de alim. facul.* 13. eo tamen non utitur: quin specie ab alio differre asserit, fortéque etiam facultate: Unde Herodotus, Galeno antiquior, apud Oribasium 1. *Collect.* dicebat, illud plurimùm nutrire, multum succum habere, & proximè ad tritici naturam accedere; quibus rationibus minimè in acutis convenit: quæ enim nimis multùm nutriunt, quæve crassum, & glutinosum succum generant, ut triticum, in acutis febribus minimè convenire possunt. 1. *de alim. facult. cap.* 4.

Hordeum pro ptissana quale eligendum.

Hordeum aliud sine cortice crasso nasci ur, aliud vestitum.

41. Sed quâ arte præparandum sit, ut cum fructu & sine damno in usum duci possit; non levem requirit diligentiam, multâque cautione indiget. Farinâ aliqui utuntur, aquæ aut juri miscentes, & pultem efformantes, quam, tanquam flatulentam, & excrementa multa producentem, omnino rejicit Gal. *lib. de attenuante victus ratione, cap. 6. &* 1. *de rat. vict. in acut. cap.* 18. Freso alii, & fracto utuntur; at refelluntur ii ab eodem Gal. *lib.* 1. *de alim. facult. cap. 9. & lib. de attenuante victu, cap. 6. &* 1. *de rat. vict. in acutis, cap.* 18. quòd

Hordeum quomodo parandum pro ptissana.

18. quòd tormina faciat, hypochondria distendat, non levis sit, non lubrica, quòd denique crassos succos producat. Leviter torrefaciunt alii, ut faciliùs externâ tunicâ spoliari possit, & flatus exuere: At sic ptissanam minùs humectantem reddunt, minúsve aptam alvum solvere; colligitur id ex Herodoto, referente Galeno, 1. *de alim. facult. cap.* 13. ptissanam ex zeâ torrefactâ alvum cohibere asserente: Unde Oribasius, 4. *Collect. cap.* 7. ex Dieuche, hordeum in polentâ torrefactum alvum cohibere asserit; quod confirmavit Gal. 1. *de alim.* 9. quinimò *cap.* 22. *ejusdem*: *Frixa omnia flatum quidem deponunt, sed difficilè coquuntur, & adstringunt, crassúmque succum generant*; quod observans Trallianus *lib.* 8. *cap.* 8. voluit in dysenteriâ hordeum torreri, ne, si sine frixione uteremur, alvum subduceret, non cohiberet. Brassavolus hordeum aquâ sæpiùs macerat, mox siccat, & in mortario ligneo illud contundens decorticat. At si pro primo cortice expurgando id facit, non est, quòd aquâ illud priùs maceret; si pro secundo subtiliori, malè facit, cùm coctione solâ eximatur. Galenus igitur capit hordeum integrum, levi manu contusum, & hoc modo decorticatum, atque mox panno aspero perfricatum, ut reliquum corticis, si quid reliquum est, quod verisimile est, ob levem ictum tolli possit.

Hordei quantitas ad aquam pro ptissana paranda.

42. Cautio autem in quantitate hordei ad aquam, & aquæ ad hordeum in præparatione ptissanæ, maxima est adhibenda: cùm varia sit de his apud gravissimos etiam scriptores sententia, aliis pro singulâ hordei hemina decem aquæ admiscentibus, ut Dieuches apud Oribasium, 4. *Collect.* 7. censuit, quam quantitatem secutus est Constantinus Cæsar, *lib. de Re rust.* 9. Antyllus verò, eodem Oribasio referente, 4. *Collect.* 11. pro singulâ hordei heminâ quindecim aquæ adhibet; quam sententiam secutus est Paulus, *lib.* 1. *cap.* 73. Brassavolus autem 1. *de rat. vict. in acutis*, 18. pro singulâ hordei heminâ triginta, & triginta quinque aquæ miscebat. Galenus autem 1. *de alim. facult.* 9. & 10. & *lib. de Ptissana* nullius quantitatis aquæ, aut ejusdem proportionis ad hordeum meminit. Neque verò id præter rationem, sed jure merito, quòd observâsset, hordeum pro varietate soli aliud faciliùs aliud difficiliùs, ut docebat ipsemet *lib. de cibis boni, & mali succi*, *cap.* 5. tum etiam pro varietate naturæ illius grani, ut passim in ciceribus excoquendis observamus. Sed & aquæ non levis a habenda est ratio, cùm aliam grana, & Cerealia omnia facillimè conficere observaverimus, aliam difficillimè, ut docuimus *in Com. in lib. de aëre, aquis, & loc. Hipp.* Si tamen ejus generis assumamus, quod intumescat, & coquatur facilè, apud nos Insubres pro singulâ heminâ illius quindecim, aut viginti aquæ assumere

ſumere poterimus; quæ quantitatis aquæ varietas erit pro variâ conditione hordei, & aquæ.

43. Sed in ptiſſanæ præparatione quid obſervandum? & in condiendâ quid cavendum? Sanè Galenus oleum, & acetum addidit, & ſalem; illa quidem 1. *de alim. facult.* 9. 4. *tuenda valet.* 4. & 5. *ejuſdem* 8. *lib. de Marcore*; *ult.* 7. *Meth. med.* 6. 8. *ejuſdem* 2. & 10. *Meth.* 11. Orib. 4. *Collect.* 1. & Paulus *lib.* 1; *cap.* 88. Salem etiam indendum conſtat *ex.* 1. *alim.* 9. & Orib. & Paulo *loc cit.* Sed quo tempore hæc addenda? Gal. 1. *de alim.* 9. acetum indendum cenſuit, cùm ad ſummum intumuerit hordeum: deinde etiam permittendum, ut lento igne in ſuccum diſſolvatur, tum addendum: ſalem autem addi voluit paulò ante tempus diſſolvendæ ptiſſanæ: oleum addebat pro condimento; nos quibus placuerit, concedemus. Placet tamen potiùs, ut ex jure optimo carnium paretur, ſive integra paretur, ſive colata, additâ aut levi portione ſalis, aut ſacchari pauxillum plus; pauxillum enim mellis addebat ptiſſanæ, 5. *tuenda valet.* 8. cujus loco præſtabit ſaccharum indere: aliquantò plus illius etiam addentes, ſi aceti nonnihil admiſceatur; prohibemus enim admixtione illius, ne ſaccharum in bilem vertatur. Quòd ſi quis aceti uſum refugiat, licebit loco illius aut ſuccum aurantiorum, aut citri, aut etiam limonum indere, modò ſuccus is aliquandiu plùs cum reliquis ebulliat, ſecùs quàm paſſim fiat; cùm indi ſoleat ſuccus immediatè tempore aſſumptionis, qui ob cruditatem, & acerbitatem ſolet nonnihil obeſſe; quamvis mixtio ſine coctione nonnihil terreſtreïtatis illius, ac adſtrictionis ſoleat retundere.

Pro ptiſſanâ condiendâ quæ addenda & quomodo.

44. In pane conciſo, aut contrito, pro ferculo parando, hæc adhibeatur cautio; ſi febrem curemus acutam, aut ardentem, panem omnino priùs eſſe lavandum, mutatâ ſæpiùs aquâ, aut ſuperinſperſâ ſæpiùs aquâ; ſic enim & fermenti vis retunditur, & cibus paratur minùs nutriens, potiſſimùm, ſi paretur ex jure ſimplici pulli gallinacei, ſuccóque aurantiorum conſpergatur; ſic enim parata panatella minùs etiam nutriet, quàm ptiſſana. Cavendum verò, ne panis igne priùs cremetur, mox abluatur, quod factum ab Oribaſio videmus; ſic enim igneæ partes concipiuntur in pane, ſicque & ſiccius alimentum paratur, & calidius, quod per lotionem minimè corrigi poteſt; poterit tamen ſic paratum convenire, ſi alvi profluvio cum febre ægri tententur, addito aut ſucco limonum, aut granatorum. In reliquis febribus ex pane conciſo, aut contrito ferculum conveniet, etiam non loto pane, & ex jure carnium aliquantò validiore.

Panatella in acutis quomodo paranda, & an ſẽper ex pane loto.

45. In conſumptis juribus, ex carnibus parandis, hæc obſervetur cautio; maximè à me laudari ea, quæ ex carne vituli macrâ conficiuntur,

Conſumpta potiùs ex carne vitu-

linâ, & quomodo paranda.

conficiuntur, quòd vix in eis glutinosum illud reperiatur, quod passim in juribus observamus, quæ ex pullis conficiuntur; cutis enim circumvestiens, & nervosæ multæ partes alarum, & crudum gluten illud generare solent, quæ vix possunt auferri: in vituli autem carne, licet & fibrarum, & nervorum ratione, & capitum musculorum glutinosa aliqua adsint, multò tamen pauciora sunt, atque ex parte etiam auferri possunt. Quòd si quispiam gallinarum, aut caponum jus expetat, cautionem hanc adhibeat, ut alarum duæ extremæ juncturæ auferantur, coxarum ultima pars; quòd si cute etiam pullum spoliare poterimus, salubriorem cibum & potum procul dubio parabimus.

Quem situ tenere debeant, dum cibantur.

46. Sedentes in lecto alantur; si enim jacentes cibum capiant, vix ad ventriculi fundum cibum effundent; deinde à cibo sumpto semihorâ sedeant, vel saltem erecti aliquantulùm semijaceant.

Os abluendum, antequam cibus assumatur.

47. Ante cibum memores sint expurgationis oris: nam à febre plurimi vapores, & fuligines sursum feruntur, quæ limum quemdam in linguâ efformant, qui cùm gustum perturbet, cibos etiam malâ qualitate imbuit: quare & lingua, & os colluendum, & œsophagus, qui sæpè per febres arescit, madore aliquo rigandus, cui maximè inservit aqua etiam cruda ex aceto & saccharo.

Potus acutorum qualis.

48. De potu aquæ in febribus pro potu quotidiano, non pro medicamento, hæc sit observatio: si in ægrum inciderimus, qui in sanitate assuetus sit aquæ potui, etiam citra noxam posse nos utique crudam optimam, aut fontanam, aut pluvialem cisterninam concedere, aut certè decoctam simplicem: sin minùs assuetus potui aquæ æger fuerit, ne in ea incommoda incidat, de quibus Hipp. 4. *de rat. vict. in acut.* aliquid addi licebit, quò faciliùs ex hypochondriis meet, cruditas reprimatur, atque etiam morbo, si fieri possit, morbificæve causæ adversemur; ut si mel, aut saccharum, cinnamomum, anisum, semen coriandrorum, aut hordeum incoxerimus.

Aqua non cocta potest esse potus in acutis, præsertim fontana & cisternina.

Aqua hordei in acutis pro potu optima.

49. De aquâ hordei, quem potum antiquis ignotum plerique censent, quòd nullibi Galenus, Oribasius, Paulus, Aëtius, & alii illius mentionem fecerint ita censeo, Hipp. 3. *de rat. vict. in acut.* 13. *&* 4. *de ratione victus* 73. *potissimùm autem libro* 2. *de Morbis*, ubi laborantibus torpore capitis propinandam censet aquam hordeaceam, de eâ mentionem fecisse; ubi etiam intelligere non potest succum hordei, quia illicò subjungit; *Nam pro alimento succum hordei exhibeo*: ut nec in aliis duobus locis, cùm potum aquam hordeaceam appellet, succum autem hordei passim non potum, sed sorbitionem appellet. Neque verò rejicienda est, potissimùm in febribus exurentibus, quòd flatulenta sit; si enim rectè excoquatur,

ur, flatulentiam exuit; neque si diutiùs excoquatur, salsedinem ontrahit, quod ab aliis objicitur; si enim in ptissanâ, quæ longiori tempore elixatur, id non veriti sunt Hippocrates & Galenus, nec experientia id ostendit, in quâ magis hoc sequi deberet ob hordei majorem ad aquam proportionem, & quantitatem, quâ ob crassitiem salsedo in elixatione longâ contrahi deberet, cur id in aquâ hordei omnino aquosâ, & potu verebimur? Cautio tamen est adhibenda, ne ea in omnibus morbis, aut in omnibus febribus in usum ducatur, ut aliàs fieri solebat; sed in iis solùm, in quibus magnus æstus fuerit, ut ubi abstersione opus est. At verò in eâ conficiendâ magna adhibenda est cautio. Accipito hordei veri, non speltæ, seu zeæ, ut plerique faciunt, libram unam duodecim unciarum; maceretur tantillùm in aquâ, mox panno admodum aspero optimè confricetur, donec omnis arista deciderit, & quippiam etiam ipsius corticis crassi sit detersum; deinde optimè abluatur & omni sorditie expurgatâ, addantur aquæ libræ quadraginta, & tamdiu claro igne decoquatur, donec optimè hordeum intumuerit, mox deposito de igne decocto, permittatur perfrigerari, deinde transfundatur, quod perspicuum est, ac valde clarum decocti, in vas vitreum, in quo si quippiam iterum resederit, denuò in alterum vas transfundatur, quod perspicuum est, & relinquendum donec resideat, quod pro potu in usum duci poterit.

Aqua hordei in omnibus morbis non convenit. A linea A-qua hordei quomodo paranda.

50. In Mulsæ Melicratíve compositione maxima adhibenda est cautio: Vel enim mulsam paramus pro medicamento, aut saltem cibo medicato, aut pro potu. Pro medicamento, aut cibo medicato, vel cruda erit, vel cocta. Gal. 3. *de alim. facult.* 39. & 12. *Meth. cap.* 3: *Cruda magis alvum subducit, minùs nutrit; contrà autem cocta.* Quinimò etiam coctarum aliæ integrè coctæ sunt, aliæ imperfectè; quæ etiam magis, & minùs nutriunt, & dejiciunt, prout magis aut minùs coctionem susceperint. Utramque etiam hanc aut meraciorem constituit, aut dilutiorem Hipp. 3. *de rat. vict. in acut. t.* 13. immò Gal. 8. *Meth. med.* 4. in meracissimam, mediocrem, & dilutam dividit. Sed quænam est mellis ad aquam, quibus duobus solis constat mulsa, omnino proportio? Censent aliqui, meracissimam esse ex unâ mellis, & duabus aquæ, sic censuit Avic. *lib.* 5. & Dioscor. Mediocrem ex unâ mellis, & quatuor aquæ, ex 4. *de tuend. val. cap.* 6. Dilutam autem ex unâ mellis, & octo aquæ, factâ ebullitione, & despumatis excrementis, donec supernatent, ex Paulo *lib.* 1. *cap.* 46. Sic Mesue, & Rasis 9. *ad Almansorem*, sed ante hos omnes Oribas. 4. *Synopseos. cap.* 38. Hæc communior est recentiorum opinio. Ego verò, ut verissimam hanc esse opinionem censeo in melicrato pro cibo simplici, seu medicato: ita falsam existimo, si mulsam sumamus pro potu, ad distributionem cibi parando. Quin censeo, dilutam illam, de

Mulsa divisio, & parandi ratio.

Mellis ad aquam proportio pro mulsa paranda.

quâ 3. *de ratione victus*, 13. mentionem facit, eam esse posse, de quâ Gal. 3. *de rat. vict. in acut.* 13. ubi dicit, mulsam dilutam fieri, ubi pauxillum mellis multæ aquæ admiscetur, ut aqua permeare queat ad distributionem, ne diutiùs in hypochondriis commoretur; hoc enim munus est potûs, ut potus, non ut cibus; quam fortasse diversam à dilutâ, de quâ 8. *Meth.* meminit, credere poterimus, quòd diluta illa tanquam cibus esse poterit, ex unâ mellis, & octo aquæ: at quæ diluta est pro potu ad distributionem cibi, diluta magis esse debet, quàm ut una sit mellis ad octo aquæ, neque enim pauxillum mellis una est uncia ad octo. Erit igitur mulsa pro potu, si pro unciâ unâ mellis viginti unciæ aquæ sumantur, paulo plus, aut minus; neque enim determinata aquæ quantitas certo præscribi potest, ut etiam Galenum videmus fecisse 3. *acut.* 13. 3. *de alim. facul.* 39. 8. *Meth. cap.* 4. qui nullibi quantitatis mellis ad aquam meminit; quod mellis videmus esse magnam differentiam, cùm sciamus, aliud esse bonum, aliud malum. 3. *acut.* 23. *&* 4. *de tuend. val.* 6. Bonum celerrimè coquitur, & celerrimè desinit spumam facere, inde minus aquæ absumitur in coctione. Contrà evenit in malo, & propterea in eo coquendo major indenda erit aquæ copia, quæ absumi possit, quàm in bono, quod ex Philagrio colligitur, qui, referente Oribas. 5. *Collect. cap.* 17. in confectione apomelitis, si mel crassum esset, plus aquæ addi voluit; si tenuius, minus; si medium, medio modo. Ubi etiam observandum est, si aqua fortè crassior fuerit, ut apud nos Insubres putealis esse solet, quæ in melicrati confectione sumitur, & optimum mel indatur, cùm ea aqua, ut attenuetur, longiori egeat elixatione, mel vero illud paucâ antequàm illi mel indatur, aliquantisper esse elixandam; sic enim & attenuabitur, & in sese mellis substantiam recipiet, faciliùsque hypochondria permeabit.

Mulsa ex saccharo optima quomodo paretur.

51. Sed cùm jam saccharum, antiquis incognitum, saltem perfectum, nostrum in usum Medicum, & inter delicias gustûs sit traductum, an ex eo mulsa parari poterit? Utique & optima, cùm non tantâ polleat acrimoniâ, ut mel, immo in biliosis utilior erit, & suavior. Censent aliqui, non nisi crudam mulsam ex saccharo parari posse colliquatione, quòd jam saccharum coctum sit. Ego verò & crudam colliquatione parari posse crediderim, sed præstantiorem esse coctam; quia per coctionem aquæ permiscetur attenuata aqua, & meliùs per hypochondria permeabit, vi ignis ambobus attenuatis. Verùm ea adhibeatur cautio, ut priùs aqua elixetur, quàm illi indatur saccharum, & in minori quantitate, ita ut sæpe pro unciâ sacchari libra aquæ sufficiat, potissimùm si affectus non admodum æstuans fuerit; in quo casu succi limonum nonnihil in coctione addi poterit.

52. Oxymel,

52. Oxymel, & Syrupus acetosus ad pensum veniant, qui & pro potu ad sedandam sitim, & pro cibo in peracutis febribus, & pro medicatâ potione in usum Medicum sæpenumerò veniunt. Hi in triplici sunt differentiâ pro vario usu: vel enim sunt valde acidi, vel mediocriter, vel minimùm. De primo Hipp. 3. *acut.* 26. de secundo 3. *acut.* 30. de tertio 3. *acut.* 37. locutus est. De tribus iis omnibus Gal. 4. *de tuend. val.* 6. docens illorum mixtionem ex aceto, melle, & aqua, aut saccharo loco mellis in syr. acetoso: Minimè acidum fieri asserens ex unâ parte aceti, duabus mellis, aut sacchari, & octo aquæ: Medium ex unâ aceti, duabus mellis, & quatuor aquæ: Valde acidum ex duabus aceti, & mellis, & quatuor aquæ. Galenum secutus est Oribasius 5. *Coll.* 24. Paulus solius acris meminit, *lib.* 7. *c.* 11. Mesue solius mediocris meminit, compositionémq; tradidit. Sed animadvertendum, multùm in cocturâ à Græcis differre. Galenus enim ad quartam aut tertiam excoqui debere dicit. Pleriq; ita intelligendum censent, donec remaneat tertia, aut quarta pars, quibus subscribere videtur Mesue, qui ferè hoc modo excoquit, ut per totum fortè annum conservetur, quod etiam omnes Seplasiarii faciunt. Verùm illud verissimum est, censuisse Græcos, solam tertiam, aut quartam partem esse absumendam: docuit enim Galenus, oxymel esse temperandum, ut vinum ibidem; cùm autem vinum nunquam meracum biberetur, sed temperatum, ut colligitur ex Plinio 14. *Naturalis Hist. cap. ult. & lib.* 23. *cap.* 1. & hoc ipsum vario modo temperaretur, aut pari aquæ cum vino quantitate assumptâ, aut plus aquæ addentibus: & hoc triplici modo, aut duabus vini tres aquæ; aut uni vini duas aquæ; aut denique uni vini tres aquæ addentibus; ut docuit Plutarch. 3. *Sympos. quæst.* 9. Athenæus *lib.* 10. *cap.* 8. & 9. Si igitur oxymel ut vinum temperari debebat, nunquam ad duas tertias, aut ad tres ex quatuor excoqui potest, alioqui non modò dupla, aut tripla ad mel erit, sed triplo, aut quadruplo à melle superabitur: quoniam mellis quadruplo minus aqua ob crassitiem, & visciditatem absumitur. Exemplo sint, una aceti, duæ mellis, quatuor aquæ unciæ in quartam redigantur, erunt una uncia cùm dimidiâ, sicque tota, aut penè tota erit mel; si ad tertiam, erunt reliquæ duæ unciæ, quarum una cum dimidiâ erit mel, media uncia erit aqua & acetum; non igitur temperaturâ simile erit vino, quod si unica ex quatuor, aut una ex tribus absumatur, optimè temperamento vini correspondebit; quòd si levissima fiat decoctio cum aquâ, vis aceti & in sapore, & in odore cum melle relinquetur; quòd si tamdiu coqueretur, mulsa fieret meracissima, quæ solùm in extrinsecis erat in usu, non per interna. 8. *Meth.* 4.

Oxymelitis parandi ratio.

53. Animadvertendum prætereà, Pharmacopolas, ut diutiùs oxymel, aut syr. acetosum conservare possint, ex decreto Mesuæ prius

Oxymel Seplasiariorũ, diversum à Galenico, quomodo paretur.

aquam & mel usque adeò excoquere, donec tota aqua, aut penè universa absumpta fuerit; mox acetum addere, & iterum coquere, omnino quod aquæ reliquum est absumentes; sicque oxymel non fieri ex aceto, & mulsa. Ubi observandum, oxymel hoc ita paratum pro potu nutriente in usum duci non posse, est enim potius sorbitio, quàm potus.

Non est simplex potus, sed sorbitio.

54. Cavendum præterea, ne Medici communi nostro oxymelite utantur ad humectandum, cum exsiccanti potius facultate constet, cum aquâ careat: in usum tamen etiam hoc nostrum ducitur, quod diluatur, liquidumque, & fluxile reddatur, quadruplâ ferè parte aquæ, aut stillatitiæ, aut decocti alicujus addita.

Oxymel nostrum non humectat.

55. Observandum præterea, in pleuritide, ubi crassi sunt & viscidi humores, oxymel nostrum imbecillius esse, quàm sit illud mediocre; cum in eo casu valde acri utendum docuerit Hipp. 3. *acut.* 26.

Oxymel nostrũ imbecille ad crassa incidenda.

56. Observandum præterea, si per totum morbi decursum utendum sit oxymelite, aut syr. acetoso, neque acriori, neque mediocri esse utendum in acutis febribus, quòd non humectet, potissimùm nostrum ita paratum; sed docet Hipp. 3. *acut.* 37. utendum esse eo, in quo minimum aceti sit admixtum, ut multùm possit humectare, nec intestinis noxam inferre.

Oxymel nostrum in acutis non ita accommodatum.

57. Cavendum præterea, ne in oxymelitis, aut syr. acetosi compositione acetum illud acerrimum sumatur, aut ex vino Cretico, vel alio potenti confectum: nam in acutis febribus, in quibus, præter facultatem obstructiones tollendi, abstergendi, & incidendi, requirimus & humectationem, & refrigerationem, potiùs siccare solet, & excalefacere, quàm humectare: aut si tale acetum in usum ducatur, aquæ quantitas erit augenda; & tunc fortasse controversia in verbis Galeni tolli posset, cùm 4. *de val. tuend.* 6. voluerit, ex unâ aceti, & duabus mellis fieri oxymel mediocre; acerrimum verò ex æqualibus aceti, & mellis partibus: cùm in consilio pro puero epileptico acidissimum oxymel ex unâ aceti, & quatuor mellis velit confici; minimè acidum ex unâ aceti, & octo mellis. Nisi cum doctissimo Cigalino dixerimus, libellum illum esse quidem Galeni, sed multis in locis depravatum: potissimùm cùm oxymel ex favis confici ibi tradiderit, cujus oppositum docuit & 4. *de val. tuend.* 6. & 2. *de Fract.* 29. Quòd si ex favis quis dixerit docuisse conficiendum Gal. *lib. de Ther. ad Pamphil.* oxymel, is sciat, librum illum Galeni non esse, quod vel inde colligitur, quòd diverso modo composuerit ibi, Theriacam, ac *lib de Ther. ad Pisonem*, ac *lib. de Antid.* Deinde constat consilium illud pro puero epileptico esse depravatum, quòd dies Caniculares constituat quadraginta, viginti ante exortum Caniculæ, & viginti post; quod Galeno repugnat, & Græcis simul, ac Latinis

Acetum pro oxymelite non sit acerrimum, neque ex vino potentissimo.

Galeni consilium pro puero epileptico depravatum.

nis omnibus scriptoribus, Caniculares dies ab exortu hujus syderis inchoantibus, ut longâ oratione, & *in Com. lib. Hipp. de aëre, aquis & locis, & in Com. in probl. Aristotelis* docuimus. Colligitur tertiò, mendosum esse libellum illum, ex eo, quòd pueris epilepticis apium concedendum, petroselinum abdicandum censet, quòd petroselinum lædat epilepsiâ correptos; cùm oppositum reperiamus apud omnes scriptores, apium epilepticis obesse, nullâ factâ petroselini mentione: sic Plin. *lib.* 20. *cap.* 11. sic Alex. Trall. *lib.* 1. cap. 15. sic Avic. lib. 2. *Tract.* 2. *cap.* 55. sic Serapio *lib. Simpl. cap.* 290. & Mesue *in sua Praxi, cap.* 26. *de Dolore capitis.* Nisi dixerimus, corrigendum esse locum illum in consilio epileptico, ut loco, *mellis partes octo*, legamus, *aquæ partes octo*; sic enim conveniet cum loco 4. *de tuend. val. cap.* 6.

58. Cùm in vino, concedendo in febribus, & potissimùm acutis, tot tantæq; controversiæ excitentur ob varios Hippocratis, & Galeni locos inter se contrarios, de quorum conciliatione, eâdémque controversiâ quid sentiendum sit, alibi à nobis constitutum est, nempe, nunquam ratione morbi esse concedendum, aliquando verò ratione causæ, & symptomatum, tum etiam eorum, quæ secundum naturam dicuntur, & virium. Quoniam aûtem alicubi concedi passim intelligo, ut in agro Neapolitano, & fortasse frequentiùs, quàm debeat, atque non apparentibus signis coctionis, æstuantéq; ægrotante; quàm felici successu; ipsi viderint; nos Insubres laborantibus febre acutâ, & malignâ omnino vinum interdicimus, quod adeò felici successu fit, ut ex viginti laborantibus malignâ febre cum maculis vix unus intereat, nisi fortè, quod rarissime evenit, ratione virium aliquando concedatur.

Vinum febricitantibus acutè interdicendum per se. Vinum in acutis cur aliquando concedatur.

59. Cavendum tamen, quantum maximè possumus, ne in nostris his regionibus vinum concedamus, etiamsi coctionis signa appareant, videmus enim plerosque ex quâvis vini concessione, quantumvis minimâ, in deterius labi, atque denuò materiam recrudescere: quod cùm sæpè ac sæpiùs consideràssem, viderémq; antiquos adeò frequenter vinum in febribus concessisse, non solùm ratione virium vitalium, aut symptomatum, sed etiam ad adjuvandam coctionem materiæ morbificæ, atque ad promovendam illius per lotium evacuationem, ut videre est 11. *Meth. med.* 9. & 1. *ad Glauc. in curanda tertiana, & quartana febre*; tum ad sputum facilitandum, ut 1. *acut.* 22. 3. *acut.* 1. & 4. *acut.* 37. non aliam horum apud nos infelicium eventuum ex vini exhibitione causam esse conjectavi, quàm vinorum nostratium conditionem. Rubra, & nigra optima multa sunt, quamvis primis mensibus & austera, & crassa, sed minùs apta ad febres, quòd nec urinas promoveant, nec sputum facilitent. Quæ alba sunt, aut flava, aut sunt potentia, aut imbecilla: Potentia,

Vinũ nunquam, ne apparentibus quidem signis coctionis, apud Insubres concedendum, & cur.

quoniam maximè alba expetuntur à nostris in aperto vase, ubi compressis uvis reponuntur, ut simul-ebulliant, non permittuntur tamdiu firmari, quamdiu oporteret, ut debitam coctionem in se conciperent; & id, ut albo colore oculis, austero sapore, quem picantem vocant, palato gratificentur, hinc & austeritate coctioni officiunt, obstructiones excitant, neque urinas promovent, neque sputum adjuvant; præterea verò caput petunt quàm maximè, igneis partibus validè in ipso contentis, ob terrestres partes admixtas: Unde etiam primis mensibus gratissima palato esse solent, si dulcedinis aliquid retinuerint, subausteris partibus cum dulcibus duplici sapore gustui abblandientibus. Imbecilla verò, & tenuia alba hujusmodi sunt, ut nunquam maturescant, nisi maximo æstatis calore superveniente, & ne tunc quidem austeræ partes omnino coctione evincuntur; sicque minùs apta erunt & vires instaurare, & lotia promovere: quod etiam incommodum alterum excipit, quòd, ubi quasi maturuerint, austeritatémque deposuerint, aut statim ferè acescant, aut evanida reddantur, aut corruptionem contrahant, unde ad usum inepta redduntur. Evitandus igitur quàm maximè apud nos in febribus putridis, maximè in acutis, potissimùm in malignis, & etiam magis in internis inflammationibus, ut in pleuritide, vini usus; &, si in usum duci debet, potentius potiùs eligatur, quod multâ aquâ diluatur.

Bibenda sæpe, & paulatim aqua in febribus æstuantibus, non affatim, & confertim.

60. Cautio præterea in bibendo adhibenda est, in febribus potissimùm æstuantibus, quam docuit Aristoteles 1. *Problem.* 56. ut sæpe, & paulatim aquam, & alios potus frigidos, ad sedandam sitim illam, ex calore febrili excitatam, concessos assumant: potio enim multa, & confertim assumpta, nec exsiccatas partes humectat, quibus æstus, & siccitas inest, cùm statim præterfluat, nec sitim sedet: at si sæpiùs data fuerit, & paulatim pitissando hauriatur, os ventriculi, œsophagum, linguam, & palatum, dum sensim per eas transit, refrigerat, & humectat, aliquâ ex parte parietibus, & tunicis adhærens: quin & paulatim sese insinuans in carne conscendit, & venulas exsiccatas madefaciendo, & irrorando humectat. Quod aptissimo exemplo docet: si enim multa aqua, confertim aut decidat, maximè si sicca sit, in terram, aut aliunde per cavum corrivetur, superficiem terræ non permeat, sed præterfluit, nullam noxam ducens; at si paulatim aut decidat, aut deducatur, superficiem paulatim madefaciens, & occlusos poros aperiens, viam subsequenti ad penetrationem parat. Id verò intelligendum est de aquâ, in potum assumptâ ad sitim sedandam, non verò de eâ, quæ, in multâ quantitate assumpta, ad extinguendam febrem ardentem assumitur, quæ & multa, & affatim est assumenda; sed de hac re *in Com. nostris in Probl.*

in Probl. illud, quidquid dicat adversus Aristotelem Hieremias Trivesius *in lib. Hipp. de victu idiotarum.*


61. Quamvis somnus in accessionum febrium principiis consensu omnium Medicorũ, & multis rationibus, id persuadentibus, sit fugiendus, animadvertendum tamen aliquos reperiri, qui adeò sensu exquisito in musculis, & carnosis partibus sunt, ut superveniente effusione materierũ acrium ad illas partes, unde rigorem illum concussivum fieri Medici omnes profitentur, tantis, tamque magnis doloribus conficiantur, ut vitales vires prosternantur, & mors sæpenumerò subsequatur; in iis nonsolùm in principio somnus est avertendus, sed potiùs omni ingenio procurandus, ut sensus ille exquisitus retundatur, aut sopiatur, rigorque, & dolor mitior reddatur. *Somnus aliquando in principio accessionum concedendus, & quando.*

62. Somnus in febribus, potissimùm acutis, si modum excesserit, licet majori ex parte malo ægrotantibus cedat, & propterea sit evincendus; quoniam tamen, ut omnes alias à naturâ factas evacuationes cohibet, ita eam, quæ per sudorem fit omnino promovet, si in fine statûs universalis febris, aut in declinatione supervenerit, etiamsi tempore modum excesserit, ita ut decem, aut etiam plures horas perduret, non est impediendus, potissimùm si indicatoriâ die imminere crisin per sudores commonstratum sit: sit enim sæpenumerò, ut promotis per longum illum somnum sudoribus ex universo corpore, & ex illo somno instauratâ naturâ, & morbus solvatur, & æger convalescat: Cognoscemus autem ex signis præsentibus, bono cessurum hujusmodi somnum longum, si sine stertore sit, si lenis, si denique illum non imitetur, qui in lethargo, comatosisve affectibus passim conspicitur. Videmus enim, aliquando excitatos ægrotantes hujusmodi, etiam Medicorum consilio, impeditos in hujusmodi evacuatione recidivam fecisse. Propterea cauti maximè in hac re Medici esse debent. *Somnus immoderatus in acutis quando permittendus.*

63. In aëre frigido admittendo in acutis & æstuantibus febribus, hæc adhibeatur cautio: Ut pro viribus frigidus quidem aër ambiens in cubiculum admitatur, & procuretur, ut omnino & inspirari possit, & interna viscera æstuantia refrigerare, & faciei oblectamentum hoc afferre; reliquo autem corpori ne nudo obveniat, omnino cavendum: quin ne etiam nimis tenui stragulâ, ac perviâ operto: circumversante enim aëre ambiente frigido, aut flatu, & calidus vapor, exhalatióve, quæ foras per sensum effugientem evacuationem, promovebatur, ad interiora repelletur, & pori cutis pervii fortasse adstringentur, & internus fervor adaugebitur: imminuenda quidem in augmento, & magis in statu erunt cooperimenta, ut æstus ille imminuatur per universum, & natura instauretur à tanto labore: at sensim id, fiat neque eò usque ut illa incommoda sequi possint. *Aër frigidus acutè febricitantibus quomodo concedendus.*

64. Non placet tamen eorum consuetudo, qui, quasi ægris vim inferentes, plùs nimio coopertos, & stragulis obvolutos tenent, sic & transpi- *Non nimis cooperiendi stragulis*

acutè febricitantes. transpirabile magis corpus reddere censentes posse, & sudores promovere: cùm alioqui illud nimium effluxum spirituum efficiat, & subinde vires imbecilles reddat: hoc autem violentiam naturæ inferat, & aut crudum humorem extrahat, aut qui per alias partes exitum sibi quærebat, ad cutim vi quâdam, naturâ repugnante, attrahatur.



CAVTIONVM ANIMADVERSIONVM & Observationum Practicarum.

EX GVL. BALLONIO EXCERPTARVM LIBER III.

In iis quæ rem Pharmaceuticam spectant.

Præparationis humorum ante purgationem necessitas.

I. 

QVI extenuat atque incidit c[illegible] humor meatúsque per quos educi debent humores, aperit, rectè facit: qui verò hoc negligentes, Vomitus Purgationesque tentant, iis corpora purgantur non sine torminibus, vertigine, malo pulsu, dissolutione atque difficultate: itaque maturè incidere oportet, meatuum libertatem comparare & Naturæ vim excitate: *lib. de virg. & mul. morb. cap.*7. Sequendum est Hipp. & Gal. consilium, Illius quidem, Cocta non cruda movere oportet. Hujus verò, cùm Natura causis morbificis obruitur, estque humorum cruditas, non potis est quicquam salutariter excerni: Quod utrumque consilium hodie nihili penditur, quia ne nihil agere videamur, remediorum inutilium, id præsertim temporis, copia miserè ægros torquemus: *Cons.* 34. *lib.*1. Mirum est quod hodie in duobus graviter peccetur, in quibus tamen veteres admodum accurati fuerunt, nam & sine ordine & assiduè purgamus, cocta, incocta, aut qualitercunque affecta: item & diebus criticis purgamus, & secamus venam, vt mirum non sit si ægros sæpe in vitæ discrimen

crimen adducamus : *Annot.4. in id Consil.* Sæpe humores crudi sunt, & tamen validis remediis naturam initio vexamus & vires debilitamus, quas ad coctionem servare oportet, & naturam ab opere avertimus, & materiam crudam agitamus, quæ agitatio naturæ infesta est. *Consil.* 31. *libr.* 3.

Cruditatis differentia.

2. Incoctum, Græcis ἄπεπτον, non omni ex parte coctum, veteribus ἄπεπτον dicebatur : cùm humores mitificati non sunt, ἄπεπτοι dicuntur : cùm in ventriculo Chylus, aut in Hepate Sanguis nondum est satis coctus, ἄπεπτος dicitur, sed diversa ratione, Omne pituitæ genus ἄπεπτον dicitur, quia infra sanguinem est,& qui morbi inde surgunt, ex incocto humore proveniunt; Tamen vt rerum distinctiones verè assignentur, dicemus Τὰ ὠμὰ, id est Cruda, τῇ πέψει opponi, & τὰ ἄπεπτα πέπασμῳ id est cum absoluta nondum coctio est, cruditas existit coctioni propriè dictæ opposita, Cùm humores mitificati non sunt, mitificationis existit vacuitas, Pepasmo objecta atque adversa, Sic biliosi humores etiam adusti recoctique dicuntur ἄπεπτοι crudique, sumpto nomine τοῦ ὠμοῦ largiùs ; Hipp. *part.* 44. *lib.* 2. *de D. Acutor.* ait, Attrahuntur à Thorace & Pulmone biliosa cruda, græcè ὠμὰ, Galen. ἄπεπτα propriè vocat; Ait vocari multa ab Hippocr. & medicis Cocta, quæ tamen in Naturam nostram non possunt facessere, miniméque sunt alibilia : eatenus autem Cocta dicuntur, quod vi Naturæ evicta, edomita, superatáque sint antequam excludantur, vt Bilis vtraque & Ichores, id est, serum non facilè mitificationem admittens ; Et Arist. *l.* 2. *c.* 2. *met.* idem docuit, dum explicat quomodo vrinæ & corporis excrementa generaliùs Cocta dicantur : itaque non abs re distinximus Crudos humores à vitiosis & Incoctis, vt Crudi dicantur infra sanguinem subsistentes, vitiosi & Incocti, qui vix Naturæ gratiam recipiunt : Sic evacuatio suppressa & crudos & vitiosos humores potest inducere; crudos quidem, dum refluxu humoris evacuandi, calorem nativum aut minuit aut strangulat, quod in mulieribus quibus menses non respondent, videre est, nam pinguescunt & crassiores redduntur, copia crudorum humorum præ caloris paupertate in corpore succrescentium : Item & Vitiosos inducit humores, dum qui sanguis humorúe supprimitur, inficit reliquum corpus atque contaminat : Itaque hic aliter atque aliter se gerere oportet, Nam si Cruditas humorum propriè dicta adsit ob caloris inopiam, in coquendo & mitificando incumbere oportet : sin vitiosi succi sint ac contaminati, aliqua oneris parte levari potest Natura ad reliquum evincendum. *L. De virg. & mul. m. cap.* 7. *pag.* 92. Aliud est Incoctum aliud Crudum, Illud ab externo vitio alimenti pendere potest : hoc autem ab impedita læsáque actione partis : *Ibidem pag.* 123. *in margine* : Aliud est Coctum & Mitificatum, aliud Crudum & Inco-

K ctum,

ctum, nam τὰ ὠμὰ coctionem, admittunt, in familiaremque Naturæ succum convertuntur : τὰ ἄπεπτα non item, sed tantùm mitificantur *Annot.* 1. *conf.* 65.

Coctio omnis incrassat.

3. Humor vt vere coquatur requirit mixtionem, temperationem, quæ facit vt humor non sit ἄκειτος, & Concoctionem quandam: Initio morborum ῥευματικῶν frequentiùs sternutatur, & inutilius, & nil nisi ichor devrens excernitur, id quod symptomaticum est: In fine morborum materia fit crassa, temperata, retusa, mansueta, minùs tunc sternutatur, Nam coquendo Natura intendit humorem reddere crassiorem, æqualiorem, mitiorem: sic Coctio fit incrassando vt constans est omnium assertio: Tamen Hippocr. *lib. de Carnibus* ait per putredinem omnia crassescere, imò aquam ipsam: Magna hic quæstio est. Dicunt Avicennam statuere Coctionem nec incrassando nec attenuando fieri, sed ad æqualitatem quandam, vt ad justitiam, reducendo, seductis rebus alterius generis: modo autem generaliore Coctio dicitur esse in humoribus dum crassa tenuantur, tenuia incrassantur, lenta inciduntur, putria in Pus vertuntur, & Natura victrix dicitur, significante Coctione reductionem ad mediocre temperamentum &c. Quod ad Coctionem & attenuationem pertinet, dicimus aliud ὠμὸν crudum, aliud ἄπεπτον, Coctum debere esse crassius, Incoctum vero, tenuius: Crudum Crassum attenuatur Coctione, quia τὸ ἑτερογένὶς excernitur, & dum ad æqualitatem reducitur, tenuius redditur ad sensum, sed æqualiùs est in se, propterea crassius est vnitis similibus partibus & dissimilibus excretis, quod opus est caloris segregantis & vnientis, Sic aliud est crassum per Coctionem, aliud crassum per Cruditatem &c. Temperatio humoris acris, species Coctionis est: Attenuatio crassioris materiæ & ad æqualitatem reductio, & incrassatio vera semotis iis quæ sunt ἑτερογενῆ Coctio quoque est, *lib. de Vortigine.*

Coctio non est solùm putredinis repressio.

4. Falsum quod vult Fernelius, Coctionem esse solum putredinis repressionem in morbis: idem enim est ac si dicat in Phlegmone, quia post vigorem febris concessit, & symptomata mitiora fiunt, solùm esse cohibitionem putredinis: Dum pus fit febris maior est & dolor, quia Coctio fit & pugna est inter calorem naturalem & contra Naturam in humore jam à Natura alieno, non tamen priùs dicetur Phlegmone curata quam pus evacuatum fuerit, id autem Criticum est quid, Crisis autem non solùm in mitificatione humoris consistit, sed post Coctionem in vacuatione quomodocumque ea fiat, &c. *Galenus* 11. *meth.* roborandas perpetuò vires esse consulit, quò Natura putredinem superet, vt ita superata concoquat, nec enim prius coctionem perficiet quàm putredinem represserit, Itaque in morbis Repressio putredinis veluti coctio est quædam καταχρηστικῶς sumpta, aut potius ad coctionem προπαρασκευή: Galenus plenius id

id explicat, dum ait omnem Coctionem morborum in Alteratione humorum esse, Ea autem Alteratio & Coctio à solis partibus fit solidis: revera magna est Analogia inter Phlegmonem externosq; abscessus aut internos, & inter febres à materiâ aliquâ natas, nam cùm in Pleuritide factus est abscessus, & materia purulenta adhuc conclusa est, tusses mitiores sunt, febris remissior, alacritas ægri (nisi forte laterum summa sit infirmitas, vt ea expectorando non sint, sed hoc nil ad morbum) An id tantum evenit quia putredo cohibita est? Nequaquam, Sed quia materia cruda partes habens ἐπεργυεῖς, mitificata est & ad æqualitatem adducta; hoc quidem scio non fieri nisi cohibitione putredinis, sed tamen tota hæc actio à Natura intenta & à vi solidarum partium perfecta, non est simplex putredinis repressio, sed coctio, maturatio, & ad æqualitatem reductio, & si materia pateretur, in alimentum cederet; sic idem est agens, eadem actio, vis eadem in Pepasmo & Coctione, sed finis est diversus & â materia pendet; Cùm Erysipelas fit, cum bilis furibunda involat & adurit partes, cum serum acre molestias infert, applicatio τῶν ἀνωδύνων καὶ ἐπικεραστικῶν reprimit ac cohibet vim ac malitiam humoris, incrassat quadamtenus, id Repressio, id Cohibitio putredinis & malignitatis, sed Coctio non est nec Maturatio, quanquam incrassatio serosorum humorum & acrium repressióque Coctio quædam est, sed id καταχρηστικὸν, & in ferinis destillationibus vsu papaverum humoris pruritum facientis & indomiti incrassatio quædam Coctio est, vnde postea Natura promovet expectoratum, sed id subflavum est sæpe ac viride ob qualitatem humoris illapsi in Pulmones; contra albicans ac purulentum quodammodo si pituita dulcis fuerit: Repressio quidem maximè fit humoris turgentis, turget Bilis & Serum inter cæteros humores, & orgasmus maximè in biliosis morbis & acutis cernitur: accedit & calor febrilis qui in spiritu & sero concipitur, cuius temperatio atque refrenatio Coctionis legitimæ æmula est &c. Et Hippoc. *lib. de vetere med.* in curandis morbis non vult rationem haberi calidi, frigidi, humidi & sicci, sed acris, salsi, nitrosi, Quorsum hoc? Quia si intemperies sola morborum causa foret, sola temperatione ac repressione quadam opus esset, & solus refrigerantium humectantiumque vsus conferret: sic neglecta succorum substantia, aut in eorum qualitates solas reprimendas incumberetur, aut intemperiem corrigendam, At contra humor est acer aut salsus qui lædit, nec eius sola qualitas sed & substantia spectanda: argumento est humor Vitreus, implacabilem Coli dolorem inferens, & vt Hipp. *lib. de vet. med.* monet, Cùm crassiores maturioresque factæ fuerint fluxiones, & ab omni acrimonia liberatæ, tunc & febres, & quæ hominem lædunt, tolluntur, Sic desiderat maturitatem &

 crassitiem,

craſſitiem, hoc autem nil aliud eſt quam Coctio: Idem iudicium de iis ſuccis qui fèbres putridas accendunt, nec enim in iis refrigerandi conſilium tantum eſſe debet: Si intemperies ſpectetur, verum id quidem, ſin ſuccus, nequaquam &c. *Libro de vrinarum hypoſtaſi. p. 123. & ſeq.*

Coctio non ſemper expectanda.

5. Quorſum tam reverenter quidam dant medicamenta & nonniſi πέπονα φαρμακεύειν volunt? Quaſi verò tam ſanctè audiendus ille Aphor. Hippocr. Nam cum quis diu ſanus vixit & repente incidit in morbum (niſi forte is adeo ſit levis vt nullius egeat cura & procuratione) nunquid humores aut quantitate aut qualitate peccantes, & præ copia putrefacti & naturam obruentes, ſui evacuationem poſtulant? Si fluores alui copioſos Natura molitur, idque legitimè & ægrorum commodo, cur non & idem ars efficiat? Si initiis morborum, cùm tamen, ſi quando aliàs, omnia cruda ſunt, laxamus alvum, cur non audaciùs aliis temporibus, niſi cum natura eſt proximè morbum aggreſſura? At fateor in inflammationibus medicamenta non conferre præſertim validiora: ſed ſi meſenterium obſtructum & humoribus plenum, cur non pharmaca præſcribes? *Epid. lib. 2. pag. 142.*

Præparatio locũ habet etiam in vacuationibus particularibus.

6. Quod ſummus vir ſcripſit, Corpora cum purgare volueris fluida facito, id non ſolum in ſolennibus Purgationibus tenendum ſanciendúmque eſt, verum in quotidianis & à natura inſtitutis excrementorum evacuationibus: E Cerebro mucus plerìſque non exit quotidie manè, niſi aut præſumpto cibo, aut potu, aut aëre præhumectante, aut narium aquæ affuſione, humectatione: Pituita non facilè extunditur priuſquam arteriam re aliqua liquida præhumectaveris: vnde plebeii & proletarii homines, quibus non tam curæ eſt quomodo vitam in poſterum ſuſtentent in dieſque vivant, quàm vt quotidie manè lagenam aut ſuum poculum vitreum vino impleant, in diemque vivant, vini dragmis aliquot ebibitis, (verbum enim eorum politicum eſt) multam pituitam è pectore extuſſiunt, adeo facilè, vt id eis ſit magnum ad fugandos morbos remedium: ita enim ſe facile putant adverſus omnia incommoda aëris θωρησσέυεσθαι. *Epid. lib. 2. pag. 229.*

Accurata præparatio debetur bono habitu præditis cum in morbum incidunt.

7. Qui optimo habitu præditi ſunt, & integra ſanitate non lubrica (vt plerique bilioſi tenues) fruuntur, dum de ſanitatis ſtatione depelluntur, crudos admodum morbos experiuntur, & horum vires ſuſtentari debent donec morbus mitificetur: Itaq; hic magna cautio adhibenda, ne ſi valida initio medicamenta data fuerint, agitemus materiam quam educere nequeamus, intereáque nihil aliud agamus quàm vt Naturam infirmemus, minúſque idoneam reddamus ad ſuſtinendam tantam morbi contumaciam & longitudinem. *Conſ. 85. lib. 1.*

8. Miror

Oxymelitis vsus nimius noxius.

8. Miror veteres in vsu oxymelitis tam liberales fuisse, cum tamen plane Hip. repugnet 3. Acut. postquam eius vsum in morbis thoracis & ventris docuit, quod & provocandi Sputi facultatem habeat,& flatus in hypochondriis contentos discutiendi: non quidem per se, quia calorem non habet materiæ potentem, sed tantùm ex eventu, nimirum dum vias parat exclusioni, & incidit tenuatque humores crassos & glutinosos: vnam tantùm noxam affert, quod aceti vim maximè retinens, alvum efficiat πλαδαρωτέραν (nomen enim τῦ πλάδυ immodicum humiditatis excessum designat) dum nimirum incisum tenuatumque crassum humorem ad excretionem parat & subducit, qui diutius morans abradit exasperatque intestinum, vnde dysentericum πάθ@: maximè verò in acutis morbis ista noxa patet, dum vsu oxymelitis læsum est intestinum: nam ita offensum non patitur celerem fieri excretionem materiei biliosæ quam natura expellit, & sic impediuntur exitu flatus & sursum recurrunt humores fœculenti, læditurque intestinorum motus περισταλτικός, quem verto, Constringendo exprimentem. Sed præterea oxymel hystericis mulieribus officit, id est, quæ hystera præditæ sunt delicatiore: lædit omnes partes nervosas acetum. *l. de virg. & mul. morbis capite septimo.*

In Crudorum succorum copia quid agendum.

9. Galenus quodam loco loquens de tollenda obstructione putredinis parente, Si, ait, auxiliis quæ obstructiones eximunt vti velimus non vacuata prius redundantia, non modò nil proficiemus, sed maiorem reddemus affectum: sin vacuata multitudine ad obstructionem accedimus, medicamentis vtemur quæ citra calfactionem expedient: & alibi, *cap. 7. de sang. missione*: In crudorum succorum abundantia vult vt in frictionibus consistamus, & in vnctionibus mediocriter calefacientibus, & potibus crassitudinem humorum incidentibus: In quibus Galenus, *cap. 4. lib. 4. de san. tuenda*, secum maximè dissentit: Nam aliàs in cruditate vsum incidentium reformidat metu maioris mali; aliàs paulò post vsum Diatrion pipereon in copia succorum crudorum vsurpat: Præterea in aphorismis, In humorum tenacitate vtitur origano, calaminth. pulegio, thymo, oxymel. quæ omnia videbuntur infarcire humores nisi corpus repurgatum fuerit. Et lib. 8. met. cauet ne Iride Panacéque vtamur aliisque detergentibus: contra in libris de Simpl. *cap. 12. lib. 5.* non reformidat in plenitudine Ecphractica, quoniam ait, etsi adstringant aliquatenus, non nocent tamen, quandoquidem meatus interni sunt patentes: & cùm vult cocta non cruda medicanda, hoc intelligi volunt de vacuante, non autem de alterante medicamento, proptereáque nil impedire quo minus incidentibus detergentibusque vtamur: Sed & maior longè difficultas: corpus plenum succis crudis, cuiusmodi fœdatarum virginum, nec purgandum nec ad phleboto-

miam adducendum ſed ad frictiones & olea chalaſtica: Item, vt clarius docet Gal. *Aph.* 24. *lib.* 1. Quibus cruditates multæ, tenacéſque ac crudi ſunt ſucci, nec non hypochondria contenta, aut ſupra modum calida, maximè ſi qua inflammatio, hi omnes ad purgationes inepti ſunt: ſic ea corpora præparanda ſunt attenuantibus, incidentibus, frictionibus chalaſticis, &, vt abſolutè dicam, εὔροα facienda ſunt: tamen in methodo diſertis verbis vetat Galenus ne quis corpus rarefaciat priuſquam purgatum evacuatúmque fuerit: qui locus ſuperiùs adductus de frictionibus, de vſu oleorum & Ecphracticorum in cruditatibus planè pugnat, nec non iis quæ Hippocr. *Aph.* 13. *lib.* 2. de Elleboriſmo ſcribit, Nam hominem helleboro purgandum præhumectari vult cibo, quiete, balneo, At id corpus rarefacere eſt: Quis enim dubitat quin ſi corpori obſtructo conſtipatóque præſcribamus τὰ ἀραιωτικὰ, ἢ χαλαστικὰ, ἢ ἐκφρακτικὰ, ἢ διαιρετικὰ, ἢ ὀξύπωρα, & ea quæ detergunt, non aucturus ſis obſtructiones & in inanes capacitates humores impacturus, niſi accurate prima corporis regio ſit repurgata? Nunquid etiam ſi exercitationibus frictionibúſque vtaris incommoda ſit allaturus? Cur enim impuro plenóque corpore vetant præcepta Therapeutica ne frictiones parti vni adhibeantur metu tumoris: quin etiam ſi pleno impuróue corpore exiſtente exercitatio iniungitur, & ruptionis vaſorum, & Epilepſiæ & Apoplexiæ aut Tumorum Vlcerúmque metus adeſt, vt in Aphor. explicat Gal. Vnde à vetere magiſtro dictum, ſi impurus laboret, vlcera erumpunt. Equibus omnibus quis eliciat facilè in cruditate humorum, in cacochymiâ magnâ, formidabilem eſſe vſum & purgationis, & frictionis, & medicamentorum aperientium, incidentium, extergentiúmque; ob eas quæ explicatæ ſunt, incommoditates: Tamen vt non omnia ad vnguem accipienda ſunt, nocétque plurimùm in Arte medica exactam nimis methodum ſequi, quod agendorum cognitio valde ſit difficilis; Ita eſt vbi purgandum, eſt vbi negotium Naturæ tradendum, & eſt ſæpe locus medicamentis aperientibus, detergentibus rarefacientibúſque, idque pro re nata. Sed authorum ſæpe in remediorum vſu exquirendo diligens ſedatúmque examen eſt, vt ad errorem committendum ſimus tardiores: *De virgin. & mulier. morbis cap.* 7.

Non ſemper initio morborum movendum.

10. In quibuſdam febribus Medici præpropere vulgatam nimium medendi viam ſequentes & Sectionem & Purgationem adhibent, decepti & illa vulgatâ nimium viâ, & malè in vſum convertentes illos Hippocr. Aphor. 22. aph. 1. In principiis morborum ſi quid movendum videtur, move, Item, In Acutis paſſionibus raro & id initio &c. Item, In his tardare malum: Nam alius Aphoriſmus Concocta medicari ac movere, non cruda, modò non turgeant, nec in principiis &c. hic inquam Aphor. eſt multo generalior eo quo nituntur,

tur, In principiis &c.etenim per comparationem tantum loquitur; conferens principium & augmentum cum aliis temporibus, in quibus ab opere desistendum suadet: Sed cùm vetat movere ea quæ cruda sunt, cavet ne remediis agitemus frustra ægros, quod ludatur opera, Et cum vult non morandum esse sed statim aliquid moliendum, de Acutis morbis agit: dicimus autem in Acutis revera non esse procrastinandum: sed statim moliendum aliquid: non idem iudicium est de iis qui parem acutiem non habent, Et revera in vtrisque eccoprotica dare sufficit, non scammoniata, eradiantia medicamenta; in quo graviter peccatur; & revera quibus blando medicamento initio consultum est, ii melius habuerunt: progressóque morbo, sine strophis plus vno medicamentulo excreverunt quàm valido medicamento initio: Et ausim hoc affirmare plerosque in vsu eiusmodi medicamentorum, dum frustra conamur initio materiam evellere, excrevisse tantùm multam serositatem quæ morbum contumaciorem reddidit & nil profuit: Et maximè in eo errant Medici quod apho. istum, Si quid movendum videtur &c. & Tardare malum, æquè & æstate & hyeme & autumno vsurpant: potiùs audire debent illud, Plurima non turgent, vt non ita ad medicationes festinent & sectionem venæ, Sic meliùs esset leniens medicamentum bis exhibere & sectionem differre: Sed hæc satis per se manifesta sunt, & tamen plerosque latent veteri medendi methodo addictos: Etenim nemo dubitat hyeme & antumno contumaciores esse humores, & minùs fluxiles quàm æstate aut verno tempore, præsertim sub finem, & ita frustra temeréque fortibus medicationibus divexantur ægri: *Cons.* 65. *lib.* 1.

§. 11. Cùm morbus siccus & crudus dicitur, id fit, non quod non sit materia ad excretionem sequax, sed quia ratione febris superficies interna ventris ardet, & materia ipsa, sic non est à purgatione abstinendum, præsertim per lenitiva medicamenta: nam lenitivum & refrigerans catharticum præparat (quod coquere est quodammodo) & evacuat. 2. *Epidem. annotation.* 8. *pag.* 147. *In cruditate morbi quomodo purgandū.*

§. 12. In purgationibus instituendis, ventres subpurgabis in morbis, cùm matura fuerint, infra, vbi considisse videris: Signum habes si nec anxii, aut capite gravati fuerint, aut cùm post exacerbationes cessarint: tunc enim sua sponte elevantur, cùm anxij & capite gravati fuerint ac se jactarint. *histor.* 1. *lib. ij consil. pag.* 55. Dubitabis tamen, an cùm manet anxietas & gravitas capitis, nùm potiùs per alvum revellendum sit, quàm per vomitionem vacuandum? nam omnis vomitus caput replet. *Ibidem. Annot.* 63. *Purgationes supra vel infra instituenda canon: ex Hippocrate 5. Epidem.*

§. 13. Iis qui optimo habitu præditi sunt, & integra sanitate *Optimo habitu præditi.*

non

cavendè purgandi.

non lubrica, ut plerique biliosi tenues, fruuntur, dum de statione sanitatis depelluntur, crudos admodum morbos experiuntur, atque horum vires sustentari debent donec morbus mitificetur: Itaque magna cautio adhibenda, ne si valida initio medicamenta data fuerint, agitemus materiam quam educere nequeamus: intereaque nihil aliud agamus quàm vt naturam infirmemus, minusque idoneam reddamus ad sustinendam tantam morbi contumaciam & longitudinem. *Consilio Lxxxvi.: lib. 1. pag.* 425.

Qui pravo vtuntur cibo religiosè purgandi.

§. 14. Hippocr. aphor. 36.2. Eos qui pravo vtuntur cibo ægrè medicamenta ferre scribit, nomine eorum qui pravo vtuntur cibo iis intellectis & qui pravos assumunt cibos, & quibus intus, tanquam diarium, reconditi sunt humores pravi, qui nomine τῆς τροφῆς maximè comprehenduntur. Hippocr. lib. de alimento. *Consilio* 107. *lib. 1. pag.* 454. : Galenus explicans cur in purgatione exolvantur ii qui pravo vtuntur alimento, per eos intelligit, & qui capiunt pravum alimentum, & qui jam contentum habent in corpore: & vitiosa dicuntur alimenta per relationem ad pravum sanguinem, qui ex iis generari debet: nunquid enim quod externus cibus facit, idem non faciat alimentum bonum, corruptum autem propter maleficum calorem & febrilem, sive a natura datum sive introductum. *Consilio* 88. *libr.* 3. *p.* 228.

Colliquativa dejectiones purgationem prohibent.

§. 15. Colliquativas cùm vident deiectiones Medici, & sinceras, à medicamento abstinere debent: quanto plus curæ impenditur in purgando, tantò maius colliquationis periculum affertur: hæ cùm educuntur à medicamento, significant nihil subesse amplius quod purgetur. *Consilio* 54. *libr.* 1.

Excretionis modus lentus, tardæ coctionis nō est nota.

§. 16. Medici sæpe decipiuntur cùm longo tempore & paucum excerni vident, naturæ coctiònem longo tempore desiderant; at nosse debent perpigum illum excretionis modum perennem, in fonte conspurcato humoris fieri generationem, τὸ διακώρημα ἰὸν dicimus: Sed cùm aliquid ἐλθεῖν dicimus, aliquid repente, viq; naturæ factum insinuamus, *In Definitionibus Medic. voc.* Ἐμπίπτειν.

Morbi à sero acri crebris purgationibus & ptyalismo antevertendi.

§. 17. Statim initio mensis Novemb. anni 1573. hyems incepit algidissima, quæ ad mensem Martium insæviit, & post hominum memoriam nunquam observata fuit tam diuturna: aquilonia quidem erat constitutio, sed & sævior & diuturnior, sic morborum ferax necessario fuit: capitis dolores fuere intolerabibes, vigiliæ, ad quas medici talia hypnotica præscripsere qualia æstivis fervoribus: Synanchæ, Pleuritides multæ; gravissimi Dentium dolores, Ophthalmiæ alias siccæ alias humidæ &c. Erant hæc à sero acri, indomitos cuniculos & viam sibi parante: Cum talis vrget constitutio, frequentibus purgationibus & ptyalismis morbos antevertere oportet. *Epid. lib.* 1. *p* 31.

§. 18. Efferos

§. 18. Efferos & tumultuariè agitatos humores non ita citò compescit Purgatio ac Phlebotomia, Imò Purgatio sæpe turbat humores & motu ipso deteriores reddit, Omnis enim humor prauus motus, deterior seipso fit dum quiescit, & rursum agitati à medicamento efferantur magis, & naturę vis infertur, vt quæ læ-datur valde ob dolores varios quos modò in hac parte, in quam repit humor, persentit, modò in illa in quam suam tyrannidem humor illabens exercet: imò fatiscit sæpe natura in eiusmodi purgationibus repente factis dum humor ὀργᾷ, nisi expectes sedationem aliquam & quietem ipsius humoris: quod si tibi certò constaret medicamenti vsu humorem vagantem, variasque in partes deductum, in ventrem liberumque spatium impulsum iri, quò natura facile sese illo expediat, tunc tutò purgabis: Sæpe dum tu intendis avocare humorem in alvum intestináque, tanqum idonea & conferentia ad evacuandum loca, intruditur humor in partes inanes & membranarum interstitia, vndè crudelissimi oboriuntur dolores, Præclarè consulunt vt coquatur humor, id est, mitigetur, reprimatur, modificetur (nam Coctio proprie dicta est humorum crassorum, non autem tenuium & efferorum) ne impellatur quò non oportet, & maiores in ea parte excitet turbas quàm ante & vis Naturæ inferatur: propterea ita audire oportet sententiam istam, alioqui facile quis persuaderi possit tum maximè purgationi locum esse cum turbatur & vagabunde incitatur humor: *Cons.* 107. *lib.* 1. *In orgasmo Humorum non convenit Purgatio.*

19. Cùm morbus siccus & crudus dicitur, id fit, non quod non sit materia ad excretionem sequax, sed quia ratione febris superficies interna ventris ardet, & materia ipsa: Sic non est à Purgatione abstinendum, præsertim per lenitiua medicamenta; nam lenitivum & refrigerans catharticum præparat, (quod coquere est quodammodo) & euacuat *Ep. l.* 2. *p.* 147. *In cruditate morbi quãdo purgãdum.*

20. Purgandi indicationem Hippocr. & Galenus, *part.* 43. *lib.* 4. *Acut.* sumunt ex Vrinis, Quibus initio vrinæ crassæ ac nebulosæ fuerint, hos, annuentibus cæteris, purgare convenit: Nomine crassarum Vrinarum Gal. Coctionem & mitificationem quandam materiei audit, contra tenuium nomine, Cruditatem: Et hæc verba Hippocrat. magni sunt ad medendum momenti: Nam cùm incidimus in morbos, sæpe sunt vrinæ tenues, aliquando sunt grumosæ & crassæ; priores à medicamento eradicante dehortantur: posteriores nonnunquam suadent; at cum perturbatæ sunt & crassæ cum aliqua æqualitate, tunc audaciùs purgandi occasio capiatur, Et quò propiùs ad sanitatem accedimus, eò suam quandam tenuitatem cum bonitate coloris repetunt ac recipiunt. *Cons.* 115. *lib.* 1. *p.* 562. Si confusæ ac turbatæ & humorales, vt ita dicam, *Purgandi indicatio ex Vrinis.*

audaciùs purgabis, *Annot. 2. in histor. 7. lib. 2. Consil.* Cùm hypostasis adest, eáque laudabilis & multa, nullum est vel exiguum medicamentum quod non admirabiles effectus habeat, imò cum hypostasis apparet, eáque notas habet suas & perseverat, plus vno medicamentulo proficitur quàm duodecim etiam validis, tunc cum omnia cruda existunt; *lib. de vrinar. hypost.*

Purgandi indicatio ex Linguâ. 21. Lingua Lotium indicat, id est quis humor in corpore redundet, vt lotium serum cuiusque humoris refert, Et Hippocr. *parte 14. sect. 5. lib. 6. Epid.* varias species colorum in lingua describit, Sed omnino duo summa genera colligemus, aut lingua affecta est per modum vaporis, aut per modum fuliginis & exhalationis; vna species est humoralis, altera non tam est materialis quàm immaterialis per æstum tantum & effervescentiam, ita vt vel nulla sit materia, vel si sit, ea pauca est, aut jam exusta, vt vapor nullus excitetur: priùs purgationem vacuationemque postulat, posteriùs omnimodam alterationem: Quæ omnia Hippocr. explicavit sed obscurè, Dum enim ait, Linguæ virides, biliosæ, materiam significat: cum ait, Aridæ à fuliginosa exustione, posterius Linguarum alteratarum genus graphicè describit: maximè verò materies aliqua in Linguâ & dentibus apparet, cum à calore extraneo excitatur vapor, quod & Hippocr. scribit, dum ait, Quibus in febribus circa Dentes lentores quidam sunt, iis fortes febres fiunt: declaratur enim & caloris multitudo, & pituitosioris humoris copia à qua crassus vapor excitatur, qui resiccatus febrili calore circa dentes τὰ περίγλισχρα facit &c. *Epid. lib. 2. p. 116.*

Die critico, aut eo instante non est Purgandum. 22. Mirum est quod hodie graviter peccatur in re in qua veteres admodum accurati fuerunt, nam Diebus Criticis purgamus, vt mirum non sit si ægros sæpe in vitæ discrimen adducamus: quod diligenter annotavit Hippocr. 4. de morbis, Quod humor, inquit, diebus imparibus moveatur, certa sunt indicia, quod iisdem diebus dolor maxime affligat & vlcera inflammentur, & quod quicunque à febre continua correpti pharmaco purgatorio in diebus paribus vsi sunt, hi nimium purgati sunt nunquam: qui verò diebus imparibus medicamento forti vsi sunt, nimium sunt purgati, & multi periere, *Annot. 4. in cap. 34. lib. 1 Conf.* In exhibitione Catharticorum obseruandi sunt maxime dies Critici, in eis enim motus quidam fiunt Naturæ, quos vel impedire vel reprimere non parum est *Annot. in cap. 50. lib. 3. Conf.* Periculosa omnis evacuatio aut die critico præsente aut instante, præsertim si morbi historia sit bene ordinata; imò & sæpe vidimus, experientiáque didicimus, dato medicamento non valido sexto die, jam septimo appetente, graves & periculosas ὑπερκαθάρσεις attulisse, nam tanta commotio affertur, vt symptomatica inde consequatur evacuatio, nam

nam mixtim, confuse & promiscuè omnia evacuat Natura. *Epid. lib.* 1. *pag.* 77. *Consil.* 83. *lib.* 1. Nonnisi magna cum religione agitandi sunt ægri circa dies criticos, nam hinc hypercatharses consequuntur: sæpe enim emovemus materiam residem & quæ non furit, & si eam agitamus, & tunc forte tum irritatione materiei, tum medicamento Natura ad Crisin incitetur, eveniet mors aut grave aliquid; Sed, dices, eò levius habebit Natura? imò graviùs, nam sæpe in Crisi Natura contenta est quodam sudore, & tametsi omnino non cesset morbus, vt pote eius causa omnino non sublata, saltem diminuta est, & morbus. Et satiùs est Naturam Crisim aliquam non omnino perfectam, cum relapsus aliqua opinione, moliri, quàm conando cum Natura coeffundere, ejus institutum impedire & mortem intentare. *Epid. lib.* 2, *p.* 110. Medicamentis præscriptis diebus instantibus Criticis aut secta vena, hypercatharses sunt faciles, quod nos in plerisque observavimus, nam sequuntur sæpe sudores Diaphoretici, Si natura valeat, aut arte erecta fuerit, liberantur quidem, sed diu imbecilli manent & vix à morbis relevantur; sin imbecilla fuerit Natura, eodem die quo vel medicamentum datum, vel vena secta moriuntur, quod calamitatis & infamiæ est plenissimum; *Consil.* 84. *lib.* 1. Etsi per hypercatharsim istam educuntur putria corruptáque, tamen meliùs fuerat ea non agitavisse; multa enim sunt in corpore corrupta quæ suo gremio adhuc natura continet ac regit, Etsi facultatem eius retentricem forti medicamento & attrahente concutias, non mirum si laxatis fibris omnia effluant maximo virium dispendio. *Ann* 5. *in id Cons.* Est valde periculosum circa dies Criticos & in iis diebus aliquid moliri, nam minima occasione Natura perturbatur & crisin molitur, & si debilior sit, necessariò est illi occumbendum; imò dum Hipp. de vulneribus loquitur 3° quoque die mitius agendum esse vult & conquiescendum: quod si id fit in vulneribus & affectibus externis, cur non magis in internis? *Epid. lib.* 2. *p.* 179. Dom. Duretus febre assidua laborabat, sputa erant prava, noluit corpus medicamentis agitare, & Naturæ maximam negotii partem commisit: Sed ecce, dum Natura non revocatur ab instituto die 7. 11. 14. & 17. sudor apparuit iuvans plurimum: Agant quicquid velint Practici, sed reuera dierum observatio magnifacienda est: Et credo Naturam plus secernendo, & sudorem vnum excitando prodesse quàm Medicos suos medicamentis; imò Naturæ officium perturbatur. *Ep. lib.* 2. *pag.* 214. Carpentarius ventrem doluit & febricitavit: ad mulieres itum est, hæ hominem vt ab vtero laborantem curant, irrita opera; augetur febris & continua fit, Quarto die vocatus medicus, venam secare, purgare cœpit, septimo quievit, Eodem die factus ἄφωνος per sex ho-

 ras:

ras : Pulsus valebat, Id erat κρίσιμον μὴ κρινόν : inanis quippe Naturæ Conatus : nam nondum signa coctionis patefiebant; Vndecimo ferè sic habuit : Et cum data opera diebus Criticis nil moliremur, motum nescio quem Naturæ observabamus : Ad triginta pene dies provectus morbus, convaluit : Religiose sunt observandi dies κριτικοὶ. *Epid. lib.* 1. *pag.* 262.

Medicamenta purgantia accommodanda corporibus non contra.

23. Maxima ratio habenda eorum qui purgari debent, ne videamur corpora accommodare medicamentis, non medicamenta corporibus, per observationem peculiaris Naturæ : In hoc plurimum aberratur : plerosque vidimus quibus medicamenta statim ab aluo præcipitantur & nonnulla secum educunt, sed non talia qualia purgari oporteat : hoc autem fit in iis quibus ventriculus est admodum delicatus & exquisiti sensus, quod discernas ex eo, nam sunt vt plurimùm decolores, vix sustinent inediam, aut si sustinent, magna virium infirmitas est : Acetariorum vsu, aquæ frigidæ & rerum humidiuscularum ac frigidiuscularum facile offenduntur, lævorem habent alui facilem, torminibus Cœliacis facilè tenentur, non valde sitiunt, saliva in iis ob os recurrit, vsu rerum calidarum & admotarum & assumptarum facile iuvantur; his nec Cassia, quia lubricat nimium, & suo virore alvum istam subvertit, nec Catholici confectio, nec Scammoniata prosunt : Nam quæ Scammonium receperunt, dum citò ad actum reducuntur, & citò pylorum aluíque fundum irritant ac pungunt, vna post medicamentum sumtum hora alvum solicitant perturbate, & ταραχὴν non κάθαρσιν faciunt; cum vera κάθαρσις electiva esse debeat; Itaque cum ob effœminationem & mollitiem & humectationem ventriculi facultas retinens non sit valida, & pars exquisito sit prædita sensu, non mirum est si moram in ventriculo medicamentum non facit : Præterea quibus in ventriculum ipsum perenniter allabitur Catarrhus, vt multa humiditate alvus natet eadem medicamenta non ferunt. Et Cassia in talibus ventriculis inflatur & dolores infert magnos & λειποψυχίας. Nec his nec illis tutus Pilularum vsus, quia ab alvo statim, nullo effectu præstito, devolvuntur. Si itaque velis quippiam effatu dignum facere, corpus aut præexsiccandum est, aut danda medicamenta quæ vim habeant purgandi & vnà fibras ventriculi roborandi, alioqui ludes operam. *Epid. lib.* 1. *pag.* 42.

Ἰδιοσυγκρασία tenenda in præscriptione purgantium.

24. Illustris est Lutetiæ familia in qua multi sunt liberi, quorum alii aliquid retinent nativum à patre, alii à matre : Pater minimo medicamentulo repurgatur, idem liberis paternum quid habentibus contingit : Matrem nonnisi valida medicamenta commovent; Qui maternum quid habent, nonnisi validis medicamentis commoventur : adeo magni refert ad prudenter medendum, non civitatis tantùm non vrbis, non domus, peculiarem habere notitiam, sed

cujusque

cujusque ἰδιοσυγκρασίαν animo impressam tenere. *Epid. lib.* 1. *pag.* 38.

25. Cur multi diu integra sanitate fruuntur quibus nec secta vena, nec datum medicamentum? Aliis & sæpe secatur vena & datur medicamentum, & valde lubricæ sunt sanitatis? Credo quod corpus in malam consuetudinem adducitur, & quod dum sæpe purgatur, desinit ali, id quod Celsus animadvertit: At dices, nulla forte necessitas fuit? imò plerosque videmus, qui obstinato quodam animo Medicorum remedia aversantes, licet profluviis Dysentericis, Tertianis febribus aut Quartanis detenti fuerint, sine vlla noxa ab iis morbis evaserint: sic inutilis fuisset Pharmacia & Phlebotomia: Nam credo Pharmaca Naturæ vim inferre & humorem in mesenterio latitantem, movere, qui dum cietur, deterior fit quam si quiescat; & revera ἡ φύσις τῶν νούσων ἰητρός. *Epid. lib.* 2. *pag.* 74. Non videberis operæ multum pretii facturus si medicamentis Purgantibus corpus assuescat; nam cùm illis nulla amicitiæ cum corpore intercedat necessitudo, ab iis corpora alterantur ac deteruntur: deinde in pravam consuetudinem adducuntur, desuescere autem non facile est, aut non commode id fit, humores enim qui desides in corpore diu restiterunt, & qui de sanitatis gradu nondum dejecerunt, semel moti ac concitati, deteriores redduntur quàm ipsi fuerunt dum quiescerent. *Consil.* 1. *lib.* 1. *Consuetudo Purganti assumendi mala.*

26. Sangermanus annos 50. natus, dum solennes Purgationes neglexit, ita congesti sunt pravi humores, ita sanguinis massa infecta, vt adoriente gravi morbo ei necessariò fuerit intereundum; quotidianus illi erat hydromelitis vsus, quod obfuit per se & ex eventu; ex eventu quidem, quoniam cùm alvum solvat bifariam, aut generando bilem (quia mel bilescit) aut acquirendo acrimoniam, quia in biliosis æstuosisque alvis, mel facile acrimoniam acquirit, propterea que alvum sollicitat, contigit vt iste æger alvi libertate donatus neglexerit ea solennia remedia quibus propter Plethoram & Cacochymiam sæpius in anno vtebatur; Satis enim sibi suæque plethoræ factum putabat quod liquidiusculè alvus ferretur, Imo initio pastuum, cum primum hausisset iusculum, ad desidendum desurgebat, & in lucro deponebat in bonisque ducebat, at ista alvi subductio non erat naturalis, sed potiùs erat veluti quædam ανατήλη, i. e. humida quædam excretio &c. *Consil.* 110. *lib.* 1. *Solennes vacuationes non intermittendæ.*

27. An præsentibus Sudoribus initio morborum cessandum, & non aut vena aperienda aut corpus purgandum? omnes enim ab opere cessant; Ego verò existimo etiam moliendum aliquid, quod inanis sit Naturæ conatus, causam morbi per cutim amoliri volentis, *Consil.* 12. *lib.* 2. *Vide lib. seq. numero* 32. *Sudorum eruptio non semper interdicit Purgationem.*

Purgantia temerè præscripta criticum & salutarem sudorẽ sæpe inhibẽt.

28. Sudor tempore erumpens maximè facit ad morbos iudicandos & dolores sedandos: circa id peccari solet plurimùm, Nam cum & Apozematis & medicamentis purgantibus alvum sollicitamus & vrinas provocamus, sudandi occasionem demimùs, quibus enim alvus humida est, humorque ad vesicam affluit, sudant minimè, ideo Natura revocatur ab excretione per sudores, *Annot. tertia in id caput.*

Sudor morbi prænuntius Purgationem non illico innuit.

29. Vbi cruditas est multa, sæpe sudores multi sunt, nam in morbos casuri, longè ante sudant, & is sudor est prænuntius morbi, quemadmodum & κόπ@ αὐτόματ@: An non potiùs à cruditate est, & si est, num potius coquendum quam vacuandum? *Ib.*

Pulsus intermissio & inæqualitas Purgationem non semper impedit.

30. Si à viribus sumitur indicatio Purgandi, forte id fallax est; Nam videmus sæpe in principiis morborum & Pulsus intermissionem & inæqualitatem summam, & tamen audacter Purgatio instituitur & venæ sectio: An hoc tutò fit? Ab oppressione potius est ea infirmitas, proinde Natura deoneranda est vt recreari possit: *Epid. lib. 2. p. 214.* In matre Domini Hellain morbi initio, insignis pulsus mutatio, eáque terrifica; sæpius purgata est, Pulsus ad suam naturam & symmetriam rediit: *Epid. lib. 2. pag. 217.*

Virium infirmitas à Cacochymia non impedit Purgationem.

31. Non oportet terreri metu infirmitatis, cum ea potius à copia aut Cacochymia humoris pendet quàm ab inanitione: D. Delaulbe dies aliquot impurgatus ægrotabat; febris assidua, delirabat perpetuò, sed eius desipientia intra verba erat: videbatur animam agere, tamen multum purgavimus illum & cacochymiam exegimus, liberatus est: *Epid. lib. 2. pag. 249.* Illa nutrix quæ diu sana vixerat, & quæ initio morbi tam terrifica passa est symptomata, satis docuit Medicum his turbari non debere, imò audacter, sevatis aliquantum viribus tentare debere remedia, nec solis cardiacis fidendum. *lib. 2. Epidem. & Ephem. pag. 197.* Similis est historia N. in quo leipothymia præcessit febrem insignem & genu tumorem: Medici territi istis symptomatis ad cardiaca properant, cùm ad purgans potius sit statim veniendum. *Ibid. annot. b. pag. 200.*

Tum cautè agendũ.

32. Vbi virium infirmitas licet argumenta sint Cacochymiæ multæ, nisi ea valde obsequatur blando etiam medicamento, cavendum ne vehementer corpus conturbemus: vnde plerosque vidimus eodem die sublatos quo datum medicamentum, falsa quadam opinione multi & pravi humoris existentis: Damisella Malon, vxor Gulielmi Guinet, Servus D. Poille, I. le Myre mercator, ita dato medicamento non multò post interiere. At turpis calamitas est dato medicamento ægrum interire ait Hipp. *Epid. lib. 2. pag. 213.*

Cacochymi medicationes ægrè ferunt, &

33. Ex Hippocrate, Qui pravo vtuntur cibo, per medicamenta evacuati citò exolvuntur: i. e. qui pravis abundant humoribus; sive nomine alimenti pravi id quod externum est audiatur, sive humores

humorúmque

humorúmque ichores in corpore contenti, authore Galeno; Maximè autem Cacochymi medicationes ægre ferunt, quod paucos bonos habeant spiritus & calorem imbecillum : præterea vix robur virium in Cacochymia, præsertim si magna sit, constare potest : Deinde dum pravi humores exagitantur tetros efferunt ex se fumos, à quibus leipopsychiæ inducuntur: Tertiò, dum humores vitiosi per partes sensibiles deferuntur pungunt feriuntqúe, vnde veranda sequuntur symptomata: vnde cautio adhiberi debet in purgatione corporum malis humoribus præditorum, *lib. de Virg. & mul. morbis cap.* 7.

qui pravo nutricatu vtuntur.

34. Minus vero extenuatum emaciatumque corpus Pharmacis vexandum, impensè enim corpora eiusmodi à medicamentis calidis divexantur, & maior marcor inducitur & tabes, vt gravissimus error eorum existat, qui dum corporibus tabefactis aridisque opem afferre volunt, experti semel quod eorum corporum alvus non facilè laxetur, ad Scammoniata valentiáque medicamenta confugiunt, quibus tantam vim corpori afferunt vt plerisque perniciem hinc contractam noverimus; At non noverunt Proceres isti (si Diis placet) Medici, difficultatem subducendæ alui ideo evenire quod alvus sit exucca aridáque, vt colliquationem afferas potiùs quàm aliquid educas. *Ibidem. p.* 78. Cùm vna ex causis adstrictionis Alui causa sit Retentricis firmitas præcordiorúmque καῦσος, videmur frustra eiusmodi naturas validioribus medicamentis vexare, aut quod eorum querelis obtemperemus qui operam nostram ludant, vt pote quibus medicamento nostro alvus non sit soluta, aut quod malè credamus quod alvus ægriùs & magis πρὸς ἀνάγκην egerit redditqúe, eo validioribus medicamentis esse agitandum, at longè fallimur : Eiusmodi ventres siccos, arentes, ex Hippocr. *lib. de Aq. & locis*, vocare possumus Ambustos Exustosve : vt duobus in locis, priore, cum loquitur de lapidis generatione ob æstum ventris, Quibus, ait, alvus ardens ac feruida fuerit, his vesica coardescit : Posteriore autem, dum loquitur de Aquarum delectu, Quorum ventres duri sunt, & ad hoc idonei vt amburantur, his dulcissimæ, levissimæ ac splendidissimæ aquæ ex vsu sunt; Non duras aquas præscribit, non aluminosas, non nitrosas, quæ tamen viderentur alvum sollicitare, contra dulcia, mollia, liquidáque præscribit : Eadem & medicamentorum ratio esse debet, Nam vt ad ventres ardentes aquæ molles & dulces, ad ventres inquam ciendos conferunt, sic & medicamenta eccoprotica, lenientia, mitigantia, leniendo soluentia; contra verò obsunt plurimum ea quæ astringendo purgant, aut quæ impensè calfaciunt, vt omnia quæ Scammonium recipiunt: nam cum siccitas ex iis fit quæ facultatem retentricem roborant firmantque, ex quo alui pigrities consequatur, nemo dubitat plurimum incommodi allatum iri si impensè siccantia

Corporibus extenuatis alui durioris nocent valentia purgantia.

cantia

cantia & calfacientia medicamenta corpori facultatem retentricem præ ſiccitate robuſtam habenti exhibeantur: Sic pueriliter errant Medici id genus medicamentorum conſulentes: itaque cum corpora gracilia, ſicca, duritie alui prædita, ad medicamentorum vſum adducimus, lenientia potius quam valde attrahentia vſurpare debemus; imò ea corpora præhumectare oportet eo modo quo & conſulit Hipp. in Aphor. loquens de vſu Ellebori: ideo quidam ex noſtratibus Medicis ſic illa corpora purgabat vt per dies tres continuos, & bolis Caſſiæ tanquam alimento ſumptis, & iuſculis vitulinis præhumectaret ac præpararet: *Conſ.* 65. *lib.* 1. *pag.* 377. Avocare à medicatione debet marcor, ſquallor, & quoties tale quid contingit præparcos in medicamentis nos eſſe oportet: afferimus enim tantum colliquationem partibus, illudqúe contingit quod ſcribit Hippocr. Si quis inflammationem amovere nititur medicamento, non proficit quicquam, & σύντηξιν partibus affert: *Conſ.* 34. *lib.* 1. *pag.* 132. Qui corpuſcula ſicca & emaciata graviter medicamentis fatigant, neſciunt ſiccitatem corporis retentricem confirmare admodum, & deiectiones non poſſe fieri faciles & liberas niſi humiditas quædam radicalis ſit quæ actionem adiuvet, ſic enim magna illa ſiccitas omnem actionem impedit ac intervertit: interea affatim ſæpeque medicamenta valida damus & dum maiorem ſiccitatem afferimus, nihilominus noſtro voto ſatisfit, *Conſ.* 16. *lib.* 1.

Graciles vt purgandi.

33. Hippocr. Aphor. 6. *lib.* 4. non vult Graciles dejectoriis medicamentis vacuandos ſed vomitoriis, contra mediocriter Carnoſos ſubductoriis exercendos: videt inclinationem & ῥοπὴν humorum in gracilibus, & præſens periculum ſi ſubductoriis agitentur: Ac de Gracilibus natura & temperamento Hippocr. intelligit: dicat quiſpiam, non de iis qui propter morbum aut humorum Cacochymiam tales evaſere, quibus magna ex parte imbecillus ſtomachus, ac propterea ad vomitum ineptus, quod & Celſi *cap.* 3. *lib.* 1. opinione ſunt confirmaturi, Vomitus, ait, inutilis eſt gracilibus & imbecillum ventriculum habentibus: imò Aph. 36. *lib.* 2. abdominis tabem ad vomitiones nocere contendit: quæ Celſi authoritas nos valde pungit, in eamque opinionem adducit vt credamus nil pro nobis facere aphor. illum Hippocr. quo docere voluimus corpora gracilia & emaciata medicamentis non eſſe tentanda: imò contra ſtat ſententia Hippocr. *lib. de loc. in hom.* qui nos hortatur ad Purgationem corporum tabefactorum; medicamentum, ait, donec corpus floret, non propinetur, non enim evacuatio fit niſi exigua: cùm autem Gracilis ac macilentus fuerit, tunc bibendum exhibe & evacuabitur: Itaque convincet audentiùs minúſque cunctanter extenuata corpora eſſe medicanda quàm bene habita & εὐσάρκως; Sed Hippocr. Aph. 36. & 37. *lib.* 2. nomine florentis corporis ſanos intelligit, quibus

quibus medicationes ſunt inutiles ex ſententia illius,imò ſi qua illis à ſanitatis gradu deceſſio videatur, ad prophylacticam potius recurrendum conſilio Gal. *lib. quos & quando*, Nomine Gracilium Cacochymos intelligit, vt pote quibus propter ſuccorum latens vitium corpus nihilum quidem proficit aut parùm admodum; ſic emaciantur & tabeſcunt. Quod autem ea mens ſit Hippoc. ita ex iis quæ ſequuntur audiendum, Medicamenta Cholagoga (ſupple in Ictero) ne exhibeantur, quia corpus conturbatur; vbi autem ſiccum fuerit corpus quod conturbatum eſt, corpus nutrito, nec medicamine dejice alvum, Sin homo viridis & luteus ſit; purgato, nequaquam ſiccato, vt is color ſtabilis non ſit: In quibus verbis rerum ad hunc ſcopum ſpectantium diorismi continentur: nam monet Ictericum humectandum, deinde purgandum; & cum corpus reſiccatum fuerit, non eſſe pharmaco turbandum; Sin ſit luteus & viridis (χλωρὸς) audacter purgandum, i. e. ſi ſuperſtes ſit Cacochymia, cuius ſoboles ſit coloris defædatio, à purgatione temperare nefas eſt: ſic Graciles, i. e. Cacochymos, à ſigno & communi ſymptomate nomenclaturam deſumens, libentiùs ad medicationem adegit: itaque ex iis legitima ratio medendi deſumenda eſt, ne temerè parcamus medicamentis cùm opus non eſt, aut eadem vſurpemus; Et ſi turgidulum corpus ſit, & pravis turgens ſuccis, Purgatio quidem tentanda eſt, ſed per epicraſin ratione virium imbecillarum: ſin extenuatum aridumque, ſequendum Hippocratis conſilium, vt corpus prahumectetur, deinde, ſi locus ſit medicamento, id præſtabitur, *lib. de virg. & mul. morb. cap7. pag. 78. & 79.*

35. *Gal. comm. in aph. lib. 4. acut.* Ἄχροοι καὶ λείφαιμοι, id eſt, exangues, non ſunt purgandi: Sed qui ita decolores ſunt paucique ſanguinis, exercitatione potiùs ſunt calefaciendi, item vſu vini generoſioris & cibo: ſed notandum aliud eſſe κακόχροον, aliud verò ἄχροον καὶ λείφαιμον: nam illud κακόχροον vitium in colore notat vt vel plumbeus, vel liuidus, vel niger, vel auriginoſus, vel cum virore pallidus ſit, ac neceſſariò viſceris vitium & peculiarem affectionem inſequitur: ſed ἄχροον καὶ λείφαιμον coloris defœdationem impropriè dictam, penuriam & defectum caloris & ſpirituum, qui partes illuſtrantes colorem nitidum ſplendentémque præſtant. Sic Pallentes & ἀχρόους propriè dicemus, ſi color non ſit alienus, vt viridis, plumbeus, liuens nigricánſve: κακοχρόους autem ſi aut ſuperſtitis aut ſuccreſcentis cacochymiæ ratione mala coloratio adſit, vt in Ictericis ſuffuſíſque cernitur. *Ibid. pag.* 84. *Ἄχροοι non ſunt purgãdi ſed κακόχροοι.*

36. Pueris, vt & cæteris alius ætatis, nonniſi prudenter medicatio decerni debet. Sed maior in illis cautio eſt adhibenda, Novimus pleriſque data medicamenta, qui eo ipſo die, medio Purgationis *Pueris cautè decernenda præſertim ſi extenuati.*

tionis tempore, interiere : id quod non ſine calumnia & Artis dedecore contigiſſe viſum eſt : maximè verò id attendendum cùm iam corpus eorum puerorum ſqualet arétque, & aut vi morbi aut diuturnitate fractum debilitatúmque eſt : Hippocr. enim obſeruauit ſiccos, id eſt, jam morbo afflictos & extenuatos, non facilè medicamentum tolerare : At cum iam corpora elanguere, potiùs in refectionem incumbendum eſt quàm in euacuationem; tametſi fortaſſe objiciat quis ſubeſſe tetrum humorem qui malum foueat; ſed ſæpe etiam cum eo humore anima effunditur, & potiùs emendandus eſt bonitate ſucci alibilis quàm agitandus : eſt autem vbi Natura, ſeu potiùs corpus languet quàm ægrotat, tunc roborandum eſt potiùs quàm vacuandum; vnde enim Natura magis eſt opis indigens, inde magis eſt illi occurrendum : *Epid. lib. 2. pag.* 265.

Coporа ſeruorum, dura & compacta vix ferunt.

37. Qui fit vt Corpora ſervorum & ſervarum, dura, compacta, ſolida, non lubricæ ſanitatis vt corpora liberorum, ſæpe in morbis, purgationibus & venæ ſectionibus faciliùs obruantur, premantur, deficiántque, quàm corpora quæ ſunt apertiora molliora, ſubtiliora? imò teſtamur obſervaſſe nos ſæpe ejuſmodi corpora faciliùs λειποθυμεῖν ϰ̀ ἐκλύεσθαι in purgando & venam ſecando quàm alia: Tres cauſæ eſſe videntur, Primùm, cùm hæc corpora aratro apta, dura & compacta, ſana degant nec facilè morbis implicentur, & nonniſi magnis & gravibus à cauſis perculſa in morbum cadant, ſic cauſarum magnitudine territa, imbecilliora redduntur : Secunda, cùm in his humores crudi ſint, nec tam putres & ad putredinem apti quàm ſunt corporum delicatiorum & delicatioribus diætis vtentium, non facilè ferunt Pharmaciam : imò in cenſu corporum ſanorum ferè habentur, etiam cùm ægra ſunt, vnde etiam eorum morbi longi ſunt, & ante corpora imbecilliora morbo prædita aut ſanitati reſtituta ſunt, aut morbi vi perculſa & abrepta, quàm duriorum corporum morbus ad incrementum proceſſerit: Sic cùm Medici in vilibus iſtis mancipiis audaciùs vacuationes inſtituant ac periclitentur, non mirum ſi valde perturbant : nam & ſana corpora, & crudiſſimis humoribus ſcatentia, medicamentis agitata exoluuntur : Tertia ratio : In corporibus denſis, obſtructis, magnis & denſis viſceribus præditis, ob compactionem non facilis eſt & excitus curſus ac impetus inclinatióque ſpirituum, qui ſurſum ac deorſum ferri debent ad corporis illuſtrationem, vt mirum non ſit ſi ejuſmodi corpora facilè obruuntur & morbo implicita, ignaua reddantur : Quæ enim ratio eſt corporum denſorum ab Hippocr. aſſignata, ea poteſt eſſe corporum ſeruilium, ferè enim denſiora & compactiora ſunt: at is libro de morb. mulier. docet corpora mulierum denſa non abundare

abundare lacte, quia à ventre ad mammas lac facile non penetret, cùm via sit densa &c. *Epid. lib. 1. pag. 96.*

38. Mirum illud, videas quosdam qui indulgent genio, & sine ordine & tempore modò cibos capiunt, modò bibunt, cùm ad actiones omnes sint alacres & expediti & validi videntur, tamen purgati exoluuntur & vix ferunt phlebotomias: quod in quodam Chirurgo obseruatum & innumeris ancillis quæ securè dormiunt & indulgent genio: At dices, id fit quia corpora sana non facilè ferunt Purgationes, hæc autem corpora sana esse dicuntur, & nonnisi ægrè in febres incidunt: contra videas pleròsque valde cacochymos qui facile purgantur & phlebotomiam sustinent: tamen Hippocrates ait, eos qui pravo vtuntur cibo ægrè ferre Purgationes: Galen. in comm. nomine pravi alimenti, & illud quod vitiosum est, & extrinsecus assumptum intelligit, item & alimentum internum, id est sanguinem pravum audit: dicam quod sentio, Qui prava diæta vtuntur, tum in ordine, tempore, tum in rerum assumptarum qualitate, ij quia congerunt multa cruda, ratione istius cruditatis non facilè ferunt Purgationes: sæpe qui Diæta súsque déque habita vtuntur, ij natura sunt firmi & sani, & bonitate Naturæ sisi multa faciunt quorum sera tandem pœnitentia est, & tales homines non facilè ferunt Purgationes, tum quia cruditatem habent, tum quia sanas habent partes; dejectiones in his sæpe sunt tantùm cuiusdam chylosæ substantiæ, crudæ: sed sunt alij magis valetudinarii, qui cùm partes internas male constitutas habeant, imò & calore acri & malo abundent, non capiunt plenum fructum ex alimento, quin & magna pars alimenti corrumpitur, præsertim si mesenterij venæ sint exiles, tales non ægrè ferunt Purgationes, præsertim cùm collectio est colluuiei, in ventre, imò à Purgatione bene habent: sed si sanguinis massa infecta sit, non tam alacriter eas Purgationes ferunt; quibusdam enim pravum colorem habentibus sæpe adimitur sanguis floridulus & laudabilis, & tales quater purgari possunt sine vllo deliquio: non facilè ferunt phlebotomiam, quia Natura saltem sanguinis massam sartam tectam retinet, Sçire autem oportet multos homines existere quibus media tantum pars alimenti proficit, & multum excrementi mali congerunt, & dejectiones valde fœtent, alij tantùm sunt stercorosi: illos priores sæpe purgare convenit, alios cruditate plenos inediam ferre, *Epid. lib. 2. pag. 160. & 161.*

Corpora sanâ minus quàm valetudinaria ferunt.

39. Quòd vulgò dicitur verum non videtur, vt hyeme validissima medicamenta præscribantur, nam si multùm calida sint, adaugebunt intestinum illud incendium, imò & lientericum quid efficient non sine ægrorum damno, sic expectanda ibi, si quando aliàs, concoctio est: si habeatur humorum quidem ratio, validis

Valida medicamenta non vsurpanda hyeme.

vtique medicamentis locus esse debet : at quia superficies intestinorum æstuat ob reuocatum intro calorem, verendum ne adaugeatur incendium calore medicamenti : & si quando valet illud πέπονα φαρμακεύειν, illud ad hyemales morbos referendum : dum enim rationem reddit Galenus cur morbi hyemales sint longi, ad contumaciam humorum id refert, & quia nil in corpore foras protruditur, sed abstrusum reconditúmque intus est : *Epid. lib.* 1. *pag.* 54.

Diarhoea aut vomitione immi-nente non danda.

40 Cùm coniecturis assequere aut fluxum alui adventaturum, aut vomitionem, aut utrumque potius in morem Choleræ morbi, cave ne Purgans agitansve des medicamentum : nam periculum inde sæpe evenit, nam agitati humores validè multos & graves excitant tumultus, imò & syncopas & alia eiusmodi quæ solent innocenti per se medicamento attribui, idque immeritò, *Epid.lib.*1.*pag.*77.

Purgationis neglecta noxa.

41. In iis qui diu morbo ab humore putrenti nato fatigati sunt, & obstinato quodam animo medicamentis abstinuerunt, tota massa sanguinis exalbescit & proximè ad pus accedit, imò in Leucophlegmatias incidunt defectu Purgationis, quia communicatione putredinis, cuius humor subjectus non est eductus, carnes colliquantur & contabescunt, sanguis multus veluti purulentus in venis adest, & quicunque detrahitur, saniosus est ; maxime vero eam labem contraxit is sanguis qui circum gibbas iecoris & simas stabulatur & in partibus vicinis, facilè enim corrumpitur. *lib de vrinar. hypost.* Ac nos testamur observasse in quadam muliere quæ febre putrida laborabat, cum omnia medicamenta purgantia aversaretur, & tamen purgationi locus esset, per octo menses continuos vrinas crassas multas, materia multa alba & purulenta plenas excrevisse: revera materia erat febris,& incredibile dictu quantùm minxerit: quidam abscessum esse in renibus existimabant, sed contra, materia illa quæ facilè per alvum secessisset, subibat venas iam cocta,putrefacta (ut verbo antiquorum vtar) & mitificata, & hypostasin multam faciebat : argumento est, quod eo vrinæ profluvio, morbo symptomatis terrificis plenissimo,liberata est : ac medicamentum vnum atque alterum hoc totum supplevisset. *libro de vrinarum hypost. pag.*115.

Purgans movens non excludens, noxium.

42. In vxore Domini Rose mirum fuit quod pilularum vterinarum & blandarum vsus dolores excitavit in vtero, inguinibus, suris tibiarum ; adeo partium istarum maximus est consensus : Et cavendum ne pigra & inefficacia sint medicamenta, alioqui frustra dolores excitantur. *Epid. lib.*2.*pag.* 21 Item Filius Dom Poüart cùm bimestri Tertiana laborasset, nec ad medicamentum adduci potuisset, cùm cælum incanduisset paulum datur medicamentum, cui indormiendum imprudens Pharmacopæus censuit : medicamentum inane fuit,movit non exclusit ; ab eo tempore vix febris expers de dolore capitis de quo

quo priùs non conquerebatur, queritur, convulsus tandem interiit. *Annotat. 3. in cap. 58. lib. 1. consilior.* Novimus mulierem, cui post phlebotomiam cùm datum esset medicamentum sequenti die, quia inane fuit & non potens satis, statim delira facta est. *Consil. 94. lib. 1.*

43. Mulier multis scatens excrementis propinata medicamenta quinque evomit: concinnant illi syrup. solut. de eo vno die cochlear vnum dant, sequenti duo, deinde tria; tandem natura retinet medicamenta: Nunquid hoc tenendum est? *Epid. lib. 1. pag. 17.* *Ventriculus si purgantia non continet quid agendum.*

44. Cassia suo virore ventriculum subvertit ac mollit; quod ne cui mirum videatur, audemus asserere multis & leipothymias & torsiones alui vsu Cassiæ excitatas, imò & quasdam stomachi subversiones, flatuosum enim quid habet & virosum quod ventriculo molestum est: Imò doctissimus Rondeletius observavit quasdam affectiones catalepticas contigisse vsu Cassiæ & eorum quæ illam recipiunt, quoniam caput facilè fumis replet & ventriculum subvertit. *lib. de virg. morbis cap. 7.* *Cassia noxa*

45. Qui fit, inquiunt multi, vt sesquidrachma foliorum Sennæ, à mulierculis poculo data, plus efficiat quàm duplum à Pharmacopæo præscriptum? Respondent fieri, quia ius maiore multò quantitate à mulieribus præscribitur ac propinatur, vt ad vncias octo: pharmacopœi minore dant, vt ad vncias tres: At dices virtus contracta major est seipsa diffusa; *Epid. lib. 1. pag. 28.* *Senna quomodo infundenda.*

46. Vsus syrupi rosarum pallidarum plurimus est ad serosos & acres ichores deturbandos, qui sunt omnis venenosæ qualitatis maxime subiecta materies, *lib. de Virg. & mul. morbis cap. 10. pag. 243.* *Syrup. rosa. vis.*

47. An tutus Aloës vsus in iis quibus hepar calidum est? Hepar ipsa Aloë non transcendit ac superat, nisi in majore sit quantitate, ait Galenus; itaque vix vllum incommodum sequitur in talibus ab Aloë: At eodem in loco ait Galenus, nisi multæ obstructiones sint præviæ iu quas Aloë agat, si hepar calidius sicciusque fuerit, magna inde clades sequitur. *Epid. lib. 1. pag. 59.* *Aloë quando exhibenda iis quibus Iecur æstuat.*

48. Vera Aloës præparatio fit hac ratione, Eius certa quantitas in pulverem redacta in phialam vitream immittitur; affunditur aqua cichorii, endiviæ aut acetosæ: in Balneo mariæ maceratio fit per tres vel quatuor dies, demum aqua rubicundissima, Aloes essentia tincta, extrahitur & à fæcibus per inclinationem separatur destillaturque per alembicum, donec mellis consistentiam acquisiverit. *Conf. 51. lib. 3.* *Aloës vera præparatio.*

49 Rheum Barbarum, aut similia, præscribunt plerique initio morborum etiam cum summa obstructio est. An hoc commodè fit? Nequaquam, nam malum exaugetur: tamen quidam ex nostratibus aliam rationem vtendi Rheo barbaro innocuè & citra obstructionis augmentem excogitaverant: macerari iubent eius taleolas *Rhabarbarum initio morbi ob structione pendentis noxium*

 in

in libra vna aquæ additis cinnamomo & passulis: de ea aqua vncias vi. aut viii. præbent: tale decoctum vias & meatus anfractusque mesenterii facile penetrat, nec eo modo obstruit, quo cum eius expressum parua quantitate exhibetur: Et tale decoctum proficit plurimum in iis quibus mesenterium obstructum est & vligine plenum. *Epid. lib.* 1. *pag.* 60. Cùm viarum libertas est, visque medicamenti pervenit ad hepar, tutum non est *Rheum*; sed si obstructio sit mediocris, vel sesquipedalis, vt sic loquar, eo uti debemus, & tantò audaciores esse debemus quantò obstructio est maior. Quod diligenter notandum cùm de medicamentis calidis mentio iniicitur. *Consil.* 35. *lib.* 1. *pag.* 155.

Syr. violat. usus post purgantia.

50 Solebat Fernelius post vsum medicamentorum Purgantium, præsertim Rhabarbari & eorum quæ residuam aliquam siccitatem faciunt, dare magna satis copia syrupum violatum aqua dissolutum, & hæc agendi ratio probatur valde: *Epid. lib.* 1. *pag.* 59.

Semina frig. mai. obtundunt vim purgantium.

51. An recte semina frigida maiora, radix oxylapathi, acetosæ, cichorii, scariolæ, decoctum Purgans ingrediuntur, in quo aut folia Sennæ aut Rhabarbarum debent macerari? Non, nam vim medicamenti retundunt, calorem enim eius temperant & acutiem, quæcunque inest, hebetant: ideo minus commode in isto decocto Rhabarbarum & alia consimilia medicamenta macerantur, nisi forte sint validiora, vt sunt colocynthis & scammonium, nam vt amygdala & dactyli dacrydii vim retundunt, ita ista decocta macerata medicamenta refringunt: Galenus comment. ad partic. 12. lib. 2. de Acut. vult quidem admisceri quæ medicamenti malignitatem corrigunt, sed quæ operationem impediant non vult admitti. *Epid. lib.* 2. *pag.* 213.

Scammoniatis non admiscenda adstringentia.

52. Sunt qui dum Scammoniata præscribere volunt, ipsi Scammonio admiscent ea quæ vim habent adstringendi: An hoc est ὁμοιότεροπον? non, nam vnius vis alterius actionem interturbat: imò observatum est ab istis Dysenterias facillime inferri; nam quæ adstringunt, dum in spiraculis fibrisque Scammonium retardant, Dysenteriæ quoque occasionem dant, siquidem non potest Scammonium non erodere si moram tradat: At dicent; Quæ adstringunt, impediunt quominùs tam citò Scammonium suam vim exerat? Imò sistunt potiùs ipsius Scammonii corpus quàm actiones: Sed vt actiones actionisque vim temperes, adhibenda sunt quæ vim Scammonii hebetent, vt Dactyli retundunt in confectione Diaphœniconis: sed quibus adstringendi vis concessa est, eaque primaria, ea non possunt legitime admisceri, *Epid. lib.* 1. *pag.* 43.

Elleborus periculosus.

53. Antiquitus Ellebori plurimus vsus fuit ad levanda mentis & capitis vitia: Dioscoridi lib. 4. duo genera, Albo vomitiones cientur,

tur, Nigro alvus inferior diluitur, vtriusque periculosa sumptio : Ita tamen olim in vsu frequenti fuit, vt nil ad pervidenda acriùs quæ commentabantur studiorum gratia, sæpius sumpserint, sic Carneades Academicus scripturus adversus Zenonem, superiora corporis Elleboro purgavit, ne quid ex corruptis in stomacho humoribus ad domicilia vsque Animi redundaret : Constat tamen Purgationem ex eo difficilem esse terrorisque plenam, nec adhibendam nisi cum pervicacioris morbi necessitas expostulat, bilem enim atram, deinde flavam atque crassam pituitam detrahit in alvum, non è visceribus modò sed & è venis, è quibus sanguinem rapit & è partibus extremis, maximéque Cerebro ; ideo confert Elephantiasi, Melancholiæ, Furori, Epilepsiæ &c. In quibus affectibus tutò dari potest legitima quantitate & præparatus vt decet : Infunduntur radices certâ quantitate, contusæ in iure carnium pingui aut in hydromelite, aut in aqua hordei, expressumque datur ; Alii ex fibris extractum parant, radices & fibras macerant per diem integrum in aceto rosac. effuso aceto radices exsiccatas contundunt, in matracium capax recondunt, superaffundunt succi limonum partem vnam & succi pomorum redolentium partes duas, in B. M. digerunt, colant, exprimunt, purumque sic ab impuro separant. *Annot. 2. in Consil. 49. lib. 3.*

Gell. cap. 15. lib. 17.

54. Empirici aliquando mirificum quendam effectum præstant dum suis vtuntur metallicis : imo vincuntur morbi qui ordinariis evacuationibus vinci non poterant : *vide lib. 1. Artic. 25.*

Metallica remedia desperatos morbos profligant.

55. In medicamentorum serum & aquas educentium vsu moderatiores nos esse oportet : ea enim facile exolvunt corpus humiditate educta qua partes erant quodammodo delibutæ, *Histor. 2. lib. 2.*

Hydragogorum noxa.

56. Eques Torquatus ob imbecillitatem stomachi quotidie pilulam ex Aloë ante Pastum deglutiebat : à dolore stomachi interiit : ferunt repertam in alvo integram massam pilularum : nam & frequentiam medicamenti natura elusit, & forte cum Pilulam caperet genio indulsit, vt medicamentulum impotens fuerit, *Paradigm. 110.*

Pilul ex aloë nimis familiaris vsus cuidam fatalis.

57. Verum illud Hippocratis, deiectiones numero non esse æstimandas, medicamentáque agere debere καλῶς ϗ κρισίμως, alioqui frustra ea dantur, & medicamentis accommodantur corpora non corporibus medicamenta, Hoc vnum dicam, Electuarium Diacarth. de succo magni scutiferi, quod ad insigne mortarii aurei venale est aut nil agere aut perturbatè agere ; Nam dum aquosas quasdam superfluitates educunt, perturbant solum, non evacuant ea quæ evacuari oportet, unde alios videmus in profluvia illaudabilia alui incidisse, alios nil aut parum purgatos : vnde ægri sæpe falsi sunt valde

Medicamen um blandum leniens plus aliquando proficit quàm Scammoniatum.

se

ſe pœnitere quod ea ſumpſerint, cùm nullus inde profectus ſecutus fuerit, ſed aut inanis aquarum eductio, aut ſiccitas quædam corporis contigerit; imò medicamentulum blandum & leniens vidimus plus leniendo profeciſſe quàm iſta valida inaniter agitando, *Epid. lib.* 1. *pag.* 84.

De ptiſana ſorbitione poſt purgãs.

58. Hippocr. in lib. Acut. *part.* 12. *lib.* 2. ſcripſit, Cùm quis medicaméntum bibit, Ptiſſanam protinus ſorbendam dato. Galen. id fieri ait vt detergeat, deorſum trahat medicamentum quod viis adhæreat & qualitatem medicamenti temperet & permutet: Sed illo loco de vehementioribus agit: Quanquam de omni medicamentorum genere audiſſe videatur Gal. vt qui omnis medicamenti naturam corporibus noſtris adverſam & deleteriam eſſe aſſeveret. *lib. de virg & mul. morb. cap.* 7.

Vinum ad decocta & infuſiones parandas idoneum.

59. Abſurdum eſt quod quidam cenſuerunt non poſſe fieri decocta ex vino, aut ſaltem ex vino ſolo, ſed infuſionem fieri debere ex aqua, mox hanc diutiùs excoquendam eſſe, addendumque in fine vinum, quod hoc cenſeant ineptam eſſe materiam infuſioni, quodque tandiu excoqui nequeat quandiu oporteret ad eliciendam vim medicamenti; Certum enim vinum eſſe optimum medicamenti cuiuſuis vehiculum, & in Chymicis Extractis experientia comprobatur nihil eſſe aptius ad extrahendas medicamentorum facultates ipſo vino, aqua vini & aceto, quod igneis & calidis ſubtilibuſque partibus penitiora quæque permeans, intimam quanque facultatem eliciat & in ſe concipiat: Verum quidem eſt non longam pati coctionem, ſed aut longa infuſione in eo facta id compenſari ſolet, aut in diplomate coctione: adde ad has vini dotes & hanc, quod bonos ſuccos ingeneret. *Annot.* 3. *in Conſ.* 2. *lib.* 2.

Vomitus vtilior purgatione in prima regionis vitiis.

60. Cum ventriculus afficitur, & materia tenet obſeſſas modo indicibili partes vicinas Ventriculo & Lieni; non eſt dubium quin vomitus multum conferat, & ſenſim atque ſenſim parandus eſt humor vt excludatur vomitione: vt non ſit mirum ſi veteres ſæpe vomitiones præſcripſerunt ad primæ regionis evacuationem, cum illarum magna ſit opportunitas, ne tam commode materia anguſtiis viarum concluſa per inteſtina non referatur; Nec ad vnguem capienda Hip. verba, Qui dolores ſupra Diaphragma &c. Nam & ventriculus infra Diaphragma eſt, & gibbæ Hepatis, & tamen ſæpe magno profectu vomitione iuvantur, excluſa materia quæ in illis partibus continebatur; Sed accuratiùs aliquo loco mihi viſus eſt Galen. philoſophari, qui totum corpus in duas partes partivit, vt, vna dicatur, ſuperior cuius major eſt dignitas: alia inferior, cuius minor excellentia: inter partes ſuperas cenſet gibbas hepatis ob excellentiam: inter infernas, ejuſdem hepatis ſinus:

nus: vt ab authoritate & decretis Galeni non discedamus si dixerimus per partes Diaphragmate superiores (vt vocat Hippocrat.) paulò latius intelligere nos posse eas partes quæ à Galeno dicuntur Superiores, inter quas & ventriculus totus & gibbæ hepatis censebuntur: Itaque illæ partes vomitione exonerabuntur, Etsi enim Hippocrates dicat Diaphragmate superiores per superiora purgandas, quis dubitat tamen Ophthalmiam fluore alui iuuari, & nos ad imitationem Naturæ alvum sollicitare posse: Item licet melancholici propter inclinationem humoris per inferiora purgandi sint, quis dubitat & Fanaticos & Quartanarios & Elephanticos non & curari & iuuari plurimum vomitione? Quod & Paulus & Galenus, & Aëtius asseverarunt. Itaque non ad vnguem exquirenda dicta Hippocr. quanquam non ab eodem temerè dictum scriptumúe sit: Sed in plerisque commmunis sensus versatur, tamen & ratio & experientia aliud fieri docent. *Cons.* 34. *lib.* 1. 30.

61. Sunt qui ad provocandum vomitum oxymeli imperant, valet quidem ad attenuandum incidendúmque, sed non ad ciendum; reformidandum est Acetum stillatitium, nam periculum creat: valet potiùs decoctum raphani cum mulsa, aut semen eius, aut vrticæ, vel asarum, quod Fernelius innocuum censet: folia minùs mala, radix cum cautione potius vsurpanda: maxime probat catulos nucis iuglandis qui florem antecedunt & frondescente arbore decidunt: Contra quem obiiciat quis Hippocr. in 3. Acut. ὄξυς δὲ ἀνάγωγον μελάνων i. e. sursum ducit. *Annot.* 19. *in cap.* 7. *l. de virg. & mul. morb.*

Oxymel quando vsurpandum ad vomitū ciendum.

62. Si Pituitosi, aut alii id genus humores in alvo collecti fuerint, conferet vomitus ieiuno stomacho, Gal. consilio quarto sanitatis tuendæ cap. 4. Tamen eodem in loco negat vomitui locum esse cum ventriculus ita scatet colluvie humorum: Sed duabus de causis vomitum non consulit tametsi ventriculus offarctus esse videatur, primo quidem si in aliis venis à ventriculo longè dissitis acres humores contineantur, quod ex vlcerosa quadam lassitudine & obseruatione tum excrementorum corporis tum coloris eiusdem colliges; quo tempore si vomitus incitatur, metus magnæ agitationis raptúsque humorum in partes nobiles, interea dum per os evocare eos frustra conaris: secundo vomitus quidem confert si materia in alvo ipsa continetur, non autem si in habitu corporis, nam authore Gal. aph. 12. *lib.* 4. Sola ea vomitu secundum Naturam excluduntur, quæ in alvo ipsa includuntur, cùm nihil eorum quæ in intestinis aut fluitant aut inhærescunt per vomitum exigi excludique possit, *lib. de Virg. & mul. morb. cap.* 7. *pag.* 123.

Vomitus quādo conducit ventriculo exonerando.

Distentis hypochondriis Clysteres noxii.

63. Insufflatis, turgidulis, vt iis qui à morbis convalescunt, & iis quibus flatibus hypochondria distenduntur, missos oportet facere Clysteres, videntur enim nocere plurimum, quia intrudunt flatus. *Epid. lib. 1. pag. 22.*

Pinguia ne admittant si ea astuēt, aut si intestina cacochymia scateant.

64. Si alvus adstricta sit admodum ob Cauma, i. e. æstum in hypochondriis contentorum, nec butyrum nec oleum clysteribus indetur, nam olea inflammantur facilè si alvus calidior fuerit: Præterea in eo sæpe graviter peccatur quod intestinis admodum cacochymis oleum sæpe infunditur, hoc enim malum est: Galen. 2. de simp. med. fac. 12. multis demonstrat & acria salsuginosaque aliquando demorsis ab humorum acrimonia intestinis conferre, & dulcia, vt oleum, acrimoniam inducere: priora quidem dum adimunt humores qui sua qualitate molestiam inferrent, butyrum autem & oleum & omne genus τῶν ἐπικεραστικῶν dum suam εὐήθειαν facilè deponunt & alienam naturam facilè induunt, si in ventrem cacochymum incidunt, conversa immutatáque in alienam naturam cacochymiam ex eventu augent, *lib. de Virg. & mulier. morb. cap. 7. p. 121. Consil. 59. lib. 1.*

Narcotica ad dolores temere ne vsurpētur.

65. Id Medico maximè cavendum ne quid obsit dum prodesse elaborat: quod cum alias prospiciendum est, tum maxime cum cogitamus περὶ τῶν παρηγορικῶν καὶ ἀνωδύνων, sunt enim plerique qui quoties de sedando dolore agunt, primo quoque tempore ad Narcotica confugiunt, rati sedandi dolores rationem omnem in stupefacientibus collocari: At Narcotica καταχρηστικῶς tantùm Anódyna dicuntur: Sedant quidem dolores, sed magno partium incommodo. *lib. de Virg. & mul. morb. cap. 10.*

Non statim ab vsu lactis desistendū etsi initio noceat.

66. Lac in magnis doloribus, idque recens mulctum, dolorem mitigat, ardorem temperat, vlcera abluit, deterget, illinit intestina, solidat, roborat, vim acrium humorum obtundit, eorumque malignitatem reprimit; Nec terreri oportet initio si obsit, perseverandum experientia docet: fit enim vt tempore lac refrænet & contemperet cacoëthiam & pravitatem humorum in corpore turgentium: Sic Hippocrat. 2. de morbis muliebribus, exhibet in fluxu muliebri bilioso lac asininum aut serum, ea tamen cautione vt lienosa non sit mulier aut flatuosa, exanguis. *Annot. in consil. 82. lib. 3.*

Emulsionū refrigerantium frequens vsus noxius.


67 Audio cuidam datas esse Emulsiones quæ quatuor semina frigida continerent, paulò frequentius iis vsus fuerat; ad coitum impotens factus est. *Epid. lib. 2. pag. 6.*

Appendix de Ptyalismo per vsū mercurii excitato.

68. Fallopius Mercurium divinum mixtum appellat, aitque duo esse in rerum natura quæ illi admirationem pariant: magnetem & hydrargyrum: Ex quo quidem possumus ostendere resurrectionem, nam in cineres convertitur, & levissimo labore in propriam formam redit:

redit : multa quippe edit opera quorum nulla probabilis ratio reddi potest, quo fit vt ad occultam qualitatem sit confugiendum, Ejusmodi est facultas illa quæ Ptyalismum seu salivationem & sputum movet, atque vix illa cathartica, qua, licet frigidus, adeo excellit, vt ne ustione eam exuat, sed in cinere retineat multo quam ante validiorem : Purgat autem crassum mucum atque ipsam pituitam, & ex consecutione quadam, bilem utramque: Et quanquam modo supra modo infra, interdum vtroque modo purgat, maxime tamen propria & ingenita vi supra purgare natum est, caput petit, cor fugit, quia igneum, quocunque modo adhibeatur, sicque quicquid colliquavit vndique primum in ventriculum, dein in fauces & os regerit & compellit, non vomitione, non tussi, sed continua & molesta mucosi sputi profusione 1 eiiciendum : quæ purgandi ratio veteribus incognita, & ab iis nunquam tentata, Oris Profluvium à recentioribus vocitatur : *Annot. 2. in consᶜ 47. lib. 3.*

69. At verò si quando morbi species ejusve pervicacia aut cacoethia id præsidiigenus in vsum revocandum esse insinuat, vt ptyalismus non provocetur, purgantibus admisceri debet, quæ vim illius languidam,& ignavam stimulent,ne quod in ventriculum attraxit. fusis liquatisque carnibus & humoribus, illic subsistat & gravissimorum symptomatum causa sit : Eaque ratione gravissimis morbis expugnandis, lepræ, scrophulis, scabiei, morphæis, impetigini, lumbricis enecandis, lui venereæ conferre potest ; nam terget, mundificat, modo per alvum, modo per vrinas sanguinis massam repurgat, postremoque corporis habitum supervacaneorum humorum illuvie liberat. *Ibidem.* *Mercurii vis ignava ad purgationem acuenda.*



LUDOVICI SEPTALII ANIMADVERSIONUM ET CAUTIONUM MEDICARUM

LIBER TERTIUS

Eas comprehendens,

Quæ ad Pharmaceuticum negotium pertinent.

Medica materia mutanda.



Uamvis tanquam veriſſima ſit Hippocratis ſententia, 2. *Aph.* 52. *Omnia ſecundum rationem facienti, ſi non ſuccedat ſecundum rationem, non eſt tranſeundum ad aliud, ſtante eo quod à principio viſum eſt.* Cavendum tamen, ne diutius in eâdem materià Medicâ inſiſtamus, potiſſimùm ſi in alterantibus verſemur, fit enim ſæpenumerò, ut, dum longo tempore eodem remedio utimur, natura, illi aſſueta, ita illud in alimentum vertat, ut morbificam cauſam evincere non valeat, potiſſimùm ſi alexipharmacum ſit, peculiaríque qualitate agat. Immutanda igitur erit materia præſidii, & quant itas etiam, quæ adeò certa præſcribi non poteſt: hac enim ratione & exiſtimationi noſtræ conſulemus, & ægros obſequentes magis habebimus; ne tamen id frequentiùs fiat, ne ignorantiæ notam per inconſtantiam ſubeamus.

Purgãdum ægrum interrogare expedit,

2. In purgandis humoribus per medicamentum, ſive leniens, ſive ſolvens, ut multa ſunt à Medico & animadvertenda, & præcavenda; ita huic noſtro Cautionum libro minimè inſerenda, quòd regulæ, & canones illi non niſi cautiones omnes ſunt, quibus Medicum

cum jam bene institutum supponimus: ne igitur in immensum crescat liber, solùm cum Hippocrate *in fragmento lib. de medic. purgantibus*, illud admonebo, *debere Medicum, præscripturum pharmacum, quod sursum, vel deorsum purgat, priùs interrogare, num alias pharmacum purgans hauserit, & num alvus ex purgatoriis deorsum facilè se solvat, ac cito obediat, vel potiùs dura sit:* hæc enim erit cautio purgatoria in metu hypercatharseos, ut naturam peculiarem cognoscat ægrotantis, cùm nullis notis idiosyncrasia cognosci possit, quam si cognoscere potuisset Galenus, se æqualem Æsculapio censuisset: adeò enim aliqui faciles ad solutionem sunt, ut vel primo pharmacorum odore trepident, atque in fluxum solvantur; alii ita duri alvo sunt, ut vix ullis remediis alvus respondeat: sic enim aut mollioribus & levioribus, aut valentioribus uti poterit. *quomodo aliàs se gesserit.*

3. At si nunquam pharmacorum, alvum subducentium usum se iniisse affirmet, tum demum exquirendum, num, dum sanus esset, officii memor alvus fuerit pro conditione rerum assumptarum, & num à pleniore cibo se in fluxum effundere alvus soleat; sic enim tutiùs ægrotanti consulere poterit Medicus. *Purgandum interrogare oportet, an lubrica sit alvus.*

4. In Lenientium medicamentorum usu cùm videam Medicos adeò dissentientes, & in quantitate, & in horâ exhibitionis, & in intervallo ab exhibitione ad cibum, concedentibus aliquibus, puta, succi cassiæ ad minus unciam, tum & sesquiunciam, vel electuarii lenitivi, vel diapruni, per horam ante cibum, & hunc potiùs matutinum, quàm vespertinum, ut somnum fugiant, quem post medicinas imbecillas fugiendum, auctoritate magnorum virorum omnino probant, vel eâ ratione, quòd per somnum & evacuationes per secessum impediantur, & medicamentum naturæ adeò familiare alimenti naturam subeat; quod in Italis Medicis Franciscus Valleriola, 2. *Enarrat. c.* 5. maximè reprehendit: Negantibus aliis, aut hæc in principio morborum esse concedenda, aut sanè admodum raro; in quo numero Mercurialem nostrum esse video. Ego de hac re ita censeo: In febrium omnium, & aliorum quoque morborum curatione, majori ex parte ab initio lenientium usum convenire, & ut excrementa, in ventriculo contenta, & in vicinis partibus, evacuentur, & ut commodiùs, securiúsque incidentia, tenuantia, & abstergentia auxilia in usum duci possint sine periculo, ne crudi succi ad intimiores partes ducantur. *Lenientium usus utilis in principio morborum.*

5. Quâ verò quantitate, distantiâ à cibo, & quo tempore? Sanè nisi cautio adhibeatur & distinctio, in errore versabimur: Aut enim in principio morbi ad præscriptum usum exhibentur, aut progressu morbi, ut alvus aliqua dejiciat in dies, cùm enemata, quòd aut renuuntur, aut lædunt, aut nihil subducunt, aut aliâ causâ, in usum venire nequeunt. Si ob primam occasionem, & ad unciam, & *Lenientia quâ quantitate, & quâ horâ exhibenda, distinctio.*

ad sesquiunciam concedi debent, & aliquanto tempore ante cibum; & potiùs matutinum, quàm vespertinum tempus eligi debet, nisi aliter accessio febrilis persuadeat. Colligitur id ex Gal. 2. *de alim. facul. cap.* 31. de moris, mox etiam de prunis agente, ubi ait: *Alvum pruna movent, præsertim si prandium non statim, sed aliquanto post intervallo inchoetur, & ipsa sola comedantur:* hæc enim communia omnium laxantium præcepta meminisse oportet; ut enim per se inexistentia excrementa subducant, sine cibo per se concedi debent; ne verò, cùm naturæ ea familiaria sint, in alimentum vertantur, nón multò pòst cibus est illis concedendus; ne verò somnum interrumpant, dum alvum ad excretionem movent, quod post quatuor, aut sex horas fieri solet, potiùs ante prandium erit exhibendum. Quòd si ad excrementa, quæ in intestinis aggregantur ex quotidiano cibo, subducenda exhibeatur, cùm id sæpiùs sit præstandum, multò minor copia illorum erit concedenda, puta, semiuncia, aut etiam drachmæ duæ in molli alvo, & facilè solubili, & ea quidem immediatè ante cibum, vel cum cibo ipso, & potiùs cum cœnâ quàm cum prandio: sic enim cibus emolliens, & lubricans redditur, & ferculum illud liquidum, aut jusculum medicamentosam induit qualitatem lubricantem: & selectâ à naturâ parte nutriente, reliquum, quod ad intestina transfunditur, & fæces contentas emollit, & tunicas intestinorum lubricat, neque crudum subducit; quoniam, cùm naturæ ea familiaria sint, illa non aversatur, aut cum crudis expellit, sed concoctione factâ, quod familiare magis attrahit, reliquum cum excrementitiâ parte ad intestina pellit, quod cùm non fiat nisi celebratâ coctione, post somnum solet fieri: &, ut millies ego expertus sum, & nostrates Medici meo exemplo cognoverunt, hoc modo, aut semiuncia, aut etiam duabus drachmis sæpenumerò major excrementorum copia educitur, quàm cum uncia, & etiam sesquiuncia per horam, ut moris est, ante prandium exhibetur: somnus potiùs adjuvat coctionem illam, & lubricitatem, quàm impediat. Neque interrumpitur, quia quantitate tardiùs agit, & non nisi post coctionem. Auctoritas illius sententiæ, à Vallériolâ adductæ, aut de primo modo exhibendi ea intelligitur; vel potiùs de verè purgantibus debilibus, de quibus aliàs.



Pharmaco assumpto, an dormiẽdum, & quando.

6. Ab assumpto autem medicamento verè purgante an somnus concedendus, imperandúsve sit, alia est ratio; neque unâ responsione potest satisfieri: aliter enim est agendum in medicamento levi, aliter in valido: alia est ratio, si medicamentum simplex sit medicamentum, alia si venenosi in se quippiam contineat, ut belleborus & colocynthis videntur: neq; idem imperandum, si liquida exhibeantur, aut in boli formam mollioris, aut solida concedantur, quales sunt pilulæ, si ex blandioribus fuerint,

rint, & in formâ liquidâ, vix eſt ſuperdormiendum, niſi ventriculus admodum imbecillis fuerit; ſi boli molliores fuerint; & medicina ſatis potens, aliquandiu ſuperdormire licet, potiſſimùm ſi nauſeabundus ſit æger, aut debili ſtomacho; ſic enim faciliùs ad actum ducuntur, & non evomuntur. A pilulis optimum eſt dormire, & longiori tempore, ut citiùs colliquatæ, ad actúmque deductæ, facilè opus ſuum exerere poſſint. A valentiſſimis autem medicamentis aſſumptis, in quibus virulentiæ nonnihil ineſt, nullo modo dormiendum cenſeo, ne virus, ad principes partes, & potiſſimùm ad cor per ſomnum means, aut ad cerebrum vapores transfuſi noxas pariant inemendabiles.

7. Malè iis conſulitur, quibus ab aſſumpto pharmaco, ne vomitus ſuperveniat, calidi panni aut gulæ, aut regioni ventriculi applicantur; illud enim potiùs vomitum trahendo conciliat, hoc autem & calorem naturalem à loco avocat, & ſæpenumerò flatus excitando ex materiâ, in ventriculo contentâ, nauſeam promovet. Gulæ igitur & œſophago potiùs frigida ſtatim admoveri debent; ventriculo autem nonnili cùm difficulter ad actum deduci poteſt, aut dolor à flatu concitatur, calida applicentur. Cavendum autem ſemper, ne calor excedat; revocatur enim potiùs ſic natura ab opere.

Purgante aſſumpto gulæ, aut regioni ventriculi calida non ſunt applicãda.

8. Cùm Hippocratem viderint aliqui ab exhibito helleboro, aliòve medicamento validiori, cremorem hordei exhibuiſſe, ut & reliquiæ, ſi quæ adhærerant medicamenti œſophago, ſuperioribúſq; ventriculi partibus, ſubluerentur, æſtúſq; ex medicamenti vi in ventre productus reprimeretur, poſt quodcunque medicamentum aſſumptum, poſt tres horas, ſive evacuare jam cœperit, ſive nullus adhuc motus fiat, juſculum pulli propinant, adjuvari ſic cenſentes opus medicamenti. Quod omnino cavendum cenſeo: ſic enim medicamenti vis hebetatur, aut præter rationem actio medicamenti confunditur. In fine ſanè evacuationis ſi quis id præſtiterit, optimè illi conſultum cenſeo; nam & ſiti conſulitur, & reliquiæ medicamenti, aut humorum ſubducuntur, eluitur ventriculus, atque vires aliquo modo inſtaurantur.

Pharmaco aſſumpto, non ſemper juſcula poſt tres horas exhibenda.

9. Purgante medicamento dato, ſi ſpatio quatuor, aut quinque horarum non dejecerint ægri, nec benè, nec tutò clyſma injici poteſt, quod paſſim à Practicis fieri video; nam diſtentis inteſtinis pharmaco, ac ruentibus ſuccis, aditu prohibetur remedium, ſæpèque deorſum pellente naturâ, & ſurſum propellente clyſmate, pugnâ exortâ dolores concitantur maximi, & aliquando volvulus promovetur. Glandem igitur præſtiterit ex melle impoſuiſſe cum ſemidrachmâ ſalis, fellis bubuli, & ſucci cyclaminis; aut cum pulvere trochiſcorum alhandal, ſed cum filo. Quòd ſi clyſma

Pharmaco non evacuante, clyſma non indendum, & quid faciẽdum eo in caſu.

ma indatur, fit acre quidem, sed sex solùm unciarum. Præstat tamen id promovere cum haustu octo, aut decem unciarum juris pulli addito saccharo rubro ad duas uncias, aut unciâ additâ mannæ, aut sesquiunciâ.

Vomitus quotuplex, quibus, & quando conveniat.

10. Eò usque mollicies nostra pervenit, ut Vomitivorum usus ferè exoleverit, ut vel eam esse causam etiam credam, ut raò rebelles morbi à nobis evincantur; ne tamen id sine animadversione relinquam, animadvertendum, cùm duplex sit vomitus, arte procuratus, Universalis unus, quo totius corporis compages, si quid mali conceperit, evacuatur per vomitum: Particularis alter, quo ventriculus, aut à collectis per se excrementis in se, aut ab affusis aliunde, inanitur. In primo illo exercendo cavendam omnino esse hyemem dicebat Hipp. 4. *Aphor.* 6. quòd, cùm crassi humores tunc exuberent, & viæ non sint apertæ, corporísque compages densior sit, quàm ut locum humoribus attractis concedat, difficillimam reddunt eam actionem; secùs est, si vacuare humores, per se in ventriculo natos, tentaveris: frequentiùs enim id præstare debemus hyeme, auctore Hipp. *lib. de salubri Diæta; quoniam*, inquit, *hoc tempus ad pituitam fœcundius est*: & quamvis eo tempore ventres statuantur calidiores, 1. *Aphor.* 15. quoniam tamen pituitæ metropolis, celebrum, ob aëris frigiditatem maximè pituitâ abundat, unde defluxus illius ad pectus & ventriculum: ideò vomitus hyeme magis conveniunt blandis iis auxiliis, quæ nauseam promovendo partem illam solam possunt evacuare, ut docet Gal. 5. *de usu part. cap.* 4. At si, hepate se exonerante, bilis recipiatur in ventriculo, quod ex amarore linguæ, & aliis conspicitur, quovis id anni tempore eveniat, evomi potest, licet frequentiùs id eveniat æstate.

Vomitus tabidis inimicus.

11. Nunquam tabidi, aut in tabem propensi evomant, si fierit possit, sed per inferna evacuentur ob graviorum symptomatum metum.

Vomitus quibus non convenit.

12. Cavendus itidem est vomitus, quibus caput dolet, nisi ex recrementis, in ventre collectis, id fiat; aut quos interna phlegmone obsidet; aut qui laborant molestâ aliquâ hæmopti, aut oculorum morbis; lipothymiæ, aut uterinæ affectioni expositis etiam incommoda est vomitio, ut & iis, qui fracto, nauseabundóque sunt stomacho, & denique consumptis, & morbo exhaustis.

Pharmaca refrigerata vel glaciata pessimè conceduntur.

13. Eò usque progressa est hominum mollities, ut etiam in medicinis purgantibus assumendis voluptatem quærant, dum illas frigidas actu, quin etiam, si Deo placet, glacie refrigeratas expetant, & sæpe ab adulantibus Medicis concedantur, non animadvertentibus, & multùm eas de naturâ propriâ per glaciem corrumpi,

pi, igneas partes, quibus maximè purgandi vis ineſt, extingui, difficillimè ad actum deduci, dolores ſæpe excitari, tum ex frigiditate, tum diminutâ actione medicamenti; & ſæpenumerò craſſiores humores, in ventre exiſtentes, dum adhuc denſat magis, contumaces etiam nimiùm reddit, unde repugnamus actioni medicamenti, indéq; tormina, & inteſtinorum dolores.

14. Cùm noſtris his temporibus, quibus Chymicis, & Hermeticæ Medicinæ locus ſæpe datus eſt, illud inoleverit, ut extracta virtutum medicamentorum per infuſionem in vino, aut in aquâ vitæ ferè fiant, niſi diligens cautio adhibeatur, errores ſequentur inemendabiles: ut enim concedi hoc utique poteſt in medicamentis blandis, & placidis, ut Sennâ, Agarico & ſimilibus; ut etiam in ſimpliciter alterantibus ad calidum: ita in venenoſis, & fortibus non ſemper eſt tutum, ut in Colocynthide, Turpetho, Cataputiâ, & ſimilibus: vis enim virulenta altiùs permeat, & cordis palpitationes producit; aut ſi virulentia non inſit, ſed mediantibus igneis partibus vehementiam habeat, adeò medio harum magnus vigor illis additur, ut ſuperpurgationes, aut ſanè dyſenterias efficiant, ſitíſque tanta excitetur, ut difficillimum ſit huic ſymptomati occurrere. *Pharmacorũ validorum per vinum, aut aquam vitæ extracta valde periculoſa.*

15. Quinimò, vel ob hanc ipſam cauſam aliqua ſunt etiam blanda medicamenta, quæ, quòd igneis maximè partibus conſtent, ut Rhabarbarum, ſi infuſione factâ in vino concedantur, febres ſæpenumerò inducunt, non parùm æſtuantes: irrorari utique, antequàm infundatur Rhabarbarum, debet, ut igneæ partes, terreſtribus multis admixtæ, quodammodo ad ſuperficiem trahantur; at infuſio, in vino facta, nullo modo laudari à me poteſt. *Rhabarbari infuſio, in vino exhibita, febres excitat.*

16. In componendis formulis medicamentorum diligenter animadvertat Medicus, ne ea miſceat quæ multùm tempore differant in operatione edendâ, ita ut unum ex iis ſit quæ non niſi longo pòſt tempore humores peculiares & attrahunt & ſubducunt; aliud ex iis quæ velociſſimè eadem præſtant, ut ſi quis electuarium ex ſucco roſarum cum pilulis maſtichinis miſceat: quod enim citò vires ſuas exerit, integrum ſubducet medicamentum tardius ad agendum, aut dum vix id humores peculiares aggreſſum erit attrahere, ſicque imperfectæ remanebunt actiones medicamentorum, & tormina in inteſtinis, ac dolores exorientur. *Pharmaca, quæ miſcentur, ſint ex ijs quæ æquali tempore agunt non diſpari.*

17. In Pilulis concedendis, & ſecundum magnitudinem, aut parvitatem efformandis, magna adhibenda eſt cautio: ſi enim à capite, aut longinquis partibus attrahere debent, craſſiores magnitudine formari debent, ut diutius in ventriculo firmatæ, & va *Pilulæ quãdo magnæ, & quando parva concedẽdæ; Pilula pro capite majores pro ven-*

 lentiùs,

triculo minores. lentiùs & magis à longinquis attrahere possint: at si ad excrementa solùm, quæ sunt in ventriculo, excutienda vorentur, ut solemus de pil. aloëphanginis, & aloë facere, minutulæ semper esse debent ut non diu ibi hæreant, sed quamprimùm abstergant; sic ad trium cicerum magnitudinem eas pilulas exhibemus, quamvis ex aloë lotâ confectæ pilulæ aliquantò crassiusculæ concedi possint, quàm quæ ex non lotâ: cùm enim robur parti addere illæ soleant, aliquandiu etiam plùs retineri debent.

Pilulæ validissimæ forma non sint magnæ. 18. In validis verò Pilulis concedendis, nimis magnæ sunt vitandæ: cùm enim non nisi longo tempore evinci à calore nostro possint atque colliquari, diutius ibi firmantur; unde nimis magna sæpe fit attractio humorum, unde & superpurgatio.

Aloës usus frequens. 19. De Aloës frequentiori usu, de illius assumendi consuetudine à cœnâ, de ejusdem quantitate maximè variâ, & de ejusdem in febribus usu cautiones plures, aut hic, aut in aptiorem locum erunt addendæ, describendæ eodem ordine, quo superiùs scriptæ sunt.

20 Clysteres prægnantibus non frequenter indantur. 20. De Clysteribus hæ sint cautiones. Prima, in gravidis non multùm frequens sit clysterum usus: si enim emollientes sint, progressu temporis per communicationem partes uteri, & adjacentes nimiùm laxant, & hinc ad inferna repletus uterus prolabitur: si acriores verò fuerint, & fœtui noxas afferunt magni momenti, & ex pressu, quem inducunt, prolapsum excitant partis, & sæpenumerò hæmorrhoïdas maximè molestas producunt.

21 Clysteres in prægnantibus quantitate non excedant. 21. In gravidis, grandiori fœtu, clysteris non multa sit quantitas, præterquàm enim quòd comprimit fœtum, statim, quasi etiam comprimente fœtu, repellitur.

22 Clysteres, laborantibus renibus sint parvæ quantitatis. 22. Renibus calculo, vel inflammatione laborantibus, parvæ itidem sint quantitatis, ne repletis nimiùm intestinis comprimendo dolorem adaugeant.

23 In præpinguibus, & intestinis multi sensus clysteres non indantur multùm calentes. 23. In præpinguibus non multùm calentes indantur: solent enim intestina habere, sensu maximè prædita, ita ut ab injectione quasi subitò expellantur sine utilitate: hoc verò in omnibus observetur qui exquisiti sensûs habent intestina.

24 Intestinis, turgentibus flatibus, clysteres blandè injiciendi. 24. In quibus flatibus maximè intestina turgent, qui enema injicit blandè admodum id faciat, neque cum impetu propellat; in angusta enim loca propulsi venti nimiùm distendunt partes, atque inde dolores sæpenumerò vehementissimi excitantur.

25. Tantundem damni iis evenit, qui & plus nimio duratas fæces in intestinis habent, quique intestina, iis nimiùm repleta, habent; paulatim enim emollire illas debent, atque mediocri quantitate inditâ, & blandè admodum.

25 Clysteres violenter 26. Clysteres, quos ex malvâ, althæâ, mercuriali, violariâ, betâ, & similibus decoctis parant passim Pharmacopolæ, quos Communes appellant,

appellant, vel hac ratione semper suspectos habui, quòd decoctum illud paratum diutius conservent; & quamvis oleo diutius servare incorrupta hujusmodi decocta profiteantur, si tamen passim observaveris, putrida, & malè olentia esse cognosces: quo nidore sæpenumerò uterus in mulieribus commoveri solet, in aliis dolor capitis excitatur. Quare præstaret mulsâ bene mellitâ, & oleo id præstare, aut ex urinâ cum melle despumato, & oleo eosdem præparare, aut sanè recens semper decoctum illud parare.

non injiciendi in intestinis fæce repletis.

Clysterium communium incommodá.

27. Magis verò iidem cavendi erunt, si additâ unciâ cassiæ fistulæ, quam vocant, aut diacassiæ pro clysteribus parentur: eam enim passim parari scio ex recrementis cassiæ, ablutis fæce aliorum medicamentorum exoletorum, & syrupis jam corruptis loco mellis, aut sacchari, ut sæpe & magnos dolores intestinorum inducant, & in alvo solvendâ nihil proficiant.

Aliud eorundem incommodum.

28. Quantitas enematum major fit in mulieribus. Oribas. 8. *Coll. cap.* 24. Sunt enim ventricosæ magis, & ventre capaciori, ut cùm uterum ferrent, minùs premerentur.

Clysteres pro mulieribus quantitate majores.

29. Salem recentiores semper adjungunt, & si quis illum omiserit, tanquam si piaculum commisisset, derident, sed præter usum antiquorum, & rationem: quoniam illo addito non diutius detinetur; cùm etiam per noctem integram aliquando probè detineri scribat Aëtius *Ter.* 2. *ser.* 1. *cap.* 129.

Sal clysteribus rarò indendum.

30. In puerorum clysmatibus olei usus interdicatur, & ejus loco butyrum succedat; ne vermes, si qui sunt, sursum ferantur, sicque sebesten juri, aut sero incocti maximè erunt ex usu, ex Paulo *lib.* 4. *cap.* 53.

Clysteribus puerorum oleum non indatur.

31. Ut ante venæ sectionem optimum aliquando est alvum clystere evacuare, ne inanitæ venæ crudam illam, & fæculentam materiam ad se trahant; ita non placet statim ferè ab injecto illo venam secare: præter quàm enim quòd & frigore tentantur aliqui ex surrectione, & aliis deliquia animi superveniunt, fit etiam sæpius, ut, naturâ adminiculante, non semel tantùm, sed bis, ter, & quater, & sæpius dejicere soleant: unde aut in ipso sectionis actu alvus perturbatur, aut etiam artifex in ipso dejectionis actu, ne tempus conterat, ob lucrum venæ sectionem exercet.

Clystere in indendo ante sectionem venæ, quæ observanda.

32. Cùm morbus causæ implicatur, cave ne morbo evincendo insistas causâ postpositâ; si enim illud primò tentaveris, quamvis interdum mitior reddatur morbus, manente tamen causâ, aut non evincetur integrè, aut sanè renascetur proximè majori cum periculo.

Morbo causa complicato, causa primò habenda ratio.

33. In causis removendis externa priùs tollatur, secundò antecedens, tertiò continens: siquidem cùm alia ex aliâ nascatur, nisi, in iis evincendis is ordo servetur, frustra quod primò expetitur, sed postremò intendimus, nempe morbum superare, obtinere tentabimus.

Causis multis præsentibus, quis ordo in illis evincendis servandus.

Non contrariis cõplicatis morbis, quomodo procedendum.

34. In complicatis morbis removendis, si ita dissideant, ut varias sedes occupent, nec unius curatio alterius curationi officiat, simul curari, & eodem tempore poterunt, aut etiam diverso, neque multùm refert, ab utro curationem exordiaris.

Complicatis morbis contrariis quomodo succurrendum.

35. Si verò unius curatio alteri incommodum afferat, maximè erit cavendum, ne, dum uni studemus affectui, alterum exacerbemus; sicque aut ei, qui magis urget, maximè insistemus, altero non neglecto; aut sanè (quod potissimùm observabitur, ubi æquè urgeant) utique mediocritate quâdam, & contrariorum permixtione erit succurrendum.

In multis remediis quomodo procedendum.

36. In decernendâ remediorum copiâ hæ sint animadversiones. Prima, in levioribus morbis par sit remedium, ac semel, universimque morbum submovens; cùm enim leve sit, nullam naturæ vim inferet.

Extremis morbis statim extremis remediis occurrendum.

37. At in extremis, & periculosis morbis, ineunte morbo, præstat valentissimum adhibere remedium; quia cùm mortis immineat periculum, nisi universim remedio evincatur, præcipitem in mortem agemus. Hinc extremis morbis extrema remedia adhibenda, consulebat Hippocrates.

Morbis mediocribus blandè occurrendũ.

38. Quòd si mediocres fuerint, sensim & blandè meliùs depellentur: nullam enim sic contrariæ qualitatis noxam corpori inurent. Nec tamen adeò lentæ eorum remediorum vires esse debent, ut illas morbus non sentiat; exasperatur enim sæpe morbus & acerbior fit, cùm morbis talia remedia facilè superet.

Calidi fotus non longo tempore in usum ducendi.

39. In fovendis externè partibus, ut incalescant, prudenter se gerat Medicus, ne diutius iis utatur; scripsit enim Hippocrates: *Calidum, si quis diu multúmque eo utatur, ægris damnum auget, carnis effœminationem invehit, laxatis carnium fibris, dissipatóque proprio carnium pabulo, & inducto humore excrementitio*; unde etiam nervorum sequitur infirmitas: nam eorum robur in mediocri consistit siccitate. Cerebri quoque affert stuporem, nam sensûs, motûs, omniúmque cerebri actionum quasi resolutionem parit, & hæmorrhagias concitat, laxatis venis, & sanguine fuso, & lipothymias, dissipatis spiritibus, & resolutis membranis, quæ mors ipsa excipit.

Externis frigidis diu non utendum.

40. At verò nec multùm frigidis diu utatur; nam *frigidum*, idem inquit Hippocrates, *si quis inconsideratè eo utitur, spasmos & rigores affert*; nam exitu omnia corporis inquinamenta prohibet, & ossibus ac cerebro bellum indicit.

Ad sanguinis fluxum frigida optima, præterquam in thorace.

41. Ad prohibendum sanguinis fluxum ubique commendantur frigida, nisi in pectore fuerit malum: summè enim frigida pectori sunt inimica; etenim sanguinis, & spirituum vias intercipiunt, ipsiúsque thoracis naturam, quæ cartilaginea est, labefactant, quòd multo calore gaudeat ad vitam fovendam.

42. In

42. In vehementi dolore, vel ex multâ copiâ materiæ, vel ex acri, vel si in partem multùm sensilem occurrat, cavendum, ne meris repulsoriis utamur; sed nonnihil eorum, quæ discutiunt, erit admiscendum: quæ enim adstringendo repellunt, cùm tunicas siccando exasperent, majorem inferunt dolorem, hinc potiùs influxum augent; quæ verò solâ refrigeratione id præstant, ut aqua frigida, nix, glacies, narcotica, cùm materiam nimis crassefaciant, partémque condensent, etsi dolorem minuant, curatu tamen difficilem affectum reddunt.

Solis repellentibus in principio quando non utendum.

43. Narcotica, quæ stuporem sensui inferunt, ne temerè in usum ducantur, sed non nisi in vehementissimis doloribus, ubi vires concidunt, ut cessantibus doloribus robur recolligant. Adulatoris verò Medici erit, aut auram popularem captantis, ea in levibus doloribus in usum ducere.

Narcoticis rarò utendum, & quando.

44. Nunquam commissuræ coronali, ut in cæteris fit, applicentur in vehementibus capitis affectibus, sed temporibus, & fronti.

Narcotica nunquam applicanda suturis capitis.

45. Nunquam in aurium doloribus intra auris meatum; surditatem enim sæpè concitant, quidquid Rhasis contrà sentiat.

Narcotica nunquam intra aures.

46. In pueris narcoticorum usus omnis suspectus: si enim intùs sumantur, cùm angustis venis adhuc constent, quasi strangulantur; extrinsecùs autem ad somnum conciliandum si admoveantur, in reliquam vitam memoriæ multam jacturam faciunt.

Narcotica nunquam in pueris.

47. In quâcunque evacuatione, moliendâ à Medico, sive non operante naturâ, sive imperfectè agente, quamvis, & quò maximè natura tum partis, tum humoris vergit, eò ducere oporteat per loca convenientia, id est, per quæ evacuari possunt, & à naturâ etiam, saltem secundariâ intentione, sunt instituta, qualis est ventriculus, vesica, intestina; Cautio tamen adhibenda est, quia sæpè evenit, quæ per se sunt convenientia, ex accidenti talia non esse; ut si hæc loca laborent aut inflammatione, aut alio morbo. Unde Gal. 1. *ad Glauc. cap.* 11. dicit, si ventriculus, vel intestina laborent vel vulnere vel inflammatione, non esse evacuandum per illa loca. Tum etiam, si vicinus locus ille per se conveniens parti alicui laboranti fuerit, per accidens non erit conveniens; ut quamvis thorax, & pulmones ad excipiendam materiam, à cerebro transfusam, aptissimi sint, laborante cerebro non est per eam viam evacuandum, quia trachea arteria, quæ pulmoni juncta est, cerebro maximè est proxima; & sic periculum esset, ne ad pulmones irrueret, ut testatur Gal. 2. *in 6. Epid.* 32.

Natura quò vergit, eò ducere oportet; quomodo intelligendum.

48. Quamvis, quæ ab Hippocrate, Medicinæ parente, 1. *Aphor.* 22. proposita est sententia: *Concocta medicari oportet, & cruda non movere,*

Concocta medicarì oportere.

& crudanĕ movere; quomodo intelligĕda Hippocratis sentĕtia, & loci controversi conciliati.

movere, nisi materia turgeat, quæ alioqui rarò turget; hujusmodi sit, ut maxima curandorum morborum ratio eâ nitatur, ut felicitatem, quâ in curandis ægris per quadraginta ferè annos fruor, in observationem hujusce canonis maximè referre soleam; quoniam tamen unicam hanc exceptionem adjecit, *nisi materia turgeat*, tunc enim cruda sunt purganda; cùm alioqui & in pleuritide Hipp. 2. *acut.* 11. & in anginâ, 4. *acut.* 30. & cùm lotium crassum est, & nebulosum, 4. *acut.* 43. quod imperfectæ coctionis signum constituit Galen. 1. *de Crisi.* 17. & in quintâ die, si venter murmuraverit, Hipp. 4. *acut.* 64. & in quartâ in pleuritide, quæ est principium, 4. *acut.* 76. medicamento usus sit purgante: ut & Gal. 1. *de differentiis feb.* 4. in febribus pestilentibus; *&* 1. *de compos. med. per loca, cap.* 2. *&* 8. curans alopeciam; *&* 2. *ejusdem, cap. de curatione doloris capitis*; *&* 4. *Meth. med.* 6. 4. in ulcere, superveniente erysipelate; *&* 11. *Meth.* 9. quod ita putridum est, ut corrigi nequeat, ab initio evacuandum; *& cap.* 22. in ophthalmiâ, & linguæ inflammatione, statim in initio fluxûs medicamentis, purgantibus ab initio, quod est, ac dicere, crudâ existente materiâ, usi sunt; in quibus certum est, non turgere materiam; & fortè eâ ratione, quòd præstet aliquid cum periculo experiri, quàm ægrum destitutum remediis, sinere mori. Unde tanquam in salo hærent Medici, cùm confirmari sententiam illam, 22. 1. *Sect.* videant, 1. *Aphor.* 24. 4. *Aphor. Com.* 10. 4. *acut.* 22. 2. *Prorrhet.* 58. 3. *de diebus decret.* 8. *lib. Quos, & quando purgare oportet*, in fine per longum processum: quomodo in hoc negotio omnium, quæ ad faciendam medicinam faciunt, maximi momenti se gerere debeant, dubii hærent, & quid pro conciliandis contrariis iis sententiis dicendum sit, dubitant, An igitur cum antiquis Patribus, evacuatione distinctâ in eradicativam, quam in crudâ materiâ nunquam convenire, & in minorativam, quam convenire asserunt, satisfaciendum erit? Minimè; quòd universalis sit regula cum unâ solâ exceptione; & 4. *acut.* 22. dicit universaliter, non convenire, quia cruda non cedunt; at minùs cedent minorativis debilioribus. Nec rarò in acutis in principio uteremur medicamentis purgantibus. Et ratio, à Gal. in *Com.* 22. tradita, quòd non sit in cruditate separatum bonum à malo, in minorantibus locum habet. An potiùs canonem intelligemus de evacuatione, quæ fit curandi gratiâ? & præservationis gratiâ cruda ab initio evacuare poterimus At Hipp. 4. *acut.* 22. reprehendenti Medicos, cruda ab initio evacuare tentantes ob inflammationem, responderemus, excusari posse eos, diceremúsque, id illos præstitisse non curationis, sed præcautionis gratiâ? At nec placent ii, qui cùm evacuationem aliam constituant evacuativam solùm, aliam revulsivam; in revulsivâ nunquam cruda in prin-

in principio esse evacuanda; in evacuativâ simplici aliquando posse censuerunt; cùm in pleuritide, in anginâ, & aliis inflammationibus sciamus eo tempore revulsionis gratiâ fieri eas evacuationes. Prætereà, incommoda, quæ sequi scribit Galenus ad crudorum evacuationem, tam in revulsione, quàm in evacuatione, vera sunt potissimùm cùm absolutè, & simpliciter regula ab Hippocrate ponatur. Minùs recipiendi, qui evacuationem crudæ materiæ à toto, nisi turgeat, Hippocratem rejicere censent, *Aphor.* 22. alibi verò eandem concedere, si à parte solùm aliquâ fiat. Quoniam rationes Galeni non solùm in totali conveniunt, sed & in partiali, & 4. *acut.* 22. potiùs de evacuatione loquitur, quæ [à] parte fit, cùm prætereà medicamentum intùs assumptum, non electione, & intellectu ducat, ut cognoscat, se non ad totum evacuandum, sed ad partem esse devoratum. Nec dicendum est, exspectandam coctionem ordinatâ curandi ratione; coactâ verò, ne opprimatur æger, cruda posse evacuari, ut aliquibus visum est. Nam coactam esse turgentis crudæ materiæ evacuationem scimus, quam solam in 22. *Aphor.* excepit, nullâ aliâ omnino superadditâ. Minùs etiam dici potest, in febribus nunquam licere cruda evacuare, nisi fortè turgeat materia; in morbis autem sine febre cruda posse evacuari, quod aliis visum est, Convincit enim eos Hippocratis auctoritas 2. *acut.* 11. qui in pleuritide, morbo cum febre, sine turgentiâ, à principio purgat. Ut igitur jam tandem in difficillimâ hac controversiâ, quid faciendum sit, eruamus, non pigebit longiori uti oratione, & præter institutum cautionum practicarum tradendarum, cùm res hæc basis ferè sit curationum omnium, in quâ tamen omnes ferè aberrârunt. In primis igitur memoriâ repetendum est, cruda, & cocta in duplici esse differentiâ; alia enim cruda dicuntur, quæ, coctione mutatâ in aliti substantiam verti possunt; alia verò non verè cruda aut verè coqui dicimus, sed per similitudinem; nam licet nutrire cocta nequeant, in meliorem tamen conditionem ducuntur. De duplici hac coctione, & cruditate etiam primò locutus est Aristoteles, 4 *Meteor.* ubi non solùm cibum, chylum, & sanguinem cruda, & cocta appellavit, sed & lotium, & excrementa; ut & Hipp. 2. *acut.* 44. ubi bilem crudam appellat; & Gal. *lib. Quos, & quando &c. & lib. de const. art. med.* 16. Distinguuntur autem hæc, quòd quæ concoquuntur propriè, ut nutriant, eandem qualitatem, & substantiam nutritæ partis suscipiunt; quæ verò impropriè, & per similitudinem cruda concoqui dicuntur, non suscipiunt aut qualitatem, aut substantiam, sed suscipiunt tantùm quandam similitudinem caloris concoquentis: nam chylus albus fit in hepate ruber, & sanguis ruber, albas partes nutriens, fit albus. In crudo verò cocto, cùm putridum esset, non fit

mutatio

mutatio secundum substantiam, sed in qualitate; ut sanguis putridus crudus dicitur, per coctionem albescit in pus. Hinc Galenus variè variis modis coctionem definivit; 2.enim *de naturali facul. cap.* 4. *Concoctio*, inquit, *est alteratio, & mutatio ejus, quod nutrit, in similitudinem ejus, quod nutritur*; quam etiam recepit 3. *de sympt. causis, cap.* 3. Diversam tamen ab hac posuit aliam 2. *in* 1. *Epid. cap.* 46. cùm dicit, *Coctio est victoria humoris lædentis. Et in Arte med.* 89. inquit, *Concoctio est, quæ finit putredinem, manente substantia.* Per primam enim illam vera coctio definitur, duabus iis alia, quæ per similitudinem dicitur, quæque putridi humoris est. At 8. *de compos. med. secundum loc. cap.* 7. dicit: *Concoctio est alteratio secundum transmutationem ad similitudinem*, ut utramque comprehenderet, quod in utrâque fiat mutatio ad similitudinem, sed in primâ secundum similitudinem qualitatis, & substantiæ; in secundâ verò tantùm secundum qualitates. Secundò supponendum est, quod inflammationes ex Gal. 3. *Meth. med. cap.* 3. duobus modis fiunt, vel à transmisso sanguine ab aliis partibus ad partem inflammandam, vel ab attracto sanguine à parte inflammatâ. Si inflammationes primo modo fiant, ut sanguis ab aliis partibus ad partem inflammandam transmittatur, dupliciter etiam fieri possunt, vel quia partes afficiantur à multo sanguine, vel quia pungantur ab acri sanguine. Cùm enim multus est, partes insurgunt ad illum expellendum, atque ita expellunt ad partem inflammandam; iste autem sanguis, qui expellitur, crudus dici non potest; non enim cruditate alimentali, quia per se nutrire aptus est, nisi quantitate excederet; neque impropriâ cruditate, quæ putredinalis est, quia si in toto abundaret, synochum generaret, cùm tamen nulla præcedat sæpe febris. Si verò in parte mittente computruisset, jam in eâ parte inflammationem produxisset; sanguis igitur ille transfusus crudus non erat. Idem dicendum est de sanguine, expulso à parte per punctionem ex acrimoniâ bilis, sanguini admixtæ; cruda enim nullo modo dici potest bilis illa: neque enim cruditate alimentali cruda dici potest, quia bilis non nutrit: neq; putredinali, quia, antequàm fluat, faceret febrem ardentem, vel erysipelata: non igitur crudus sanguis ille dici potest. Ubi verò sanguis iste influxerit in partem inflammandam, cùm extra venas est transmissus, incipit calefieri, & putrescere, túncque crudus efficitur cruditate putredinali; sensim verò à calore naturali cum eo, qui præter naturam est, pugnante incipit concoqui, & ex rubro fit albus; unde oritur pus. Hanc autem distinctionem elicimus ex fonte Medicinæ Gal. 1. *Prognost. Com. ult.* ubi reddens rationem, quomodo fiant inflammationes, dicit, sanguinem, vel humorem, non nutrientem, sanguini mixtum, priusquàm influxerit, crudum appellari non posse: nam tum primùm tantùm incipit alterari, & à suâ naturâ in alienam

nam

nam permutari, cùm influxerit; nam sanguis, excidens è propriis vasis, in pristinam naturam revertere non potest, sed putrescit, & mox in pus vertitur, & propter obstructionem illi calor præter naturam accedit, & immutat; eâdem de causâ 4. *de usu part. cap.* 1. erysipelata, herpetes, & similes affectus præter naturam ex excrementis præter naturam fieri dicebat, quòd ad retentionem obstructio sequatur, hincque calor sequatur præter naturam, qui humores corrumpit, ex quibus hujusmodi affectiones producuntur, ut à calidâ propter dictas causas, & acri bile redditâ erysipelata generantur, & quæ priùs malè olens non erat, fœtida tandem redditur. 4. *acut.* 44. Quâ suppositione efficitur, ut in quibuscunque inflammationibus à bilioso humore liceat ab initio purgare, quia humor non est crudus; & propterea non comprehenditur sub Aphorismo illo 22. 1. Sectionis: *Concocta medicari, cruda verò non movere oportet*; quia bilis in principio inflammationis non est cruda. Ab initio verò purgari posse intelligo in erysipelate, herpete, & cæteris inflammationibus, & similibus, ubi minimum est quod influxit, plurimum verò, quod influxurum est, ut influxuri humoris pars major revellendo evacuetur; nam si multum influxisset, plus periculi ex pharmaco purgante sequeretur ob influxam materiam, quàm commodi propter fluxuram, ut docuit Hipp. 4. *acut.* 22. reddens rationem, quamobrem purgante medicamento non convenit materiam defluxam detrahere; quòd pro materiâ noxiâ bona evacuetur, vires debilitentur, & in morbum adducatur. Quibus positis, facillimum erit intelligere, cur in pleuritide ab initio purget, 2. *acut.* 11. & cur in angina 4. *acut.* 30. quia bilis in principio fluxionis non est cruda. At 44. 4. *acut.* in lotio crasso & nebuloso purgat, quia jam erat cocta materia, 1. verò *de Cris.* 17. cùm crassum lotium cruditatis signum dicit, intelligit de crasso & turbido. Quòd verò 4. *acut.* 64. quintâ die purgârit, crudo morbo, optimè fecit, quòd ex historiâ constat, fuisse turgentem. Galeni etiam loci illi regulæ non refragantur: nam quod de pestilentiali dicit 1. *de differentiis feb.* 4. nihil est; præterquàm enim, quòd in peste majori ex parte materia turget, undequaque mota, nullum præfigens sibi locum determinatum; dico etiam, verè crudam non esse, ut aliàs docebimus: cruditas enim coctionem supponit; at in peste majori ex parte eò corruptionis materia devenit, ut corrigi, concoquive nequeat; de quâ putredine locutus est 2. *Aphor.* 17. *& lib. adversus Iulian. cap.* 6. Galenus, quam nonnisi evacuatione tolli posse docuit. Auctoritates aliæ ferè omnes sunt aut de bilioso sanguine, in principio inflammationum aut erysipelatis affluente, quem ab initio purgari posse jam docuimus, quòd adhuc crudus non sit, aut de materiâ aliâ, quæ nullo modo cruda dici potest, quòd non computruerit.

Syr. ros. solutivus inter lenientia non connumerandus, sed inter solventia, potissimùm in acutis.

49. Cave etiam, ne inter Lenientia, potissimùm in biliosis naturis, & febribus, tum verò maximè in acutis veris morbis, syrupum ros. solutivum recenseas, quod à plerisque Medicis factum video; cùm enim observaverim sæpenumero, aut simplicem, aut ex sero lactis sumptum tantam humorum copiam evacuare, quantam vix intestina, mesaraïcæ venæ, & ventriculus capere simul possent, semper sum arbitratus, ab universo corpore & venis majoribus humores attrahere.

Syr. & mel ros. quando in principio concedenda.

50. Non negaverim tamen, in aliis febribus, ubi multa in ventriculo, intestinis, & primis venis crudorum humorum copia subsit, quod altiùs vires suas exerere nequeat, tanquàm absterforium medicamentum, mel ros. solutivum in usum duci posse.

Serum ex lacte quomodo separetur.

51. In Seri lactis usu animadvertendum, quomodo separetur aquosa hæc lactis substantia à reliquis. Modus enim, quo passim nostri utuntur, ut coagula separentur, ut facilior est, ita minùs salubris: præstat enim separare, ut Diosc. docet, *lib.* 2. *cap.* 276. quod fit duobus modis: Primo, si decoquatur lac, donec effervescat, dimoveatúrq; ramis ficulneis, & ubi bis, aut ter deferbuerit, conspergatur oxymelite, pro singulâ heminâ, quæ est octo unciarum, cyathum illius immiscendo, id est, sesquiunciam. Secundo modo ait, serum separari, si ei efferveſcenti immergatur vas argenteum, aquâ frigidâ plenum. Idem docet Gal. 4. *acut.* 7. & Oribasius 1. *Euporiston cap.* 9. Sed multo diligentiùs Aëtius *lib.* 1. *Quat. Serm.* 2. *cap* 96. qui ter ut effervescat, & ter defervescat, vasculo aquæ frigidæ pleno voluit, mox oxymelite, vel mulsâ aspergendum, & percolandum esse, quod etiam docuit Paulus *lib.* 1. *cap.* 88.

Seri lactis quantitas varia quomodo conciliandа.

52. In ejusdem Seri assumendi quantitate cautio maxima esto, aut enim sumitur ad universum corpus expurgandum, & tunc maxima illius quantitas haurienda est; sic fecit Hipp. 4. *acut.* 29. ubi cotylas ad minus duodecim propinandas voluit, quæ sunt centum & octo unciæ; quòd si validæ sint vires, etiam ad sexdecim pervenire posse, id est, centum quadraginta quatuor uncias, scribit; sic enim interpretabatur Gal. *lib. de salubri Diæta*, *cap.* 28. ubi congium potionis similis propinâsse scribit, id est, centum & octo uncias. Quòd si ad ventriculum, & intestina abstergenda, & evacuanda bibatur serum, ea quantitas sufficiet, quæ tradita est à Diosc. *lib.* 2. *cap.* 276. nempe quinque heminæ. Heminam enim priùs hauriendam scribit, deinde deambulandum, rursus aliam bibendam, iterum deambulandum usque ad quinque. Hanc sequitur Oribas. 1. *Euporiston*, *cap.* 9. addens, hanc quantitatem esse moderatam. Idem Aëtius 1. *Quat. Ser.* 2. *cap.* 96. Paulus *lib.* 1. *cap.* 45. tradit quantitatem, ad idem tendentem, adhuc parciorem, tres aut quatuor heminas tradens; & se explicans *cap.* 88. ætate

vigentibus

vigentibus triginta sex uncias, junioribus solùm decem & octo, id est, cotylas quatuor, aut duas concedens. Aliquando autem sero lactis utimur, tanquam materiâ infusionis, aut macerationis, tunc multò minor illius copia sufficiet: & sic Mesue *lib. 2. cap. 9.* à sex unciis ad duodecim concedit. Neque objiciat quispiam Gal. 4. *acut.* 7. asserentem, serum intestina solùm subire, illáque evacuare, quod repugnare illi videtur, quod primò dicebamus, ad uncias centum & octo dari ab Hipp. 4. *acut.* 29. ad universum corpus expurgandum. Cùm tamen ipse tantam quantitatem non probaret, ut constat ex locis propositis, cùm solùm intestina evacuare scribit, de moderatâ aliâ intelligendus est.

53. Caveat Medicus, in declinatione febrium putridarum semper medicamento purgante materiæ, quæ morbum faciebat, evacuationem facere; quamvis enim sæpe hoc necessarium sit, ne, quæ relinquuntur, recidivas faciant, 2. *Aphor.* 12. sæpe tamen in judiciis naturæ nihil relinquitur: quinimò aliquando, etiamsi nulla crisis facta sit, aut rectâ victûs ratione, & debitâ abstinentiâ, aut insensibili per habitum corporis factâ evacuatione, aut paulatim per clysteres eâdem materiâ evacuatâ, si evacuare in fine medicamento tentaremus, colliquatis humoribus bonis, & carnibus, & spiritibus exagitatis, ac excalefactis, viribúsque destructis, ægrum præcipitem ageremus in mortem. *Purgãdum non semper, in febrium, putridarũ declinatione.*

54. Quando igitur cognoscemus, purgandum esse corpus in fine febris? Docuit id Hippoc. 2. *Aphor.* 8. cùm dicit: *Si quis, à morbo cibum assumens, non corroboratur, signum est, corpus pleniori uti alimento.* Quòd si nec capienti id contingat, vacuatione tum opus esse pro certo habendum. Ubi Gal. dicit intelligere, si cibum multum assumat, & cum appetentiâ, quæ si adsit, non potest abundare pravis humoribus relictis; sicque non indigebit evacuatione, si multum cibum, & cum appetentiâ assumpserit, & corroboretur: si verò non multum cibum sumens non corroboretur, indiget evacuatione. Animadvertendum tamen, corporis hanc confirmationem non statim cognosci, sed trium, aut quatuor dierum spatio; post quos dies, nisi sequatur & apparentia, & corroboratio, evacuatione per medicamentum purgans utendum est. *Purgãdum quando in declinatione febrium putridarũ.*

55. Animadvertendum tamen, purgationem illam & statum morbi intermedio illo tempore supponere, & apparere signa coctionis perfectæ in urinâ: fit enim quandoque, ut, cessante febre per diem unum, aut alterum, febris ante quartam redeat; non quòd non desierit ex ratione concoctâ materiâ, quod quandoque fit etiam per octo dies; neque tamen terminatus morbus dici potest, quia adhuc cruda est materia: & in eo casu non est in eo spatio pur- *Purgãdum in ipsâ declinatione.*

 gandum,

gandum, quia nec cocta est materia, nec separata mala ab utili; tunc enim & tormina & vertigines produceret evacuatio, colliquatis carnibus, & spiritibus evacuatis, 2. *Aphor.* 35. & 36. Unde in intermissione hac falsa putantes aliqui Medici esse veram declinationem, post coctionem materiæ factam evacuantes, ægrum interimunt.

Clysterem indendum sæpe in alvo durâ ante purgationem.

56. In iis, qui durâ admodum sunt alvo, aut viscidis, crassisque multùm succis, potissimùm in ventriculo, & intestinis sunt, ne medicamentum verè purgans concedatur, quin priùs clysma vespere injectum sit, ut faciliùs subducat, & dolores non pariat, exitúmque per inferna non invenientes humores, & medicamentum ad ventriculum regurgitent, quod docuit Ruffus apud Oribasium 6. *Collect.* 26.

Criticis diebus quando purgãdum.

57. Criticis diebus, quarto, septimo, undecimo, decimoquarto, vigesimo, si nihil antè judicatum fuerit, ne dubitet Medicus aut purgare, aut sanguinem mittere: Critici enim tunc ii dicendi non sunt.

Crisi deficiente, quomodo procedendum.

58. Quòd si indicatorio die monstratum sit, naturam crisin facturam, nec tamen faciat, levibus remedijs, quæ etiam in manu nostrâ est subtrahere, manus adjutrices porrigere eodem die etiam poterimus.

Crisi die critico defi. ciente, eodẽ die nihil movẽdum.

59. Cave tamen, ne in deficiente naturâ in materiæ motu, per alvum id facias, ne major, quàm par sit, fiat evacuatio, si auxilium medicamenti tunc adjungas, cùm semel haustum pharmacum revocari nequeat, nec illud amovere liceat: naturæ enim is est mos, ut aliquando cunctetur aggredi evacuationem, cunctanter moveat, mox verò validè alvum excludat. Quare postridie potiùs erit pharmaco utendum, quo manus quasi adjutrices fatiscenti naturæ porrigamus, aut quod restibile est, à crisi imperfectâ excludamus.

Symptomaticè natura operante, quid Medico præstandum.

60. Quid si natura ante coctionem symptomaticè evacuationem moliatur? Digladiantur hîc Medici doctissimi. Ego sic sentio: si fiat per loca naturæ dissentientia, omninò cohibendam, cum Gal. 1. *Aphor.* 21. At si per consentanea feratur, cohiberi non debere: nam fallit interdum, & quæ mala videri poterat, bene aliquando cedit 4. *Aph.* 47. ut in Metone contigit, 1. *Epid. Sect.* 3. unde si cohiberetur, pravi humores, copiâ, vel qualitate stimulantes, qui evacuantur, ad partem aliquam principem calamitosè rapi possent. Et licet & cruditatis, & multitudinis, & pravitatis hæc evacuatio sit argumentum, & signum malum; ratione tamen causæ bonum est, vel minùs malum: nam minùs malum est, humores educi, quàm in principem partem ferri. Si in otio quiescerent illi succi, præstaret eos non excerni,

cerni, ſed cum pravi adeò ſint, ut partes irritent, præſtat eos excludi.

61. Cautio tamen adhibenda, quòd licet talem evacuationem non conveniat cohibere, minimè tamen à Medico eſt valde juvanda, cùm fiat à naturâ, non omnino bene agente, etiamſi fuerit diminuta Imò, ubi diutius perſeveraverit talis evacuatio, & vires proſternat, omnino erit cohibenda.

Symptomaticè naturâ operante, cautè agendum.



CAVTIONVM, ANIMADVERSIONVM *ET* OBSERVATIONVM PRACTICARVM *EX GVL. BALLONIO DESVMPTARVM.*

LIBER IV.

Circa Sanguinis Miſſionem.

1. 

Uidam fiunt ἐξέρυθροι, i. e. ſaturato rubróque colore præditi, ob refluxum ſanguinis à partibus inferis ad partes ſuperiores : à Græcis εὐχροια dicitur, maleque & καταχρηστικῶς vſurpatur, cum in bonis ducenda non ſit ; Nam in Purulentis & Peripneumonicis iſtam εὐχροιαν Hippoc. *in Coacis & in part. 60. lib. 2. prognoſt.* obſervat, an ea laudanda nequaquam : In Prorrhetico autem cùm vituperat iſtam coloris ſuavitatem quæ vulgo placet, adiungit vocem σκυθρωπὸν, vt bonitas coloris cum rigiditate, quæ Græcis σκυθρωπότης dicitur, in malis ponenda ſit, cum corpus ita affectum proximè ad melancholicam naturam accedat. *lib. de Virg. morb cap. 7.*

Εὐχροια non ſemper nota plethoræ.

cap. 7. *p.* 108. *in Defin. med. voce* Εὐχροια *p.* 140. Τῶν ἐξέρυθρων duo sunt genera, alii calidi & humidi sunt, hepaticiqúe dicuntur & multum sanguinis generant, pulsus habent plenos, elatos, magnos, multum sumunt alimenti, febribus continuis, synochis putridisqúe sunt obnoxii, & cum perspiratione carent fiunt melancholici (non atrabilarii) à fæce sanguinis & craffitie, De quibus Hippocrates, Prærubri melancholici fiunt: Alii colorem habent rubeum & hepar præcalidum habent, sed calor in humiditate positus non est, at in nescio quo squalore, siccitate, humiditatis inopia, Et hi tametsi rubore alias fugaci, alias non fugaci perfundantur suffundanturqúe, tamen hoc non est indicium abundantis sanguinis sed calidioris hepatis, Sanguinem acrem, subtilem serosumqúe generantis, sic sunt pauci sanguinis, pulsu satis celeri, non elato, non pleno, valetudinarii vivunt, serosis humoribus abundant, febribus longis, hecticis, hemitritæis detinentur, fluoribus hepaticis &c. priores facile ferunt Venæ sectiones, & ab iis non læduntur, posteriores nonnisi cum summa difficultate, vix enim sese recipiunt, recolligunt ac recuperant, & hypochondriacis morbis laborant &c. *Cons.* 64. *lib.* 1. *pag.* 361. Omnis Εὐεξία & εὐχροια quæ præter rationem advenit, quæque Naturæ legibus consuetis non continetur, imò potiùs est ob veteris & solennis evacuationis suppressionem quàm ob partium solidarum repletionem & instaurationem, mala est vt signum & vt causa; vt Signum, quia cum extenuationis sint argumenta in aliis partibus, repletionis autem in aliis, inæqualitas illa nutritionis declarat solum abdomen plenum esse, mesenterium plenum, vnde vetus stercus retentum illam εὐχροιαν, secundum quid non absolutè bonam, inducit: vt causa autem mala est, quoniam morbos à cacochymia & à plenitudine indicat, à Plenitudine quidem, non sanguinis, sed humorum in abdomine contentorum, quæ plenitudo cum cacochymia confunditur: hinc quibus mulieribus menses, aut viris hæmorrhoides subsistunt, eæ impinguantur, an propterea bene habent? Non, imò est instar evexiæ Athletarum: Et Hip. l. 2. de morb. dum de Suffusione pituitæ à capite loquitur, ait carnes rarefactas & excalefactas diffusam illam pituitam facilè in se recipere & postea εὐεξίαν inferre, sed illa lubrica est & periculi plena, Item lib. Coacar. Coloris bonitas & Sudores sine febre, aut inordinatam Diætam docent, aut vetus stercus subesse: veteris stercoris nomine potest audire evacuationem aliquam solennem subsistentem; An hæc bonitas coloris bona est? Nequaquam, imò prodromus & antesignanus morborum, vt nec ea bonitas coloris quæ in Peripneumonicis apparet: ideo decipiebantur veteres qui minimè contenti bona valetudine & bonitate actionum, sanguinem & lacertos quærebant, ex eóque metiebantur sanitatem cum

quis

quis succulentus & plenus & bene habitus foret: sed eos Galenus reprehendit; Sic non quoties quis saturato rubore est, dicere oportet eum valde esse sanum; nec item quoties quis ita affectus est, dicere oportet eum esse temperamento sanguineo; nam esse tales certum est colores, quale alimemtum, non propterea tamen sanguinis dominatum declarat rubens gena: nâm bifariam rubent genæ, aut propter sanguinis abundantiam, & tunc eos sanguineos esse dices, & ii quadrati esse solent, rubicundi, parum de rebus solliciti, (nisi inclinante ætate corpus minime perspiret) & liberaliores esse oportet in sanguine mittendo: aut ob caloris excessum cum humorum ichorosorum copia & dominatu, præsertim si in iis potiùs sit ἀναῤῥοπὴ quàm καταῤῥοπή, *Ibid. pag.* 362. Cave ne decipiaris iudicans de temperamento sanguinis ex eo quod quis foret subrubeus, fallax enim id est, Hippocr. lib. de off. nat. videtur aliam causam colorationis statuere, *Colorum mutationes fiunt corde laxante, aut eodem constringente: laxante quidem, florentes, pellucidi, rubicundi; Constringente, virides & ὑπόχλωροι.* Ac si dicat in quibusdam per effumationem tantùm; in quibusdam, & vaporum emissionem colorem induci, qui vapores si retineantur, tùm malâ coloratio adesse solet, Nisi dicas cor quoque plurimum posse, ob spiritus & calorem quem pulmonibus inducit, vt quibus pulsus parvus & languidus constrictusque, si color rubeus adsit, non vi caloris adsit, sed nescio cujus vaporis qui effertur: quibus autem cor bene dilatatur, & sanguinei sunt, iis bona coloratio ex se. *Consil.* 64. *lib.* 1. *pag.* 364.

2. Vt pura Plethora tutò sectione tollitur, ita in impura cunctantiùs agendum, parcius verò atque restrictius quo impurior fuerit: Nam Galen. *cap.* 4. *lib.* 4. *de Sanit. tuenda*, de lassitudine vlcerosa disputans, rem definivit, Videndum, ait, an Lassitudo cum sanguinis copia sit, an cum crudis humoribus, an per se solus consistat vitiosus humor lassitudinis author: nam si est cum sanguinis copia, aut secanda vena, aut aliquid suppar agendum, vt provocanda hæmorrhois aut sanguinis fluor: quod si vitiosi tantum succi, hique citra sanguinis copiam, Purgatio tentanda est, idque pro dominatu humoris agendum: sin crudi humores, mitificatione domabuntur: *lib. de Virg. & mul. morb cap.* 7. *In impura Plethora cautè vena secanda.*

3. Calida Biliosáque Plenitudo tutò sectione venæ minuenda, propter eam maximè, quæ inde sequitur refrigerationem. *Biliosa plenitudini quomodo confert vena sectio.*

4. Melancholica parcius, quod verum quidem si refrigerationem spectes, quæ tanta non requiritur quanta in Biliosa; sed ratione aut humoris fæculenti multi calorem obruentis, aut adustionis *In melancholica parcè sanguis vacuandus.*

nis modo generati succi melancholici, vt in iis contingit qui olim fuerint ἰυανθεῖς ἢ ἐξέρυθροι, i. e. floridi & prærubri, sanguine dominante, temporis autem successu, corporis prohibita difflatione, melancholici redduntur & cum frontis rigiditate, σκυθρωπότητος nomine Hip. apposité expressa, plenius largiusq; sanguinem demimus. *Ibid.*

Et pituitosâ. 5. In Pituitosa restrictiores esse oportet, cum enim humor sit frigidus, sectione duplicatur frigiditas, hinc difficultas coctionis consequetur: accedit quod huic maxima ex parte comes sit virium imbecillitas, quæ evacuationem istam dissuadet, *Ibid. pag.* 88.

Vena sectio quãdo convenit vbi sãguis in alienam Naturam degeneravit. 6. Si vbi paucus sanguis bonus, & reliquus succus multus à Phlebotomia temperandum, cur in summa extenuatione, & sanguine iam in alienam naturam converso & pici simillimo, mulieri sanguinem largiùs detraxit Galenus? Vbi paucus quidem sanguis bonus, multus verò alius est, vel est crudus, vel vitiosus, vel vtriusque naturæ particeps; Si crudus sit vel vitiosus, constat quidem vires hic stare non posse, itaque secundum canones à Galeno propositos in lib. de venæ sect. in neutro vena secanda est: tamen hic consideratos esse oportet, nam cum vitiosus sanguis, ac veluti coinquinatus, fiat vel ratione suppressæ solennis vacuationis, vel propter dominatum caloris æstuosi, qui κακοήθειαν quandam inducit omniáque inficit, vel ob pravam partis dispositionem, vnde κακοχυμία & prava hæmatosis in hepate, unde & colorum contra naturam apparitio Gal. opinione, hepate labem quæ minimè elui potest concipiente, quæque proximè accedit ad lanas arte infectoria intinctas, item & in Pulmonicis vulgò dictis, præsertim qui Phthoë laborant, ob peculiare vitium eo malignitatis humores deveniunt, vt labes immedicabilis corpori contrahatur; videndum quid facto opus sit: *Comm. in part. pen. sect.* 1. *lib.* 1. *Prorrhet.* In solenni suppressione si contracta labes, vel quæ in marcorem iam corpus conjecerit, veteres minus sectioni venæ pepercerunt, si alia arte procurari evacuatio solita non posset; Quanquam etiam in suppressione mensium sola malleolorum scarificatione contentus est Galenus, *cap.* 11. *lib. de Sang. miss.* ac si dicat, In solennis-evacuationis suppressione satis superque esse si Naturam invitemus ad cursum solitum repetendum, nec ad evacuationem arte nostra progrediundum, atque ea causa Galenum invitavit ad celebrem profusamque phlebotomiam in muliere extenuata. Et in Epid. in affectu quem ἀνατηὴν vocat, etiam venam secat. Sin autem calor acer sit, vt in θερμοκοιλίοις qui extima carne frigent alvo æstuante, satis est temperare sanguinem, & si quando phlebotomiæ locus est, præparcè id faciendum refrigerationis

modera-

moderationisque ergo: At si in parte totius substantiæ vitium sit, corruptionis author, aliò fortè quàm ad venæ Sectionem recurrendum, *lib. de Virg. & mul. morb. cap. 7.*

Quanam sanguinis cruditas venæ sectionem respuit.

7. An si crudus sanguis vena secanda? nam in libr. de Sanit. cap. 4. lib. 4. cum lividi coloris plumberentq; causas inquirit, eum à crudis succis originem ducere scribit: Et tamen id genus colores non modò ab iis humoribus qui infra sanguinem sunt (quo genere omnes pituitæ differentiæ continentur) ducuntur, sed ab iis etiam qui supra sanguinem sunt, vt sunt atrabilarii & pituitosi; inter vtrosque enim sanguis ambigit, vt apertè demonstrat Galenus; Sed aliud est ὠμὸν aliud ἄπεπτον: cum humores mitificati non sunt, ἄπεπτοι dicuntur: cum in ventriculo chylus, aut in hepate sanguis nondum est satis coctus, ἄπεπτος dicitur: omne pituitæ genus ἄπεπτον dicitur quia infra sanguinem est, & qui morbi inde surgunt ex incocto humore proveniunt: & biliosi humores etiam adusti recoctique dicuntur ἄπεπτοι crudique, sumpto nomine τοῦ ὠμοῦ largius. Itaque aliter atque aliter se gerere oportet, Nam si cruditas humorum propriè dicta adsit ob caloris inopiam, in coquendo & mitificando incumbere oportet, imò si illam suppressa evacuatio induxerit, initio vt tuta est sectio venæ, ita calore iam obruto strangularóque, cautiores esse oportet: sin vitiosi succi sint ac contaminati, aliqua oneris parte levari potest natura ad reliquum evincendum, Nec abs re in muliere emaciata largius sanguinem detraxit Gal. ratus è re futurum si detracta pessimi succi maxima parte, natura in reliquum sese accingeret, quod Galenum fecisse intrepide credibile est, viribus aliqua ex parte firmis: nec enim debilitatis viribus tantam evacuationem molitus fuisset, is qui tanti vires in phlebotomiæ controversia facit, vt ab iis ferè solis indicationem secandi desumat: quanquam vix ac ne vix quidem fieri potest vt vel vitiosis succis redundantibus, vel crudis cum paucitate sanguinis laudabilis virium aliqua sit firmitas: sic facti quam iuris controversia difficilior est: *Ibid. pag. 92.* pleniorem τοῦ ὠμοῦ καὶ ἀπέπτου distinctionem vide lib. 3. art. 2.

Mutatio sanguinis in alienam omnino natura non avocat semper.

8. An mutatio sanguinis in naturam alienam, etiam insignis, à secanda vena avocat? Contra enim videmus feliciter detrahi sanguinem bis terve, dum etiamnum insigniter mutatus, vt dum cum virore pallet aut ὠχρὸς est, aut viridis aut lividus, aut puri varii coloris finitimus: præterea dum Galenus *comm. in partem* 10. 2. *de Diæta Acut.* interpretatur quid vocet Hippocr. In Pleuritide ad coloris mutationem sanguinem detrahere, ait, Si sanguis pituitosior sit qui in toto corpore ægroti sparsus est, ille qui in obsessa à phlegmone parte continetur rubicundior apparebit: Sin rubet universus sanguis, niger ab affecta parte vacuabitur; Sin lividus est, talis existit dum à rubro in nigrum proceditur: itaque si commodè rubeus pro pituitoso,

tuitoſo, niger aut lividus pro rubro & florente educitur, cum in aliam naturam mutatio inſignis facta ſit, cur non ex vniverſo corpore convenienter & lividus & viridis tunſa apertáque vena eximetur? Eadem & partis & totius ratio videtur; Sed aliud eſt peculiaris ſectionis venæ rationem habere, aliud totius corporis: Nam dum à parte inflammata aut vicina ſanguis deducitur, neceſſe eſt ratione phlegmones primo quoque tempore ſanguinem mutari etiam inſigniter, quod ſi in ea inſignis mutatio totam ſanguinis maſſam attingeret, cautiores eſſe oporteret in phlebotomia. *Ibid. pag.* 90. *&* 93. Mirum quod ſcribit Galen. comm. in aph. 43. 2. de Diæt. Acut. Quibus ſanguis copioſus & nondum inſigniter immutatur in naturam alterius humoris, iis detrahendus etiam audacter: quibus verò iam mutatus eſt, non detrahendus: Tamen contra factitamus, liberiùs vacuamus & audacius cum videmus alteratum quàm cum parum: imò Galenus in melancholia audacter ſanguinem mittit cum videt ſanguinem in habitu eſſe melancholicum: Et niſi ille locus de Pleuritide & inflammatione partis intelligatur, non poteſt tolerari: *Annot.* 2. *in Conſil.* 44. *libr.* 1 *p.* 203.

Vbi cruditas & plenitudo cum febre, non ſtatim vena ſecanda.

9. An ſi cruditati plenitudiníque ad vires febris iungitur, huius ratione Phlebotomia ſuſcipienda? Nam hoc hodie factitari videmus, vt audito nomine febris ad ſectionem ſtatim accurramus: imò in crudorum humorum proventu febris quædam analoga commoditatem aliquam afferre videbitur, etenim iuuat humores frigidos mitificando, vt in Prorrhet (explicat *Galen. part.* 49. *lib.* 2. de Apoplexia loquens) frigiditatem humorum temperat, imò coquit; ut in Epidemiis *part.* 10. *ſect.* 6. exemplo gravedinum cum febribus iunctarum explicat, Et quartanarum febrium calor morborum frigidorum vindex eſt, authore Hippocrate Epid. 6. Itaque in iſta cruditate excitanda potiùs febris eſſet, nedum cùm orta eſt reprimenda: de ea re Galen. audiamus *lib. de ſang. miſſ. c.* 10. dum de cruditatibus loquitur & plenitudine ad vires; Crudis humoribus, ait, abundantibus, antequam ægrotent, cautè evacuandum, vbi febricitant nequaquam: Quod vt intelligatur, repetenda quæ ſunt priùs dicta: *cap.* 6. Vbi plenitudo ad vires gravat, non ſemper ſanguis trahendus, nam fieri poteſt vt per corpus vniverſum humor ſit ſparſus, in quo attendas quantum valeat virtus, quantumque ſit humoris: nam à crudis ſuccis virtus exoluta in extremum malum per venæ ſectionem incidet, à quo nunquam emerget; quod ſi factum fuerit, aut leve ſequetur periculum, præſertim ſi æſtiva conſtitutione, ſtomacho malè habente, febris acceſſerit, aut ſi corpus vniverſum molle & humidum ſit, Hi enim facilè digeruntur, & leipothymiis prehenduntur, etiamſi mediocris febris accedat; His & conſentanea in methodo *cap.* 3. *lib.* 10. ſcribit: Febricitare incipiunt quidam vbi maximam crudorum

crudorum humorum copiam cum oris ventriculi offensâ vel ex cruditatibus, vel alia occasione collegerunt; his & præcordia inflata & corpus tumet, tum color aliis ad albidius quàm pro naturali habitu & ferè qualis in hydropicis, aliis ad nigrius ac lividius, omnibus pulsus minores quàm pro caloris ratione, præterea obscuri & inæquales; nulli talium sanguis mitti sine maximo periculo potest, cum tamen vacuationem exoptent; imò nec Purgationem nec sanguinis missionem ferre possunt, ut pote quos ex facili syncope adoriatur; Atque ita ex vtroque loco patet in eiusmodi cruditatibus neutri remedio locum dari, atque multò magis si febris adsit: An vero per se ipsa febris dissuadet? Nequaquam, Sed aliæ conditiones ad hanc adiungi debent, alioquin erronea hæc erunt, cùm febrilis calor ex se sectionem venæ aut saltem refrigerium postulet; primùm jam constat copiam esse crudorum succorum à qua vires obruuntur, si febris auctariò accedat, adhuc magis metuitur viribus, omnes enim norunt à febre & vires labefactari & actiones lædi: maximè vero & cruditas & febris; per se lædentes, venæ sectionem dehortantur, si & æstiua sit constitutio & si delicatius os sit ventriculi: cùm itaque Galen. supra dixit, cautè vacuandum est cùm succi crudi sunt antequam quis ægrotet; cum vero febris adest nequaquàm, ita intelligi debet hæc periodus de febre, vt discamus à febre indicationem non peti dissuadendæ sectionis venæ, sed id fieri tantum per accidens; aut si febris dissuadeat, debere quoque alia accedere, nempe si æstiva sit constitutio, & si exquisitius sit osculum alvi ipsius. Tamen hoc addemus ad πὑκμαρον pertinens & vsu probatum: Si quæ succedit febris humorum cruditati à putredine, eáque vt solet, maiorem inducat in humores corruptelam, sitim adaugeat, ἀνορεξίαν maiorem pariat, denique ad se curantis consilium revocet, ratione ipsius febris nonnulla tentari per phlebotomiam potest evacuatio. *lib. de Virg. & mul. morbis cap. 7. pag. 94. & 95.*

10. Quî fit vt multis quibus putrefacta penè viscera reperta sunt, laudabilis sanguis detractus fuerit, item & viris & mulieribus multis ὑποχλώροις pallidis ac ferè virentibus, cum alioqui iudicasses sanguinem non absimilem colori (cùm quale alimentum, i. e. succus in venis, talis color efflorescat) tamen florentissimus sanguis detractus fuerit, non serosus nimium, non subviridis aut cum virore pallidus: quare si tale alimentum, i. e. succus in venis consistens qualis est color, sanguis iste omni culpa vacat? Tribus rationibus id fieri putamus, prima est, quod Hepar bene ac probè suum facit officium quoad fieri potest & sæpe in habitu corporis,& in capillaribus venis,per facultatis assimilatricis vitium, & peculiare vitium in cute, quod à diathesi interna contractum magna ex parte est, non ob vi-

Non quo sanguis laudabilior eò liberalior debet esse.

tium vllum in massa sanguinis, sed in parenchymate alicuius partis alimentum vltimum corrumpatur: Sic tametsi laudabilis suppeditetur succus ab Hepate & vasis maioribus, tamen vitium in habitu accersit; & sic cutis defædatur; vt multos videmus scabie infectos, aut simili vitio, quibus certò affirmabamus nos impurum sectione venæ sanguinem detracturos, & tamen in ista defœdatione cutis, illibatus & incorruptus sanguis est: Nos Elephanticis sæpe laudabilem sanguinem detraximus: quanquam fieri potest vt specie laudabilis sanguis appareat, cum intestinum aliquod vitium in eo delitescat, quod quidem in habitu corporis & præsertim in partibus delicatioribus, vt in facie, cum vltimò elaboratur & in rorem convertitur, tum demum sese profert ac exhibet: Secunda causa: Si quis Splenicus est aut Empyicus, manente in venis sanguine puro, non desinit esse pallidus, emaciatus, subviridis aut nigricans, quia non in massa sanguinis vitium & labis causa est, sed in alia parte, vnde spiritus inficiuntur non sanguis ipse, ob quorum infectionem], aut aliam atque aliam affectionem, iste quoque talis aut talis in corpore color apparet: declarant ii qui animo deficiunt, aut facilè expallescunt aut erubescunt, magna enim est vis spirituum: Tertia, vidimus sæpe impuris corporibus & languentibus, cum corruptæ maiori ex parte sanguinis massæ maxima forent vndique argumenta, fluxisse laudabilem, quod fatiscerent ac vacillarent vires, quibus paulò post resurgentibus, detractio impuri sanguinis facta fuit: sic fieri potest vt in decoloribus, pallentibus & defœdatis, cum in imo corpore impuritas sanguinis multa restagnet ac reses maneat, effluat patente vena laudabilis sanguis, impurus autem non expellitur, quia vires non constant; certum autem est in impuritate sanguinis & viscerum robur virium & nervorum non posse stare: ne mirum itaque sit si impuritatem natura infirma non expellat; præterea in multis expallescentibus sæpe sanguis crudùs est & pituitosus & infra coctionem positus: mutatio autem sanguinis pituitosi est, vt ab vno puncto ad aliud moveatur per coctionem, ex pituitescente & quasi albescente sanguine fit floridiusculus, ait Galenus, contra cum jam rubet & mutatio contingit, ad nigredinem tendit, & sic in aliis: Itaque mirum ne sit si in iis qui quadam specie hyposarcid i laborant, dum aperitur vena, floridulus & rubens visitur: Sed præcipua causa, ob quam in Cacochymis pertusa vena sanguinem inculpatum eructat, ea esse statuenda est, quod color non efflorescit talis aut talis (vt quidam malè credunt) pro ratione & natura humorum in venis contentorum & qui suo amplexu quatuor humores comprehendunt: Et cum moderati sunt humores, tum qui in venis sunt & vere faciunt plethoram ad vasa, & ad vires cum exuberant: tum qui extra vasa sunt & cacochymiam facere dicuntur, cum naturæ gremio non

continentur,

continentur, tum viriditas & nitor apparet in toto corpore: cùm contra vtrique vitium contraxere, decutitur ac deperit flos & nitor faciei & totius corporis, Et licet massa sanguinis aliquando laudabilis sit, defœdatio cutis contingit ob diffusionem quandam ichoris manantis à colluvie humorum, qui dum spiritus illustres inficit, pallorem quoque inducit. Et in recursu sanguinis & spiritus ad interiora videmus decolorationem aut plumbiformem faciem contingere: & quibus internum aliquod vitium est, in iis decoloratio est aliqua, & tamen in vasis sanguis non peccat, quia revera si omnino & plane sanguinis massa talis esset in substantiâ & colore, qualis habitus apparet, vix ac ne vix subsisteret animans; Itaque cum etiamnum apparente superficie sanguinis florida, aut manifestum aut occultum est in reliqua massæ sanguinis parte vitium, non mirum si cutis per diffusionem illius partis vitiosæ inficiatur: erat enim in suo vase ruber sanguis, sed cùm egressus est, & in morem roris effunditur vt tertiò fiat alimentum, tum partes verè sentiunt qualis naturâ erat sanguis ille: Sic decipi non oportet ista coloris & ruboris in sanguine apparentia & prætextu. *Epid. lib.* 1. *pag.* 100. *& sequ.* Quis dubitat quin si in mesenterio, in simis & gibbis Hepatis, in Lienis penu, colluvies scatet pravorum humorum, & iam à natura egressorum in spiritu & vapore illinc elato, non afficiatur massa sanguinis, deinde coloris corporis amissio fiat, vt pote habitu fœditatem ipsius vaporis persentiscente? Sin moderati sint humores excrementitii, aut qui extra vasa in vsum naturæ asservantur, vt τὸ φλέγμα, quia dubitat quin benignitas illius vaporis, iuncta benignitati vaporum eius succi qui in venis est, & qui proximè alit, corpori nitorem sit conciliatura? Videmus mulieres ῥῷ laborantes dum fluor perseverat, etiam boni coloris esse, si supprimitur, faciei splendor obscuratur. *Ibid. pag.* 105. Horum omnium demonstratio manifesta & ampla peti potest ex eo Hippocr. loco 6. *Epid. sect.* 4. *part.* 24. Qui ventre calido sunt, &c. vbi in commentario Gal. docet à calore acri coctionem corrumpi & vix esse possibile vt laudabilis sanguis in Iecore generetur: tamen potest esse floridus color, & in se esse acrior & biliosior: vnde quædam mulier ὑπόχλωρος, & eiusmodi prædita temperamento, mihi affirmavit, si quando vel ex dentibus sanguis effluat vel è capite, eum sibi gustu sentiri salsum & molestum, vt mirum non sit si id alimentum salsum partes respuunt & malus color apparet: An non revera malè consulunt ægris Medici, qui inspectis quibusdam rebus & affectionibus contra naturam in habitu corporis, ad internorum curam se convertunt? vnde observatum de quibusdam quibus facies primum nitorem exuerat, imò aut virore aut flavitie aut pallore erat deturpata, in quorum prima regione viridantium omnisque generis humorum erat cumulus, copiosa sur-

ſum deorſúmque facta excretione primo nitori ſplendoriqúe faciei ſunt reſtituti. 1. *Epid. p.* 111. *&* 112. *annot* 17. Plerique valde *κακόχροοι*, laudabilem tamen habent ſanguinem, & nonniſi in magnis morbis & præſente putredine in genere venoſo alteratur ſanguis. I. Perierius id teſtatur, Non facilè fert phlebotomiam, abundat pravis humoribus, ſæpe illi eveniunt excretiones in modum choleræ morbi, & tamen ſanguis eſt laudabilis : credibile id evenire ob venarum parvitatem, Et revera hepar ſatis bene ſuum officium facit quoad hæmatoſin, & quoniam venæ non ſunt magnæ, non facile remiſcetur cum ſanguine ſerum quod ab humoribus in meſenterio contentis refunditur & quod venæ ſiccæ attrahunt : teſtatur id experientia, nam partium venulæ ſunt refertæ bono ſanguine, tum quia elaboratus valde, tum quia ob anguſtiam non facilè admittunt alienam materiam quæ ſanguinem immutat : vnde ſexcentis vena ſecta eſt quibus febricula erat & color plumbeus & fœdus, vt talis in venis ſubeſſe ſanguis crederetur, & tamen laudabilis detractus eſt : Quia etſi vitium eſt in aliis partibus, imò in cute, & pravi quidam ſunt humores in corpore ; natura ſaltem retinet ſartam tectam maſſam ſanguinis, quia ſi hæc vitiata eſſet, actum eſſet : at quibus venæ amplæ facile admiſceri alienam materiam ſinunt, & prioribus i. e. anguſtas venas habentibus cum faciei fœdo colore phlebotomia non competit, Poſterioribus competit. *Epid. lib.* 2. *pag.* 163. In talibus *κακοχρόοις* ſanguis laudabilis ipſa ſectione apparet, at qualitatibus alienis præditus eſt, eſt enim acriuſculus & biliosus nimis, his contra putredinem ſe tuetur : at quibus dulciuſculus ſanguis, is facilè alteratur & corrumpitur, & qui abundant eo ſanguine, facilè in febres putridas cadunt, vnde Hippocr. *lib.* 6. *Epid.* Candidos valde fortaſſis febriculoſos dicit : quia in iis ſanguis faciliùs corrumpitur, niſi pituitoſi ſint valde ; aliis nigrioribus & biliosis, præſertim ſi non ſint *πλατύφλεβοι*, non ita corrumpitur ſanguis, nec in febres facilè putredinales incidunt, in tabificas & neſcio quas febres facilè ; Et vt tandem aliquid definiatur, obſervatur experientia, ſanguinem bilioſum raro corruptum apparere, nam cum in bilioſis corporibus abundet bilis, ea facit quominus putreſcat ſanguis : quanquam non deſinit eſſe vitioſus & morboſus ſanguis aliis intrinſecis qualitatibus ; ſed primis qualitatibus non ita ægrotat iſte ſanguis. *Ibid. pag.* 167. *annot.* 17.

Inpuriſſimus ſanguis quibus viſcera integra detractus.

11. Plurimis contra impuriſſimus ſanguis detractus eſt, imò nunquam ferè purus, quibus tamen mortuis & ſectis, partes omnes ſatis integræ ſunt deprehenſæ, aliis ferè ſemper purus, quibus tamen viſcera & Pulmones maximè putres ſunt inventi : Quid hoc rei ? Si multis ſemper detractus eſt impurus ſanguis, an quia impurus occaſionem ſubinde capis ſecandæ ſæpius venæ ? Vires enim deſtruis, & forte

forte in habitu tantùm talis sanguis succrescit, & formosissimis mulieribus & albissimis impurus sæpe detrahetur, Quid hoc rei ? Multi meo iudicio tali sanguine bene nutriuntur ; & vt sues luto, ita tali sanguine corpora sustinentur : imò æque longævi sunt quibus impuritas est sanguinis ac ii quibus perpetuò purus demptus est ; Sæpe ad speciem & visum purus est, qui alioqui τῇ ὅλῃ ὠσίᾳ malus est, vt contra impurus cernitur specie, qui non ita τῇ ὅλῃ ὠσίᾳ malus : & cùm malus & impurus ita sæpe cernitur, tantum ob naturam corporis delicatam & admistionem seri talis fit : argumento est, quod fere cacochymi sunt κάτω, & talibus potiùs purgatio quadraret quam identidem repetita phlebotomia : item id valde notandum, quod plurimi quibus facies nitet & decora est, floridulusque vultus, sæpe magis valetudinarii vivunt quàm quibus impurior est sanguis & facies pallidulâ : quæ omnia ad vnguem tenenda ne crudelitate potiùs quàm humanitate nostrum expleatur officium. *Epid. lib.* 2. *pag.* 191. 192.

Formosis mulieribus impurus sæpe sanguis demitur.

12. Si sanguis è brachio dematur, & is exalbescat in superficie, an ideo corruptus videtur ? Quod tamen video placere multis, qui vt iustæ phlebotomiæ, occasionem prætexant, dicunt sanguinem albescere, non autem floridum & rubentem esse, & propterea suam temeritatem in secanda vena ignorantiæ columine fulciunt : nam si homo sit pituitosus, aut si mulier, eaque desidem vitam degat, fit vt sanguis in vasis restagnans exalbescat, idque duabus de causis, prior est quia est pituitosus, ideo, si cum iam elaborato sanguine comparetur, albidior est ; posterior, quia ignavus est & reses in venis : at Galenus docet mora sanguinem etiam in venis albescere in quacunque corporis parte : itaque hæc ad vnguem tenenda sunt, vt simus in secanda vena trahendoque sanguine restrictiores : *Epid. lib.*2. *pag.* 160. Observatione dignum est Fernelium existimare sanguinis albedinem esse testem redundantis pituitæ : nos initium putredinis putamus ; per moram enim sanguis corrumpitur & exalbescit, præsertim cum sanguis crassior & copiosior & quem natura respuit, reses in vasis manet : Alii non omnino contra naturam esse dicunt albedinem hanc sanguinis, & fieri aiunt vi & robore partium spermaticarum sanguinem dealbare conantium. *Epid. lib.* 1. *pag.* 15.

Sanguis in superficie albicans corruptionē non indicat, hinc S. M.

13. Cùm hodie demitur sanguis, & vltimum vas corruptissimo sanguine plenum est, tum incitantur Medici ad iteratam imò tertiam & quartam V. S. & quò maioris corruptionis particeps sanguis est, eò de secanda venâ audaciùs cogitant, & sic misere in humani generis sanguinem contenditur ac statuitur ? Quid respondebunt authori suo Galeno quem ducem sequuntur ? hic enim eò magis à S. M. avocatur quò corruptionis maioris sanguinis argumenta maiora

Iteranda S. M. vana est indicatio quæ sumitur à sanguinis impuritate.

maiora apparebunt: ita scribit. c. 4. l. 4. San. tuend. Vbi vel citra sanguinem restitutum est, vel supra processum, nullo modo sanguis mittendus est: Cum biliosus humor redundat, & tota massa sanguinis biliosior est, supra sanguinem processum est, an non conveniet venam secare? Quid ergo vult Galenus: Idem p. 43. sect. 3. l. 6. Epid. scribit. Si copiosus sanguis & nondum insigniter mutatus in alterius naturam fuerit, audacter detrahe, contra agendum si iam mutatus est: Vide ergo in quo conveniat posteritas cum antiquitate: & tamen idem Galenus mulieri extenuatæ, cui pici similis sanguis erat plurimus, large sanguinem detraxit: Ego verò vt conciliem Galenum secum & cum posteritate, puto illum tam religiosè interdicere V. S. Vbi vel supra sanguinem proceditur vel infra restitutum est, i. e. vel cum plane crudus est & pituitosus sanguis (ὠμὸν αἷμα) vel cum ita processum est vt iam adustus sit: vel hoc intelligi debet, vt non solum qui sanguis ruber esse debet colorem mutaverit (nam omnium facillimè sanguis floridus colorem mutat) sed & alii sanguinis massam humores constituentes parem quoque mutationem acceperint, alioqui decipi facile est; & plerique turpiter hallucinantur, nam in nostris sectionibus venæ putamus sanguinem valde malum esse, quia superficies mala & alieni coloris apparet: error est, nam si vel in vase stanneo, vt in scutella, coniiciatur: vel si vas totum plenum non est, vel si dimoveas sanguinem ipsum, tunc superficies florida apparebit: Sed quod magis vrgebit, duæ sunt rationes quibus fortè revocari possis à frequenti sanguinis detractione, Prior est hæc; pauca quantitas croci multum aquæ tingit, ita pauca bilis sanguini confusa alterat sanguinem & mutat: si ergo per confusionem aut admistionem bilis in sanguine mutatio appareat, non propterea statim ad vnam atque alteram V. S. deveniendum, quod forte multis fraudi fuit: Posterius argumentum hoc est: cùm Socrates febricitat, sanguinis massa confunditur & turbatur, resident verò humores febre cessante: Si sanguinem detrahis dum æstus est in venis, confusum semper elicies, & sic ægrum eiusque vires diminues, itaque non oportet adduci ad audacter sanguinem detrahendum ex eo quod sanguis confusus & alteratus apparet aliquando *: Epid. lib. 1. pag. 88. & 89.* An æquum est audacter sanguinem mittere quia putris apparet? nam perturbatio id facit, & quamdiu manet perturbatio, tamdiu manet & malus iste sanguinis color: itaque errant fortè qui inde occasionem sæpius detrahendi captant: confusio enim & perturbatio in febribus sanguinem malum repræsentat: vnde sudoris eruptione defœcatur sanguis, & sublata ista perturbatione, purus si detrahatur apparet, in quo plerique aberrare videntur, dum falsa opinione impuritatis sanguinis largiùs detrahitur, spirituum fit dissipatio,

dissipatio, natura ab instituto revocatur & secretricis facultatis vires effœminantur: nam etiam impurus sanguis spiritu vivifico abundat: quid si etiam partes eo nutriantur? vnde videmus multis, etiam sanis, semper impurum sanguinem detrahi, & tamen vivunt sani, nisi quod in morbos celeriùs incidunt, imò cum aliquando animi gratia, & metu alicuius morbi, sibi sanguinem detrahi voluerunt, is etiamnum vitiosus est, & tamen sani vivunt, nomine sanitatis largius sumpto? *Epid. lib. 2. pag.* 235. Cùm Medici vident sanguinem mutatum & corruptum, audaciùs repetunt V. S. contra evenire debet si vera sunt ea quæ à Galeno dicuntur; ait enim cunctantiùs detrahendum si planè mutatus est: & hæc mutatio non debet intelligi tantum de sanguine quarto humore, qui facile corrumpitur, sed de aliis sanguinis massam constituentibus: *Annot.* 12. *in cap.* 7. *lib. de Virg. & mul. morb.* Galenus in muliere illa extenuata largius sanguinem detraxit, in qua credibile est potiùs τῷ συναθροισμῷ peccavisse sanguinem, quamvis qualitatem vulgo terrificam acquisiverat, quam τῇ γενέσει. Sed obscurum est quid in mutatione sanguinis sequendum, nam si ex Galeno sectio venæ omittenda est cum insigniter sanguis mutatus est, multis perperam celebratur sectio in sanguinis corruptione, tamen felici successu id fit; quod obiicitur de Pleuritide, in qua lividus, vermiculans, nigerque sanguis detrahitur, aliud est peculiaris sectionis venæ rationem habere, aliud totius corporis: nam dum à parte inflammata aut vicina sanguis deducitur, necesse est ratione phlegmones primo quoque tempore sanguinem mutari etiam insigniter: quod si ea insignis mutatio totam sanguinis massam attingeret, cautiores oporteret esse in V. S. *libr. de Virg. & mulier. morbis, cap.* 7.

Ad coloris usq; mutatione quãdo fieri debet S. M.

14. Supponit Galenus ad part. 10. l. 2. de d. acutor. aliàs sanguinem esse pituitosiorem, aliàs rubicundum & propterea naturalem, aliàs melancholicum: Supponatur item Pleuritis aut alia dispositio inflammatoria in parte aliqua: qui in parte ipsa sanguis est & proxime adest, vi inflammationis mutatur; qui in remotioribus partibus, immutatus est: nunc res revocetur ad examen; Si talis aut talis fuerit sanguis, qualis circum partem inflammatam mutatio eveniet? Si, inquit, pituitosior fuerit sanguis naturâ, ille qui è parte inflammata proximè educetur, rubicundior erit, quod est notandum; qui rubentior est & floridulus, vi inflammationis in nigrum mutabitur, & sic de cæteris: sic nec propterea quia rubens apparet, continuo putare oportet nondum evacuari illum sanguinem qui ferè in parte continebatur, quia enim pituitosior erat, prima mutatione ob caloris accessum, erubuit magis, facta veluti coctione ob calorem extraneum: item homo si sanguineus est,

& qui sanguinem habet facilè mutationem suscipientem, quod à rubedine insigni facilis in nigrorem sit mutatio, an propterea quia pravum colorem habet qui per venam fluit sanguis, audaciùs est iterum atque iterum mittendus sanguis? Sic plerique harum rerum ignorantes falluntur, ideo si sanguIneus est homo, & laudabili floridulóque sanguine abundat, præsente inflammatione expectanda est in nigrorem mutatio: Si pituitosus, carnifex erit qui talem mutationem expectabit; imò videmus sanguineos facile in febrem incidere & maximè Synochon, & qui demitur sanguis, is fere corruptus, est quanquam in facie & toto corpore nitor appareat, quoniam minima occasione suscipit mutationem sanguis, & præsertim livescit: at qui pituitosi sunt, & ægrè in febrem incidunt, in iis sanguis non ita facilè corrumpitur, nisi communicetur aliunde putredo. Sed cùm intemperies est calida, tantùm abest vt fiat virulentus aut niger aut lividus, vt ratione caloris & febris rubentior evadat; vnde multis Pulmonicis & catarrhosis pituitosis demptus est sanguis laudabilis. *Epid. lib.* 2. *pag.* 159.

Vrinæ biliosa non semper insinuant M.S. nec tinctura biliosa expertes prohibent.

15. Vrinas cùm quidam vident κατακορεῖς i. e. biliosas & præ bile saturatas, tum ad secandam venam audacter veniunt, cum præsente febre insigni tales vrinas non vident, imo vulgo bonæ dicuntur, quia nec caloris nec suffusionis bilis indices sunt, à S. M. abstinent: Vtrique graviter peccant & artem ignorant, nam, est vbi apparentibus vrinis non biliosis & non coloratis secare venam oportet, est quoque vbi biliosis & ardentibus apparentibus à S. M. abstinendum est: cùm inflammatio interna est, & bilis conclusa, vrinæ coloratæ non sunt, & tamen tunc, tum ratione obstructionis & suppressionis, differre S. M. nefas est: item cum per vias vrinarum natura molitur excretionem vt & per alvum (vnde alvi deiectiones biliosæ sunt) tunc vrinæ sunt tincturæ valde participes, atque tunc quoque phlebotomare malum est: itaque nec ex vrinis non tinctis occasionem sumes secandæ venæ, nec ex non tinctis, Et cùm ægri à cibo abstineant, proptereáque vrinæ tingantur & biliosiores excernantur, an biliosa vrina ad S. M. hortatur? nequaquam, nisi alia concurrerint: imò si hepar infirmius aut renes infirmiores, aliquando velut cruentæ apparent, & si erat congestio bilis, vi hepatis dissipata, tinguntur vrinæ, an ideo secanda vena? nequaquam, *Epid. lib.* 2. *pag.* 131. Andreas frater ἰκτερώδης, ἄπυρετος, vrinas faciebat bile saturatas, hinc secandæ venæ occasionem cepimus, sanguis illi detractus valde laudabilis; quomodo id contigit? rationem reddit Fernel. Pathol. l. 3. c. 15. necnon eos sugillat qui talibus vrinis inspectis hinc captant phlebotomandi occasionem: *Epid. l.* 2. *pag.* 203. Ex his intelligi velim vrinam quæ

vel

vel nullo renum vitio sit inquinata, non semper sanguinis & succorum eius conditionem ostendere : ea quippe nonnunquam citrina, crassa & turbida mejitur, & qui nihilominus tum detrahitur sanguis exquisitè purus & rubicundus existit : id persæpe & in Quartana & in Tertiana intermittente, atque etiam in Ictero cernitur, quibus bilis supervacanea aut è Iecore aut eius folliculo ex aliisve sedibus prorumpit in venas, neque ipsi sanguini sed eius duntaxat sero permiscetur atque hic turpiter errant qui ab vrina crassa & rubra protinus mittendum sanguinem esse pronuntiant : est & nonnunquam vrina & colore & substantia & sedimento secundùm naturam, quum tamen detractus sanguis tum colore tum substantia vitiosus apparet : id ferè contingit in statu & ante crisim continuarum Febrium, quum perfecta est vrinarum concoctio necdum tamen natura vllam est noxii & peccantis humoris vacuationem molita. *Fernelius 3. pathol. c.* 15. *Epid. lib.* 2. *pag.* 203 vnum præterea est animadvertendum in quo graviter peccari solet; nam in febribus continuis, vrinis alioqui apparentibus satis laudabilibus, sanguis colore & substantia vitiosus demitur, & confusam esse putant vrinam: hinc ex sanguinis vitio male sumunt indicationem detrahendi sanguinis, at errant, nam cùm in statu morborum perfecta est urinarum concoctio, nec dum evacuatio excretióque contigit noxij humoris, vrinæ non confusæ apparent, & tamen ob agitationem quæ fit in succis qui in venis continentur, sanguis ita illaudabilis apparet, an ideo detrahendus ? erras si id credas:præterea cavendum ne confundas vrinas perturbatas cum iis quæ vulgo confusæ dicuntur : nam confusæ venam secari iubent, non autem turbatæ : *Ep. l.* 2. *pag.* 221.

16. Sunt quibus longo tempore parùm fit sanguinis & præsertim virgines decolores : Aliis pauco tempore multùm, & hos audaciùs phlebotomabis : considerare hoc oportet, quoniam cùm non fiat sanguis nisi post multas easque difficiles mutationes : carnificis est, non autem Medici ita liberaliter & parvâ de causa venam aperire, cum sanguis naturæ thesaurus sit & amicus. *Epid. lib.* 2. *pag.* 159. *Qui longo tempore parũ gignunt sanguinis parcè vacuandi.*

17. Hippocr. l. 2. de morb. mul. ait fulvum fluorem mulieri evenire cùm exhaustus per alium fluorem sanguis biliosus fit, vnde patet evacuationem sanguinis bilefacere humores & reliquum quod adest; *Cons.* 98. *lib.* 1. *annot.* 1. Sanguis ne detrahatur cùm æger à detractione deteriùs habet, vt cùm purior & biliosior est, sanguinem enim bilem frænare Avicenna credit ; *Cons.* 1. *lib.* 3. Gener Dom. de Brezé febricitabat, insigniter tussiebat; circa 4. diem ecthymata, nobis non apparebant : Cassia serò data, multum purgatus; manè aperta vena, credebamus impurum sanguinem de- *S. M. humores bilefacit.*

tractum iri, sincerus erat, nec enim serum habebat; animo defecit post primum fere vasculum; temere quidem secabamus venam, bilem ἄκρητον ferè per inferiora dejecit; iterum atque iterum purgatus, integrè convaluit: in discrimen conjectus est, & nil tale moliendum, naturæ totum relinquendum. *Ep. l. 2. p.* 215.

S. M. quando pinguefacit. 18. Vulgus credit frequentem sanguinis detractionem pinguefacere, quia minuitur calor acer, febrilis & mordax qui maciei causa est idonea, pituitosum enim fit corpus, pituita autem alendo est idonea, non pus, non ichor, non bilis vtraque, ait Gal. ad part. 44. l. 2. Acut *Cons. 4. lib.* 3.

Orgasmus humorũ S. M. Sedatur. 19. Orgasmus maximè phlebotomiam postulat, nihil enim est quod efferos & tumultuarie agitatos humores conpescat æquè citò, quod non citò nec tam facile facit Purgatio; imò purgatio sæpe turbat humores & motu ipso deteriores reddit; omnis enim humor pravus motus deterior seipso fit dum quiescit; ac præsertim ad sectionem venæ festinandum est cùm per vasa fluxus refluxusque esse videtur; Quod si in ventre humor est ac veluti à massa secretus, tum per alvum ac aliam commodam viam apte repurgatur. *Cons.* 107. *lib.* 1. *p.* 492.

In morbis non acutis festina V. S. sæpe nocet. 20. Sectione venæ nimis citò celebrata in morbis non acutis, laudabilis tantùm sanguis educitur cum magna virium iactura; sic meliùs esset leniens medicamentum bis exhibere & sectionem differre, & maximè errant Medici qui aphor. istum, Si quid movendum videtur &c. & Tardare malum, æque æstate & hyeme & autumno vsurpant; potiùs audire debent illud, Plurima non turgent, vt non ita ad medicationes festinent & sectionem venæ. *Cons.* 65. *lib.* 1.

In decoloribus mulieribus parca sit, 21. Quomodo mulieres decolores (quibus etiam bonus sanguis trahitur è vena) & cacochymæ tam male habent à detractione sanguinis? ratio est quia capillares venæ sunt plenæ virulento sanguine; & est morbus in habitu corporis eo modo quo in Elephanticis, & incumbendum videtur in habitum ipsum: nam cum pestifera morbi vis in habitum ipsum sit rejecta, tôties demere sanguinem è majoribus vasis, calorem ipsum nativum est imminuere. *Epid. l.* 1. *pag.* 111.

Sanguinis profusior vacuatio, damnãda. 22 Αἱματοχύται, illi qui audacter sanguinem detrahunt, objiciunt illud de nutricibus quibus pueri plusquam vncias sex aut octo, plus minusve, lactis exsugunt, & tamen lac excrementum benignum spiritu plenum est, cur non vires tanta lactis suctione dissipantur quemadmodum frequenti Sanguinis detractione? verùm longe dispar ratio, lactis materia ducitur quidem ad mammas & ab iis attrahitur, at sanguis aliarum partium futurus alimentum

tum attrahi tantum videtur, vt mirum non ſit ſi multa copia eliciatur lac, nullo nutricis incommodo, ſanguis vero non ita magna ducatur copia: accedit quod paulatim lac ſugitur. *Epid. lib. 2. pag.* 233.

23. Non alienum eſt ad diſſuadendam S. M. frequentem præſertim, id quod à quibuſdam ex Theophraſto objici ſolet: is enim dum reddit rationem cur arbores non inſitæ & ſylveſtres plures producant fructus quàm inſitæ? hoc affert, minùs feraces eſſe arbores inſitionem paſſas διὰ τὴν ἕλκωσιν, vulnus enim illud in inſitione factum vires minuit: quod & de phlebotomijs poteſt audiri; maximè verò nocent delicatis & λεπτοῖς hominibus. *Epid. lib.* 1. *pag.* 86. Detractio ſanguinis, niſi quando res vrgeat, ſpiritus exhaurit, vires exolvit, oculos hebetat, corpus ſiccat, maturam ſenectutem reddit: *Conſil.* 5. *lib.* 2. *pag.* 203. Vt ſanguis fiat multiplices ſunt præparationes & coctiones; nec enim iſte theſaurus iuſtas qualitates & ſubſtantiam acquirit niſi elaboratione multa præeunte. Et ſi qua in re natura ſedula eſt, in ſanguine vno conficiendo eam diligentiam præſtat: nec adeo facilis & prompta ex quovis alimento eſt ſanguinis generatio, vt quidam dictitant, quò faciliùs in effundendo ſanguine humano ſuam crudelitatem elevent: ſatis enim eſſet eos eſſe liberales non prodigos. *lib. de vrinarum hypoſtaſi pag.* 102.

Frequentior nocet.

24. Dom. N. Sub finem æſtatis & circa ejus medium variè afficiebatur, verè melancholicus eſt, olim valde bilioſus: abundat calore acri & corrumpente alimentum, nec verè proficit edendo; eum medicamentis lenibus identidem repurgavimus, cùm tamen non multum abundaret ſanguine, quærebamus an ſanguis eſſet mittendus, ter miſimus, illaudabilis erat, multis vltro citroqúe factis convaluit, venas latas habebat, ideo minus phlebotomias reformidavimus; ſimilis hiſtoria apud Hipp. lib. 5. Epid. initio & apud Galen. de muliere extenuata; Explicat ibi Hippocrates ea hiſtoria morbum quem ἀνανὴ [?] vocat. *Epid. lib. 2. pag.* 143. Similis huic eſt hiſtoria in Epid. init. lib. 5. Vir quidam morbo tenebatur, cùm ſine cibo eſſet, fortiter in ventre ſugebat, ac dolebat; cùm ediſſet ac contriti cibi eſſent, tempuſqúe poſt cibi eſum acceſſiſſet, non longè poſt idem patiebatur: corpus tabeſcebat ac conſumebatur; alimentum non contingebat à ciborum eſu, per alvum ſecedebat cibus pravus ac combuſtus: cùm recens cibum cepiſſet, ipſo tempore minimè ſugebat, nec dolor aderat, nil opis ſentiebat à medicamentis: vbi vena ſecta eſſet in vtraque manu, donec exanguis redderetur, poſtea vtilitatem percepit & à malo liberatus eſt: Idem erat, quod & in ea muliere extenuata, in qua largam ſanguinis miſſionem fecit Galenus: porrò cum iſtam hiſtoriam

Extenuatis vena poteſt ſecari.

particularem proponit, explicat eum morbum quem ἀνανδὼ vocat sua linguâ. Quo morbo interiere Marescallus in ripa Sequanæ & Balduinus Medicus, & quibus omnino hepar biliosius, siccius, & squalidius, vt pravi omnino humores generentur, & hepar ipsum non amplius suum velit facere officium.

Cuinam hepatis caliditati convenit S. M.

25. Quibus Hepar est calidius, ijs venæ sunt ampliores si simul humidius, & si ejus σύστασις sit laxior: sin calidius & siccius, non ita ferunt evacuationem sanguinis: quibus enim venæ sunt angustæ, ijs maximam partem detrahitur, etiam in morbis, laudabilis sanguis, nec nisi magna de causa aut corrumpitur aut rei alienæ admistionem recipit: & quoniam venæ fere sunt capillares. purior & biliosior est sanguis, ita enim persperſus per capillares totius corporis venas sanguis, etiam in valde cacochymis laudabilis est, saltem quoad sensum, nam potest esse aliqua qualitas inexplicabilis &c. 2. *Epid. pag.* 167. *annot.* 18.

Ad leipothymiam sanguis non ducendus.

26. Ex Galeno à viribus sumenda detrahendi sanguinis indicatio, nam sæpe incidunt leipothymiæ terrificæ, quas quanquam veteres non reformidabant, imo ad eas vsque sæpe sanguinem ducebant, nostris tamen temporibus terrorem sæpe inferunt, nec tutæ sunt in nobis quorum corpora sunt languidiora & molliora: olim non tam periculosæ vtpote corporibus robustioribus: atque quæ sequebantur leipothymiæ & à priscis laudatæ, tantùm ratione evacuationis magnæ & confertæ aderant, & tunc minùs intendunt periculi: sed nulla fere præeunte evacuatione ἐκλύσεις καὶ λειποθυμίαι insequuntur, quod declarat magnam virium imbecillitatem & facilem valde spirituum dissipationem: atque labantium virium adventantisque λειποψυχίας argumenta ducuntur ex pulsu, nam frequentior cùm esse incipit, & intercalarem intermissionem aut inæqualitatem habet, tum iam certum sit de futuro animi deliquio: sed hic falli non oportet, nam si semel hoc fiat, quavis mutatione in pulsu terreri & ab instituto revocari puerile est ac meticulosum nimis, sed si subinde hoc eveniat, tunc avocari oportet ab instituto cursu. *Epid. lib.* 1. *pag.* 69.

Quibus tenues & mobiles spiritus non tolerant.

27. Facile verò exolvuntur quibus mobiles & tenues sunt spiritus & qui celeres animi motus habent, facile enim dissolvuntur spiritus: declaravit Dominus de Ruadde, cui cyathus aquæ frigidæ datus ante phlebotomiam leipothymiam abegit: *Epid lib.* 2. *pag.* 130. Et Margaretha Danietes, quam mox enim ab apertâ vena animo defecit, donec consilio Dom. Magni haustu aquæ frigidæ parum refrigeratus esset ventriculus & spiritus incrassati ac quodammodo repressi: Porrò à detractione sanguinis facile animo linquuntur quidam, vel quod natura imbecilliores, vel quod timore magno percellantur viresque effundant omnes, vel quod

quod os ventriculi amara bile suffundatur, aut quam maximè acri sensu præditum ac infirmum sit. *Conf.* 34. *lib.* 2.

28. Si à viribus sumitur indicatio, forte id fallax est, nam videmus sæpe in principiis morborum & pulsus intermissionem & inæqualitatem summam, & tamen audacter purgatio instituitur & venæ sectio: an hoc tutò fit? ab oppressione potiùs est ea infirmitas, proinde natura deoneranda est vt recreari possit. *Epid. lib.* 2. *pag.* 214. In multis, præsertim jam grandioribus ætate, intercalarem pulsus intermissionem καὶ ἀνομαλίας observavimus cum de vena secanda dubitaretur, nec tamen sumus retardati: nec enim hoc debet à vena secanda divertere, præsertim si aliàs pulsus magnus & validus compensans istam inæqualitatem: inæqualitas enim sæpe est à plenitudine, imò eadem plenitudo pulsum intercalarem facit: eadem inæqualitas in pueris dormientibus & ijs quibus pulmonum læves arteriolæ obstructæ sunt sæpe observata est, & tamen periculum abfuit. *Epid. libro* 1. *pag.* 70. *Virium infirmitas ab oppressione non impedit.*

29. In phlebotomiis si pigro lapsu fluit sanguis etiam amplo foramine facto, debilitas: sin fluit rivulosè, facultatis excretricis vis & robur cernitur. *Epid. lib.* 1. *pag.* 18. *Si pigre fluit, sistatur sanguis.*

30. Cùm ægri narrant se bene aut male habere ex phlebotomiis, non est omnino fides deroganda: quidam cum de phlebotomia ageretur, narravit se in summam virium imbecillitatem incidisse à phlebotomia vno ante anno facta & vix refici potuisse, nos aliquantulum id movit, & cum videremus necessario venam aperiendam, aperuimus, religiosè sanguinem detrahebamus, nondum pleno secundo vasculo cœpit aliquantum convelli & videbatur moriturus; *Epid. lib.* 2. *pag.* 241. Servo Dom. Myron dicenti phlebotomiam sibi semper molestam esse & nonnihil afferre formidolosum, secta vena est, ad duo vasa sanguis demptus, horruit, deliravit, mori videbatur; annon quia nondum erat purgatus diligenter? Dom Palmarius existimat corpore impuro, præsertim circa os ventriculi & simum hepatis, detractionem sanguinis terrifica hæc afferre symptomata; hoc fortasse non caret ratione, nam cùm repurgata est diligenter pars illa superior, tunc & tutius & sine magno symptomate demitur sanguis; quamobrem Medicus aliquando credere debet ægris, vt vel secando venam vel dando pharmacum restrictior & cautior sit: Alius incepit convelli post mediocrem sanguinis detractionem. *Epid. lib.* 2. *pag.* 44. *Ægro credendum de facili & difficili tolerantia.*

31 Qui fit vt corpora servorum & servarum, dura & compacta, solida non lubricæ sanitatis, vt corpora liberorum, sæpe in morbis, venæ sectionibus faciliùs obruentur, premantur, deficiantque, quàm corpora molliora. &c. Vide lib. 3. art. 37. pag. 81. *Epid. lib.* 1. *pag.* 88. *Corporibus duris & compactis sæpe noxia.*

32. Mirum

S. M. quidam robusti vix tolerant.

32. Mirum illud, videas quosdam qui indulgent genio & sine ordine & tempore modò cibos capiunt, modo bibunt, cum ad actiones omnes sint alacres & expediti & validi videntur, tamen vix ferunt phlebotomias, rationes vide lib. 3. art. 32. pag. 83. *Epid. lib. 2. pag.* 160.

Quibusnam biliosis confer, quibus non.

33. In artis operibus observavi alias V. S. siccis, biliosis, calore acri & mordaci abundantibus conferre, aliàs obesse; vtrique malè coquunt, quoniam qui ventre calido sunt, carnes habent frigidas; qui μεγαλόφλεβοι ἢ πλατύφλεβοι, vt sic loquar, & ἐπίφλεβοι dicuntur verbo Hippocr. ij V. S. ferunt satis facile, nisi quid impediverit, vt oris ventriculi sensus exquisitus, vel virium imbecillitas alia ratione invecta; De ijs ait Hippocr. 6. Epid. sect. 4. aphor. 25. Qui ventre calido (θερμοκοίλιοι) carnes habent frigidas; isti sunt venosiores & iracundiores; Venosi, Græcè ἐπίφλεβοι, duabus de causis, ait interpres, tum quia carne sunt denudati, tum quia plenas sanguinae venas habent & proinde conspicuas: at qui macri sunt, excarnes, subflavo colore præditi & graciles habent venas, S. M. plurimùm offenduntur. *Epid lib. 2. pag.* 120.

Quibus angusta venæ vix tolerant.

34. Revera angustia venarum maxime consideranda est, nam quibus hæc inest, nullo profectu fere demitur sanguis; vnde non est mirum si sæpe sectio in malleolo non conferat, angustia istarum venarum id facit, & sæpe non probè secatur vena & superficiaria tantum sectio est. *lib. 2. Epid. pag.* 135.

Autumno debet esse parca.

35. Corruptio magna est autumno & vires imbecillæ, & tamen liberalius eo tempore demitur sanguis: In hoc peccatur maximè, & videmus sæpe multa venæ sectione fatigatos fuisse ægros & nihil aut parum allatum esse adiumenti; sic correctio illius venenatæ qualitatis (nisi fortè manifestæ cacochymiæ cum plethora argumenta fuerint) potiùs est providenda quàm evacuandum liberaliter, aut de alimento detrahendum: atque in eo multi peccant: quod autem suspicio esse debeat venenatæ vis in omnibus fere morbis autumnalibus, id patet maxime, ægri facilè emaciantur, liquescunt ac extabescunt cùm tamen videantur sat belle habere, & nullum aut exiguum dolorem se sentire fateantur; febres sunt lentæ, symptomaticæ, continuæ, nam in diathesi consistunt & contumaci quadam obstructione & vitio partium; declarant dolores qui paroxysmis & exacerbationibus redeuntibus sentiuntur, &c. *Epid. lib. 2. pag.* 181.

Si ardent & squaleni interiora parca sit.

36. Quoties ingentis cujusdam ariditatis in partibus imis suspicio est & argumenta, nec non obsidio facultatum & ἀδυναμίας, audax ne esto in secânda vena; autsi secare consilium est propter a φλόγωσιν parcissima id manu faciendum est, alioqui in magnum discrimen vitæ ægrum conjicies. *Consil.* 71. *lib.* 1.

37. Vnum

37. Vnum in operibus artis ſcire convenit; Pleriſque in detractione ſanguinis deliquium contingit animæ, præſertim cùm prima corporis regio non eſt purgata, bile enim os ventriculi natat, quæ quia movetur, & non promovetur, deliquium animi afferre ſolet: itaque [niſi quid valde impediat] cachecticis, cacochymis & bilioſis ἄνω vix ſanguinis detractio convenit, niſi prius aut vomitu bilis excluſa fuerit, aut eadem deorſum medicamento cholagogo excluſa. *Conſil.* 54. *lib* 2. p. 268. vide ſupra art. 30.

Non celebretur quãdiu impura eſt prima regio.

38. Mirum quibuſdam videtur, cùm fluente alvo vena aperitur, ſed quod fluit, vel ſymptomaticè fluit, nimirum ob perennem generationem, aut laxitatem partium, aut facultatis retentricis imbecillitatem, vel acervatio erat humorum corruptorum quam natura amolitur per alvi fluxum; Si prius, non eſt locus phlebotomiæ, ideo dicebat Hippocr. 4. Acut. part. 16. Si ſanguinem vis detrahere, ventrem confirma, Si poſterius, naturæ totum munus ſinatur, nam ſic evacuatur febris cauſa; At ſæpe jam antequam natura ſponte alvum ſollicitet, aut copia ipſa materiæ ſibi viam fecerit, maſſa ſanguinis infecta erat diffuſo ſero, & tenuior materia à craſſiori in imis corporum reſtagnante deſecta, vnde niſi perflaveris ſanguinis maſſam, major corruptio ſequetur. Morbi non cito fiunt ſed ſenſim, & cum ſeſe proferunt, jam labes pervaſerat multas partes: vnde quibus primo morbi die ſanguis à natura alienus detractus eſt, an credibile eam corruptionem vno die contingere potuiſſe? *hiſtor.* 7. *lib.* 2. *conſ. p.* 172. Inflammationem lactium & jejuni, neceſſario ſequitur alvi fluor (& hic non debet dehortari venæ ſectionem) ſed talis fluor nec dolorem ſolvit, nec ventrem mollit: inflammatio autem & morſus inteſtinorum & doloris cauſa eſt, & fovet iſtum fluorem: *Conſil.* 110. *lib.* 1. *annot.* 12. An fluente alvo poteſt tuto vena ſecari? nam contra docet Hippocrat. Si ſanguinem, &c. Galen. in comm. Si poſt detractionem perſeverat fluor, virtutem proſternet; ſed cum phlogoſis eſt, aut calor adurens & colliquans, non alienum eſt demere ſanguinem vt ardorem extinguas, *Conſil.* 112. *lib.* 1. *p.* 148. Cuidam à ſuppreſſione fluoris alvi, & cum immoderatius vino vteretur, dolor & tumor vtriuſque hypochondrij evenit, fluebat alvus liquidis excrementis, & medicus non audebat ſecare venam: tamen nil prius reperimus ad ſedandam tacitam inflammationem quàm quater ſanguinem demere. *Epidem. libro* 2. *pag.* 174.

Alvi fluor non ſemper impedit.

39. An præſentibus Sudoribus initio morborum ceſſandum & non aut vena aperienda aut corpus purgandum? Omnes enim ab opere ceſſant. Ego vero exiſtimo etiam moliendum aliquid, quod inanis ſit naturæ conatus, cauſam morbi per cutim emoliri volentis: nam ſæpe ingens eſt intus æſtus juvans eam excretionem; interea natura fatiſcit & nil ſalutariter excernitur, quia nondum cocta ac

Sudor initio morbi apparens non impedit.

mitificata est materia: & cum principium morbi in isto provocando sudore natura exigit, locus non est solennibus remediis, ita omnia in pejus ruunt, ægrique res malè eunt, Et nos cum faceremus medicinam cuidam mulieri regionem hepatis dolenti, non revocavit ab vna atque altera V. S. Sudor, imò inanis iste sudor cessavit refrigerato per phlebotomiam corpore, & levata oneris parte natura (quod observandum est in Medicina facienda, attamen id caute faciendum) Incendium erat internum quod sudandi occasionem incitabat: Sed dicet quis, Si initio morborum ars alvum etiam copiose fluere facit, vomitiones excitat, & natura idem præstat, cur non & Sudores proliciet, eadem enim vtriusque rei ratio esse videtur? *Consil. 12. lib. 2.* Sudoribus manantibus etiam sanguis mittendus, cùm inanis est conatus naturæ, & fervor æstusque est ingens eam excretionem iuvans. *lib. 2. Epidem. pag. 179. in margine.*

Etiam die critico potest mitti & quovis morbi die.

40. Sunt qui, vt ignorantiæ suæ velum prætendant, cum nil agere circa ægrotantes volunt, afferunt justam dilationis causam quod hic vel ille dies sit Criticus; At Galenus l. de S. M. cap. 20. contra factitandum putat, quoniam, inquit, sæpe cum quis dies sex aut quinque ægrotavit, ad curationem accersimur, expediet vtique sanguinem mittere, etiamsi prima occasio sit prætermissa; quocunque enim die mittendi sanguinis scopos in ægrotante inveneris, in hoc præsidium hoc adhibeto, etiamsi vicesimus ab initio morbi dies fuerit: scopi verò sunt magnus morbus, virium robur, excepta ætate puerili, & ambiente nos aëre vehementer calido: At dices, numero dierum vires exolvuntur, ideo si jam progressus sit morbus, demendi sanguinis occasio tollitur: Galenus autem rejicit istum dierum numerum, non quod hic primario & per se efficiat vt vires minuantur, sed quod ex eventu propter longitudinem ipsam vires labent: Imo etiam secundo die morbi vires imminutas admodum videre licet: tamen si authore Hipp. 4. de morb. diebus imparibus & criticis medicamentum purgans dare nefas est ob ὑπερκάθαρσιν quæ inde sequitur, cur tuto vena secabitur? Galenus autem ista maximè scripsit contra eos qui de V. S. statuentes, in duobus graviter peccaverunt, nam vltra quartam diem venam non secabant, vnde in Epidem. tacitè ijs suam ignorantiam obtrusit, cum ait, Anaxioni octavo die venam secui: alter autem erat error, quòd secarent venam cum humores adhuc inconstantes erant & errantes, non autem cum fixi & inerrantes. *Epid. lib. 1. pag. 85.*

Puerilis ætas non prohibet S. M.

41. De Phlebotomia pueris celebranda magna quæstio est, nam objici solet ætatula: Galenus l. de S. M. valde religiosus est, nam multas apponit conditiones antequam hoc de remedio decernatur, ait enim, Si post 14. annum Pleuritis aut Peripneumonia oboriatur,

riatur, Si puer sit sanguineus, si ve r sit, si regio temperata, audacter venam secabis: Quasi verò id tempus sit expectandum & eæ expectandæ conditiones &c. *Epid. lib.* 2. *pag.* 265. Quoniam plerosque pueros febribus continuis & vehementibus videmus interire, quibus forte omissio phlebotomiæ obfuit, vt Medicis probro & ignorantiæ vertatur quod temere solemne illud remedium, tam præsens in continuis auxilium, prætermiserint, an non tuto secari puellis eo in casu vena potest? Ita revera, tum quod casus requirat, tum vt parentibus satisfiat, qui in phlebotomia prima salutem, imo & à mortuis excitationem positam putant, Parisijs enim malunt suos ad phlebotomiam adduci, & si phlebotomati interierint, minus illis molestum est: itaque miror Galenum tam studiosè in pueris venam non secare &c. At nostrates suas afferunt experientias de sectione in bimis & junioribus *Epid. lib.* 1. *pag.* 84. & 85. Scire oportet in pueris, etiamsi assiduitas febris absit, si de interno fervore constat & caloris corrumpentis dominatu, tuto venam aperiri. *Epid. lib.* 2. *pag.* 140. Puerorum ætas virium substantia abundat, verum quandoquidem calidum humidumque corpus obtinet, perspirabile, delicatum, molle, quodque assiduò digeritur ac defluit, sanguinis tamen missionem, vt adultorum, vrgente morbi magnitudine & præsente virium robore fert: Quod verò Galen. pueris venam non secuerit ante 14. annum, id de plena & larga sanguinis profusione, veteribus etiam ad leipothymiam consueta, audiendum: atque ita Avenzoar se filio suo trimo venam secuisse salutariter testatur: cùm enim medico liceat naturam imitari, vt illius ministro, sponte autem naturæ tum pueris tum lactentibus infantibus abundè profluat sanguis è naribus, quidni liceat naturam imitari, aliqua licet virium imminutione & jactura? optandumque magis est vt offensis quodammodo viribus à morbo vindicetur puer, quàm servata plenitudine internæ alicujus inflammationis æstu & fervore intereat: non est igitur ætas quæ non aliquem vacuationis modum ferat; interest enim non quę ætas sit neque quid intus in corpore geratur, inquit Celsus, sed quæ vires sint; firmus puer, robustus senex, gravida mulier valens, tutò sanguinis detractione curantur. *Epid. lib.* 2. *pag.* 145.

42. Si Galenus comm. in part. 74. l. 4. acut. liberalius adimit sanguinem densioribus, solidioribus, minùs spirantibus, Si mares sunt solidiores & compactiores, cur non plenius demitur sanguis? contra Medici mulieribus audacius & plenius sanguinem auferunt *l. de virg. & mul. morb cap.* 5. *annot.* 3. *p.* 49. Vir rarus est & compactus, fœmina densa & laxa propriè dicta: quæ compactio, cohærentia, soliditasque non prohibet perspiratum, imo juvat, quod *Mulieres facilius tolerant quam viri.*

 mæandri

mæandri & spiracula non ita concidunt vt in fœminis, quarum corpus ἀραιόν, καὶ χαῦνον, καὶ μαλακόν, rarum, laxum fluidumque & molle, propterea non difflantur: corpus habent crassum, effœminatum, exuviæque facilè supprimuntur, idemque contingit mulieribus quod in humida Austrináque constitutione, in qua tantùm abest vt quippiam è corpore exhalet, vt quod cumulatum est adaugeatur, caro enim mollior est &c. *Ibid. cap.* 5. *p.* 48. & 49. Mulieres luculentiores phlebotomias ferunt. *Consil.* 64. *lib.* 1. *p.* 369. Mulier quædam gravida pleuritide infestatur: mittitur sanguis ei abunde: vi morbi peperit: Pleuritica fit, iterum atque iterùm demitur sanguis: dysenteria crudelissima succedit, eam tamen impune fert: omnia conclamata sunt: non ita post exanthematis nigris totum corpus maculatur: iterum secatur vena, miraculo convaluit: de morte certa spes erat: Nunquid fortuna sæpe industrium & minimè timidum medicum iuvat, Sic mulieres quatuor animas habere dicuntur: Et politico loquendi modo Hippocr. 5. Epid. de quadam muliere ait, mortua est quinquies, vt è vita discessisse putaretur. *lib.* 2. *Epidem. pag.* 156.

Consuetudo non indicat S. M.

43. Sunt qui objiciant Consuetudinem vt medicos adducant ad præscribendam sæpe sibi phlebotomiam: Sed valde notanda sunt quæ à Galeno scribuntur vt aliam vacuationis rationem pro V. S. substituamus: Scarificare autem convenit, præsertim partes ignobiliores vt longius revocentur humores: quot sunt enim qui diuturnis doloribus aut oculorum aut capitis detenti, sexies aut octies in anno sibi venam aperiri volunt? Galeni verba hæc ad vnguem sunt tenenda, *lib. de Scarific.* & sæpe Medicis obtrudenda, opponendáque qui in sanguine humano fundendo liberaliores esse solent, Sæpius in anno venam secare non expedit, quippe cum sanguine copioso è vena vitalis excernitur spiritus: eo autem copiosius absumpto, vniversa corporis moles refrigeratur, omniaque naturalia opera deteriora fiunt; ideo ab ignobilibus, vt pote cruribus, detractionem fieri convenit. Nec omittendum id quod observavimus post magnam sanguinis vacuationem ab vtero contigisse, in quadam repertum est jecur planè albicans: item Domino de Montgyron interempto ob vulneratas insignes venas crurales, inventum est hepar pallidiusculum, idque ob evacuatum insigniter sanguinem. Quid, non aliquid simile continget ob frequentem phlebotomiam? Ex Hippocr. enim post insignem sanguinis evacuationem alvus ὑγραίνεται, in Coacis πονηρεύεται. *Epid. lib.* 1. *pag.* 86.

Venarum rectitudo servanda.

44. In Sectionibus venæ magnifacienda est εὐθυορία τῶν φλεβῶν. Cuidam pleuritico ter atque quater secta vena mediana, cum tamen medici cunctarentur tundendam basilicam, sed qui.. & erat parum

rum conspicua, & ramulus tantum cernebatur, ideóque parum profutura videretur ea sectio, contra ea adjutura ex qua rivulosè & affatim sanguis flueret, cum alioqui parum putarent differre, cum ab eodem deriventur ramo: tamen cum parum profuisse sectiones viderentur, & educeretur laudabilis sanguis, visum est meliùs fore si ramusculus ille feriretur, quod rectà ad partem affectam pertineret; tunditur vena, sanguis fluit illaudabilis, statim allevatur. *Epid. lib.* 1. *pag.* 39.

45. Empyicis si cephalica aperiatur aut basilica, sæpe floridus sanguis fluit: Si mediana autem secatur, quia de parte in qua vitium latet (quod compatiens corpori soli defœdationem aliquam affert) sanguis demitur putris & illaudabilis est: Lienoso si dextri brachij vena feriatur, cephalica aut mediana, vitio carebit sanguis: sin basilica ejusdem brachij, quia à parte affecta fluit rapiturque sanguis, inquinatus erit; Si eidem feriatur dextrum brachium, nulla vitij nota sanguini inerit; Si parotidas patienti, aut caput laboranti, dempseris sanguinem è cephalicâ, is vitium contraxerit: si ex basilica, immunis erit à culpa: quoties nos docuit experientia multis mulieribus, dum animi etiam gratia mense Maio sex septemve sanguinis vasa detrahuntur; ea putri sanguine referta esse? Si autem è naribus fluat aut ab vtero, vitio cariturus est? in hoc vis naturæ pellentis elucet. *Epid. lib.* 1. *pag.* 101. *&* 102. Quidam in leucophlegmatias incidunt defectu purgationis, vbi diu morbo ab humore putrenti fatigati sunt, communicatione putredinis, cuius humor subiectus non est eductus, vnde carnes colliquantur & contabescunt, sanguisque multus veluti purulentus in venis adest, & quicunque detrahitur saniosus est: Maximè verò eam labem contraxit is sanguis qui circum gibbas iecoris & simas stabulatur & in partibus vicinis, facile enim corrumpitur: Hinc solvitur quæstio, quí fiat vt frequentissimè saniosus sanguis ex vena basilica ducatur, rarò ex cephalica nisi ingens in superioribus partibus inflammatio fuerit. *lib. de vrinar. hypostasi pag.* 115.

Venarum delectus non negligendus.

46. Phlebotomiæ lateris sinistri imbecilliores nos reddunt quàm dextri, an ob situm cordis? tamen Vidua Barnabæ Panthou jam in seipsa observavit alacriùs multò se ferre sectionem sinistri quàm dextri brachij, & nos id vidimus: sic bonum est rogare ægros vt se habeant ad phlebotomias dextras aut sinistras. *Epid. lib.* 2 *pag* 142.

S. M. in latere sinistro facta periculosior quam in dextro.

47. Sectio venarum pone aures infœcundos facit, authore Hippocr. l. de A. A. & Loc. quidam non putant id fieri quod à cerebro magna spirituum copia fluat, sed quoniam sectione ista venarum cerebrum fit frigidius, & ideo spiritus animales, qui vna cum cæteris ad semen prolificum faciendum concurrere debent, frigidiores

V. S. pone aures sterilitatem parit.

fiunt : Notabis quoque alium locum in quo Hippocr. (libro de loc. in hom.) scribit sectionem venarum in malleolo infœcunditatem afferre. *Epid. lib. 2. pag.* 134.

Quando praire purgationi debet.

48. Vulgò dicitur, Quoties duorum solennium remediorum vsus incidit necessarius, à venæ sectione potius quàm purgatione est auspicandum ; an hoc verum? mihi valde difficile videtur statuere quibus in morbis, quando & quomodo hoc sit vsurpandum : fortè hujus rei cognitio petenda erit ex comm. part. 21. & 22. l. 4. Acut. vbi ex professo de præmittenda phlebotomia purgationi docet : item ex comment. ad part. 6. sect. 1. libr. 6. Epidem. Sed nullibi apertiùs quàm cap. 4. lib. de Renum aff. Si, ait, phlebotomia corpus evacuaveris, catharticum venas, arterias & inanes regiones inveniet non oppletas, ita facilè in totum corpus pervadet ad attrahendos succos, & facilè educentur ob eorum fusionem & tenuitatem : si contra vasa repleantur, ob plenitudinem in corpus medicamentum non deferetur, vnde aut subsistet, aut nil bene faciet. *Epidem. libro 1. pag.* 76.

Cùm vtriusque adest necessitas cavēdū ne fiat πρωτόϛερον.

49. Vir crassus & succulentus febre capitur, dolet regionem hepatis, datur medicamentum, secatur vena : dum visitur à Medicis, consulunt vt iteratò mittatur sanguis & sequenti die purgaretur : imprudens mulier omnia pervertit, nam differtur phlebotomia in sequens matutinum horâ septima, detrahuntur tria sanguinis vasa : insciens pharmacopæus eorum quæ gesta erant dat medicamentum, vires dissolvuntur, dolor ascendit paulò altiùs, ῥίγχος, sequenti die mors : imprudentia eorum qui assidebant ægro eum præcipitavit, nam morbus erat sanabilis : *Epid. lib. 2. pag.* 246.

Suppuratum sæpe impedit.

50. Si natura in parte quapiam in quam humor influxit Suppurationem vult moliri, si dolor, si inflammatio, an sectione venæ & purgatione ab eo instituto natura revocanda? an non purgandum vacuandumque (non quod materiam quæ influxit emoliri consilium sit] ne vi doloris & imbecillitatis partis, pars aggravetur obruaturque magis? annon sinendum totum naturæ? annon (quod verum esse quidam asseverant) natura suppurationem promovet, licet detractio sanguinis aut evacuatio aliqua præcesserit? quasi verò nil sit quod naturam ab eo instituto removere queat? id Medicis plurimum dat negotij. *Epid. lib. 2. pag.* 255. Vxori Domini de Brezé dolor insignis ponè aures, Parotis minatur, quæritur an in hoc casu sæpius sanguinem detrahere bonum? nam impedire ne ad suppurationem tendat, bonum est, repellere nocet : Si vena secatur, & aliquid egressum est è vasis, & aliquid paratum est adhuc in partem fluere, retardamus suppuratum, contra si primo quoque tempore procurantes suppuratum (nisi forte malum sit adeo leve vt nec hinc nec illinc periculum impendeat) non ita multò sanguine detracto, curatio

ratio & facilior est & brevior. *Epid. lib. 2. pag.* 234. Vxori Domini Neron, tumor potius φλεγματώδης ad latus circum mamimas apparens: costa intumuisse videbatur: procuratum est suppuratum, secta vena, malè quidem, nam cùm procuramus suppuratum, à phlebotomia temperandum est, nisi quid vrgeat. *Epid. lib. 2. pag.* 206.

51. Illud confirmatur experientia, omnem V. S. partium propinquissimarum parti à qua detrahitur sanguis, imbecillitatem afferre: ita enim cùm vena puppis aut temporum aperitur, multorum iudicio, & imminutio memoriæ & imbecillitas partis aliqua consequi solet: & quibus in malleolo mittitur sanguis, non ita liberi gressus sunt potentes vt antea; quare? quoniam detractio sanguinis imbecillam reddit partem in qua feritur vena & eas quæ sunt propinquissimæ: at cùm hepar remotum sit à vena gibberi, non ita infirmatur: Pulmo autem, quoniam proximus est mediæ venæ & basilicæ, si quidem immediatè ferè mittitur sanguis (vt testatur subita sedatio quiesque doloris secta in Pleuritide vena) nemo inficias eat crebra frequentique detractione sanguinis, & spirituum & laterum robur, & nervos, & Pulmonum vim relaxari ac debilitari. *Consil.* 42. *lib.* 1. *pag.* 194. *Noxia S. M. partibus vena secta proximis.*

52. Observatum est non satis feliciter mitti sanguinem silente deficientéque Luna: quod Medicos latere non debet, ne plus apud nos valeat trita vulgarisque factitandæ Medicinæ via, quàm ratio & medendi cautio legitimis fundata argumentis. *Epid. lib.* 1. *pag.* 48. *Celebrata silente Luna noxia.*

53. Vespertinæ & nocturnæ sectiones venarum ob recessum Solis & dominatum pituitæ & quia minime tum illustrantur spiritus, potiùs animi tum defectionem afferunt; & pauci sanguinis detractio magis debilitat quàm multi si alio tempore fiat: Melancholicis tamen si ex vsu esse videtur phlebotomia, vesperi potiùs est celebranda, quòd eo tempore humor moveatur. *Epidem. libro* 1. *pag.* 28. *Ne fiat S. M. nocte aut vesperi, præterquam in melancholicis.*

54. Quæritur sæpe an Somnus concedendus à phlebotomia? obseruatum aliquando indulto somno cuidam illustri, non multò post mortem obrepsisse: in somnum repentinæ tantæ calamitatis causa relata est: Annon ea experientia eodem exemplo terrere nos debet? quoniam videmus passim Medicos gratificandi ægris gratia, theorematum artis suæ desertores, nihil perinde esse putare an quis à sectâ venâ dormiat, an non: At si vires sint imbecillæ, verendum est ne si somnus interdicatur, vigilijs frangantur magis: verendum quoque est ne eodem somno intro revocati spiritus & sanguis, refrigeratis partibus extimis, grave aliquod periculum creent: sic in ijs rebus morte infaustóque aliorum eventu moniti, ne quid tale eveniat videamus. *Epidem. libro* 1. *pag.* 70. *Somnus à S. M. non concedendus.*

Ante S. M. aliquid assumendum.

55. An bene faciunt qui præsumi aliquid ante phlebotomiam volunt vt vires valeant? Hippocrates suo tempore id faciebat, Galenus non probat nec interpretes, quod nostris temporibus, quibus ventri indulgetur, ventriculus multa pituita tanquam semicocto alimento scateat, nec ita jejunus sit vt erat tempore Hippocratis quo homines temperatissimè viverent: Imò, dicet aliquis, nostro tempore cùm multa sit cruditas, non minùs metuendum est viribus quàm si omnino vacuus esset ventriculus. *Epid. libro 2. pag.* 151.

Sanguinis M. S. plenè non est alendum.

56. Hoc quotidie factitari solet, postquam Medici abundè sanguinem detraxerunt, tum expressum capi aut aliquid simile multi alimenti afferunt, vt vires detracto sanguine imminutas instaurent: At satius est, &c. *Vide articulum* 14. *libro.* 2.

Cum vena secanda, amovenda quæcunque corpori admota sunt.

57. Mulieri penè strangulatæ & ventrem dolenti applicuerant mulieres ad abdomen calefactoria & emplastra: Medicus talis applicationis inscius venam secat: sanguis pigrè fluit: amoventur forte fortuna ea quæ ventri adhærebant, copiosè fluxit sanguis: An non, si cui pleuritico venam aperias, & cataplasma lateri applicatum sit, id sanguinem sistet? credibile hoc est. *Epid. libro 2. pag.* 145.

Non omnis Pulsus intermissio S. M. prohibet

58. Carpentarius quidam nomine Gilet, annos pene 78. natus, imbecilis pulmonibus ac purulentis, crudeli satis pleuritide detentus iacebat, inæqualis pulsus & intermittens, quod nobis non mediocrem mox metum incussit: ista anomalia perseverabat; sæpe medendi fiduciam quam habebamus per sectionem venæ repetitam, vt fere fit, minuit ista intermissio: Tamen audacior erectiorque factus, venam ter quatervè secui, convaluit: Intermissio hæc ab ætate erat, iuvante quoque duritie pulsus, tum ratione inflammationis, tum duritie vasorum: quod animum addidit vt etiamnum in ista anomalia securiores essemus, erat pulsus magnitudo: Si enim ad intermissionem pulsus, crebritas cum parvitate accedat, angustior longè spes est: In pictore Petro Dangers, observavimus perspicuam pulsus intermissionem in magna affatimque facta distillatione: hoc illi familiare est: & tandem deprehendimus duabus de causis hoc illi vsuvenire, etiam cùm primùm incipit ægrotare: prior est illi connata superioris orificii ventriculi infirmitas, vt minima etiam occasione in leipothymiam deliquiumque animi præceps ruat: sed pane in vino infriato in os iniecto statim recreatur: Posterior est ingens copia materiæ pituitosæ & frigidæ, à cerebro imbecillo facta ob vsum modioli, continenter illabente, reiecta enim vomitione materia multa, statim priores vires recuperat: Et illum novimus à gravibus morbis superstitem evasisse: In D.

Barthelemi

Barthelemi iam grandi ætate, eadem à nobis pulsus inæqualitas & intermissio, cum magnitudine tamen, obseruata est sæpe, integris satis viribus, & corpus alacre ad surgendum. *Consilio* 59. *lib.* 1. *pag.* 322.

In pulsus summa debilitate facta S. M. iuvit.

59. N. calidis & siccis visceribus, melancholicus, facie aliquantum saturati coloris, cum iam duos menses, intra quos vxoris funus duxerat, male habuisset, vxorem duxit: Non longe post, nimirum octo vel novem dies decumbit: dolor ingens ad ventriculum, vomitiones assiduæ, inappetentia, febris sepulta; cibum nullum imo ne aquam ferre potest, jactatur: Et quod mirum est, Pulsus nobis valde debilis apparet, ἀνώμαλος, suum rithmum non retinens, imo in quibusdam pulsationibus intercalaris erat intermissio: vt absolute dicam, tanta erat ἀνωμαλία vt morientis pulsus videretur: Et nisi coitum frequentem ob recens matrimonium causati essemus, nonnisi de funere egissemus: Ex intervallis circum hepar & os ventriculi, quod jecoris simas contingit, tantum calorem se sentire dicebat, ac si flamma ibi concepta foret: spiritus adeo erant dispersi & vim passi, vt qua ratione ei occurrendum foret ignoraretur: Hypochondrium dextrum ex intervallis, ob caloris sepulti ἐπίλαμψιν apparens, φλεγμαίνον & Φλόγωσιν patiens, phlebotomiam hortabatur: Nos revocabat, aut potius ab instituto avocabat pulsus: Tamen vt audaces fortuna iuvat, quoniam ad istam pulsus immutationem, formidabilem hercle, concurrebat, præter spirituum quandam affectionem, & φλόγωσις & cacochymia (vnde spiritibus, qui apte τὰ ὁρμῶντα appellantur, quoniam corpus sursum deorsumque non potest illustrari, nisi vi quadam ad partes affluant, via & ingrediundi regrediundique potestas denegabatur) aderat: Hac subacta, vsu medicamenti, & aperta vena pulsus cœpit melior & ordinatior esse: Sic medicos sæpe præcipitanter timidos esse turpe est: *Epid. lib.* 2. *p.* 233.

Viribus summè infirmis aliquando potest celebrari.

60. Illa mulier ad poculum stanneum, quæ animam agere videbatur, in summa virium infirmitate testata est tutò etiam celebrari venæ sectionem: fortè enim venam voluimus secari, & quasi aliud agitantes, miraculo quodam levius tulit: audaces fortuna iuvat. *lib.* ij *Epidem. & Ephemer. pag.* 208.

S.M. maturefacta impedit ne Sanguis in ichorem & serum vertatur, multorum morborũ causã.

61. In corporibus humidioribus sanguis serosior & saniosus fit, ac in serum vertitur, διυρεῖν vocant; quod fit præsertim si eiusmodi corpora perflatum non habeant, si adsit febris & humores putreant: Hinc Aristot. 3. de hist. Anim. c. 19. ait: Si sanguis immodice tumescit, morbus infestat: Sic in speciem saniei diluitur, & adeo serescit, vt etiam nonnulli sudore cruento exsudarint: Et Parisiensium corporum sanguis omnium facillime ob humiditatem

T διυρεῖ

διηρεῖ: Unde in morbis videmus eum ſanguinem qui initio laudabilis erat, ſuamqúe σύστασιν habebat, διηρεῖν, & multorum eam ob cauſam malorum authorem: multa vrinatione aut ſudore defœcatur, & ſuum denuo ſtatum retinet, Et forte illud eſt quod Hippocr. ſcripſit, in Cauſo ichores bilioſos in venulas arefactas attrahi: magna enim vis eſt ichorum & ſeri ad orgaſmum humorum, id quod dyſenteriæ docent, & facilis per ſudores criticos, illud ſerum emolientes, ſolutio: Et videmus in morbis, niſi tempore ſecta fuerit vena, & calor corrumpens adfuerit, cachecticum habitum induci, & ſeroſum ſanguinem reddi multis de cauſis: quod dum fit, morbi ſolutu ſunt difficiles, & fruſtra tum ſæpius ſanguis mittitur. *Annot.* 23. *in hiſt.* 1. *lib.* 2.

Vittoſi ſanguinis emiſſionem minor virium exolutio ſequitur quàm puri.

62. In praxi obſervamus cùm ſanguis impurus educitur luculentè, id fieri exiguo virium diſpendio, dummodo corpus ſit repurgatum: Cùm ſanguis purus educitur, ſtatim exolutio ſequitur. *Annot.* 1. *in conſil.* 88. *lib.* 1. *pag.* 436. Teſtamur nos dolorem lateris quatriduanum & vehementem, cùm fruſtra ternam ſectionem celebraviſſemus, & ſanguinem laudabilem detraxiſſemus, ſecta quartò vena radicitus ſuſtuliſſe, cùm tria inſignia vaſcula ſanguine purulento plena detracta eſſent: Itaque allevatio ægri tam ſubita, & eductæ materiæ qualitas, conjunctam ipſam materiam deciſam detractamq; confirmavit. *Conſil.* 88. *lib.* 1. *pagina* 431.

Sanguis ſero multo dilutus non ſemper vitioſus.

63. Sanguis aqua multa dilutus non probatur vulgò à medicis: tamen ex Hippocr. 4. de morbis, non videtur ea aqua inutilis, nam febri aqua eſt inimiciſſima: bilis & humor bilioſus nutrimentum eſt febris. *Annotatione* 2. *in conſil.* 4. *lib.* 3.

Aetas provecta non ſemper impedit.

64. Vidua I. Martini cùm 7. die valde debilis eſſet, iam adeſſet ῥέγχος ſpennoſtrā mortis fefellit, & præter opinionem convaluit: Ter ſecueramus venam, licet eſſet ſexagenaria: Niſi impetum morbi ſtatim fregiſſemus, credo quod vix evaſiſſet. *lib.* 2. *Epidemior. & Ephemer. pag.* 170.

Sanguinis vacuatio immodica ſæpe cacatarrhorū cauſa in mulieribus, aliorumque affectuum.

65. Multas mulieres obſervavimus quibus immodicus ſanguinis fluor per nares contigit aut per uterum. Incredibile dictu qualia iis contingant, quorum tamen tenenda ratio vt iis accommodatè medicina fiat: nam in earum morbis depellendis alia ſequenda via eſt quam quæ vulgò teritur: His ſecare venam ſæpe tutum non eſt: Iſtæ mulieres quibus, vt prædixi, largè fluxit ſanguis, catarrhis & refrigerationibus cerebri ſunt obnoxiæ: Si quos patiuntur morbos, ii ſunt longiſſimi. Et ſi calidiuſculo erant hepate, ferè hemitritæis morbis tenentur: nam à prima conformatione calor iſte immodicus eſt progenitor bilis acris: frigiditate cerebri & aliarum partium quarundam, præſertim

ventri-

ventriculi, qui est pars exanguis, pituitosus humor gignitur, Et à confusione vtriusque humiditatis nascuntur: & quæ eas molestant febres calorem habent acerrimum, quia non retunditur calor & regitur ab illa humiditate nativa, quæ iacturam damnumque passa est, ob immodicum fluorem sanguinis, in quo caloris sedes est: vnde enim contingeret laxitas alvi ob immodicum fluorem sanguinis, authoritate Hippocr. nisi vis calori naturali inferretur: denique hoc verum est, vbi semel calor alienus inductus est, iis verè imprimitur hepati, quia nativo humido maximè destituitur: Denique in ista corpora inducitur quoddam frigus positivum, vt vocant veteres Medici: Et notandum est illud in talibus corporibus, Si rigores aut horrores contingant periodici, aut similes, durant diu valde: Imò etiamdum febriunt ignorant an plus caleant an frigeant. Gravillæa Domina, & Maria Tarteron, id declarant, nam perpetuò queruntur de capite, narrantque se sensum glaciei similem in sutura coronaria percipere: de ventriculi infirmitate & refrigeratione sunt solicitæ: Quod cur eveniat mirum non est: denique horrores perpetuos ferè in rachitide percipiunt. *Epidem. & Ephemer. lib. 1. pag. 71.*

66. In humorum magna perturbatione nullum præsentius remedium phlebotomia: Rachel, Præsidis Grosset serva, cum forte Dominæ suæ scrinia & secretiora loca incendisset, de isto casu mœrens, cùm incussus de carcere esset metus, contractis visceribus doluit latus dextrum: pleuritis non erat, secta vena: paulò post cùm inhorruisset, & paulum contracta convulsáque videretur, mente mota est: capitis dolor intolerabilis erat: datum pharmacum: iterum atque iterum repetiit ista mentis perturbatio: non tam erat παραφροσύνη quam ταραχὴ, vt Galen. in prorrhet. annotavit: deinde sinistrum doluit hypochondrium: detractus est sanguis ex vtroque brachio, planè putris erat. *Epidem. & Ephemer. lib. 2. pag. 157.*

Humorum magna perturbationi ab animi passionibus inducta, præsens remediū S.M.

67. In subitis doloribus & magnis, præsertim si febris est, tutò tentari potest phlebotomia: Coquus D. Daubray nephritin pati videbatur: forte fortuna est secta vena, meliùs habuit: repetit dolor: aliquando ea in parte læsus fuerat. *lib. 2. Epidem. & Ephemer. pag. 207.*

In subitis doloribus & magnis potest tentari S. M.

68. In inspiciendis Vrinis cavendum est ne decipiare, & ne temerè tibi aliquid sine ratione persuadeas: nam cùm expertes tincturæ biliosæ apparent, vulgus Medicorum statuit de S. M. quod putet supprimi per quendam inflammationis modum illum humorem qui vrinam tingere deberet: Si verò bile saturatæ sint, itidem de secanda vena cogitant, quod credant inflammationem esse & generationem multi humoris biliosi: Sic vi-

Vrina tincturæ biliosæ expertes, non suadet S. M.

de quomodo temerè ex contrariis vrinis argumenta secandæ venæ petant: Malum porro est aliquid in arte Medica commi nisci vt inducaris ad hoc vel illud agendum. *Epidem. & Ephemer lib.* 1. *pag.* 88.

Siccis sanguinis vacuatio noxia.

69. Galenus part. 6. lib. 2. Prorrhet. docet siccos non ferre evacuationem sanguinis, i.e. quibus alvus sicca: & qui squallidi sunt, hæmorrhagia etiam critica iis mala est multò magis si critica non fuerit; humores enim sinceriores inde redduntur i.e. sero suo nativo (quod humores mansuefacit.) destitutos. *histor.* 1. *lib.* 2. *Consil. pag.*54. Nec mulieribus siccis & squallidis secare venam sæpe tutum est, quas in leipothymias videmus incidere, exigua etiam sanguinis detractione, & Hippocr. 2. de morbis mulier. docet, quàm malignus reddatur sanguis cùm evacuatione præcedente biliosus redditur. *lib.* 1. *Epidem. pag.* 71.

Ab eruptione sudoris noxia fuit S. M.

70. Quidam in febre maligna cùm medicamentum blandum sumpsisset, voluit sibit venam secari postridie, & cum noctem implacidissimam habuisset, manè toto erupit sudor corpore. Et cùm indicta esset hora Chirurgo secandæ venæ, aut erumpebat adhuc sudor, aut paulò ante præcesserat, cùm imprudenter iam præ sudore corpore resoluto vena reseratur, vnde animus defecit, nec mirum est: adeo occasio præceps est, & aliàs captanda est, aliàs omittenda, tametsi hoc vel illud agendum meritò videatur: parùm sanguinis detractum est ob deliquium succedens: Ab eo tempore adeo languidus fuit, vt nulla parte corpus movere posset, imò ne minimam manus contrectationem ferebat: An ab illo errore commisso manarit, ignoratur, tamen hoc potuit iuvare plurimum. *Consil.* 86. *libr.* 1. *pag.* 426.

In suppressione lochiorum audacter vena secanda.

71. Experti sumus id in vxore cujusdam Hispani: lochia non bene responderant: dolor ad lumbos & regionem lienis implacabilis: audacius secta vena profuit: *lib.* 2. *Epidem. & Ephem. pag.* 208.

Leipothymia quomodo præcavenda.

72. Quædam detractionem sanguinis ferre non potuit, quàm mox enim ab aperta vena animo defecit, donec consilio Dom. Magni haustu aquæ parùm refrigeratus esset ventriculus, & spiritus incrassati & quodammodo repressi: porro à detractione sanguinis facile animo linquuntur quidam, vel quod natura imbecilliores, vel quod timore magno percellantur, viresque effundant omnes; vel quod os ventriculi amara bile perfundatur, aut quammaximè acri sensu præditum ac infirmum sit. *Consilio* 34. *lib.*2. *pag.* 268.

In ea celebrãda cautus sit medicus.

73. Quidam annos natus 25 cœpit febricitare: sequenti die ad Medicum ventum est qui remedia præscriberet: Is solo clysmate contentus fuit, ne humores citatos magis commoveret, à meridie voluit æger sibi venam aperiri: id factum est inconsulto Medico: à detracto

tracto sanguine paulò post mente motus est & desipuit: vix contineri potuit, ad se non rediit, 4. post horis interiit: nescitur quò tam subitæ morbis occasio sit referenda, Hippocr. quidem in Epidem. de Halicarnassensi narrat, qui cùm iam ætate grandis esset, & hyems quoque esset, propter auris dolorem detractionem sanguinis sustinuit: facta non est suppuratio & phreniticus factus est, Quodam in loco annotavimus de duobus, quibus cum paulo plus sanguinis detractum esset quàm par esset, statim à detracto sanguine deliraverunt, Sic in eo remedio vsurpando cautos esse oportet, nec ita, vt fere fit, liberales. *lib. 2. Epidem. & Ephemer.* 255. Vxor Augustini Consulis quibusdam convulsionibus obnoxia est & mente movetur sine febre, præsertim perspicua: cùm laboraret, ingens hæmorrhagia & indomita fuit, credibile sanguinem multùm fluxisse, qui & bilem & succum melancholicum temperaret hæc autem habitu est melancholico. *Ibidem pag.* 194.

LVDOVICI SEPTALII ANIMADVERSIONVM ET CAVTIONVM MEDICARVM

LIBER QVARTVS,

Continens eas,

Quæ in Sanguinis Missione obveniunt.

Sanguinis missioni non semper præmittenda alvi lenitio



N sanguinis evacuatione per sectam venam, licet illud sit observandum, ut ventriculo & venis mesenterij crudis humoribus & excrementis repletis, non priùs fiat, quàm ea abstergente aliquo, aut leniente subducantur: cavendum tamen ne, si morbus ita urgeat, ut mortis periculum immineat, id faciamus: statim enim missione sanguinis illi occurrendum est; ut in anginâ, & vehementi aliquâ inflammatione, & febre: melius enim est, imminentem mortem prævertere cum aliquo damno, quàm ægrotantem à morbo opprimi sinere; potissimùm cùm levioribus iis noxis non difficili negotio occurrere possimus.

Sanguine malo, minor illius quantitas evacuanda.

2. In sanguine detrahendo cavendum maximè ne quantò putriorem, & deterioris conditionis sanguinem è venâ profluere viderimus, tantò majorem quantitatem effluere sinamus, quod plurimos facere observamus: tali enim existente sanguine, & pauciores subesse spiritus constat, & vires facillimè solent collabascere.

Coloris in sanguine

3. Coloris in sanguine, qui evacuatur, mutatio, quæ in evacuatione revulsivâ, potissimùm in internis inflammationibus spectatur, non

non ſit terminus, & menſura quantitatis detrahendæ; nam in febribus ſæpe primus ſanguis, qui detrahitur, ruber eſt, mox niger, aut lucidus; cujus mutationem ſi quis exſpectare voluerit, præcipitem ægrum aget in mortem. *mutatio in miſſione ſanguinis non ſemper exſpectãda.*

4. Quin nec in inflammationibus internis quidem perpetuò illa coloris mutatio exſpectanda eſt: aut enim vix à parte, & circumfuſis ob craſſitiem quandoque extrahitur, aut ſanè tanta illius eſt copia, ut, ſi coloris mutationem expectare voluerimus, vires omnino ſimus dejecturi. *4. Coloris mutatio in ſanguine in inflammationibus nõ etiam exſpectanda.*

5. Mutatio hæc coloris ab Hipp. 2. *acut.* 10. tradita intelligatur, ſi primùm albidior ille fluxerit, mox purpureſcat; vel cùm primùm purpureus exierit, pòſt liveſcens fundatur, tunc enim ſupprimendus eſt modo dicto. *5. Coloris in ſanguine mutatio quomodo exſpectãda.*

6. Hoc autem ſervandum erit, ubi vena proxima eſt affecto loco; alioqui ſi in aliis caſibus inflammationum idem quis agere valet, nimia foret evacuatio, antequàm ſanguis à phlegmone abduceretur. *6. Coloris in ſanguine mutatio in revulſione longinquâ non exſpectanda.*

7. In anginâ tamen, & hepatis inflammatione, copioſiùs ſanguinem extrahere poterimus quàm in pleuritide, & pulmoniâ; quòd in illis maximè & evacuare, & revellere opus ſit; in his verò prætereà, quod reliquum eſt, ubi ſuppuratum fuerit, excretione per tuſſim expelli debet; quod etſi opus ſit animalis facultatis, vitali tamen imbecillâ exiſtente, conſtare illa non poteſt. *7. In anginâ & hepatis inflãmatione copioſius ſanguis evacuari poteſt, quàm in aliis, & cur.*

8. In Pueris ſectio venæ, quæ evacuandi officium ſolùm adimplet, ut rariùs in uſum duci debet ob eas, quas Galenus & ſequaces ejus adduxerunt cauſas; non tamen adeò perpetua hæc regula eſſe debet, quin aliquando ante decimumquartum annum hoc remedium præſcribi poſſit, & debeat: tum quòd pubertas ſæpe terminum illum præveniat, potiſſimùm in mulieribus; tum quòd multos ſolidioris habitûs, & vigoris ante illud tempus conſpiciamus; tum quòd aliquos, tantâ ſanguinis copia refertos, obſervemus in acutiſſimos morbos incidere, quorum plenitudinem niſi ſectâ venâ ſtatim ſolvamus, certum mortis impendere periculum ſcimus. Unde ſæpenumerò natura præveniens (quam omnino bene operantem imitari debet Medicus) copioſâ per nares hæmorrhagiâ ſubitò morbos hujuſmodi ſolvit. Et quamvis huic ſententiæ refragari videatur Galenus, cùm tamen Cornelius Celſus, Mauritani ferè omnes, Hiſpani, & Galli plerique, & ex Italis quàmplurimi in hanc devenerint ſententiam, his aſſentiri potiùs placuit, atque experimentis propemodum infinitis ſpatio quadraginta annorum, quo in magnâ hac urbe, & in magno hoc noſtro Valetudinario medicinam exercui, firmare poſſum. *8. Pueris etiam evacuationis gratiâ ante annũ quartumdecimum ſecari poteſt vena*

9. Quòd ſi de ſanguinis miſſione per ſectam venam loquamur, quæ *Pueris pro revulſione*

revulſoria.

revulſoria eſt, qualis eſt quæ adminiſtratur pro internis inflammationibus curandis ab initio, quales ſunt angina, phrenitis, pleuritis, peripneumonia, hepatis inflammatio, omnino in pueris ante annum quartumdecimum evacuari ſanguis per ſectam venam poterit, cùm & ſtatim, niſi retrahatur ſanguis, ægrotantes jugulent, & cùm impacta eſt materia, retrahi, amoveriq̀ue nequeat; neque ex tranſpiratione per mollem, tranſpirabilémque habitum ſperari poſſit materiam retrahi poſſe, etiamſi concedatur, permeabilem illum habitum evacuationis vices ſuppleri poſſe, revulſivum tamen nunquam conſtitui poterit verè remedium.

Pueris ante ſeptennium præſtat hirudinibus ſanguinem evacuare, & cur.

10. Præſtat tamen in pueris ad ſextum annum, hirudinibus venâ apertâ, ſanguinem extrahere; cùm enim uſque ad ſeptimum annum ob exceſſum humiditatis vena, arteria, nervus ferè ſimul conglobata ſint, periculum ſubeſt, ne loco venæ, aut ſimul cum eâ nervus, aut arteria pertundatur. Quòd ſi etiam manifeſtè ſe exerat, lanceolâ pertundatur quidem, ſed amplum potiùs, quam profundum vulnus fiat.

Tempore mittendi ſanguinis, ſi menſes fluere contigerit, ſed imperfectè, evacuandum, antequam deſinat motus.

11. In febribus, ſi tempore mittendi ſanguinem, aut menſes moveri contigerit, aut hæmorrhoïdes fluant, quamvis doctiſſimi aliqui viri cenſeant, non priùs quippiam à Medico eſſe moliendum, quàm evacuationes illæ deſierint, etiamſi ſint imperfectæ, quòd neſciamus, quantum velit natura euacuare, & cùm imperfectè aliquando in principio agat, verſus finem autem ſuppleat; unde, ſi evacuaremus, periculum immineret ne ex exceſſu vires deficerent: cenſendum tamen, melius eſſe, cùm verſus finem videmus naturam deficere, manus adjutrices porrigere, ut ex conjunctis naturæ, & Medici actionibus faciliùs evacuemus, quantum opus eſt; ſic enim Metoni, diminutè ſanguinem narium evacuanti, lavit caput Hipp. 1. *Epid. Sect.* 3. *cap.* 24. quod confirmat 3. *acut* 39. Sic 6. *Epid. Sect.* 2. *c.* 9. *exeuntem humorem unà*, dicebat, *debere Medicum effundere*; quod etiam Gal. in Com. *unà*, explicabat, id eſt, dum imperfectè natura operatur; non autem dicit, *poſt*. Sed quod omnem tollit difficultatem, Gal. 9. *Meth. cap.* 5. ubi hac propoſitâ difficultate reſpondet, quòd in eo caſu impetus fluentis ſanguinis ſpectandus eſt, qui ſi ſatis forte videbitur, totum negotium permittendum erit naturæ; ſin minùs, tantum Medicus detrahet, quantum ſatis videbitur, ut ex conjunctis ambobus tanta fiat evacuatio, quanta pro evincendo morbo erat neceſſaria. Ubi duo ſunt, ex quibus facile colligitur, noluiſſe exſpectare finem motûs naturæ, etiamſi imperfectus ſit. Primum, quoniam dicit, *ſi ſatis fore videbitur*, quod non ceſſatum motum oſtendit, ſed, dum in motu eſt, conjectandum eſſe ex impetu, an ſufficiens futura ſit illa evacuatio: Secundum, quoniam fruſtrà ex impetu id conjectari doceret, ſufficeret enim ceſſato motu videre, an adhuc

huc & morbus magnus esset, & sanguinis subesset abundantia, viresque valentes: cùm autem impetum fluentis sanguinis spectandum jusserit, id non aliâ de causâ faciendum voluit, quàm ut ex impetu conjectari possimus, an suffectura sit hujusmodi naturalis evacuatio; ut, si suffectura sit, puta, si magno cum impetu effluat, totum negotium naturæ relinquamus; si verò lentè, & guttatim, antequàm desinat, manus adjutrices porrigere valeamus, ut utrisque conjunctis possimus tantum evacuare, quantum opus sit: quâ diligentiâ adhibitâ, ea effugiemus pericula, quæ adeò verebantur, qui contrà sentiunt.

12. In sanguinis metiendâ quantitate ex habitu corporis gracili cautio magna adhibenda est, atque diligenter considerandum, an à naturâ gracilitatem nactus sit, an à consuetudine, victu, morbóve, 2. *de Temper. cap.* 4. Si enim aut ob victus parsimoniam, animi curas, aut similia, quia verisimile est parum sanguinis in venis contineri, minor extrahi debet quantitas. In iis verò, qui tales sunt naturâ, quia fieri potest, ut & liberaliori victu usi fuerint, & propterea sanguine abundent, plus detrahi poterit. 1. *ad Glauc. cap.* 14.

Gracilibus quando parum sanguinis detrahẽdum, & quando multum.

13. Idem in crassis animadvertendum: Distinguendi enim erunt carnosi à pinguibus; in carnosis, quia plus sanguine abundant, plus sanguinis detrahi poterit; contrà in pinguibus. Gal. 1. *ad Glauc.* 14.

13. Carnosi à pinguibus distinguendi; in illis plus sanguinis detrahendũ.

14. In vitæ instituto video multos Medicos errare, plus sanguinis in iis detrahentes, qui laboriosas artes exercent, ut in fossoribus, & similibus, quàm in iis, qui in artibus sedentariis toti sunt, quasi in illis plus insit sanguinis, viribúsque maxime valeant; non animadvertentes, etiam in illis spiritus & sanguinem exhauriri; robur verò potiùs in solidiori substantia repositum esse, & ex quotidiano alimento suppeditari, cùm alioqui venæ non multò sanguine refertæ sint.

14. Minus sanguinis detrahendum iis, qui artes laboriosas exercent, & cur.

15. Cùm repetitam sanguinis evacuationem per sectam venam in putridis febribus curandis, aliquando eodem die, aliquando sequenti, aliàs etiam tertio die, uno interposito, faciendam docuerit Gal. *lib. de curandi rat. per sang. miss. cap.* 16. si tertiana notha simplex fuerit, urgeat verò necessitas mittendi sanguinis, bis eodem die intermissionis fieri poterit, septem horarum spatio interposito, aut in sequentem diem etiam reservari, si accessio vesperi superveniat. Quòd si duplex facta sit, interposito die majoris invasionis, in tertium differri potest. In quartanâ verò præstabit bis facere duobus diebus intermissionis.

15. Missio sanguinis repetita quomodo facienda.

16. Animadvertendum præceptum Gal. *lib. de curan. rat. per sang. miss. cap.* 21. si repetitio fiat evacuationis gratiâ, repeten-

Missionis sanguinis repetitio quando eodem die, &

quando altero. dam potiùs eodem die; ſin revulſionis, in alterum, aut alterum eſſe differendam.

Miſſionis ſanguinis revulſivæ repetitio quando eodem die facienda. 17. Cave tamen, ne in præcipiti morbo, revulſionem expoſcente, id ſerves, cùm enim affluxus fiat vehemens, ut in effuſione ſanguinis per nares, aut uterum, aut hæmorrhoides, aut in inflammatione gutturis, hepatis, pulmonum, niſi eodem die fiat, fruſtra ſequenti die id tentabimus, quòd cum ſanguine anima ſit effuſa, aut ſuffocatio eò pervenerit, ut nulla ampliùs ſubſit ſpes ſalutis.

In cruris dextri inflammatione quæ vena ſecanda pro revulſione. 18. Cùm in revulſione, per ſectam venam factâ, & rectitudo obſervetur, & venarum conſenſus, unde, laborante inflammatione crure dextro, nunc ſecandam jecorariam dextri brachii, nunc ſaphenam internam cruris ſiniſtri præcipiebat Galenus. Hac diſtinctione in harum alterutrâ ſeligendâ ego utendum cenſeo; Si ex internâ cauſâ, calido ſanguine affluente, fiat inflammatio, ſecanda omnino erit vena jecoraria dextri brachii; ſic enim verſus originem, & fontem retrahemus ſanguinem, ſervatâ rectitudine, & à corpore extrahemus. At ſi externa aliqua cauſa, puta, vulnus, contuſio, aut quid ſimile inflammationem pepererit, præſtabit ex crure ſanguinem mittere, ut ſanguis, qui ex vicinis ad partem laborantem affluit, faciliùs per venarum communicationem & revellatur & evacuetur.

Miſſio ſanguinis ad animi uſque deliquium rarò in uſum ducenda, & à quibus, & cur. 19. Cùm ſanguinis miſſionem ad animi uſq; deliquium concedat Gal. 23. 1. *Aphor.* in ardentiſſimis febribus, maximis inflammationibus, & vehementiſſimis doloribus, non niſi in extremis morbis admittendum eſſe hoc genus auxilii, manifeſtè oſtendit. Verùm cùm ad illud exequendum tot requirantur etiam conditiones, nempe, ut adſit ætas juvenilis, temperamentum calidum & humidum, regio temperata, corpus ſanguinis miſſioni aſſuetum, anni tempus temperatum, quas vix in uno & eodem corpore reperiri poſſe conſtat; cavebit juvenis Medicus ſanguinis miſſionem ad animi uſque deliquium aggredi, ſed eam peritis Medicis, & plurimùm in arte verſatis relinquat; quia, cùm vix tot conditiones in uno concurrant, &, ſi in uno reperiantur, vix cognoſci poſſint, potiſſimùm à juniori, needum multùm in arte exercitato, præſtabit illam omittere, & maturiori judicio relinquere.

Sectionem venæ quandò præcedere debeat ſacum inanitio. 20. Non ſemper ante ſectionem venæ lenienda eſt alvus, vel leniente medicamento, vel clyſtere; ſed ubi crudorum humorum colluviem in ventriculo, & venis meſenterij adeſſe cognoverimus, aut ex præteritâ victûs ratione, vel ex colore linguæ, vel ex gravitate partium illarum, juxta ea, quæ tradita ſunt à Gal. 4. *de tuend. ſanit. c.* 5. & antè ab Hipp. 4. *acut.* 116. ubi dicit, *Si ſecanda eſt vena, & alvus fluat, priùs eſſe adſtringendam: at ſi adſtricta ſit, clyſtere,* ait, *priùs eſſe*

ste solvendam; ne scilicet inanitæ venæ crudos humores, aut etiam corruptos ab illis locis fugant, ac attrahant.

21. In febribus putridis, in quibus dantur induciæ, præmitti, ubi adsint crudi illi humores, aut putridi in primis venis, clysteres debent, aut lenientia alvum: at in præcipiti morbo, à fluxione sanguinis facto, venam priùs secato, non alvum emollito. *Morbo in præcipiti sanguis mitti debet ante alvi lenitionem.*

22. Cæterùm, omnibus in pertundendis in brachio venis hæc adsit cautio, ut basilica feriatur, postquam se junxerit cephalicæ infrà eundo per digiti latitudinem, cephalica contrà suprà per digiti latitudinem; nam corporum sectio id docet: nam maximus nervus, qui ex cervice inter primam costam, & claviculam permeans, toto brachio fertur, basilicæ subest eo loco, quo ferit digiti latitudo sursum eundo, si consociationi basilicæ, & cephalicæ imponatur: tunc si digiti alterâ latitudine ad axillas abieris, eo loco supergreditur basilica eum nervum, dum nempe cursum suum ad cephalicam flectit, ibi periculum. Quòd si infrà pergas, in altum se abdit nervus. Nec etiam tutò in ipsâ conjunctione utriusq; venæ fit sectio, cui plerumque validissimi tendines subsunt: cephalica autem superiùs, ut dictum est, erit ferienda; nam ibi ab arteriâ, quæ ei vicina est, longiùs abest, nec quidquam periculi habet. *Venis brachii in feriendis quæ cautiones adhibendæ.*

23. Plures si quis in sanguinis missione, & venâ secandâ exposcat cautiones, & animadversiones, Avic. legat 1. 4. *cap.* 20. sed potissimùm Nicolaum Florentinum, *Sermone*, 2. *Tract.* 1. *Summâ* 2. *cap.* 16. 17. & 18. & recentiores, qui de sanguinis missione per sectam venam ex professo scripserunt. Dum enim regulas quasdam, ad hanc materiam pertinentes, tradunt, cautiones plerasque attingunt, quas, ne actum agamus, in præsentiâ prætermittendas censemus, potissimùm cùm in animadversionibus circa febres, & morbos particulares quàm plurimas, ad hoc negotium spectantes, infrà simus propositurі. *Cautiones in mittendo sanguine aliæ à quibus petendæ.*


24. In Cucurbitularum usu, si locus scarificandus sit, non adeò multo igne opus est; nam præterquam quòd sæpenumerò vesicæ in cuticulâ elevantur, aquâ plenæ, scarificationem cutis integræ impediunt, attractum etiam sanguinem adeò condensant, ut mirum non sit, si incisâ cute sanguis non effluat, potissimum si diutius adhæreant. *Cucurbitulæ si cum scarificatione affigantur, cũ pauco igne, & cur.*

25. In scarificandâ sub cucurbitulis cute ad evacuandum sanguinem, non eodem modo semper incidenda est cutis: nam in cute subtili & albâ, in tenui sanguine & bilioso, non profundis incisuris est utendum, sed superficie tenus est scarificandum: ubi verò in crassum corium inciderimus, & nigrum, crassúsque sanguis, & fæculentus erit evacuandus, profundiùs erit cutis, & subjacens caro incidenda, ne evacuationis fine frustremur; cùm alio- *Scarificatio quando profunda & quando levis facienda.*

qui artifices quàm plures videamus, qui in quovis corpore vix cuticulam transeunt, solúmque ichorosum, tenuem, & in extremâ superficie consistentem sanguinem extrahunt, ut manus agilis, & vix ferientis nomen adipiscantur.

Cucurbitula non diutius affixa parti permittatur.

26. Caveant quàm maximè, ne diutius cucurbitulam carnosæ potissimùm, & molli parti adhærere sinant: cùm enim vehemens fiat attractio, & multa carnosa substantia cucurbitulam ingressa sit, adeò coarctatur, ut, spiritibus non permeantibus, pars emoriatur, & gangrænam, quin etiam sphacelum subeat; unde maxima vitæ pericula sequuntur.



CAVTIONVM, ANIMADVERSIONVM

ET

OBSERVATIONVM PRACTICARVM

EX GVL. BALLONIO DESVMPTARVM.

LIBER V.

Circa Febrium curationem.

Febris focus noscendus vt ritè medearis.



I. Valet plurimum hæc distinctio nunquam ferè audita ad ideas Febrium cognoscendas: Quædam febres sunt à genere venoso, ob humores à massa sanguinis alienos, vt qui in præcordiis continentur, qui Putridas febres sæpe faciunt, & tales febres sunt Synochi imputres: Quædam sunt à contentis in Mesaræo humoribus, & in massam sanguinis dum suum serum refundunt, Putres faciunt, vt sunt Synecheis i. e. continuæ, quæ aut Quotidianæ, aut Tertianæ, aut diurnæ aut nocturnæ sunt: *Epid. lib. 2. pag. 120.* Febres aliæ sunt venosæ, aliæ sunt γαστρικαί i. e. quædam φλογώσιν sequuntur potiùs.

tius venosi generis quàm vitium humorum in Præcordiis contentorum: priores primo quoque tempore per phlebotomiam cessant, posteriores non facilè phlebotomia solvuntur, contrà potiùs cathartico egent, vt non mirum sit si quasdam febres, velut miraculo, tollat phlebotomia, aliæ potiùs exacerbentur. *Ibid. pag.* 117. *&* 118. Aliæ in ipsa substantia sunt, vt Hecticæ Pulmonariæ, Capitales, Lienosæ, Hepaticæ febres, vt quæ contumacem obstructionem & vitium latens substantiæ sequuntur, Fernelius vocat continuas symptomaticas: vnde videas in quibusdam diuturnas & satis vehementes esse febres: atque in ijs, si demis sanguinem, nullo ferè profectu id fit, & laudabilis est; in aliis statim corrumpitur, vnde hoc est? *Ibid. pag.* 120.

Datur febris particularis.

2. Dicimus paulùm discedentes à doctrina Galeni, Febrem aliquam esse Cephalicam, aliam Lienosam, Ventriculi aliam, Hepaticam, vt cum partibus ipsis inulta obstructio aut impactus mordicus humor aut corruptio contracta est: vt ij erroris convincendi sint qui & febrium Continuarum, & Intermittentium, & Hecticarum, & Marasmodeon sedem perpetuò in ventre inferiore constituunt: contra enim sentiendum, imo, quod notandum est, Febrium ardentium focum Hippocr. in Capite videtur constituere, & Galen. 1. Epid. sect. 2. part. 73. Pulmonis venas: Si in ardente febre aurium sonitus cum caligine, proveniatque in naribus gravitas, mente ex melancholia aberrant: Galenus nunc locum explicat de febre ardente, cujus focus est in Cerebro, propter collectam in eo bilem quæ inflammationem excitat: eáq; febris distinguitur ab altera quæ fit non coacervata in cerebro materia sed in venis inferioribus reside, à qua flatuosa expiratio suscitatur delirium excitans, nam cujus febris ardentis materia in cerebro mansionem habet, ea continuam habet desipientiam, & symptomata non sunt ita fugacia, atque materia dum ibi ebullit & effervescit, flatulentam naturam acquirit, cujus signa in varijs capitis partibus apparent, prout illa in varias cerebri partes repserit, parque hoc vel illud nervorum obsederit: At quæ Ardens febris materiam habet in aliis partibus, non habet desipientiam assiduam: Prior febris Phrenitidi simillima est, ob symptomatum cognationem, sed in Phrenitide symptomatica ea est febris quæ adest: præterea ardens febris primario cerebri affectu contracta, ferè statim insilit apparetque, phrenitis non tam citò sed tempore acquiritur; ita enim Galen. 1. Epid. sect. 2. p. 73. Phrenitis, ait, paulatim accidere solet, non autem quiescere subitò atque confertim, imo ne in declinatione quidem febris deliria quiescunt, quod aliter contingit in ijs febribus quarum deliria sunt symptomata tantùm: prout enim mansuescit febris, ita & deliria &c. *brevi*, si materia in Cerebro sit à massa sanguinis separata, vera sit Phrenitis, si autem

perfundetur adhuc & nondum pedem fixerit, fit febris Capitalis: quemadmodum itaque caput febris cujusdam focus esse potest, ita & reliquæ partes. *lib. de Virg. & mul. morb. cap. 7.* Aliquando vis ipsius febris in partem aliquam sævit,, vt æger tantùm vel se capite dolere dicat, vel renes, vel aliam aliquam partem affici: Quod evenire puto, vel cùm peculiaris in parte aliqua infirmitas est & vitium: vel cùm febris ipsius subiectum est potiùs teter quidam vapor, qui prout vel in illas partes, vel in has repit, ita quoq; sui notas & signa exhibet. *Histor. 1. lib. 2. consilior. pag. 5.* Cur non licebit febrem aliquam Lienosam, Pulmonicam, Capitalem, Alvinam (vt quæ ad Ventriculum propriè pertinet,) Mesentericam appellare, vt quæ febres mediæ fiant inter symptomaticas propriè dictas, & essentiales: Sic in fœdis coloribus necessario febris species apparet quæ nec symptomatica nec essentialis. *lib de virgin. & mul. morb. cap. 7. pag. 100.*

Paroxysmi reducis causa. 3. Cognitio repetitionis febrium peti potest ab exemplo vitiati dentis, fluxionum provocatoris: Vulgò observatur proclives admodum esse Catarrhos in dentium acetabula si vnus vitium attigit; sublato dente, aut confestim cessat affluxio humoris, aut saltem nullo graui symptomate sese profert, vnde hoc? quoniam imbecillitas partis & vitium juvat istam proclivitatem catarrhi, imò veluti irritat & provocat; Sic necessariò in ventre statuenda est diathesis mala, eodem modo viscus aliquod occupans ac vitium, dentem ipsum: illáque diathesis & infirmitas partis, & vitium, corruptionem alimenti in parte facit, & motus humoris ejus qui facilè movetur causa esse potest; & sublata diathesi, vitio partis correcto, nec non ἅπτοντος ἐμπυρεύματος, cessat motus, irritatio, provocatióque humorum, febris aut similis affectionis authorum; eodemque modo febris aliqua Particularis esse potest, vnde quidam narrant os, aut caput, ant manum æstuare videri, ac si febre particulari prehenderetur. *Epid. lib. 1. pag. 95. & 96.*

Febris biliosa ex Splene. 4. Ex Hippocrate datur Febris Biliosa ex Splene, Lycino Grammatico ex febre biliosa ex splene, capitis gravitas &c. item alio loco, Post Pleiadas biliosi, splenes magni, duri, dolorosi, sanguinis eruptiones; aliàs, sanguis biliosus ob splenes: Quod notandum, ne cùm febrem biliosam videas, & circuitus humoris biliosi, & motum & sanguinis qualitatem, malè accuses hepar non autem splenem, sic frustra medeberis: Rubicundi vulgò Hepatici creduntur, & tamen multi tales splenica maximè patiuntur. *Consil. 34. lib. 2. pag. 267. & 268.*

Febres biliosa habet materiam tenuem & crassam. 5. In Biliosis morbis (Febribus) spectatur turgens materia, aut aliqua reses & ignava: illa causa erit conjuncta, hæc antecedens: illa per venas & arterias fertur, aut vasis continetur, aut egreditur, vt

vt in Phrenitide: hæc in mesenterio manet, à qua vapor manat in has aut illas partes sæviens: Si partem illam tenuiorem spectas, sufficit enæorema, & si vrina in colore & consistentia sit laudabilis, salutem promittit, imò solus sudor aliàs sufficit: at crassior pars materiæ, vel in mesenterio stabulans; aut morbum protrahens, aut novum accersens, aliam crisim, & aliud in vrina requirit, antequam perfectæ coctionis spes adsit, hinc die indice ægri magnis symptomatis liberantur, represso humore morbifico & impetu sedato, & tamen non sunt plane restituti, & aut lenta febre laborant, aut tabent, aut ex acuta in aliam labuntur κατὰ τὴν μετάπτωσιν, aut in hemitritæon, qui morbis longis succedit, & in his non nebula sufficit sed hypostasis necessaria est: Ex his alij abscessus magnos, alij profluvia ventris aut vrinæ patiuntur, quæ omnia sunt symptomatica ni appareant coctionis signa: cùm vapor excitatur putris, febrim inducit, hoc excusso paroxysmus finitur, quod remanet, si putre & crudum est, morbum etiam fovet, donec aut reprimatur putredo, aut humor coquatur qui totus excludi debet: Si εὐήθης est, gratiam naturæ recipit, si κακοήθης, non solum mitificari debet sed & excludi, alioqui molestias infert: Cleonactides acutè initio febriit, febris remisit & ad sexaginta dies duravit, ob duplicem materiam fortè in mesenterio stabulantem quod longorum morborum penu & sentina est, omnium judicio: ac credo omnes pene febres symptomaticas (quasdam excludo) causam habere in mesenterio inclusam. *l. de vrinarum hypostasi pag.* 131. In morbis nullus humor est adeò tenuis qui non suscitetur à quodam crassiore reside in concavo hepatis, aut mesenterio, aut vbicunque primarius est febris focus: Et serum, quod à venulis arefactis trahitur ad febrium ardentium generationem, non aliunde ducitur ac deciditur quàm à contumaciore quadam materia, quæ circum pancreas & mesenterium, tanquam ignobiles partes residit: Serum istud sæpe temperatur, aut per sudores excernitur: crassior eius pars, si in venis est, hæmorrhagia pellitur, maximè in synochis; Si in mesenterio, diarrhœâ, dysenteria, aut larga alvi subductione: hinc solutiones morborum distinguuntur: Et idem morbus multis modis, eodem in corpore, solvitur & iudicatur: Quod si quædam tantùm repressio humoris, non autem vera mitificatio & coctio spectetur, nil evacuationes insignes conferrent, & tamen materia est morbifica alias per vrinas diffusa, alias in mesenterio latens; indicat id curatio. *Ibidem pag.* 125. Idem humor duas habet substantias, vnam tenuem, alteram crassiorem: Tenuis, ἰχώς, & ὀῤῥὸς, & λεπτὸν aliquid dicitur; vnde in febribus, manente in visceribus ipsis mali causa; tamen ὀῤῥὸς & ipsius, spiritus, & ichor veluti animatus & furibundus, in longinquis partibus impetum facit. *histor.* 4. *lib.* 2. *Consil. pag.* 130.

6. Medici

Purgantium nimio usu acri non fatigandi.

6. Medici plurimum sæpe falluntur, nam sæpe subesse glutinosum, viscidum viridemque humorem in cavis hepatis falsò comminiscuntur, vnde febrem foveri existimant: sed errant fœdissimè & in commoda ægrorum pessimè peccant: dum enim hoc commento decipiuntur, miserè exercent ægros validis medicamentis, & ita capitis periculum creant: nam dum subest exiguus humor qui tempore naturæ gratiam reciperet, non est quod ita ægros nostros confligtemus, & de ijs ita pessimè mereamur: & multos ita observavimus iisdem ferè diebus mortuos quibus medicamentum sumpserunt: imò sit ita, lentus sit humor, an propterea ita agitandus? nam non est dubium quin, ex sententia Hippocr. ducatur medicamento id quod tenuius est, remaneat crassum, quod contumacius redditur multo. *Conf.* 34. *lib.* 1.

In essentialibus habenda ratio partis morbum foventis.

7. Medicus in febribus etiam Essentialibus debet curam habere & Pulmonum & partium aliarum, quæ fovent novum morbum vetere peiorem: hinc successiones morborum: & prout variarum affectionum sedes, ita variæ crises: Quidam in febre assidua opprimebatur penè, natura causam oppressionis detexit, procurato expectorato. *Epid. lib.* 2. *pag.* 197.

Hyemales febres fallaces.

8. Mirum illud est, Hyemales febres, quoad sensum externum pertinet, mites esse & mansuetas: sed si sitis linguæque ariditas spectetur, aliud multò nobis apparet; An non retruditur intrò calor, copiáque augetur & qualitate? internæ partes æstuant, nón tantæ jactationes quanta æstate; sed quibus viscera sunt præcalida, in ijs multus æstus intus, multus squallor, & id quod vulgò dicitur, verum non videtur vt hyeme validissima medicamenta præscribantur, nam si multum calida sint, adaugebunt intestinum illud incendium, imò & lientericum quid efficient, non sine ægrorum damno sic expectanda ibi, si quando aliàs, concoctio est; si habeatur humorum quidem ratio, validis vtique medicamentis locus esse debet, at quia superficies intestinorum æstuat, ob revocatum intro calorem, verendum ne adaugeatur incendium calore medicamenti: & si quando valet illud πέπονα φαρμακεύειν, illud ad hyemales morbos referendum; dum enim rationem reddit Galenus cur morbi hyemales sint longi, ad contumaciam humorum id refert, & quia nil in corpore foras protruditur, sed abstrusum reconditumque intus est: an igitur calidissima medicamenta hyeme vsurpanda? nequaquam. *Epid. lib.* 1. *pag.* 54.

Autumnales febres pessimæ.

9. Autumnales febres pessimæ sunt, & levi de causa febris repetit ob humorum adustionem & penitiorem vim putredinis &c. *vide lib.* 1. *art.* 33.

Febris diurna medica- diffici-

10. Galenus explicans cur febris Diurna sit longior quam Nocturna, & diuturnior, ait ideo id fieri quod cùm diurna est, oportet

tet de nocte medicari, quod incommodo non vacat: Item quod constringatur corpus tum cùm digeri debet: at dum vrget morbus non difflatur corpus, sed inclinante accessione: viget interdiu, de nocte digestio fieri debet, non fit ob noctem: contra in nocturna, nam interdiu discutitur quod nocte coctum est: 3. ratio, si cubant interdiu nocte non dormiunt, maximè ob curationem: si non cubant, vespertilionum vitam agunt, nam nec nocte nec die dormiunt: Sic temporis diuturnitate, & defectu somni, & defectu digestionis, ob noctem quæ adstringit, & ob intempestivum curationi tempus, tabescunt; Sed quærat quis, cur de nocte non difflatur corpus? Vide quanta sit cautio Galeno in diurna febre aliquid moliri, vt etiam tempus ipsum nocturnum expectet ad medicandum. *Consilio xxix. lib. 2. pag.* 252.

Inæqualitas pulsus non semper adest in febribus.

11. Pulsus aliquando æqualis est & nullam mutationem repræsentat, ideo non videtur febrilis: At contra est, sed non apparens, siquidem nec in humoribus nec in spiritibus malum est contractum sed in partibus solidis: Ideo diligenter videndum ne iste pulsus nos decipiat. *Consil.* 34. *lib.* 1. *annotat.* 6.

Vrina febricitantium intempestivum habet aliquando sedimentum.

12. Si quis laborando se ad lassitudinem vsque affligat, potet autem largè, deinde intempestivè sese exerceat, i. e. aut à cibo aut vbi tardius cocti fuerint cibi, antequam probè in sanguinem versus fuerit cibus, hic partim bilem ob labores acervat, partim crudos & incoctos humores ex potu & intempestivis exercitationibus, Hinc febres, præsertim Semitertianæ fiunt: Nota in talibus febribus, etiam initio sedimentum esse, sed conveniens non est & intempestivum. Ita Galenus, Id frequens est (supple sedimentum ἄκαιρον) *febribus in quibus multus flammeus calor fervorem accersit quendam crudorum, & crassorum humorum. Ad partic 26. sect. 2. lib. 1. Epid.*) *Consilio* 59. *lib.* 1.

Febres quædam occultæ nocent.

13. Ut Hippocr. sub finem prioris Prorhet. duplicem facit Phrenitim, alteram occultam, in qua signa manifesta non apparent, sed tabes quædam mala impressa manet in cerebro, ita duplex est febris, vna manifesta, quæ se pulsu & urinis manifestè prodit: Occulta, quæ neutro sese manifestat: hæc deterior est, quoniam & medicos sæpe fugit (*Consilio* 71. *lib.* 1. *pag.* 391.) Ann. 1587. multi interierunt, ferè nulla febre præsente (quoad pulsum) quia calor febrilis digeritur, remanet naturalis ita infirmus, vt prius extinguatur quàm febrilis calor denuo reaccendatur, sed est falsa opinio ἀπυρεξίης, remanet enim squalor nescio quis & siccitas linguæ, Et sensim intereunt. Uidimus enim plerosque è medio sublatos quibus Medici spem pollicerentur salutis, falso inducti febris lenitudine & parvitate: At parva erat febris inopia caloris

naturalis, & naturæ imbecillitate, non causæ imminutione & caloris contra naturam victoria, in quo pulsus ad naturam rediisse videtur: Ideo fortasse doctrinam sphygmicam neglexit *Hippocr.* Item caloris acris sensus non erat qui prius. *Consil. 30. lib. 2. annot. 6. & 7. pag. 259.*) Aliquando mites sunt admodum febres, aut saltem tales apparent, cùm in recessu perniciem moliantur, vt quæ partis alicuius principis διαφθορὰν sequuntur, ægri enim sine sensu, & nil tale cogitantibus Medicis moriuntur: Et hoc *Hippocr. 1. de morb. mul.* observat, qui dum loquitur de febre quæ vitium in vtero & perniciem iam perfectam consequitur, ait πῦρ esse βληχρὸν. Et hac nostra memoria à corruptione vteri observatum est primates mulieres interiisse, febre latente & blande eas tractante, quod expectationem spemque Medicorum, non sine infamiæ nota & ignorantiæ suspicione decepit. *histor. 1. lib. 2. consilior. pag. 5.* Bifariam magni sunt paroxysmi, febrisque magna, vel sola humorum putredine & caloris febrilis auctione (id quod *Galenus* vocat humores accendi πυρετοδῶς) vel propter vim naturæ & caloris nativi copiam: priore modo vires sunt infirmæ; posteriore sunt validæ & potentes: priore modo, aliquando febris exigua esse videtur, sed id est potius signum fractæ naturæ & exhausti caloris contra naturam: vix enim febris est magna, præsertim cum robusto pulsu, quin aut sit naturæ lucta, aut caloris naturalis copia & vbertas, Et tamen incidit aliquando paroxysmus & auctior febris, cum sit potius motu morbi & humoris quàm naturæ: Et tunc post paroxysmum istum natura succumbit, & mors advenit, decipiunturque Medici: prius enim extinguitur calor naturalis quàm denuo febris accendi possit. *Consilio 30. lib. 2. pag. 257.*

Lingua observatio in febribus. 14. De Linguis ampla est materies, quod pertinet ad iudicium de febribus faciundum: Ferè cum lingua alienum quid in sese habet, tum aut febrem suspicamur, aut affectum aliquem partium internarum. Sed an necessariò febrem adesse significat, vt aliquid præter naturam in lingua contingat, qui si verò caloris contra naturam proprium sit, aut vaporem aut exhalationem excitare à segni latentéque in corpore humore? Nunquid eorum qui pomeridiano somno indulgent, & os & lingua, aliquid aut insulsum, aut δυσῶδες habet, cum tamen nulla adsit febris? Nunquid & Hippocrates ait parte 17. lib. 6. Epid. sect. 5 *Salsæ gustatui carnes superfluæ materiæ signum*: i. e. si salsedinis gustus sit in ore, materiei superfluæ & excretionem sui indicantis est argumentum, Non meminit febris: Sic cùm humor redundat in corpore, potest sui speciem repræsentare in lingua absente febre: Et tamen quia talem humoris excessum proximè aliquando sequitur febris, tribuitur alteratio linguæ, non tam humori quàm febri, & id quidem.

dem malè Sic lingua tingitur, aut quia febris adeſt, aut huius illiuſve humoris abundantia, vt in hypochondriacis; & nigricat lingua, & aciditatis ſenſus in ore adeſt, aut quia in ventriculo proxime continetur humor. Et *Hippocr.* ait *Part.* 14. *ſect.* 5. l. 6. Epid. *Lotium indicat lingua,* i. e. quis humor in corpore redundet, id quod lotium, i. e. ſerum, cuiuſque humoris refert tanquam facilior paranymphus *Epid. l.* 2. *p.* 115.

15. An hyeme audacter ratione febris ſanguis mittendus? imò febrem augeri par eſſet vt materia faciliùs diſcuteretur, & calor in crudo ſucco emicaret; Si quis attendat quoque calorem contra naturam omnia corrumpere, & plus obeſſe, alimentum corrumpendo & ſuccos crudos malè alterando quàm diſcutiendo, in alia forte erit opinione. *hiſt.* 8. *lib.* 2. *Conſil.* *Hyeme paucus ſanguis mittendus.*

16. An neotericorum ſtandum opinioni qui in febribus, quas humor putrens accendit, à venæ ſectione temperant quod humor in meſenterio concludatur? contra ſtat experientia, nam ſtatim à ſectione morborum levatio; ratione empyreumatis & caloris qui poſt paroxyſmos in imo concipitur, & cujus impreſſio novi paroxyſmi occaſio eſt, phlebotomia ex vſu eſt. *Epid. libro* 1. *pag.* 5. *Putrida S. M. poſtulāt.*

17. In longis febribus, quoniam initio vires multum frangere non oportet tanquam ſatisfacturas longitudini, juvat ſectiones venæ iterare, ſed parciſſimâ manu, nam frequenter miſſo ſanguine parca manu natura irritatur ad aliquid moliendum, imò ſub finem earum febrium ſecare venam convenit. *Epid. lib.* 1. *pag.* 22. *In longis S. M. parca fit ſed iterata*

18. Magnæ eſt prudentiæ obſervare in ægris quibus phlebotomia potiùs confert, & quibus purgatio, vt non peccetur in medendo; in quorundam enim febribus curandis melius eſt ſexies pharmacum dare quàm ſemel phlebotomare, quia febrium materia in talibus eſt in meſenterio concluſa & non per venoſum genus ſparſa; ſed quibus corpus calidum humidum & putredini obnoxium, præſertim parùm perſpirans, & cùm venæ ſunt amplæ, tuto ſectio venæ tentatur. *Epid. lib.* 2. *pag.* 164. *Quædam febres S. MAlia purgationem potiùs poſtulant.*

19. An in omni Febre præmittenda phlebotomia purgationi? hæc ratio quoſdam ad id adducit, nec omnino frivola: cum corpus turbatum eſt, & bilis in ſanguinis ſocietatem ſedat, vt loquitur Hippocr. ἐισίσχεται, quantumvis ſanguis detrahatur, is ferè eſt impurus, cum iſta perturbatio quievit, puritatem primam acquirit, præſertim ſi ſudor multus eliciatur. *Epid. lib.* 2. *pag.* 211. *In omni febre præmittenda S. M. purgationi.*

20. Nunquid initio paroxyſmorum ſectio venæ conveniet? Nos *In Paroxyſmo aliquā-*

do vena secanda. ſæpe fortè incidimus in ægros qui in febrium, aliàs continuarum, aliàs ad intermittentes accedentium paroxyſmis, de laterum dolore adeo queſti ſunt vt Medicos ad ſectionem venæ adegerint, & ſecta vena feliciter: item datum ſæpe pharmacum initio paroxyſmorum ſatis feliciter & paroxyſmi remiſſiores facti ſunt: annon ſequendum Arabum conſilium, qui initio paroxyſmorum medicamenta præſcribunt vt faciliùs deturbent morbi cauſam dum in motu eſt? *Epidem. lib. 1. pag. 68.*

Confert S. M. modo febris non ſit ſymptomatica. 21. Ad evitandam febrem, aut, ſi adſit, jugulandam, modo non ſit ſymptomatica, aperienda vena eſt: dixi, modo non ſit ſymptomatica, quoniam ob vigilias & inanes in deſurgendo conatus, & motum ipſius pravæ materiei ſæpe incaleſcit corpus: at tali calori non debetur phlebotomia ſed quies & ſymptomatum remiſſio; verùm cum eſſentialis febris, putredine diffuſa ac communicatâ vaſis, tam neceſſaria eſt phlebotomia, vt ſi ea prætermiſſa fuerit, grave ſit peccatum, Nec argutulus dicat malè nos dixiſſe non ſecandam venam, ſi ſymptomatica febris; nam dicet, ſi inflammatio interna, quæ adeſt febris ſymptomatica eſt, nunquid omittes phlebotomiam? at hoc loco febres revera exiſtentes, ſive ob inflammationem, ſive ob putredinem, in cenſu verarum febrium habentur. Sed & notare oportet ad tollendam febrem ſi ea aliquid commemorabile habeat, plurimum conferre phlebotomiam præcautionis ergo: nam ſi inſignis febris ob vigilias & motum tetræ materiæ ſurgat, quæ ad fluorem acceſſerit, metus eſt periculi: adde quod febris ipſa corpus infirmat & alimentum corrumpit, vnde cacochymia accumulatur; itaque cautos admodum eſſe Medicos oportet, ne temere phlebotomiam celebrent aut imprudenter omittant. *hiſtor. 7. lib. 2. conſ. pag. 172.*

Bilioſi febrientes quomodo curandi. 22. Corpora bilioſa cùm febricitant plus in ijs alterandis operæ ponendum quàm in evacuandis, quod docuit ſervus Dom de Chaulne, qui, licet bene purgatus, interiit; potiùs fortaſſis profuiſſent alterantia quàm inſigniter evacuantia, & id notandùm maximè. *Epid. lib. 2. pag. 214.*

Periodicis confert vomitus paroxyſmi initio. 23. In febribus periodicis initio paroxyſmorum, præſertim ſi facilè vomitu rejici poſſe materiam conjectura aſſequare, vtile eſt valde vomitorio excretionem tentare per os: febres continuæ, præſertim quæ exacerbationes nocturnas habent, aut levem aliquando perfrigerationem aut rigorem habent exacerbationis præambulonem, & cùm id non ſit periodicum, nec ſequatur motum materiæ à partibus internis ad exteriores per ſenſibilia corpora, quemadmodum aut frigus, aut rigor periodicus, non confert in eiuſmodi

eiuſmodi febribus vomitum ciere, Et ita veterum decreta ſancivere *Epid. l. 1. p. 115.*

24. Quî fit ut ex febricitantibus alii diu laborant, alii verò non, tametſi in vtriſque tentata ſit vacuatio à qua ſolutio morbi evenire potuit? Inter cæteras rei hujus cauſas hæc vna afferri poteſt: Quidam morbi ſequuntur τὴν ἐπίσχεσιν, alii τὴν γένεσιν καὶ διάθεσιν, ἐπίσχεσις καὶ συναθροισμὸς morbum quidem inducit, vehementem, ſubitum, ſed non diuturnum: quia ſuppreſſo collectoque humore ſecedente, ſolvitur morbus: ſed cùm διάθεσις eſt & γένεσις συνεχὴς, in multum tempus producitur morbus. *Epid. & Ephem. lib. 1. pag.* 134.

Pertinacia febrium cauſa in quibuſdam.

In Continuis Febribus.

25. τῶν Καύσων focus aliquando in Capite eſt, aliquando in Pulmone, aliquando in ventre, Annon tales καῦσοι Eſſentiales febres dicentur? alioquin Gal. peculiariter de ijs non egiſſet niſi è genere eſſent febrium Eſſentialium, *Epid. lib. 2. pag.* 123. Obſervavimus Galen. velle os ventriculi, hepar, pulmonem & jejunum inteſtinum febris Ardentis ἑστίαν eſſe, vult & totum corpus, quod notandum? Sic enim ad part. 17. 4. Acut. Quibus venter afficitur, & focus febris eſt, his corrupto cibo dejectiones liquidæ ſunt; quibus Pulmo focus febris, contingit vt adſtringatur interdum alvus: ſi Iecur Cauſi fomes eſt, aliquando alvus liquida, aliquando ſpyrathodea excernit, Si ſolum phlegmonem patitur, dura alvus eſt; ſi cum phlegmone eſt imbecillitas, liquida dejiciuntur, viſcere ad ſe alimentum allicere nequeunte: Sed ejuſmodi dejectiones ab ijs quæ ventre affecto eveniunt, diſtinguuntur τῷ χεχολῶσθαι: Et parte 1. 4. Acutor. Interdum Cauſus in vna parte, interdum in toto corpore gignitur, Si in toto corpore, ſitim omnino parit: cum in vna parte, non neceſſariò, niſi pars ipſa ſitim afferat, omnium autem primum id facit os ventriculi, deinde Stomachus, poſt Pulmo, ſubinde Iejunum inteſtinum: Atque inde colligere poſſis attractionem ichorum in totum corpus, non tantum in majores venas, cauſam eſſe Cauſi: Si in habitu corporis accendentur ichores, & febrem committent, & dolores ὀστεοκόπους parient & ſudoribus ſoluentur & ab habitu maximè ſudor manat: Si ergo ventriculus, hepar, os ventriculi, Iejunum Inteſtinum, ſtomachus & ſitis & febris ſunt foci quidam, item & corpus totum plenum ichoribus, quid eſt cur ad generationem febris continuæ recurramus ad venas internas maiores? *Conſ. 11 lib 2.*

Cauſi focus multiplex.

26. Ex Galeni loco ſupra enarrato colligere eſt Sitim non eſſe Cauſi pathognomonicum: Ideo Medicus præſagiens non ſtatim

Sitis Cauſi non eſt pathognomonicum.

 malè

malè ominari debet & vacuitatem sitis facultatis naturalis intermortuæ signum esse existimare : Potest enim non adesse sitis si focus Causi sit particularis, & in ea parte quæ inflammata & Erysipelatis modo affecta sitim non provocet : potest etiam mens læsa esse, vt affectionis sensus non sit : Vel facultas naturalis potionis appetens in ventriculo residens extincta est : omitto communem illam causam, descensum pituitæ dulcis quâ tonsillæ & fauces irrigantur : Si impedita sit tantum ad tempus aut languidior, sed non extincta & emortua facultas, potest sitis ad tempus non sentiri, deinde percipitur : potest & non adesse sitis cùm putrens humiditas in ventrem non influxit: Ex recentioribus quidam vnum non negligendum adnotavit, nempe quod Sitis aliquando major est quàm febris, vt cùm in inflammatione iuxta os ventriculi, arescit magis os ventriculi quàm cor exuratur, & contra minor quàm febris, cum facultas languet, aut venter multa natat humiditate : Ego vidi plerosque febrientes ardente febre cum lingua exusta, tamen non aderat sitis aut ea mediocris; cujus ratio referenda ad instrumenti propriam affectionem : lingua cùm sit aut pellucida, aut nigra exustáque, & totus stomachus, cui illa continua est, eo pene modo affectus sit, arentibus ijs partibus, & supra modum siccatis, non percipitur sensus indigentiæ, quia nervus subjectus linguæ, non est eo modo affectus quo debet. *Cons.* 5. *lib.* 3.

In continuis vacuitas febris fallax.

27. Quæ febres vagatæ sunt Continuæ initio hyemis anni 1573. in nonnullis per vnum diem aut duos vacuitas febris adesse visa est, quod novum non est : nam I. Epidem. histor. 12. Quidam febre continua laborabat & octavo die à febre immunem fuisse ait Hippoc. & eodem loco, Prægnans mulier assidua febre occupabatur, per tres dies febre vacavisse scribit Hippocrat. 11. die febris repetiit & judicata est : Quod notandum est, ne eos evasisse existimes, quod febre vacare videantur. *Epid. lib.* 1. *pag.* 36.

Acutarum febrium causa quandoque frigida, quæ copiosâ prohibet S. M.

28. Ex Galeno colligere possumus Acutarum febrium etiam causam frigidissimam esse, scilicet pituitam, vt ratione istius frigoris materiei & extimæ partes algeant & frigidi sudores emanent; & quod frigidus sudor fit in Acuta febre hanc causam recensuit comment. ad aphor. 37. lib. 4. Cùm putreant humores in vasis, eóque ex putredine magna caliditas sit, & tamen quæ excernuntur frigida sentiuntur, exitiale id est; docet enim in animalis corpore humorum multitudinem superabundare, tantam frigiditatem habentium, vt nec à calore febrili, nec à nativo calescant. Si ita sit, & si, ex Galeno, pituita salsa Causi causa sit, cur ita sanguis audacter demitur in Causo, cùm ita sit materia frigida vt neuter calor & nativus & febrilis calfacere queat? *Consil.* 5. *l.* 3. *p.* 169. & 170.

29. De

29. De purgatione & phlebotomia in Causo vtra præcedere debeat sæpe dubitari solet, sed duas Hippocr. sententias commemorabiles hic proponemus, ἡ φλεβοτομίη ἡγεμονικόν ἐστι vbi inflammatio est aut προσφορή: Deinde dixit 4. Acut. parte 21. & 22. μετὰ τὴν φλεβοτομίην ἡ φαρμακείη δεῖ μετριότητος καὶ ἀσφαλείας, i. e. medicatio quæ post phlebotomiam administratur, omnis & mediocritatis & moderationi quæ & securitatis seruantissima esse debet. *Consf.31. lib. 2.* *In Causo S. M. princeps est remediũ.*

30. Etsi Bilis detracto sanguine protervit ferocitque magis, vt placuit Arabibus, in Ardentissimis tamen febribus Galenus misit sanguinem cum in illis vberrimæ bilis impetus atque impressio apparet; in quibus Galenus ardentissimum sanguinem detraxit, non simpliciter, i. e. non parca manu, ad evacuationem tantum nonnullæ materiæ & refrigerationem nonnullam, sed ad animi vsque deliquium, vt refrigerationis ratio omnino habeatur: Quod diligenter notandum: nam qui in biliosa febre parcè detrahi sanguinem, is frementem magis bilem reddit; at si liberaliter, non est dubium quin sequatur magna refrigeratio & bilis temperatio, *Cons. 24. lib. 1.* *Et in ardẽtissimis.*

31. In febribus continuis cum sanguis ὀρρώδη vt loquitur Hippocr. libr. de morbis i. e. serosam naturam acquirat, vt humiditas naturalis sanguinis, quæ blanda est, in ichorem & ὀρρὸν vertatur, vnde orgasmus & irritatio & dolorum subita origo, si detrahitur sanguis bis terve è brachio, illaudabilis vitiosusque apparet in vasculo; sin eodem die fluat αἱμορραγικῶς, laudabilis est, & tamen eodem modo soluit tepefacitque febrem quo sanguis è gibbero demptus, vnde hoc fit, cum idem sanguis videatur esse? imò narrant raro admodum è vena cephalicâ corruptum detractum fuisse: An quia sanguis qui è Basilica trahitur magis materialis & ideo corruptionis notæ faciliùs in eo apparent contra qui è capite fluit floridulus & spirituosus, tamen qui è capite manat corpus & molem habet: at nos dicimus, si sanguis moram in Cerebro traheret, æque corruptus efflueret atque is qui è brachio, quia morâ vitium contraheret: Qui è brachio ducitur, quoniam à magnis vasis fluit, ac virtute naturæ, facultas excretrix in eo suam vim docet quod retento sinceriore sanguine, impurum eo effundit; In Vxore Martini Chirurgi, cùm dolor ingens præcessisset capitis, hæmorrhagia, fluxit ἀθρόως multus sanguis correptus, at moram traxerat, & in abscessibus pone aures, cum feritur Cephalica vena, putris educitur: Hippocratem sequutus Aristoteles ait Capitis sanguinem tenuissimum, reliqui corporis crassissimum. *Epid. lib. 1. pag. 67. & 68.* Tamen in eodem morbo si demitur sanguis è dextra Basilica, corruptus apparet, si ex dextra Cephalica aut sinistra Basilica, bonus egredietur, *Ibid. Annot. 12. pag. 74.* *Venarum delectus habendus in febribus cõtinuis ad S. M.*

32. Ple-

Ardenti febri hæmorrhagia confert.

32. Plerique & in Peripneumoniis & in Febribus Ardentibus, & in Inflammationibus Hepatis & Splenis suspectas habent Hæmorrhagias: contra Galenus in Epidem propriam hanc esse Ardentium crisim dicit, & in parte 35. lib. 1. prognost. inflammato Hepate αἱμορραγεῖν optimum esse dicit, contra eorum opinionem; nam in vno quoque morbo, præsertim cùm est dispositio inflammatoria, maligna quædam est vis quam Natura deponit in partem aliquam: ideo si molitur hæmorrhagiam, ea sistenda non est, ne forte impediatur excretio tantulæ materiæ, quæ est veluti Anima ipsius morbi, *Ep. lib. 2. Annot. 13. pag. 155. lib. 1. Annot. 12 pag. 74.*

Aqua quando exhibenda in continuis.

33. Cuidam Chirurgo, cùm per dies aliquot cum summa cutis siccitate & squalore febris assidua periculum mortis crearet, ac jam de funere ageretur, audacioris Medici consilio propinata aqua quantum ebibere posset, deinde vestimentis circumtectum corpus; Sudores manaverunt, alvus liberior fuit, convaluit: ab eo tempore familiaris fuit, ob refrigeratas impendio partes, alvi fluor. Iam annos 24. perseveravit, mirum cur major offensio non contigerit; In meth. med. lib. 9. vetat Galenus ne siccis calidisque corporibus aqua exhibeatur, quod partes solidas ædat, verba Gal. hæc fere sunt, Intempestivè aqua præscripta imbecillas corporis partes concutit, vnde nonnullis illico spirandi difficultatem, convulsionem ac tremorem conciliat: minus iis tuta qui paucum sanguinis habent, nam celeriter ad partes solidas venit. Tamen alio in loco in febribus Hecticis, in quibus carnium est consumptio, aquam mirificentissimè laudat. Aquæ potus (vt ita duo illi loci concilientur) initio Hecticarum & intemperiei calidæ siccæ confert, & dum vires vigent, sed si contra eveniat, quia nil in corpore est quod vim occurrentis aquæ debilitet atque frangat, damnis augetur ægrum corpus, *Paradigmate 36.*

In eius exhibitione consuetudini attendendum.

34. Aristo Mitilniensis corpore erat gracili, macro, & superius os ventriculi, vt pote frigidius, aquæ frigidæ assuescere non posse sæpe animadverterat (Gal. lib. de Consuet.) morbo prehensus est cui profligando aquæ potum ex vsu esse Medici colligebant; ille verò contra insistebat ne frigida propinaretur, alioqui aut gravis singultus aut convulsionis metum adesse: Medici opinionis suæ defensores pertinaces, frigidæ poculum propinant: contigit vt æger prædixerat, nam convulsus inde interjit: Quod diligenter notandum est vt aliquid consuetudini tribuatur: *Paradigm. 37.*

In continuis non confert vomitus.

35. In febribus continuis, præsertim quæ nocturnas exacerbationes habent, non confert vomitus; *Vide supra numero 23.*

36. *Galenus*

36. *Galenus comment. in partic. 9. sect. 1. lib. 1. Epidem.* ait in febribus continuis humorem contineri in simis hepatis & circum os ventriculi: Nota quod dicit, *Circum os ventriculi*, vnde si vomitus adest, si animi defectiones; non propterea de maligno verebere; hoc enim de essentia morbi est, &, quod notandum magis, Hippocr. lib. de Diebus Iud. scribit in morborum principiis Hepar intumescere & expandi elevarique ad Diaphragma: quod rationem reddit omnium quæ horrificè fiunt initio morborum & paroxysmorum, nam tumultuatur humor, facultas partis insurgit adversus id quod molestat, pars quoque ipsa enititur, vt in sternutamento cerebrum, & sic potiùs valet vomitorium in ejusmodi symptomatis quàm Cardiacum: *lib. 1. Epidem. pag. 13. annot. 3.*

In iis si vomitus & animi defectio, non illico ad Cardiaca recurrendum.

37. Si magnus Pulsus, si febris insignis, si symptomata vrgent, si æger æstuat insigniter, si sitit, an Medicus aliquid tentabit evacuando aut purgando? fortè morbus tunc consistit, in vigore est, Pus fit (i. e. in Pepasmum incumbitur in toto genere venoso) oppugnatur qualitas materialis quæ tam vehementem paroxysmum intulit: sinendum id Naturæ, non revocanda, solus etiam emanans sudor plùs proficiet quàm quidvis quod agitare queas: si tum revoces naturam ab instituto, crises interturbabis, si interturbas, secretio non continget bona post coctionem, vt mirum non sit si Purgatione immodica & detractione sanguinis, morbus imminui ac hebescere videatur, sed postea non amplius eluceat vis naturæ & ipsius aggressio insultusve, vnde acutus morbus ex μεταπτώσεως longus fit; at satiùs esset brevius & acutius ægrotare, cum enim Natura morborum sit medicus, plus efficiet coquendo & secernendo intra paucos dies per modum κρίσεως quàm nos vacuando, purgando & humores innoxios agitando, & quasi camarinam movendo pro crisi & præcipiti judicio inducere τὴν λύσιν, imò (magno Medicorum opprobrio) id observatur sæpe in iis qui valida sunt natura, & quæ non facilè quatitur affligiturque, morbum febremque eodem fere tenore progredi & perseverare, licet omni remediorum ope adversus morbum pugnatum sit, & feliciter crisim in 7. aut 11. aut 14. incidisse diem; quod si natura sit debilior & minimè medicationibus assueta, frangitur quidem medicando vis morbi sed protrahitur, quia naturæ demptum detractumque est calcar suum, detractus stimulus quo sollicitata beatas ac felices crises miraculo quodam intentare solet: Sic non abs re Hippocr. toties celebravit initio quidem agitandum aliquid, quiescendum verò cum omnia consistunt: Contra fit hoc tempore, nullo enim non tempore aliquid agitatur, etiam in vigore quidam Phlebotomiam celebrant vehementia morbi adducti, minimè rati augeri symptomata ad victoriam naturæ & aggressionem, non propter deteriorem statum morbi & causæ morbificæ potentiam,

Ob vehementiam morbi & symptomatum illico ad remedia properandum non est.

tentiam, & initio morbi natura opprimitur tantum à causis morbificis, in vigore à symptomatis: symptomata enim sunt fortiora, dispositio morbi non est fortior, sed melior est quàm in morbi initio, præsertim si morbus salutaris fuerit, i. e. cùm natura coquat humorem & fit lucta inter morbum & naturam, non mirum, si vrgeant omnia & augeantur symptomata; conditio tamen morbi & causæ morbificę est melior, quia Natura est potentior & victrix futura est, & si tum ab opere naturam revocas, quantùm in commoda ægri pecces, ipse videris: *Consil.* 30. *lib.* 2. *Vide libro* 3. *Artic.* 15. *pag.* 166.

Manuum levibus συνολκαῖς quandoque confert venæ sectio, aliquando non.

38. In febribus Continuis paruas manuum contractiones vidimus, hoc à venoso genere translationem indicat, Interdum his venæ sectio confert, sæpe periculum creat. *Epid. lib.* 1. *pag.* 22.

Cavendum ne ex acuto, morbus evadat Chronicus.

39. Sæpe ex Acuto morbo fit quodammodo Chronicus, dum materiam in profundo corporis quietam tranquillamque, & quæ motu suo naturam non sit agitatura, movemus. An non meliùs esset naturæ crisin sinere aut per sudorem aut alio modo, quàm revocando Naturam ab instituto in morbi longitudinem ægrum conjicere; id quod adumbrat quodammodo Hippocrat. 4. Acutor. Queis initio vrinæ nebulosæ ac crassæ, hos annuentibus cæteris, purgare convenit; Si vrinæ inter initia tenues fuerint, hos non purgabis: corpus quieti permittendum, vngendum, tenuiter nutriendum: nam si ventrem moveris, vrina non maturabitur, febrisque citra sudorem ad judicationem in longum tempus protrahetur: Galen in comm. explicat quomodo exhibitio alimenti Naturam à coctione humorum avocet, & medicamentum naturam conturbet, & propterea coctionem impediant, sic febris non judicatur vt judicari debet & in multos dies protrahitur. *Consil.* 31. *lib.* 2.

Febris cōtinua in recēs nuptis purgatione sanata.

40. Quidam nuper matrimonio junctus cum ira incanduisset, febri corripitur: nondum à nuptiis dies octo intercesserant: verebamur ne ei phlebotomia noceret: tamen ob ingentem febrem celebratur: satis alacriter tulit, sed intra modum constitutum est: Excrevit innumerabilem humorum copiam per alvum, languit plane, insomnis, levia deliria; post corporis purgationem ingentem sanitati est restitutus. *Epid. l.* 2. *p.* 209.

In quibusdam continuis hidroticis locus est.

41. In quibusdam febribus continuis eùm vel oblita sui officij Natura videbitur, vel cutis spiracula erunt obserata, hidroticis locus esse potest, vt venenatus morborum halitus & spiritus vnà cum sudore erumpat. *Epid. lib.* 1. *pag.* 94.

42. Cautos

In Febribus Malignis & Peste.

42. Cautos admodum esse Medicos oportet in ejusmodi morbis in quibus jactationes quamplurimæ, nec febris tam effera & magna specie quam suis se prodit signis cum functionum animalium casus adest: Et quotquot eiusmodi febribus prehensos vidi, in iis observavi facultates animales primo quoque tempore occupari, quod mirum est. *consilio 19. lib. 5.* *Malignæ febres fallaces.*

43. In morbis malignis potiùs in alterationem per alexipharmaca incumbendum videtur quàm in evacuationem: at dicet quis iam, videmus ijs qui laborant febribus malignis & morbis id genus vrinæ magnam contingere excretionem, alvum multis & biliosis ferri excrementis, morbo præsertim ad Crisim eunte, idque eodem modo fieri quo videmus in aliis morbis evenire, in quibus simplex putredo vitium facit; At dicendum sçiendumque est eam quæ contingit excretionem non tam moliendam esse quàm naturæ opitulandum & oppugnandæ malignæ qualitati studendum: tales enim humores, etsi fortassis sunt ejus qualitatis participes, hi tamen non tam per se ipsi morbum alunt foventque, quàm extranea quædam putredo & qualitas maligna ordinariam putredinem sua malignitate superans: Sic agendum primum cum maligna qualitate, deinde, cùm fracta domitaque fuerit, cum humoribus agendum: At dices, in Lue Venerea multa tentatur excretio per os, cutim, & alvum, licet luis venenum potiùs qualitate infestet, quoniã coeffunditur humor bonus fovens tanquam subjectum istud virus, sic in morbis malignis fieri debet: quanquam credo à multis graviter peccari, & non abs re Hippocr. τὸ θεῖον in morbis observandum putavit, id est, videndum esse Medico num præter humorum solitam putredinem, sit aliquid quod propter putredinis excellentiam aliam curandi rationem postulet, Est enim vbi vacuare & coquere oportet, est vbi alterare oportet, id est, oppugnare alexiterio. Si enim insignis aliqua sit evacuatio, vbi in virium robur & qualitatis malignæ evictionem incumbere oportet, hic graviter peccatur & in perniciem ægri struuntur insidiæ; at difficile cognoscitur ea maligna qualitas, difficile quidem, sed vitalis facultatis status id facilè declarat; quanquam qui morbi oppressionem causam sui agnoscunt, aut in quibus bilis tumultum facit, osculumque ventriculi infestat, sæpe similitudine symptomátum nobis imponunt, hic autem experientissimorum expectatur judicium. *Epid. l. 2. p. 249.* *Alteratio potior vacuatione.*

44. In Pestilentibus & male moratis morbis qualescunque excretiones juvant: Vidimus multos quibus fluxerat alvus excremen- *In pestilentibus & malignis*

 tis

qualiscunque excretio iuvat. tis biliosis, vt ait Hippocr. cum borborygmis, sed isti fluores parum proderant : tamen præstabilius erat alvum quomodocunque fluere quàm subsistere, nam materia morbifica excernebatur, tamen, si quæ excernerentur, substitissent, deterius actum esset cum ægris, adeo quæ injiciebantur alimenta in corpus statim corrumpebantur : aliis fluente etiam alvo Cardiogmi remanebant, aliis ἀπροαιρέτως fluxit alvus cum mentis læsione & comatosa dispositione atque evaserunt, adeo natura juvabatur ista excretione licet symptomatica foret : vrinæ nullis erant flammeæ, sed saltem boni coloris ; *Epid. lib.* 1. *pag.* 36. Sic & Bubo pestilens statim erumpens sæpe ad bonum apparet, vnde Galenus lib. de Atra bile narrat, nigras excretiones profuisse & impedivisse quominus carbunculi apparerent. *Ibid. pag.* 49. *Anno* 1570. hyeme ineunte, humorum congeries, quæ radices altas aliquas fecerat atque latuerat, sese prodit, & deserens intimas corporis partes foras erupit, hinc alvi fluores pigro euntes gressu, dejectiones apparebant subrubræ, fœtentes, hepaticæ, mesaraicæ maximè, dysenteriæ multis contigerunt, etiam blandis injectis è lacte Clysmatis profundebatur alvus, adeo copiosa suberat materia ; multi periere, vires languebant ob fluores ejusmodi ; sectio venæ multis profuit, forte conandum erat vt quam citissimè sisterentur, nam fluores erant symptomatici, At dices Populares, Omnis autem suppressio excrementi in morbis populariter vagantibus mala est, tamen multis commodè statim initio suppressimus ; quibus non suppressi sunt, diu perseverarunt ; imò semestres fuerunt. *Epidem. libr.* 1. *pag.* 16.

Sanguis parcè detrahendus In malignis temporum constitutionibus, nec vomitus sistendi. 45. In malignis temporum constitutionibus, præsertim cum febres ἀσώδεες vexant & ægri vruntur, sæpissimè detrahitur laudabilis sanguis magno ægrorum & virium detrimento, serum nullum aut paucum, sanguis floridus ; serum calor absumit, truces oculi, jactationes, καρδιωγμοὶ, An venæ sectio tunc vtilis? nequaquam, aut parcè detrahatur, imò alexipharmaca & cardiaca dentur, alvus blande & sæpe eluenda, nam dejectionibus instar pultis croceæ morbus solvetur, hoc Hippocrat. & Galen. consilium est : Vomitiones sistere & sanguinem pleniùs detrahere nocet ; *Epidem. lib.* 1. *pag.* 8.

In malignis horrificis non semper S. M. locus. 46. Observavimus aliquando frequenti venæ sectioni locum esse ; aliquando eandem repetitam plurimùm obesse ; Prodest quidem cùm jactationes & ἀλυσμοὶ καὶ ἆσαι non tam fiunt à maligno quàm à calore impensè aucto & à cacochymi sanguinis copia, cujus argumenta sunt horrores aut rigores, qui non tam fiunt per caloris affectionem aut ejus absentiam quam putrentis humoris membranis & spermaticis partibus sentientibus molesti proventum ; nam postquam horruerunt, statim incalescunt deinde rigescunt ; Gal. autem

in

in Epid. fcribit illud vfu venire vt quoties humores corrupti incalefcant, leves horrores inducant; quod cum evenit, audacius fectio venæ tentari debet, non vt quid femel fiat, (quia in humorum pravorum proventu raro vires fufficiunt) fed iteratò; Sed cùm horrores qui adfunt materiæ ἀνωμαλίαν ϗ τὸ ἑτερογενὲς fignificant, aut cum vere periodici funt aut fymptomatici, cave ne hinc fecandæ venæ occafionem quæras; item cum jactationes & δυσφορίαι oris ventriculi κάκωσιν fequuntur, cunctantius timidiufque venæ fectionem aggredieris : ideo aliquando eft vbi potius febris ratio habenda quam caufæ febrem committentis in cacochymia confiftentis : eft vbi etiam potior ratio habenda caufæ ipfius quàm febris; quanquam purgatio febris caufam potius refpicit quam febrem ipfam, fectio venæ & febrem & caufam; *Confil.* 71. *lib.* 1. *pag.* 145.

47. Venæ fectio innocuè poteft celebrari ante jam factam exanthematum eruptionem, nam cùm apparent iam, nifi forte videas tantam effe plenitudinem, vt ea viam fibi quafi obftruens & naturam premens liberam exitum præpediat, non alienum erit venam tundere; cum tamen malignitas fumma eft & languida facultas vitalis, cum meditatione omnia agenda funt; Quidam primarius Medicus affirmat fe fine vllo damno cuidam famulæ, jam apparentibus puftulis, larga copia venam aperuiffe fanguinemque plena manu detraxiffe, cum fuffocationis effet periculum; Cur non idem in cæteris factitati poterit, præfertim fi quid fit quod vrgeat? pulfus id teftabitur, qui fi parvus & frequens, cunctantius id fiet; fi plenus, altus & magnus, audacius; nec imbecillitate pulfus terreri oportet fi ea ab oppreffione fit, fæpe enim tanta eft oppreffio & ob plenitudinem conculcatio, vt fefe pulfus non explicet; fed an imbecillitas pulfus per fe fit, an ex eventu, proprium eft prudentis Medici diligenter inquirere; imò dato medicamento, [nifi forte validius fuerit] & aperta vena, eruptio citatur & accerfitur; *hiftor.* 5. *lib.* 2. *Confil. p.* 163. In fævitia fymptomatum quæ erant prænuntia exanthemathon (fed hoc ignorabamus, quia fortè cautiores fuiffemus) nos medicamenta & phlebotomiam tentavimus cum ea eruptio præfto adeffet, & tamen innocuum vtrumque remedium fuit, vt jam anile fit credere nil in exanthematis tentandum, imò ex tribus pueris exanthemata paffis, qui purgatus eft, leviùs habuit; Domin. Denifot narrat Abbari cuidam, cùm nil de exanthematων eruptione conftaret, phlebotomia largè celebrata, à prandio erupiffe illa; calumniantur Medicos, tamen nil inde evenit deterius; imò cùm fervæ cuidam exanthemata, eáque denfiffima apparuiffent, nec non lingua intumuiffet flagrante etiam malo fecta eft vena, copiofus detractus fanguis & hoc innocuum fuit: Notandum hoc. *Epid. lib.* 2. *pag.* 141. & 142. Quod nos docuit longa experientia in popularibus morbis.

Exanthematis apparentibus facta S. M. & exhibitum purgant innoxie.

bis in quibus exanthemata apparuerunt, sæpius iterata S. M. & profusio alvi, imò olida proluvies, tum arte tum, natura, tum vi morbi procurata, multos orco eripuit. *Epidem lib*. 1. *pag*. 49.

Pustula non semper malignitatis indices.

48. In febribus & continuis & intermittentibus, præsertim si differatur venæ sectio & febris vires acquirat eundo, pustulæ apparent quæ non sunt malignitatis vllius sed ingentis æstus argumenta; vt in Damisella du Four Tertiana febre laborante similis efflorescentia apparuit in febris paroxysmis. *Epid. lib*. 1. *pag*. 72. Quod tum toto corpore, tum in partibus quibusdam papulæ modo vnius coloris, modo diversi, modo lividæ, modo nigræ aut purpureæ aut albescentes appareant, illud humorum dominatum sequitur: Et cum in febribus intermittentibus (nisi rarò, nam & in tertianis quasdam eruptiones & papulas toto corpore vidimus, sed erant ab incendio & fervore sanguinis potius) sed in continuis, non omnibus tamen, sed si quid aut cacoethes sit, aut θεῖον, ideo suspectas habent febres quas comitantur tales pustulæ: Si in intermittentibus, aut in continuis non malignis apparent, illud ardorem æstumque sequitur potius, aut prætermissam phlebotomiam, præsertim in sanguineis; vt de muliere annotavimus lib. 1. Epid. meorum. *Histor*. 5. *lib*. 2. *Consil*. *pag*. 153.

Nec Terminthi.

49. Terminthi, i. e. Pustulæ nigræ ex assato sanguine, quæque in tibiis maximè apparent, cuidam apparuerunt in febre continua, Hipp. *lib*. 2. *Epid. sect*. 2. & innocuæ fuerunt: Medicis ignaris hoc terrori esse potuerit: sed originem hujus rei explicavit, ὑπόσπληνος ἦν Sublienosus erat, ac si lienem hujus mali authorem statuat: Si tales pustulæ apparuissent vi febris aut malignitate humoris, malum id quidem foret, sed talis eruptio peculiarem diathesin partis alicujus sequitur; sic splenicos in febribus nigrum mejere videmus & tamen nihil sinistri denuntiatur: Damisellæ N. nigræ pustulæ efflorescunt aliquando in toto corpore & nihil inde incommodi sequitur, ferventiore est jecore: tunc primum cœpit ista eruptio cum annos vndeviginti nata decussa ab equo, humíque velut semimortua prostrata & attonita sanguinem ore rejectavit: credibile internam fuisse sugillationem & ecchymosin, cujus adhuc est soboles ista efflorescentia pustularum & ecthymatum: has pustulas Hippocrates. 2. Epidem. sect. 3. vocat τερχνίσματα κεγχρώδεα τοῖσιν ὑπὸ κωνώπων γινομένοις ἴκελα ἀδαδήγμασιν, asperitates milio similes & haud dissimiles morsibus pulicum; si talia in febre continua efflorescerent, an de maligno verendum esset? nequaquam, hoc enim veluti è numero est συγγεγονότων. *Epid. lib*. 1. *pag*. 98. & 99.

Pulsus intermittentia malignitatis

50. Cavendum ne temerè initio febrium, observata aut inæqualitate aut intermissione quadam in pulsibus, ad venenum aut θεῖον recurramus, magnum aliquid nos dicturos rati si divinitatem

ratem quandam in morbo, hoc aut illo dixerimus esse: At sæpe vna ventriculi oris superioris obsidio, propter contumaciter adhærens aliquid pituitosum illi parti, hoc symptomatum genus, iuniores & inexpertos Medicos perterrefaciens, invehit: maximè verò si pituitosa materia circum partes has accendatur, contumaci manente materia: nam quandam τύφου speciem inducit. *Consil.* 59. *libr.* 1. *non est indicium.*

51. Habita semper virium ratione, in Peste tutò possumus detrahere sanguinem ratione caloris maligni & pestilentis, cujus proprium est vt & vrat, & corrumpat, & liquefaciat corpus; vrat quidem, quia calor pestilens in carnibus & membranis quasi sensum carbonis vrentis infert & calorem naturalem depascitur & extinguit; corrumpit, inficit enim & nescio quam vim humoribus imprimit vt ecthymata, carbones & pustulæ appareant, & ex humore miti efferum & malignum reddat; liquefaciat, Id experientia didicimus his temporibus, in quibus sæviit in vulgus febris purpurata, nam qui evaserunt, ferè omnes tabuerunt liquefacto toto corpore & profluvio alvi spontaneo, quasi minime sentientibus ægris: denique quemcunque humorem attigerat calor iste malignus & pestilens, is omnis excretus est, & non desijt febris donec corpus quasi exhaustum, aridum & squalidum redditum fuerit, sicque remansit sola corporis ἐπιγραφὴ, solus σκελετὸς. Hippocr. duo observat 3. Epid. in ea immani & communi peste quæ sequuta est constitutionem humidam calidam, ventis carentem & vmbrosam, i. e. nebulosam, priùs, quod ea putredo fuit alia i. e. non vulgaris & solita, sed insolens & symptomatum insolentium procreatrix: Posterius, quod multi Tabidi interiere: Galenus ad distillationem à capite refert; ego verò ad colliquationem corporis, partim ob calorem pestilentem, partim ob collectionem pravi humoris in pulmone, sicut & in cæteris partibus, vnde in febribus pestilentibus, ob humorum fusionem, facultatum læsionem & humorum pravam qualitatem, item ob caloris naturalis affectionem, est νωθρότης & ἀκινησία totius corporis, lentitudo & gravitas, eo modo quo in carbunculo partis observamus, nam quæ pars affecta est carbunculo, pestilenti ea præter sensum caloris quasi prunæ adurentis, gravis est & plumbea, id quod notandum, Sic in pestilenti febre, in morbillis & cæteris id genus morbis qui se affinitate quadam attingunt, est dolor ὀστεοκόπος & sensus quasi ponderis & gravitatis, vt corpus neutram in partem flecti possit: vulgus autem Medicorum corporis gravitatem istam ad humorum redundantiam refert, cum id potiùs malignitati sit adscribendum. Hæc cum ita sint, videndum qua ratione prohiberi possit ne iste calor pestilens increscat, & ita corrumpat, vrat, tabefaciat liquando, & liquet tabefaciendo, & denique multorum & graviorum symptomatum *Cur sanguis detrahendus in peste.*

ſymptomatum fœtura tandem ad internecionem ducat ægrum; id fiet ſubtrahendo materiam tanquam pabulum, & ſtatim febrem ipſam jugulando, ſic phlebotomia primo quoque tempore facta id operæ pretium afferre poteſt: prohibendus enim eſt iſte calor omni arte, nam brevi tempore multum propagatur & inaugeſcit; accedit quod fiunt excretiones ſanguinis ἀυτομάτως per os, vrinas, per acrimoniam & malignam qualitatem in ſanguine, vt materia, fundatam, quæ à parvo incipiens in totam maſſam prorogata & propagata eſt: *Epidem. lib.* 1. *pag.* 49.

In morbis peſtilentibus alias iuvat S. M. alias nocet.

52. Omnium morborum peſtilentium non eſt eadem idea; Sic à noſtris eſt obſervatum alias phlebotomiam profuiſſe, alias omnes pertiiſſe quibus ſecta fuerit vena. *Hiſt.* 6. *lib.* 1. *Conſ.*

53 In peſtilenti conſtitutione præpurganda corpora.

53. Videmus aliàs puros magis à peſte tolli, aliàs magis impuros; ideo ad præcautionem peſtis Galenus jubebat præpurgari corpora & ſiccari, quare id? quoniam ſi ad aëris peſtilentis contagionem accedat & magna humorum eluvies, omnia deteriora futura ſint: cùm enim non adeſt iſta colluvies humorum, vnum nobis vincendum eſt tantum, nempe exſpiratio tetra & peſtilens: Sed ſi corpus impurum eſt quoque, impreſſio in eos fit, vnde magna ſymptomatum fœtura ſurgit. *Conſil.* 2. *lib.* 2.

In Variolis & Morbillis.

Ante & poſt eruptionem poteſt fieri S. M.

54. Annon bonum eſt ſanguinem demere & ante & poſt eruptionem Variolarum, cum æger totus ſcaber & fœdus, elephantico non diſſimilis, & febricitat, & fœtet, & cutim offarctam obſeratamque habet iſta ſcabie, & totum corpus δυσδιαφόρητος habet, & denique carnes corrumpuntur & quaſi in virus iſtud putre dilabuntur ac colliquantur? Sic ſi puellis detrahatur ſanguis initio in ſuſpicione morbillorum & variolarum, impedietur augmentum febris cujus calor maleficus eſt & tabificus; & ſic fuſis liquatiſque carnibus non ita intumeſcet corpus, nec fœda ſcabie maculabitur & inquinabitur: imò dum eruperunt, poteſt etiam detrahi ſanguis, quod nos beato quodam ſucceſſu fecimus & conſecuti ſumus, ſic enim vna ſanguinis detractione plus educimus ſanguinis quam natura poſſit propellere foras: interea ſucceſſu temporis & febris augetur & corpus quaſi in putre ſerum reſolvitur: accedit quod in variolis & morbillis, imò in peſte, fiunt excretiones ſanguinis ἀυτομάτως per os, per vrinas, per acrimoniam & malignam qualitatem in ſanguine, vt materia, fundatam, quæ à parvo incipiens in totam maſſam prorogata & propagata eſt: ſic ſubducendo materiam vt pabulum, minuemus morbum & faciemus quod morbus ipſe facit, & natura ipſa ſed coacta: nam profuſiones vrinarum immenſæ proveniunt & alvi profluvia

fluvia eò vtraque progredientia donec ferè totum corpus tabeſcat; Ergo habita ſemper virium ratione, in morbillis, variolis, imò & peſte, tuto poſſumus demere ſanguinem, quod nos docuit longa experientia: *Epid. lib.* 1. *pag.* 49.

55. Nos obſervavimus febres omnes eas quæ iam grandiores natu prehendunt, morbillis vulgo pueros exercentibus, omnes inquam, eas mali eſſe moris & funeſtas, ac ſi aliquid reſipiſcerent de febre ea quæ morbillis comes eſt: Et quoniam ob cutis mollitiem exanthemata pueris erumpunt, ideo funeſtam vim morborum iſtorum depellunt, alioqui perirent; Satis autem manifeſtum erat eas febres quæ in grandiores inciderent, eiuſdem eſſe moris cum febribus pueros exanthematis obſitos exercentibus, quod cum ſumma inquietudinis & doloris ſenſione oborirentur, vt ægri ne minimum quidem contrectari poſſent: Vidimus multis obortas eſſe maculas rubentes, mox liveſcentes, cum ſumma membrorum confractione; Ecthymata vocant Græci, Celſus papulas, multis erumpentes magno eorum periculo, quia phlegoſin ſignificant partium internarum & humorum κακοήθειαν. *Epid. lib.* 1. *pag.* 35.

Febres adulterum, morbillis vagantibus, hidroticis & alexipharmacis curandæ.

In Febre Tertiana.

56. Arabum hoc fuit decretum in Tertianis febribus non mitti debere ſanguinem niſi exacto jam tertio paroxyſmo & poſtquam ſanguis putruerit; quod forte non abs re dictum eſt: Videmus pleriſque ante tertium paroxyſmum miſſum ſanguinem magno quodam profectu, alijs non item: Sed cur expectandum donec putruerit ſanguis, nunquid ſatius eſt ſtatim demere ſanguinem vt natura recreetur, & non expectare quoad ſanguis contaminatus fuerit? Si plethora eſt, eáque naturæ moleſta, ſolvatur is habitus & pertundatur vena; Si cacochymia, relicto illo ſolenni remedio, de purgando corpore cogitetur: Sed relictis ſalebris quæramus num in Febribus Tertianis (quod & ad alias è putri humore natas febres poteſt extendi) tutò vena ſecetur ante tertium paroxyſmum: Materia quæ committit Tertianas extra vaſa eſt, humor eſt primum laudabilis ſuâ naturâ, ſed qui per putredinem, quæ tempore aggreditur, & per gradus quoſdam, naturæ infeſtus ſit: febris eſſentia in igneâ naturâ conſiſtit, materia quæ accenſa calorem illum fovet, conſcripta concluſáque loco eſt, an ea educitur ſectione venæ? humor qui hodie paroxyſmum committit an putris an imputris? ſi putris erat, quare ſuperioribus diebus non committebat febrem? Si imputris & intra naturæ limites contentus, quomodo febrem putrem committit? quia putreſcit, inquies, ergo quandiu aderit putris humor tandiu perſeverabit acceſſio? verum illud eſt, nam diffla-

Exacto demum tertio paroxyſmo debet fieri S. M.

tur humor qui in hac acceſſione putruerat, vnde perfecta ἀπυρεξία, quæ non contingeret niſi diſcuteretur humor putris, hinc confuſæ vrinæ, hinc ſudores: ergo reliqui hnmores imputres ſunt? quorſum itaque expectandum donec putruerint humores? nam tantum humoris putris quantum vni acceſſioni ſatis eſt, & ſic humores non educentur venę ſectione niſi laudabiles in cauſa antecedente,& illaudabiles in cauſâ conjunctâ: Vt paucis terminetur quæſtio, id quod ratione & experientia percepimus, declarabimus: Non eſt in eo diutiùs inhærendum, in quo dubitatur, ſi in vnâ quaque acceſſione diſcutitur totum quod putret (vnde in Quartanis & Tertianis perfectam eſſe Apyrexiam Galenus oſtendit) quid eſt quod expectemus hunc aut illum diem, hunc aut illum Paroxyſmum donec ſanguis putreat? nam finita acceſſione humores reliqui expertes putredinis manent, vt videtur; contra tamen fit: aliud enim eſt humorem paroxyſmi authorem putrere, aliud eſt maſſam ſanguinis vitium concipere, etſi enim humor qui acceſſionem committit nondum putruerat & poſt paroxyſmum totus diſcutitur, tamen aliud eſt vitium in ſanguinis maſſa tanquam cauſa antecedente morbum alitura foturáque, cujus occaſione demendi ſanguinis captatur occaſio; Quotieſcunque enim in corpore febris concepta eſt, febrilis caloris vi humorum moles facilè corrumpitur; vnde ſæpe ſecundo aut tertio morbi die miſſum ſanguinem vidimus laudabilem, progreſſo tantiſper morbo aperta venâ putrem ac virentem fluxiſſe, quod argumento eſſe debet minimis momentis magnas in corpore oriri mutationes in hanc aut illam partem; ſic ratione illius putrentis ſanguinis celebratur venæ ſectio; quorſum itaque ante putredinem in maſſa conceptam celebratur? ratione plethoræ? Sed juvatne expectare quouſqúe vitium in maſſa conceptum fuerit? id tribus rationibus fieri debet, prima eſt, ſi incendij concepti in humoribus major habetur ratio quàm copiæ humoris morbifici in præcordiis, nam cum in Paroxyſmis vrget æſtus, aperta vena ille præcipitatur prævertiturqúe, vnde minus empyreuma, minus poſtea incendium & febris, ſed ſi major occaſio materiæ in Præcordijs, ad Purgationem veniendum: Secunda, quoniam cùm vitium maſſæ ſanguinis communicatum, aut ratione caloris febrilis, aut ratione vaporis, paulò tum morbus dicitur maturior, & natura irritatur magis, atque ita irritata per miſſionem ſanguinis illius putris, paulò poſt reficitur ac recreatur, nam poſt ejuſmodi evacuationes ſequitur aut alvi fluor aut ſudor qui facilè morbi reliquias diſcutit. Tertia, cùm Plethora adeſt aut ad vaſa aut ad vires, ſine vlla mora ferire venam oportet, nam præſente incendio febrili & ſanguinis copia, facilè ſtrangulatur calor nativus, hinc ſuffocationis periculum, hinc raptus humorum ſurſum, deorſum, & ſymptomatum

tum augmentum: ratio quæ efficiat sæpe vt primæ venæ sectionis nulla ferè sit vtilitas, est quod parca manu nimium ea celebretur: si enim liberaliùs sanguis mitteretur, dubio procul manifestior foret vtilitas. *Consil.* 44. *lib.* 1. *pag.* 169. *& sequ.* Rondeletius Galenum exagitat quod voluerit in Tertianis exquisitis locum non esse S. M. nisi post tertium paroxysmum: quondam hoc visum fuit Avicennæ: at Galen. non adeo absurdus fuit vt expectandum tertium paroxysmum putarit: Sed credibile Rondeletium & sequaceslegisse hunc contextum *Galeni* c. 5. l. 11. meth. ex quo collegerint S. M. tertio paroxysmo exacto Tertianæ convenire: *Qui febricitant, si valentes viribus sint, omnibus sanguinem ab initio mittes, perfusosque oleo post tertiam accessionem, vel mulsa vel sorbitione nutries*: Si hoc loco nituntur vt in Tertianis mittendum sanguinem post tertiam accessionem doceant, falluntur, nam primò hæc verba non sunt Galeni sed methodicorum: secundo non ait phlebotomandos post tertiam accessionem sed nutriendos: tertio, illud, post tertiam accessionem, nec idem sonat quod, post tertium paroxysmum: in Græco legitur μετὰ τὴν διάτριτον, quod verti debet, post tres dies exactos: 2. *Epid. pag.* 121.

57. Nobilis vir febre Tertiana laborabat: Medicus qui illi medebatur vt erat αἱμοφόβος, humorum detractionem sanguinis neglexit; quarto paroxysmo ruptis veluti venis & facto impetu quodam in partibus internis, tanta foras excretio sanguinis est consecuta, vt eo ipso die illi obeundum fuerit. *Epid. lib.* 2. *pag.* 267. *Paradigm.* 190. *Omissio venæ sectionis lethalis fuit.*

58. *Galenus* in Tertiana notha & in Quartana, cùm de sectione venæ agit, ex hypothesi de ea loquitur: De illa ita, *Si sanguinis missione opus est, ea non omittatur*: 1. ad Glaucon. At de ea loquitur quæ maximam affinitatem cum Quotidianis habet. *Consil.* 64. *lib.* 1. *pag.* 368. *Tertiana notha quadam nō admittit venæ sectionem.*

59. In febribus Tertianis parvas manuum contractiones vidimus: hoc à venoso genere translationem indicat: interdum his venæ sectio confert, sæpe periculum creat. *Epid. lib.* 1. *pag.* 22. *Manuum cōtractioni aliquando cōfert V. S. aliquando non.*

60. In plerisque Tertianis sunt Cardiogmi, vomitiones subvirides, an ideo κακοήθεια est & scobs vnicornu præsens alexiterium? id faciunt Medici, qui id vulgò persuadent vt aliquid agere videantur: vix enim febris intermittens κακοήθειαν habet, cum & κακοήθεια & partium κακοπραγία secum ducant febres assiduas: Tales καρδιωγμοὶ, ἄλυκαι, ἀλυσμοὶ, jactationes, oriuntur à refluente bile & os ventriculi feriente, sed id fit ob morsum bilis, & purgatione restaurantur, *Epid. lib.* 1. *pag.* 8. *60. Vomitiones & καρδιωγμοὶ non sunt à maligno nec alexiteriis egent.*

61. In Febribus Tertianis juvat plurimum sub finem accessionis, præsertim si morbus progressus jam est; & coctionis signa aliquot *61. Hydroticis quādo locus est.*

 paruerint,

paruerint, dare aquam vino albo perfusam, sive dilutum valde aqua vinum album ὀλιγοφόρον, nam sudores provocat: tum autem maximè sudores prosunt cum obstructionibus sublatis corpus internum apertum est, & forte restat quædam cutis constipatio, quam aquæ egelidæ lotio potest tollere. *Epid. lib. 1. pag. 94.*

Externa refrigeratio noxia in paroxysmo.

62. Quidam Tertiana febre laborabat eáque satis vehementi, cum molestiam aliquot Paroxysmorum pertulisset, novum & insolens remedium experiri voluit: cùm enim ex aquatione equi revertissent, jussit eos aqua puteali perfundi: cùm hoc spectaret, istáque affusio aquæ perplaceret, idem voluit sibi fieri, & vt id servi facerent coëgit: educunt frigidam è puteo, nudo corpori, medio in Paroxysmo, aqua affunditur, nec id diu impunè tulit, nam paulò post vocem amittit, convulsiones eum adoriuntur, spuma in os cucurrit, Epilepticè convellitur, mors, mirum vnde tanta mortis occasio: licet enim difflari prohibeatur materia Tertianam committens, non ita tamen sæva edit symptomata: credibile est istud serum, eumque febrilem halitum qui effertur è materia putrente (licet febris ipsa εὐήθες videatur) malignum quid habere: declarant dolores vehementes capitis aut totius corporis, & id genus symptomata quæ tam citò assidere solent febribus etiam mansuetis, vt mirum non sit si insolentem experientiam & imprudentem, tam fatalis casus exceperit. *Epid. lib. 2. pag. 266. & 267. Paradigmate* 189.

In Febre Quartana.

Mitius cum Quartana agendum.

63. Mulier Quartana laborabat, immunis ab ea fuit quindecim dies aut plus eò; consilio Medicorum ius folliculorum sennæ sumpsit: statim repetit febris, deinde cessat; iteratò sumpsit medicamentum, rursum febris: hoc arguit febri cum Quartana mitiùs agendum. *Paradigmate* 132.

Quinam quartanarii facilius S.M. ferunt.

64. Τῶν ἐξερύθρων duo sunt genera, alij calidi & humidi sunt, Hepaticique dicuntur, & multum sanguinis generant, qui cum perspiratione carent fiunt melancholici à fæce sanguinis & crassitie, & veras legitimasque Quartanas habent, cum sanguis non bene repurgatus, aut cùm plus æquo succrescit in corpore, & tales quartanæ sunt longæ quidem sed securæ: Alij colorem habent rubeum & hepar præcalidum habent, sed calor in humiditate positus non est, sed in nescio quo squalore, siccitate, humiditatis inopia, & hi tametsi rubore aliàs fugaci, aliàs non fugaci perfundantur, tamen hoc non est indicium abundantis sanguinis sed calidioris hepatis sanguinem acrem, subtilem, serosumque generantis, sic sunt pauci sanguinis, pulsu satis celeri, non elato, non pleno, valetudinarij

tudinarij vivunt, serosis humoribus abundant, & si in Quartanas incidunt, aliàs in inæquales, aliàs continuitatem habentes, vt pote sanguine non humectato nec corde, & inæqualitate in Pulsibus perseverante: vrinas mejunt aqueas, & aliàs in Quartanam incidunt atrabilariam, horrificam, quia humor biliosus, serosus, dulci aqueo ac temperato humore non moderatus facilè excandescit & in atrabilariam naturam immutatur: priores ἐξέρυθροι facilè ferunt venæ sectiones & ab ijs non læduntur: posteriores nonnisi summa cum difficultate, vix enim sese recipiunt, recolligunt ac recuperant, & hypochondriacis morbis laborant & obstructionibus mesenterij, & tenaces sunt & mœsti, & facilè terrentur & apprehēdunt; imò in hydropem siccum facilè labuntur. Alij medij sunt, *Consil. 64. lib. 1.*

65. An in Quartana Sectioni venæ locus? Galenus 1. ad Glauconem ex hypothesi de ea loquitur: *Quartanas per initia moderatè tractabis, nullum vehemens medicamentum aut vacuationem adhibebis, nisi sanguis admodum exuperare videatur, & si secta vena sanguis niger aut crassus, qualis maximè in Lienosis perspicitur, profluat, audacter mittendus, sin flavus ac tenuis, statim sistendus,* Vbi notanda vis vocis, admodum, nec dubium esse debet quin si corpus frigidum sit & siccum (quod corpus verè Quartanis implicatur) à sectione venæ temperandum sit: *Ibid.* *In corpore frigido sicco non est vena secanda.*

66. Sectio inter Annularem & minimum digitum ab antiquis credita est febrem Quartanam solvere; Quædam mulier septem jam menses Quartanaria fuerat, Massilij Medici consilio secta est vena, detractusque copiosè sanguis, febris jugulata est, sed annum ferè vnum manus tota veluti livefacta mansit; Eadem asseruit cuidam nobili viro sibi noto idem contigisse, *Epidem. libro 2. pag. 252. Paradigm. 198.* *Salvatella sectio confert.*

67. Ambigunt an in Quartana Purgandum? Si piget & tædet diuturnitatis, purgandum vt Febris aut transmutetur aut deficiat; & Hippocr. lib. de Affect. in accessione dandum pharmacum solutivum jubet, Celsus cap. 16. lib. 3. docet movendam esse febrem Quartanam ex eo statu in quo detinetur, Et, quod mirum, vi & excessu aliquo febris Quartana cessat; Sic Fabius in cruento contra Allobroges prœlio febre Quartana liberatus est, & febrili ardore per bellicum ardorem est absolutus: Sic narrat Celsus quosdam Medicos, maximè verò Petronem, hac ratione, temeraria quidem (quia quos ratio non restituit, temeritas adjuvat) ægros expediviſſe ac explicuisse. *Epid. lib. 1. pag. 29.* *Movendum in Quartana.* *Plin. c. 50. lib. 7.*

67. An non tutum in febribus Quartanis & alijs obstinatis, dum humor movetur, & in die paroxysmi, dare medicamentum? Vxori D. du Hamel triplice Quartana laboranti datum medicamentum, vna post horā horruit, incaluit, alacriter tamen medi- *Purgandum tempore paroxysmi.*

camentum tulit, repurgata est quibus oportuit; ab eo tempore aliquot, sed paucæ admodum accessiones repetierunt, postmodum omnino ab ijs paroxysmis est liberata; annon in simili exemplo Purgationi opera dari potest; *Epid. lib. 2. pag.* & 271.272.

Ἀδροτέρως quãdo purgandum.

68. Corpus repurgandum non validè quidem sed leniter, vt hic admitti non debeat Hippocr. sententia qui melancholicos per inferiora purgat ἀδροθέρως: Sed si melancholicis morbis vehementiora debentur medicamenta, cur Gal. lib. 1. ad Glauc. lenius mitiusque cum febribus Quartanis agit? Sed experientia perspectum est ex simplice Quartana, duplicem triplicemque nasci nisi summissiùs egeris. Cancros si duriusculis acriusculisq; medicamentis vexaveris, ferocire insultareque magis & medendo ægrescere videbis: vterque autem affectus in melancholicorum morborum censu numeratur: & laborantes Hypochondriaca observavimus vsu validiorum deteriùs longè habuisse, contra verò medicationes blandiores facilè tulisse, quinetiam de muliere Quartanam patiente constat, quæ cum liberata esset à morbo, quoties, animi potiùs quàm necessitatis gratia, decoctum folliculorum hausisset, sepulta febris suscitabatur, pejusque solito habebat, & tamen placet Hippocr. durius agendum esse cum melancholicis; & quæ abstrusa sunt, firma contumaciáque, ea magnam vim, quæ demoliatur, exposcunt, i. e. & multo tempore, & sæpiùs, & per fortiora medicamenta negotium transigendum est, vt explicat Galen. aph. 30. libr. 4. Si quid sit ejusmodi, humor est melancholicus, & præsertim atra bilis, cujus contumacia blandiorum vires eludit: Sed ne quid hic, vt nec in alijs morbis melancholicis peccetur, ita cum distinctione rem definire oportet: Quidam dicunt melancholicis morbis, si Purgatione egeant, validiorum remediorum vsum convenire, volunt autem conditionem istam (si Purgatione egeant) addi, vt excludantur Quartanæ febres quibuscum mitiùs agi debet, negant enim illas purgatione egere, sed potiùs mitificatione quadam ac temperatione: Sic dicemus alias in melancholicis morbis vtendum esse, medicamentis levioribus, aliàs validioribus, aliàs nullis aut levissimis: levioribus quidem initio, cocta enim medicanda sunt; nec aphorismus quo censet melancholicos ἀδροτέρως agitandos esse quicquam detrahit ei quo mitificationem coctionemque expectat nisi materia turgeat: & ne putes in morbis melancholicis frustra expectari mitificationem quandam, eorum festinationem temeritatemque imitatus qui atræ bilis nomine, aut melancholici humoris, statim ad confectionem Hamech &c. confugiunt, consulendus est Hippocrat. hic enim scribit aphor. 22. lib. 4. *Morbis quibuslibet incipientibus si atra bilis supra vel infra exiverit, lethale.*

Satis

Satis docet excretionem bilis atræ pernitiosam esse nisi sit mitificata : non potest autem mitificari nisi cum tempore, & in comment. Gal. de excretione atræ bilis, vt & omnis humoris, si initio morborum fiat, loquens, hoc axioma conficit. *Cum natura à causis morbificis opprimitur, estque humorum cruditas, non potis est quippiam salutariter excerni :* Hinc disces initio morborum melancholicorum lenioribus locum dari medicamentis : at cum materia jam aliqua ex parte mitificari cœpit, libertas meatuum est, locus valentioribus esto quoniam humores tenaces, crassi, viscosique leniorum vim facile effugiunt ; & illud ἁδροτέρως per comparationem audiendum est, cùm enim paulò ante aphor. 6 lib. 4. Gracilium & biliosorum purgationis inclinationes adumbrasset, quæ faciles sunt, melancholicorum purgationem instituit : eo nomine & humorem pituitosum & melancholicum intelligit, nam ob crassitudinem analogia est inter utrumque magna: vel illud ἁδροτέρως audies multùm & sæpe, vt si semel validiusculè exagitare non licet, frequentia & purgandi assiduitate compensetur ; & hæc via tutior est : Quanquam de purgatione contumacis materiei Galenus loquens tria requirit, vt multo tempore, vt sæpiùs, vt per validiora fiat ; Porrò incidunt ea tempora vt in melancholicis morbis Purgationes officiant plurimùm, præsertim cùm in mala partium diathesi potiùs quàm in copia materiæ morbus consistit, *lib. de virg. morb. cap. 7. p. 114. & 115.* Hæc sententia Mesvæi authoritate comprobatur, *In ægritudinibus melancholicis, non semel, sed per intervalla facienda est vacuatio : ita temperata vacuatio esse debet, vt natura regat evacuationem non evacuatio naturam : Annot. 16. in id caput.*

69. Anno Domini 1582. magna fuit Quartanarum seges & verarum, quòd per se & primò contingerent, omnibus initio adhibita remedia, non tamen quiescunt : hoc affirmo verum, Quibuscunque sæpius exhibita sunt medicamenta, & pugnatum remedijs valentibus, ijs omnibus producta fuit febris : Qui vero præsidia neglexerunt principio exacto, ij intra breve tempus incolumes extiterunt : vt malè de Quartana laborantibus mereantur qui id student vt medicamentorum frequenti vsu humorem adeo contumacem oppugnent & expellant, *Paradigm. 132. p. 318* Anno 1571. multi Quartanarij decubuere: qui sine remedijs derelicti sunt omnes penè convaluerunt : quibus curiosè adhibita remedia, ij ferè interiere, præsertim si macilenti biliosique forent : vt febres istæ potiùs à bile essent vstâ quàm à faece sanguinis : sic cum Quartanis agendum mitissimè, ne officiosa sedulitas plus obsit quàm prosit, *Epid. lib. 1. pag. 27.*

Quædam neglecta facilius sedantur.

70. Quartanarijs, præsertim quibus sicciora sunt viscera, multi eliciuntur sudores & vix allevantur ; quibus non manant sudores, dolores ὀστοκόποι oboriuntur in tibijs, brachijs, lateribus & sterno, imo

Sudores etsi febrem non finiant, nō ideo supprimendi.

imò ad claviculas tantus dolor oboritur qui Pleuritidem ementiatur: incredibile dictu quantis doloribus affligantur: his leviſſima medicamenta & præſidia proſunt, officiunt vehementiora, licet humor ſit melancholicus: litus ex chalaſticis, refrigerantibus, obtundentibus ſacculis furfure plenis & lacti immerſis, panis è clibano recens eductus & lacte tepidiuſculo inebriatus confert: Nunquid, ſi vires ferant, egelidæ balneum confert, vſus ſyrupi de pomis redolentibus & lactis Aſinini potus? *Epid. lib.* 2. *pag.* 155.

Nec ſollicitandi. 72. Nec eſt quod ſolliciti ſimus de ſollicitandis ſudoribus in Quartanis, cùm non ſoleant proficere, nam cùm materia ſit craſſa, frigida, lenta, non eſt credibile eam ita attenuari poſſe vt in ſudores reſolvatur; ſed cùm calor naturalis & calor febrilis nihil non agere poſſit, adoritur aliam tenuem materiam alendo corpori ſatis accommodatam, quæ maxima ex parte non eſt ipſius materiæ morbificæ: Proſunt quidem ſudores apparentibus coctionis ſignis, quod materia naturæ cedat, ſed donec aliquid tale apparuerit, non eſt quicquam opis expectandum: *Annot. in Conſ.* 23. *lib.* 1. *p.* 52.

Theriaca quando exhibenda. 73. Scribit Galenus vſu intempeſtivo Theriaces & rerum ſimilium, præſertim nondum cocta materia, effici vt ex ſimplice Quartana duplex triplexve fiat: incidit enim materiam nondum præparatam & in diverſas partes pellit: & quod Theriaca tanquam externum efficere poteſt, idem humor in aliquo corpore redundans, tenuis, acer, à bilioſo aduſto procreatus, ſeipſe poteſt movere, ciere & impellere, tanquam à ſeſe habens motus principium: *Conſ.* 23. *lib.* 1. *p.* 50. & 369.

Cuidam Quartanæ humectãtia cõveniunt, nõ incidentia & calefacientia. 74. Audito Quartanæ nomine ſtatim ad incidentia, tenuantia, calfacientia vel etiam vehementiuſcula confugimus, ſed hæc omnia locum non habent in quadam Quartanâ, in qua ad humectantia planè deſcendendum eſt, tum vt ingenti ſiti conſulatur, tum vt humor bilioſus aduſtus temperetur. *Ibid. & Conſ.* 64.

Hydrargiri litu ſanatus Quartanarius. 75. Quidam Quartana diu laborat, in tibijs vlcera maligna & Telephia oboriuntur, febris perſeverat: arte remedijſque communibus non curantur: ſuſpicio Luis venereæ eſt quod medicabilia non redderentur; tamen rebus diligenter expenſis nil venereum inventum eſt: non deſierunt tamen Medici ſuadere vſum Hydrargyri: plantis pedum & femoribus applicantur ceronea ex Hydrargyro & conſimilibus, provocatur πτυαλισμὸς, curantur vlcera, curatur & febris: an idem iu contumacia febris Quartanæ agere licet? tamen apud Fernelium quidam & Quartana & Lue venerea & ſordidis vlceribus implicatus, adhibitis litibus & Diæta, lue eſt liberatus

liberatus superstite Quartana. *Paradigmate 198. Epid. lib. 2. pag. 131. & 158.*

76. Sunt qui Febrem Quartanam aut aliam Intermittentem inoffensum suum cursum tenentem volunt intercipi Amuletis, sed satiùs est cum causa ægrotare quàm sine causa juvari: Quendam diuturnæ Quartanæ tædebat, nil opis à Medicis experiebatur qui suorum Theorematum fiducia mitiùs cum Quartana agerent, præstigio medicinali humores quieverunt, naturæ cursu impedito & conatibus frustraneis nihil promovebatur quod paroxysmos revocaret, visus allevari, & dicterijs artem Medicam petivit, sed hanc contumeliam non impunè tulit, sequente die non ita conflictatur, non repetit febris, sed quæ videbatur repressa, furibunda tandem effecta est funestáque evasit: Hoc observandum vt idiotarum & quorundam Primatum animus maleficijs plus æquo tribuens resipiscat & componatur, & interim notandum non parùm referre si quoquo modo & sine causa manifesta morbo absolvi videatur æger. *Epid. lib. 1. pag. 9.* Alius ad eam abigendam Empiricorum consilio paratum destillatùm aceti in alembico extracti infusionis micæ vnius panis, hujus liquoris haustum vomitus est insequutus, febris quievit, sed ista quies & fucata cessatio majore malorum cumulo ægrum locupletavit; nam totum corpus scabie infectum est, ischias insequuta; articulorum dolores, imo & Arthritis ipsa, sic istorum malorum pullulatione novit quanti referat contumacis obstinatíque morbi cursum interrumpere velle. *Epid. lib. 1. pag. 60. Consil. 107. lib. 1.* Nobilis quidam Quartana laborabat, cum tædebat remediorum solennium vulgarium, opem poposcit, præstigiis ac amuletis visa est quiescere: suppressa est materia, ab ea successit crudelis dysenteria: Hinc nosci oportet satius esse cum causa ægrotare quam sine causa allevari. *Paradigm. 127.*

Amuletis non est intercipienda, nec intempestivo vsu remediorum.

77. Plerisque visum est tantæ in Febre Quartana diuturnitatis causam non aliunde petendam quàm ex cancrosa dispositione in corpore Lienis, nam quas Quartanas solus humor melancholicus accendit, eæ non sunt ita diuturnæ: sed cùm Lienis ipsius temperies est immutata citra inflammationem aut schirrum, aut obstructionem (quod de hepatis κακοπραγία docet Galen. cap. 7. l. 5. loc. affect.) mirum quàm protrahantur affectus ipsi: at cum non sit in manu Medici situm istam aut partis διαφορὰν aut διάθεσιν, aut notam quæ elui non potest, & quæ lanis Assyrio colore tinctis similis est, tollere, non est quoque in potestate illius vt morbos inde natos & altos tollat. *Cons. 107. lib. 1. p. 489.* Quæ dispositio quò magis medicamentis irritatur, magis ægrescit medendo. *Cons. 23. lib. 1. p. 51.* Vix quis diuturna febre Quartana, & nulla arte medicinali eluibili, detinetur, quin vitium sit in Liene & antecedens & consequens:

Lienis & cancrosa in eo dispositionis ratio habenda.

Antecedens voco, vitium, infirmitatem, aut in substantia aliquid latens & contra naturam, quod congenerem affinemque morbum accersat, pariat, alat, foveat, & in multos dies ac annos etiam deducat; si enim quandam congestionem humoris melancholici sustuleris, quæ autumnalis aut hyemalis quartanæ febris author esse potest, ferè fit vt diuturnæ quartanæ focum habeant in Liene, sed tantò diuturniores fiant quantò vitium est interius, vt totius substantiæ esse dicatur morbus, & κακοπραγία contingat in parte ipsa, Consequens autem vitium voco, illud quod sequitur ex longa obsidione & occupatione ipsius partis: Nam non potest fieri vt morbus aliquis in parte diutiùs stabuletur, quin partem ipsam in qua residet infirmet officiatque, imò deteriorem faciat quàm antequam morbus ipse eam occuparit. *Consilio* 107. *lib.* 1.

Quartana fomes non semper est in corpore Iecoris aut Lienis.

78. Plerique casuri in Quartanas, sentiunt dolorem Lienis: hinc Galen. cap. 4. lib. de Typis asserit Quartanam sequi Lienis phlegmonem aut tumorem: Nec credere oporret in corpore semper ipsius Lienis aut Iecoris fomitem esse morbi, Nam in humoribus est, qui aut circum Lienem continentur, aut circa hepar, Tales autem humores retinent de natura partium quibus vicini sunt. *Consil.* 64. *lib.* 1. *annot.* 2 *pag.* 371.

In Febre Quotidiana & Epiala.

Quandoque magis habēda ratio febris, quandoque materia.

79. In Quotidiana habenda est ratio Febris & materiæ: hæc siccantia & calfacientia postulat, illa contraria, Galenus ita in eo se gerit negotio vt neglecta ad tempus febre, materiei præparationi incumbat, quod diligenter annotari debet: *Consil.* 24. *lib.* 1.

Aliquando sanguinis eductio confert.

80. Etsi veteres audacter in Febribus à cruditate humorum natis venas non secarent, in Quotidianis tamen sanguinem educunt, præsertim si vrina rubra & calor auctus id suaserint: Arabes nescio quid novi excogitant de secanda venâ in febre Quotidiana, secant enim basilicam sinistram, præsertim in frigidâ cœli constitutione, in calidâ autem, dextram: hoc forte illis in mentem venit quod legerint apud Galenum faciliùs promptiusque educi sanguinem crassiorem aperta sinistri brachij venâ quàm dextri, nescio vbi hæc Galenus scripserit: *lib. de virg. morb. cap.* 8. *p.* 173.

In Epiala causa magis quàm Febri attēdendū.

81. Illud in Febre Epiala vt & in omni Quotidiana, & quæ à crudis frigidisque humoribus nascitur, diligenter videndum est vt dum prodesse volumus non obsimus; quid enim est illud quod in clysmatum decoctionibus, & medicamentorum, incoquimus radices incidentes, aperientes acriores, calidiores, item semina, herbas, imò & calidissima quæque adhibemus? at hæc febrem augent, pugnant quidem cum

materiâ:

materiâ : nec valet quod reponi possit in febribus morbisque acutis contra indicationem quæ à morbo sumitur, non tutò exhiberi medicamenta quæ calida sunt & sicca, hæc siquidem fovebunt morbum; Galenus autem aph. 24. lib. 1. non reformidat, quoniam major sequitur vtilitas ex evacuatione humorum nocuorum, quam incommodum ex ea excalefactione quam inducunt medicamenta : itaque in Epiala minùs est formidandus vsus rerum calidarum, cum is cum materia pugnet, incidendo, tenuando, exclusionique præparando eam materiam quæ accessiones multas est productura. *Ibidem.*

82. Nisi fortè etiam quis dicat calore ipso febrili plurimùm afferri adjumenti, nam & febris convulsionem sedat ab humoribus frigidis natam, & Teranos Rigoresque minuit, Quartana Epilepsiam fugat : qui Coryzæ sunt obnoxii, si febricitant, faciliùs liberantur, nam ex Galeno calor febrilis mitigat, temperat, frigiditatem tollit, imò & coquit, nomine τῆς πέψεως sumpto καταχρηστικῶς : quod si verum est, non est febri ipsi studendum sed soli materiei, imò adaugere Febrem iuvabit; nam cùm discutiendus est humor tepefaciendusque, præsertim natura impensè frigidus, oportet calorem esse auctiorem & materiei analogum, alioqui opera ludetur : vnde Numenij filius Apoplecticus interijt quod febricitaret λελυμένως i.e. μετρίως, quod si febris humori respondisset, spes aliqua sperabilis foret. Tamen hoc audemus asserere, calori febrili hoc quidem proprium est vt frigidos humores quodammodo mitificet temperetque, vt ea ratione ab eo expectari possit vtilitas aliqua, vnde non est dubium quin longior futura sit Epiala febris quò minor moderatiorque existit, brevior autem si validior, tamen fortasse dicemus calorem febrilem juvare alienam materiam mitificando, non suam : cùm enim dicimus Epilepsiæ vindicem esse Quartanam, hoc audiendum est quoniam excrementitium humorem absumet diuturnitate temporis, sed suum humorem deteriorem facit accersendo putredinem, *Ibidem. p.* 165. & 166. Cùm multa est materia cruda & frigida, in qua calor febrilis sepultus non ἐμπλάμπει, si calor febrilis augeatur, conferre potest; at calor omnis febrilis malus est, præsertim si putredinalis sit, sed si gradu tantùm à calore naturali discedit, potest ea ratione, si sit materiæ ἀνάλογος, conferre, *Ibid. annot.* 4. *p.* 194.

Febrilis calor nō est extinguendus

83. Si vitio alimenti crudioris Epiala contigerit, cavendum est ne agitemus humores; alioqui torsiones excitabimus & deliquia animi inducemus; & de ijs maximè morbis audiendi sunt aphor. Hippocr. quibus cavet ne cruda moveantur, & cùm scribit in Aphorismis eos qui pravo vtuntur cibo ægrè medicationes ferre ; quod pleniùs demonstrat dum ait eos qui crudis cibis & humoribus abundant,

Concoctio humorum ante purgationem necessaria in Epiala.

bundant, ineptos esse ad Purgationem, ideóque materiam esse præparandam, libertatem meatuum procurandam, vtendum decoctis origani, tragorigani, hyssopi, thymi, melicrato & id genus aliis: *Ibidem. p.* 162. *&* 163.

Venæ sectio non confert cùm fit vitio alimenti crudioris.

83. In tanta cruditate non videtur conferre posse venæ sectio: in alijs quidem febribus, quarum materia partim in venis minoribus, partim majoribus concluditur, præsertim cùm putredinis signa elucent, non ratione antecedentis materiæ tantùm sed & conjunctæ sanguis demitur, quoniam materia febrem accendens in venis confusa esse videtur, non tantùm in præcordijs, vt placet recentioribus, cum sint interpolatæ; sed in hac materia planè videtur secreta, &, vt ita dicam, sequestrata, & tunc minùs à natura regitur: Hanc opinionem confirmat bonus medendi magister Savanorola, *Circum loca arteriarum & venarum non videtur probabile pituitam tantæ frigiditatis coërceri posse, idque sensim, plurima enim adest in illis locis caliditas, sed in profundioribus locis longéque à corde semotis coërcetur, vt sunt intestina, ventriculus, venæ profundæ musculorum*: Quod veteres in eam adduxit opinionem, vt audacter in febre Epiala, febribusque natis à cruditate humorum, venam non secarent. *Ibidem. p.* 172.

Pilulæ quomodo conducunt.

84. Vsum Pilularum præ cæteris Arabes commendant, alijs id non videtur, quoniam earum tum vsus incidit necessarius cum è partibus remotis abducenda est materia, sed hic in alvo continetur: tamen ob contumaciam humoris, & quia quæ sunt liquida, dum citò transfluunt, vires integras in ventriculum non exserunt, nisi te revocaverit calor quidam immoderatus, Pilularum vsus non est repudiandus. *Ibidem. p.* 169.

A cassia abstinendum.

85. Cassię, & ijs quæ Cassiam recipiunt, locus esse non debet, quia enim ea leniunt tantum, & suo virore lentoréque dissolvunt ventriculum, ideo minus quadrant: *Ibidem p.* 117. *&* 168.

Rhabarbarum qua convenit ratione.

86. Rhabarbarum non convenit quidem humori acido depurgando, sed tamen quia robur addit ventriculo, potest aliquando vsu capi. *Ibidem. p.* 168.

Hieræ vsus confert.

87. Hiera imprimis confert in hac febre: si quando aliàs epicrasi vtendum, tum quia nonnisi tempore materia detergetur, coquitur, deraditur & expellitur, tum quia & tempore vires deteruntur, & specie ipsa morbi imbecillimi existunt: quicunque enim morbus ventriculum occupat, cujusmodicunque sit, is cum virium imbecillitate perpetuò junctus est, *Ibidem.*

Ventriculi habenda ratio.

88. Ideo maximè Ventriculo consulendum, alioqui Cœliacas torsiones inducemus, frustráque operam navabimus: hujus enim febris, vt & Quotidianæ, focus maximè statuitur ventriculus, cùm pituitosum

pituitosum excrementum in ea parte maximè superfluat. *Ibidem p. 163.*

89. Decoctum radicis Chinæ aut Salsæparillæ bene aromatizatum quovis tempore potest adhiberi, nec enim ad prolectandos sudores vsurpatur, sed ad præparandum & superfluam humiditatem absumendam quæ alvum ipsam πλαδαρωτέραν καὶ χαλαροτέραν καὶ ἐκτετηκυσμένην, id est, effœminatam reddit, *Ibdem.* *China Decoctum aut Salsa vtile.*

90. Quoniam autem Rigores & Horrores maximè perturbant, imò sæpe plus molestiarum afferunt quàm reliqua symptomata, ideo de ijs leniendis cogitaverunt : imprimis probatur Fernelij consilium, qui affirmat compesci sedarique solere rigores fotu ad sedem febris applicato : in Epiala & Quotidiana fovebis regionem ventriculi; in virginibus decoloribus, Epialam patientibus, Lienem & ventriculum. *Ibidem.* *Horrores leniendi fotu sedis febrilis.*

91. Quò autem Pituita vitrea reliquis Pituitæ generibus frigidior contumaciorque existit, eò diligentius validiora medicamenta sunt vsurpanda, Salsa si quidem nec tam calida nec tam longo tempore postulat. *Ibdem.* *Quæ est à pituita vitrea validiora remedio pescit.*

92. Quæstio esse potest an tutus sit acetosarum rerum vsus, quas tamen ad incidendum tenuandùmque mirificè conferre contendunt; & apud antiquos nil æquè ac Oxymeli in vsu fuit in febribus quas Pituita parit; tamen si omne frigidum partibus nervosis inimicum est, multò magis lædit acetum, quod partium tenuitate cum frigore præditum est, quæ efficit vt intro penetret vis frigoris: Sed si Oxymeli lædit nisi jure & loco adhibeatur, contra magnas habet commoditates in præparatione materiæ ventriculum occupantis, Si is vacuus fit, nulla pituitâ obsitus, quis dubitat quin oxymel nociturum sit? nam integris viribus afficit ventriculum; sin, multa sit materia frigida, peruicax, lenta & glutinosa, quandoquidem exerit suas vires in eam, vis ejus priùs obtunditur & hebetescit quàm ventriculi corpus attingat : *Ibidem. p. 163. & 164.* *Oxymel quando ex vsu.*

92. Ita autem se gerere oportet in Epialarum cura, vt materiei & febris ratio habeatur, Quis enim adeo temerarius qui calorem in Epiala observans aliquantulum acrem, ad juscula sese conferat, eaque ægris pleniùs præscribenda putet? febrem aliqua ex parte respiciet, at febris materiam augebit; & hic sequi possumus Galeni consilium 1. ad Glaucon. qui in Quartanis febribus acria, salsa piperatáque adhibet à principio ad vigorem vsque, quod hercle Galenus indistinctè proposuit, vt eo exemplo nonnullos posset seducere à via veritatis. *Ibidem.* *Iusculorum vsus nimius noxius.*

93. Sudorifica non prosunt initio quia materiam crudam in venas raperent, in fine materiâ mitificata conferunt. *Ibidem.* *Sudorifica initio non exhibenda.*

In Hemitritræo.

Dies exacerbationis feriandum à remedijs.

94. An laborantibus Semitertiana continua habente paroxysmos tertio quoque die, aut Tritæophyæa, ipso die tertio quo reduplicatio fit, aut vena secari aut medicamentum dari tutò potest? id enim in religione non est apud nostros, at fortassis malè: Si enim in afflictione ipsa, si in paroxysmo cibum dare nocet, cur non & purgare & medicari? *Cons.* 19. *lib.* 2. *p.* 252. Si febres illæ tertio quoque die exacerbentur cùm tamen continuæ sint, an illis diebus tertijs licet aut venam secare aut purgare? Non videtur, sed potiùs moliendum est aliquid die mitiore: revera si manifesta tranquillitas, comparatione facta cum alio die, appareat, & appareat quoque manifesta exasperatio altero die, eligendus est is qui eam præ se fert tranquillitatem vt aliquid moliamur. *Conf.* 77. *lib.* 1. *p.* 403.

Tritbæophya ab humore ἐπεϱογϰῶσι. oritur.

95. In Trithæophyea febre tres causas istas animo concipies: prima est de multitudine humoris ad concipiendum incendium & putredinem parati, Secunda quod vnus humor diversas partes contineat; Tertia est de calore quoad multitudinem humoris, id verisimile, nam in febribus interpolatis, pauca est materia & longè à magno foco semota; ideo tota digeritur in accessione, dum manet interea empyreuma, quod concurrentibus aliis causis, novæ accessionis author existit: In Tritæophyea multus est humor, maioribus vasis contentus, cujus cum pars digesta est & evicta, dum continenter calor agitat, fit anadiplosis & novus veluti paroxysmus: vt quod semel fit in febre intermittente, ob paucam materiam, eamque sub finem paroxysmi dissipatam, id fiat sæpius confusione quadam paroxysmorum. Nam pars evanuit & exhalavit; pars putredini obnoxia, affecta, mota & irritata, novam affert exacerbationem, quanquam remissio aliqua præcesserit, remissis ac temperatis partibus materiæ quæ vigorem & incrementum suum materiæ suæ proportionatum habuerant: Galenus enim comm. in part. 48. sect. 3. lib. 3. Epid. vni humori duplicem posse inesse substantiam statuit, vnam crassiorem, tenuiorem alteram; Quis enim dubitat à materia putrente in maioribus vasis, non eripi ac surgere tenuem aliquam & halituosam partem, quæ dolores in capite & partibus propinquis excitet, cùm alia pars crassior in intestinis deses, sui generis alia pariat symptomata? Sic tenuior pars materiæ biliosæ multæ, pituitefactæ quodammodo, pigrioris coctu mitificatuque difficilioris, quæ Τϱιταιοφυῆ facit accessiones momentaneas, dissipabiles, quia materia ista tenuis exhalat facile ac digeritur; alia crudior pars & crassior continuitatem facit, & per calorem pars alia attenuata, similes prioribus accessiones inducit: Sed in Semitertiana cum

duplex

duplex ſit materia confuſa (quanquam duos focos ſtatuunt quidam) mali moris, dum calidior febrem acutam accendit, ſtatimq; diſcutitur, & dum corpus tenetur iſta acuta febre, contingit interea frigidioribus corrumpi ac putreſcere, & ſic accendi ex illa remiſſione, quod eſt veluti requie & imminutione febris: Ergo inæqualitatis vna & maximè præcipua cauſa, eſt humorum varietas, ac præſertim eorum qui genere & natura diſſident, vt ſunt pituita & bilis. *Conſilio* 110. *lib.* 1. *pag.* 524.

In Febribus Lentis.

96. Vbi febris Lenta ſymptomatica, qualis in vitio partium ipſarum, hepatis præſertim, ſolet eſſe, plurima adeſt cruditas & plus excitatur crudorum vaporum quam diſſipari poſſit: propterea ſi maior eſſet febris, ſpes eſſet aliqua diſſipatum iri craſſos iſtos vapores: videmus enim cùm ligna viridia ſunt, & ignis paucus, plus excitari fumi quàm ſi res non ita eſſet. *Conſil.* 80. *lib.* 2. *Febris lenta extinctioni non nimis inſiſtendum.*

In Symptomatis Febrium.

97. In omni febre eſt videndum & providendum ne vis febrilis cerebrum occupet; cùm enim pars ſit magni momenti, vbi ſemel affecta eſt, nonniſi cum ægrotantium diſpendio eſt affecta. *Conſil.* 1. *lib.* 3. *annotat.* 3. *In omni febre videndum ne caput occupetur.*

98. In doloribus Capitis, præſertim cum febre, etſi magna vis febris impreſſionem facit in capite, cavendum ab ijs quæ multum refrigerant, vt ab anacollematis & populeone: Si enim mador aut ſudor manans dolorem minuit aut ſedat, quis dubitat quominus refrigerantia & repercutientia adhibita, difflatu materiam probibentia, noceant plurimùm. *Epidem. libro* 2. *pag.* 254. *Oxyrrhodina &c. noxia.*

99. Idem humor bilioſus & Phrenitim & Deſipientiam ſimplicem inducit, & febrem Ardentem: nam ſi adhuc præterfluit venas, necdum pedem fixit, aut vaſis egreſſa bilis, in membranis cerebri, aut ſubſtantia ipſius impreſſa inuiſaque fuerit, ex eâ παραφορας & παρακρούσεις eveniunt, quas in vigoribus febrium ardentium, imò & tertianarum legitimarum videmus: Sin autem impacta fuerit, ſtabiliorem deſipientiam facit, cujuſmodi Phreniticorum exiſtit: Rurſum vt fiat à bile febris, oportet quodammodo adhuc cum ſanguine bilem ipſam confundi commiſcerique & æquabiliter exardere, ſive in finibus hepatis, aut circum os ventriculi, aut in maioribus venis, aut in pulmone, aut liene, aut etiam in cerebro ipſo: Sed vt in cerebro ipſo fiat Phrenitis (quæ à Practicis definitur quoddam cerebri apoſtema, quaſi ſit ἐγχύμωσις aliqua, & velut egreſſio & ſequeſtratio bilis. *Delirium inducitur ab hypnoticis in vigore febris exhibitis.*

bilis à sua massa, quomodo in Erysipelate fit, necessum est aut totum sanguinem ibi bilescere, aut è propria statione bilem discedere & cerebrum ipsum perlinere & perfundere, Itaque si ad generandas παρακοπὰς in cerebro fugaces & concedentes, prout concesserit febris vigor, requiritur tantùm translatio vaporis sursum, & eiusdem veluti καταῤῥύσις, transfluxus & transfusio per venas, non est dubium quin τῶν ὑπνοτικῶν vsus sæpe officiat, sistitur enim in cerebro hic humor, qui tumultuans, & huc & illuc pervadens simplicem desipientiam faciebat; & dum figit pedem, inurit & imprimitur ipsi cerebro, vnde læsio mentis firmior existit. *Histor. 4. lib. 2. consil. pag. 123. Vide lib. 6. art. 44.*

Hæmorrhagia in ardentibus non cohibenda.

100. Hæmorrhagiæ, καταμήνια, vrinæ & alvi fluores, ἀποσκήμματα, parotides, inter ea quæ iudicant censerisolent à Gal. & *Hippocr. Galenus* quidem id docuit in prorrhet. part. 24. sect. 2. lib. 1. Et *Hippocr.* in Epidem. parte 79. sect. 2. lib. 1. docet salubriter & menses erupisse & sanguinem è naribus ad depellendas ardentes febres. Et *Galen.* ad partem 9 sect. 1. lib. 1. Epid. contra quorundam neotericorum opinionem, qui in ardentibus febribus hæmorrhagias vituperant, docet sinceris febribus ardentibus, si quid aliud, hæmorrhagias per nares ad depulsionem morbi quadrare: ideo cum natura sanguinem repurgatura, vult aliquid per vterum aut per nares moliri, non est temerè ab instituto revocanda: nam cùm semel instituit aliquid excludere, maximè qualitate si peccaverit id facere prohibita magnopere læditur: declarant abscessus illi nocui & partes corrumpentes: si enim per vnam partem excernere prohibetur, aliam molitur. *Histor. 4. lib. 2. consil. pag. 119.* Galenus ad partic. 71. lib. 1. Prorrh. docet febrium ardentium esse hæmorrhagias movere, quia & sanguinem fundunt & εἰς τὴν κεφαλὴν ἀναφέρουσι: *Huc pertinet illud 2. Epidem. sect. 1. sanguinis è naribus largus fluor liberat sæpe, vt Heragoræ contigit, cuius Medici non erant gnari*: Hic taxat Medicos diebus criticis manantem sanguinem supprimentes. *Annot. quinta in id consil. vide art. lib. vj. & 25. lib. 5.*

101. In febribus Tertianis & Continuis parvas manuum contractiones vidimus, &c. *vide artic. supra.*

Dyspnoæa in febribus vnde.

102. Vt initio febrium aut continuarum aut intermittentium, nausea, sicca tussis, ἀλύκη &c. inducitur, ita si movetur materia & species quædam febris intus fovetur, quandam difficultatem spirandi afferre potest, quam nec ad catarrhum suffocantem, nec ad vitium Pulmonum referre debemus: *2. Epid. lib. pag. 200. annot. 7.*

Leipothymia febriū comes purgans non

103. Leipothymia interdum præcedit febrem: Medici territi isto symptomate ad cardiaca properant, cùm potiùs ad purgans medicamentum statim sit veniendum. *Ibidem.* Illa nutrix quæ diu sana

na vixerat, & quæ initio morbi tam terrifica passa est symptomata, satis docuit Medicum his turbari non debere, imo audacter, servatis aliquantum viribus, tentare debere remedia, nec solis Cardiacis fidendum. *Epid. lib. 2. pag. 196.* In Mich. Sammartino leipothymia præcessit febrem insignem & genu tumorem: Medici territi istis symptomatis ad cardiaca properant, cum potius ad purgans medicamentum statim sit veniendum. *Ibid. annot. 6. pag. 200.*

cardiacum poscit.

104. In febribus sæpe supprimitur vrina, summum vero adhibeat judicium Medicus an supprimatur per se an per accidens; nam aliàs vt symptoma curari debet, aliàs vt morbus: falso quidam recurrunt ad calculum aut alias causas falsas: oportet diligenter incumbere in coctionem humoris & exclusionem, & naturæ vim excitare, & non frustra catheterem immittere metu majoris mali: id enim accidit cùm totum corpus crudioribus humoribus refertum est, confluit autem ex ipso acervata multitudo in vesicam, quæ amplius distenta & dolitans ad actiones suas inefficax fit & periculum suppressæ vrinæ inducit: *Cons.* 48. *lib. 1. pag.* 233. Est vrinæ suppressio febris καυσώδεως proprium quoddam symptoma, & quod medentis consilium & provisionem ad se trahit: fit autem multis de causis initio talium febrium, præcipua tamen est copia humorum, & pituitæ præsertim vias vrinarias occupantis, vel confluxus humorum ad easdem vias; & Medici graviter errarent si ad diuretica sese converterent, derivandum enim potius per alvum: juvaret quoque elicere vomitum nisi re aliqua prohiberemur: plerisque creatum est periculum quibus præpropere diuretica sunt administrata., hac sola ratione & consideratione quod vrina non redderetur. *Annot. 1. in cons. 37. lib. 2. pag.* 274.

Vrina suppressio nec diuretica nec catheterem poscit.

105. In febribus Laboriosis & jactatione plenis, præsertim dum ijs mulieres conflictantur, mensium eruptionem vidimus, & tunc valde sunt anxij Medici, An ratione tam sævæ febris secanda sit vena, & An tuto secari possit: quoniam ex ista mensium eruptione non tam promptum sequitur remedium ac ex ipsa evacuatione sanguinis per phlebotomiam: observamus enim quotidie parum afferri adjumenti mulieribus febricitantibus insigniter: contra si demitur sanguis è brachio, manifestus apparet profectus: quod autem erumpant menses in ista symptomatum in febribus agitatione, docet Hippocrat. in Coäcis, *Horrores, labores, dolores capitis, & colli molestiæ, menses proritant.* Hippocr. 7. Epidem. notat de Cleomenis vxore pleuritica, quarto die copiosi menses fluxerunt, dolor lateris, sputa, omnia denique cessaverunt: vide quanti facienda est ea eruptio? *Epid. lib. 1. pag. 99.*

Mensibus fluentibus in febre laboriosa vena secanda.

Lassitudo ossaria in febribus à sero excitata idroticis curhanda.

106. Tonsori cuidam ingens erat cacochymia (febre assidua horrifica laboranti) & destillatio à sero nitroso omnes nervorum propagines, quæ à cervicis vertebris & principio vertebrarum dorsi oriuntur, imbuente, quo tantopere divexabatur, vt ne minimum tactum ferret, eo modo quo & ii qui vlcerosa lassitudine detinentur : *Consilio* 113. *lib.* 1. *pag.* 547. Revera in eo erat vlcerosa lassitudo & ἰσοκόπος quæ in causon solet incidere : Nam vt Galenus docet part. 2. lib. 4. acut. Totum corpus laborat lassitudine vlcerosa propter tenuium humiditatum acrimoniam : declaravit morbi exitus : Nam cùm nulla ratione cessaret dolor iste & lassitudo ossaria, copioso manante sudore, omnino sanus evasit : Quidam cùm hæc vident ad catarrhum hos dolores revocant, sed malè : quanquam & destillationes à capite idem causantur, præsertim quæ à sero sunt malo : Et credibile serum per corpus sparsum cum eo quod à capite est, concurrere. Annot. 1. in id *consil. pag.* 549.

Membrorum dolor, sectione venæ curatus.

107. Iohannæ le Prevost autumno febris vehementissima, omnium membrorum dolor asperrimus & impotentia ferè particularis erat, orgasmus & lassitudo vlcerosa : Si materia in interiora potius irruisset, mortua derepente fuisset : Sectio venæ repetita contulit : sanguis est detractus valde impurus : nam alieni humoris erat mixtio : miror quomodo sine sudore convaluerit. *Epidem. & Ephemerid. lib.* 2. *pag.* 177.

Diuturni partium dolores abscessum minantur nisi purgatio præverat.

108. Puellæ febre Tertiana jam mensem laboranti, ante paroxysmos dextri hypochondrij & cruris dolores, calore accenso quiescebant, quid hoc rei? nisi purgationibus antevertas, hoc minatur abscessum : *Epidem. libro* 1. *pag.* 22.

109. Hypogastrij dolor acri clysmate sedatur.

109. In febre quæ tertio repeteret die cuidam mulieri dolor incredibilis in hypogastrio oriebatur idque ineuntibus paroxysmis, necnon simul è regione illius partis dolor in sincipite excitabatur : hoc Medicis negotium facessit : duabus horis ante paroxysmum indebantur clysmata acria cum folliculis sennæ parata, dolores in vtraque parte cessarunt. *Epid. lib.* 1. *pag.* 22.

110. Horror frequẽs non semper supperati nota.

110. Quî fit vt in febribus continuis perpetua horrescendi quædam sit vicissitudo? an omnino metus suppurati in parte aliqua, quod magna Medicorum pars suspicatur? nequaquam, nam cum in febribus putridis, præsertim si cacochymia magna sit quæ incendium conceperit, dum calor ex intervallis incalescit, & putridus vapor effertur à foco ad partes reliquas feriens partes, tum horroris occasio adest : omnes enim cacochymi dum repente vehementer incalescunt, horrent, quod in externis videre licet; nam si quis cacochymus insoletur, paulò post horrescet & febriet : nunquid quod calor externus facit ad horrorem inducendum, idem & internus facere potest dum è foco & sede suscitatur refunditurque in alias partes,

partes? sed hæc in valde cacochymis & τοῖς ὑποχλώεσι. *Epid. lib 2. pag. 119.* Eorum qui in febribus ex facili horrescunt multa genera reperio à variis causis nata, vt non sit temere pronuntiandum de hac aut illa causa si quis inæqualiter horreat &c. Aliquando per totam febrem adsunt, quod de semitertiana intelligit Galenus Comm. in part.23. sect. 2. lib. 3. Epid. in qua Horrores per omne tempus, & particulare & generale febris percipiuntur: Hoc efficit materiæ diversitas in qua febris accenditur: Etenim ex duobus humoribus contrariis simul mixtis fit, bilioso & pituitoso, atque dum biliosus incanduit, calfit pituitosus, & sic ascensus inæqualis fit: Idemque contingit quod & initio paroxysmorum, quo præsertim tempore vrgent horrores: quia enim inæqualiter & calfit & movetur humor vnus, ideo inæqualitas contingit & horror: cum totus humor æqualiter affectus est, desinunt horrores, & tum incrementum & vigor adest: Quod si in vno humore, interpolatam febrem committente, fit, multo magis in duobus confusis fieri potest: Imo & febris τρίλαιοφυής ab humore bilioso fit in maioribus vasis concluso, eoque & pigriore ad motum, & coctionis difficilioris; & quia ita à sua natura bilis degeneravit, horrores quoque junctos habet, imo & ea ratione φρικώδεα appellare possumus. *Cons. 110. lib. 1.*

111. Quadam tempestate Sudores aderant maxima febris parte; dubitabamus an tutò posset dari aliquid aut tentari, Nos referebamus causam istius Sudoris ad copiam mali seri, quod facile ob calorem ambientis effluebat, præsente & juvante calore interno qui attenuabat, quod si diaphoreticus fuisset, aut per modum expressionis, aut ratione imbecillitatis, non ita audacter aliquid tentavissemus. *Epidem. lib. 2. pag. 170. & 171.*

Sudorum eruptio remediorum vsum non semper impedit.

112. Quod de Rigoribus inanibus & qui frustra fiunt aliquando veteres observarunt, aliquando translationem ad caput afferre symptomaticam, idem de Sudoribus est audiendum, nam cum vi vel arte elicitur sudor, corpore adhuc pleno, quoniam exprimitur vi quadam, si sit inanis, aut si frustra elicitur, translatio fieri potest ad caput, id quod verum esse experientia comprobavit. *Epid. lib. 2. pag. 60.* Mirum illud quod aliquando à veteribus observatum est, Rigores inanes & qui frustra fiunt, translationem ad caput afferre symptomaticam: quod in Dom. N. deprehensum est, cui cum periodici essent horrores, illi aut arte aut casu cessantes, comatosam in cerebro dispositionem attulerunt: Id quoque verum perspicitur in N. cui dolor cum æstu summo caput occupat ineuntibus paroxysmis, cum non oboriantur rigores qui oboriri debent: nam cum rigores illi apparebant, nihil tale contingebat: Id quod de rigoribus dicitur idem de sudoribus audiendum: Nam cum arte vel

Sudor vi non exprimendus nec rigores in paroxysmis coercendi.

vi elicitur ſudor corpore adhuc pleno, quoniam exprimitur vi quadam, ſi ſit inanis, aut ſi fruſtra elicitur: tranſlatio fieri poteſt ad caput: Id quod verum eſſe experientia comprobavit: *Epidem. lib.* 1. *pag.* 59.

Febrium initio circa ventriculum dolores ſæpe contingunt.

113. Initio febrium, cùm magna eſt cacochymia, circa ventriculum dolores ſunt maximi, quod circum eam partem primùm tumultus fiant: Hippocrates refert ad ipſius hepatis & vicinarum partium quandam intumeſcentiam & elevationem: Sed cur non in reliquis partibus idem contingit? quoniam poſitis paribus cauſis doloris, in ea maximè aut dolor, aut ſenſus gravitatis adeſt, quæ exquiſitioris ſenſus eſt. *lib.* 1. *Epidem. & Ephemer. pagina.* 96.

Siti in intenſa febre quidam non premuntur.

114. Cùm vident Medici pleroſque febre ſatis inſigni laborantes parum ſitire, aut nullam probabilem rationem afferunt, aut diſtillationem à capite cauſantur: Melius Galenus part. 1. lib. 4. acutor. *Interdum cauſus in vna parte, interdum in toto corpore gignitur: Si in toto corpore, ſitim omnino parit: cùm in vna parte, non neceſſariò, niſi pars ipſa ſitim afferat, omnium autem primùm id facit os ventriculi, deinde ſtomachus, poſt pulmo, ſubinde iejunum inteſtinum. Conſilio* 31. *lib.* 2. *pag.* 261.

Alvus aliquando liquida in febribus, aliquando non.

115. Ex Galeno in febribus alvus liquida eſſe poteſt, tum ob ventris phlegmonem, tum ob colliquantem febrem; hinc patet ob phlegmonem alvum liquidam eſſe poſſe: Item ad part. 17. lib. 4. Acutor. *Quibus venter afficitur & focus febris eſt, his corrupto cibo deiectiones ſunt liquidæ: Quibus pulmo focus febris, contingit vt adſtringatur interdum alvus: Si iecur cauſi fomes eſt, aliquando alvus liquida, aliquando ſpyrarhodea excernit: Si ſolum phlegmonem patitur, dura alvus eſt: Si cum phlegmone eſt imbecillitas, liquida deiiciuntur, viſcere ad ſe alimentum nequeunte allicere: Sed eiuſmodi deiectiones ab iis quæ ventre affecto eveniunt, diſtinguuntur τῷ κεχυλῶσθαι. Conſilio* 31. *lib.* 2. *pag.* 261.

Symptomaticæ alvi fluxiones in febribus præſertim malignis aliquando iuvant.

116. Symptomaticæ ſæpe alvi fluxiones, vt cùm ſine ſenſu ægri ſenſim atque ſenſim humores ſecedunt (*διαχωρήματα τὰ ἴντα* vocat Hippocr.) quod & copiam & perpetuam generationem, & quandam naturæ reſolutionem ſignificat: proſunt *κατὰ συμβεβηκός*: In morbis omnibus malignis, qualiſcunque fuerit excretio, quoniam virulentæ materiæ excretione, quomodocunque id fiat, iuvatur plurimum, profutura eſt, Et quod & humoris qualitate & excretionis modo ſymptomaticum eſſe dicetur, id ex eventu, ſi quid virium reſtiterit, criticum erit. *Conſilio* 84. *libr:* 1. *pag.* 421. *vide articul.* 35.

Alvus liquida in cauſo non.

117. In cauſo alvus ſæpe fluit per inflammationem ieiuni inteſtini & lactium, vnde & impeditur *ἀνάδοσις*, & fit bilis & ichoris generatio,

neratio, vnde alvi irritatio : vnde quando post causum succedit hydrops, is habet ferè coniunctum fluorem alvi : Quod notandum est, vnde in tali casu, & balneum potest conferre, & phlebotomia ratione inflammationis potest conferre (id quod multis non placet) etiam alvo fluente : Et revera in causo vero & illegitimo, fluit soluta alvus nullo profectu, ob lactium & ieiuni inflammationem, & propter immodicum potum, & corruptionem alimenti, quod in corpore & ventre bilioso & æstuante bilescit, vnde excernendi calcar, vnde cùm in febribus aqua summo sit remedio ad sitim, quæri solet an confertim & rarò, an parum & sæpe propinanda? rationes vtrinque concurrunt. *Consil.* 5. *lib.* 3. *Annotat.* 2. Cur alvus liquida sit in Causo, præsertim si focus in ventre sit, non autem si in pulmone, inquirendum, Id terret Medicos sæpe: breviter perstringemus: 1. ita Galenus, *In febribus alvus liquida esse potest, tum ob ventris phlegmonem, tum ob colliquantem febrem* : Item ad partic. 17. lib. 4. Acut. *Quibus venter afficitur & focus febris est, his corrupto cibo deiectiones liquidæ sunt : Quibus Pulmo focus febris, contingit vt adstringatur interdum alvus.* Si Iecur Causi fomes est aliquando alvus liquida, aliquando spyrarhodea excernit : Si solum phlegmonem patitur, dura alvus est : Si cum phlegmone est imbecillitas, liquida deiiciuntur, viscere ad se alimentum nequeunte allicere. Sed ejusmodi dejectiones, ab iis quæ ventre affecto eveniunt distinguuntur τῷ κεχυλῶσθαι. *Consilio* 31. *lib.* 2. *pag.* 261.

191. In longis febribus sæpe ὑποσαρκίδιος, & tumor aut totius corporis aut quarundam partium nascitur, manente febre. An hic tutus vini vsus? non hercle ob febrem : An tutus iusculorum vsus? Non, quia serum augescit : In ista ἀντενδείξει quid agendum? difficillimum hoc, & Medicos varias in partes trahit; tamen vrgentioris affectus habenda ratio. *lib.* 1. *Epidem. & Ephemer. pag* 28. *Anasarca longis febribus succedēs vix curatur ob ἀντενδείξεις*

In Febre Hectica.

120. Ex Galeno 10. method. in febribus Hecticis si quid peccatur, graviter peccatur, & cùm affectus sit magnus, levissimum errorem tolerare nequit ; Si Hectica pestilens, omne medentis consilium ad cardiaca converti debet ; in hac vrinæ confusæ & subcroceæ apparent, cum nihil contingere soleat in simplici tale hectica, sæpe enim, idque primis diebus, vrinæ non parum absunt ab vrinis sanorum : Si hectica sit Symptomatica, ab obstructione aut vitio totius substantiæ partis alicujus nata, illorum habenda ratio est ; etiam legere est cap. 2. lib. 10. method. exoriri sæpe febres lentas ex hecticarum genere, à latente obstructione aut semi-mala in parte quapiam corruptela ; sic nimirum focus videtur cor, hepar, mesenterium, *Varia debet esse medela pro causæ varietate.*

 ipsi

ipsi quoque Pulmones, licet Galen. lib. de Marasmo neget Pulmonem sedem esse febris Hecticæ, quod Pulmo sit humidus & perpetuo novo attracto aëre refrigeretur, sed hoc quam verum aliorum esto judicium. *Consilio 7. libro 1. p. 13.*

Refrigerandum etsi adsit obstructio & phlegmone.

120. Obstructio & phlegmone duo sunt quæ impediunt quominus audacter in febribus hecticis refrigeremus; tamen Galenus mavult vsu frigidæ & obstructionem & phlegmonem augere quàm sinere longius serpere hecticam intemperiem. *Ibidem. p. 14.*

Hectica putrida lac asininum non omnino prohibet.

121. Adolescens annos circiter XI natus, toto mense Augusto febre laboravit duplice tertiana, quæ exasperationes tamen certas & statutas non habebat: corpus macrum, cacochymum, visceribus malè affectis, & qui color in cute efflorescebat, is alimenti pravitatem detegebat: progresso morbo fluxio in Pulmones eum adoritur; paulò post dolor permolestus ad hypochondrium dextrum, alius ad sinistrum: lenta obscuraque febris eum noctu diúque, sine vllo ferè sensu occupabat: Initur consilium, capita hæc sunt, Quæ febris? Complicatáne? Quæ medendi ratio? Dolor in ea hypochondrii parte erat quâ latet hepar: Id quicquid erat, meo iudicio, depositio erat materiæ in partem illam vt infirmiorem & exercitatiorem toto morbi tempore: Febris lenta est complicata cum catarrho, & fomitem habet maximè hypochondriorum obstructionem: nam à latente obstructione mesenterii nascuntur febres, non hecticæ quidem per empyreuma & phlogosin, sed putres hecticæ vt putredo continuitatem afferret. Evincenda itaque putredo omnis, catarrhus febri iunctus illam provexit, vterque consulendus, sed maxime ἀνατρέψει per ἐπίκρασιν; sensim ac sensim refici renutririque debet: Expeditis obstructis, lac asininum dabitur quod omnium tardissimè acescit, Et non est quod dehortari videatur febris, nisi ea admodum magna sit, Quod Galeni consilium est libro περὶ τροφῆς. *Consilio 16. lib. 1.*

LUDO-

LVDOVICI SEPTALII ANIMADVERSIONVM ET CAVTIONVM MEDICARVM

LIBER QVINTVS,

Eas complectens,

Quæ in Febribus curandis obſervari debent.



T verum eſt in febribus Putridis ſudoris & vrinæ provocationem utilem eſſe; ita in Intermittentibus, maximè autem in Tertianis, ſudoris utiliorem cenſemus, quàm urinæ. Nam cùm in ſingulis harum acceſſionibus videamus ferè ad ambitum corporis portionem materiæ transfundi à naturâ per ſudorem, motum illius imitari debemus. *In febribus intermittẽtibus ſudorum provocatio præſtantior, potiſſimùm in tertianis.*

2. Oppoſitum in Continuis fiat, quòd in intimioribus venis in eis humor putreſcat, ex quibus per lotium aptiſſimè expurgatur; niſi forſan ſeroſi nimiùm, & tenues humores prævaleant, & æſtus cum madore fit, tunc enim etiam ſudoribus evacuatur. *Continuis febribus cõmodior evacuatio per lotium.*

3. In Tertianâ febre verâ, & Ardente hæc in clyſteribus adhibeatur cautio, ut ſicut molles, & refrigerantes potentiâ eſſe debent, ita actu vix teporem habeant. *In tertianis & ardentibus clyſteres vix tepentes iniendi.*

4. Ut in Tertianâ reſpectu ſui, aut materiæ illam facientis, nunquam ab initio ante coctionem eſt medicamento purgante evacuandum; *In febre tertianâ ante coctionem quandoque*

purgādum, & quando.

cuandum; ita cùm quandoque ad ventriculum bilis acris transfundatur, & mordens, graviſſima invehens pericula, & ſæpe mortem, potiſſimùm ſi æger ad vomendum ineptus naturâ fuerit, ut illa præveniamus, licebit purgatione uti reſpectu ſymptomatis, ut ſyr. roſ. ſolutivo ex ſero lactis, vel ſolo, vel cui incocti ſint tamarindi; aut etiam valentioribus, vt electuario roſato Meſuæ, aut de ſucco roſarum; quin in acceſſione ipſâ, ſymptomate urgente, aut hydrelæo utemur, vel ut vomitum adjuvemus, vel ut deorſum ducamus, aut ſanè ut acerrimam illam qualitatem attemperemus.

Vſus rhabarbari in æſtuoſis febribus quomodo ſuſpectus.

5. Uſus rhabarbari ut omnino inter principia harum febrium eſt interdicendus, quòd electivè purget, quod non licet crudâ materiâ; & quòd calidum ſit & ſiccum, qualia omnia evitanda ante concoctionem docebat Gal. 1. *ad Glauc.* ita ad deturbandos bilioſos illos humores, & ſyncopen ex morſu oris ventriculi, & vehementiſſima alia accidentia, in primis tribus, aut quatuor acceſſionibus ante coctionem omnino fugiendus: humores enim illos ferventes magis exacuit, partem phlogoſi quâdam afficit, obſtructiones in venulis meſaraïcis potiùs adauget, ſiticuloſoſque denique ægros reddit.

In bilioſis febribus pro purgatione ſufficit adeſſe nubem albam, levem, & æqualem.

6. In purgatione, in bilioſis febribus moliendâ, caveat Medicus ne decipiatur, hypoſtaſin in urinâ albam, lævem, & æqualem expectans: cùm enim in bilioſis affectibus ſola nubes, illas habens conditiones, ad concoctionem oſtendendam ſufficiat, ſi exquiſitiora illa ſigna exſpectaverit, recidivæ facilè occaſionem præbebit.

In declinatione æſtuantium febrium rhabarbarum etiam pro bile purgandâ ſuſpectum, cur.

7. In bile, in æſtuoſiſſimis iis febribus evacuandâ, licet rhabarbarum primas apud omnes Medicos teneat; animadvertendum tamen omnino erit, ſi calor adhuc vehemens in declinatione vel in ventriculo, vel in hepate, vel in univerſo corpore, & ſolidis partibus relictus ſit, & ſitis ingens, quod in vehementiſſimis tertianis aliquando, ſæpius in continuis, & cauſone contingit, præſtare illo non uti; unde in illius locum ſubſtituere poterimus decoctum tamarindorum cum ſyr. roſ. ſolutivo, & portione mannæ, & ſimilibus. Rhabarbarum enim caliditate ſuâ, & ſiccitate, ac igneis partibus, ut calorem per accidens minuit, evacuatâ calidâ materiâ; ita per ſe in hujuſmodi corporum conditione calorem exacuit, ſiccitatem adauget, ac ſitim inducit: unde, accenſis denuò ſpiritibus, denuò febres excitantur, aut, ſolidioribus magis ſiccatis, hecticæ introducuntur, quod multi non animadvertentes non levem ignominiæ notam ſubeunt, quòd jam vel declinata, vel ceſſata febris novâ eorum actione excitetur.

Quomodo rhabarbaro

8. Si quando autem etiam in iis caſibus rhabarbaro uti placuerit,

rit, aut in tertianis ipsis adeò non ardentibus, aut in corporis temperie, aut constitutione sic calidâ & siccâ, quòd præstantissimum cholagogum sit, ac maximè in biliosis affectibus ab omnibus, & à me commendatum, potiùs dilutum, factâ in aquis refrigerantibus, aut in sero infusione, commendo, ut caliditas illius & siccitas retundatur, & igneæ partes reprimantur; aut ex sacchararo in syrupum parâtum cum cichoraceis, ut est syrupus de cichoreâ cùm rhabarb. descript. Gulielmi. Quòd si potiones quispiam aversetur, in usum pulveris quidem ducetur, sed admixtâ cassiâ, ejúsve succo ad unciam; facilè enim sic siccitas ejus retundetur, & igneæ partes compescentur.

uti possimus pro purgãdâ bile, etiam in æstuosis febribus.

9. Scammonii usum ut in biliosis omnibus febribus suspectum habere convenit, & non nisi refractâ illius caliditate mixtione aliorum medicamentorum refrigerantium, vt in electuario rosato Mesuæ, & de succo rosarum, & admodum rarò; ita in ardente febre omnino fugiendum censeo: hæc enim febris magis quàm quævis alia, refrigerantia exposcit. Quapropter per cassiam, mannam, syr. ros. solutivum ex sero, violas, thamarindos subducere humores peccantes conveniet, vel etiam Aëtio *Tetrab.* 2. *Ser.* 1. *cap.* 78. id persuadente.

Scammonii usus in æstuosis febribus suspectus, & quando eo utendum.

10. Post blanda hæc medicamenta optimè suadet Avic. dormire aliquantulum; cùm enim etiam alimentosam habeant facultatem, etiamsi portio aliqua in alimentum vertatur, refrigerabit, neque tamen evacuatio impedietur, naturâ per somnum refocillatâ.

Blandis assumptis medicamentis, dormiendũ, & cur.

11. A purgato in causone humore, si quis lactis serum ad frigidum alteratum per duos, trésve dies sumpserit, vel lac asinæ, illi maximè consultum censerem: humectat enim & refrigerat corpus, sitim extinguit, atque si fortè hectica inceperit, omnino eam reprimit.

Causone laborãte purgato serum lactis optimum.

12. Unde etiam non adeò probanda est practicantium consuetudo, altero à purgatione die semper saccharum ros. ex aliquâ aqua refrigerante concedentium, ut calor siccitásque, vi expurgantis medicamenti facta, & ex febre relicta, & sitis compescatur; cùm experientissimus Rhasis 3. *Tract. contin.* 27. eos qui calorem & ardorem in ventriculo patiuntur, illud comedere nullo modo debere testetur, & maximè, si æstus fuerit; calefacit enim, inquit, & sitim inducit; id quod etiam in multis experientia docet. Quare præstabit aut sero, ut dixi, uti, aut aquâ hordei cum succo aurantiorum, aut julepo rosato, aut violato.

Sacchari rosati usus post purgationem in ardentibus non probandus.

13. Lautè etiam nimis, etiam intermissionis tempore, cibari mihi videntur tertianâ laborantes ab omnibus ferè, & à Galeno ipso; qui cibandi modus si apud nos in usum duceretur, omnes ex

In febre tertianâ, etiam intermissionis die, vic-

tus, à Gal. & aliis institutus, apud nostrates periculosus.

tertianâ simplici in duplicem, aut etiam continuam duceremus. Atque hoc sæpe, ac sæpius juniores Medici, cùm ex scriptorum institutâ victûs ratione victum præscriberent ægrotantibus, experti sunt cum ægrotantium periculo, unde mutare sententiam coacti sunt.

Vino tertianarii apud nos per totũ morbum interdicendi.

14. Quinimò, si vinum pro potu, incipiente coctione, cum Galeno, & antiquis concésserimus, omnes in deteriorem conditionem ducemus, ut vix in ipsâ declinatione concedere illud possimus; sive hoc corporum nostrorum constitutioni tribuatur, sive vinorum nostratium conditioni, sive utrique: hoc unum scimus, securiùs per totum morbi decursum abdicari vinum.

In quotidianis in principio tenuiùs alendum etiam quàm in statu.

15. In quotidianis curandis febribus animadvertendum est, quòd, licet in febribus aliis in principio uberiùs sit nutriendum, paulatim versus statum progredientibus imminuendo; in illis tamen primo septenario tenuiùs sunt alendi ægri, ut & crudæ in ventriculo contentæ materiæ attenuatæ, excalefactæ, & exsiccatæ, aut in bonum succum vertantur, aut saltem absumantur, aut per se, aut ope Medici, lenientibus & abstergentibus subducantur; in quâ re Rhasis, Avic. & reliqui omnes Mauritani conveniunt, ut nempe primis septem diebus tenuiori victu utamur quàm etiam in statu; qui omnes à Tralliano mutuari videntur.

Pituitâ salsâ abundãte victus ab initio non adeò attenuandus, sed evacuanda pituita.

16. Si tamen à salsâ pituitâ fiat, potiùs vomitu in principio expulsa, aut dejectorio abstergente per inferna, educta, cùm nutricatui inepta sit, evacuabitur; neque diæta adeò ab initio erit attenuanda, ne incalescat magis, siccetúrque, minúsque eductioni apta reddatur.

17. In febre quotidianâ vomitus utilis ab initio, & quomodo.

Quotidianâ in febre, præter vomitũ ab initio, valentior convenit in statu ex Gal.

17. Quamvis Vomitum in hac febre Galenus laudâsse visus sit, apparentibus signis coctionis, quod in statu evenit; id tamen de eâ per vomitum evacuatione intelligit, quâ universum corpus evacuatur radiculâ, cui veratrum album infixum sit: cùm enim majori ex parte primis diebus ventriculus pituitâ sit refertus, si ad vomendum ineptus non sit, aut naturâ, aut structurâ corporis, optimum erit blando & facili vomitorio tentare illius evacuationem, aut si sit nauseabundus, à cibo.

18. Mel ros. solutivum, licet in bilioso ab initio non conveniat, in pituitosis optimũ est remedium, & cur.

18. Quamvis mel, & syrupum ros. solutivum in biliosis febribus ab initio, crudâ existente materiâ, in usum duci non posse ad subducenda excrementa communia jam docuerimus; in quotidianâ tamen, ad abstergendos viscidos à ventriculo humores, præcipuè mel præstantissimum remedium censendum est: attrahens enim facultas frigiditate & visciditate humoris, primò occurrentis, evanescit, & quasi emoritur; valens autem maximè facultas abstergentibus relinquitur.

19. Ne quis in Amphimerinis suspectum habeat aloës usum ad

deturbanda

deturbanda communia excrementa & pituitam, in ventriculo & primis venis existentem subducendam, vel ob eam rationem, quòd bilem potissimùm illam subducere scribat Gal. *& 7. Meth. med. 4. & 8. de compos. med. secundum loca, cap. 2. & lib. de Ther. ad Pisonem*, 4. & Paul. *lib.* 7. *cap.* 4. vel sanè, quia eandem calidam in primo, & secundum gradum attingentem, & in tertio siccam idem Galenus constituerit; quod quàm sit febribus inimicum, quilibet, qui febris naturam examinaverit, facile poterit intelligere: Animadvertat duplicem in Aloë esse facultatem, alteram, à totâ substantiâ ductam, quâ bilem potissimùm, tum etiam pituitam, si non à toto corpore, saltem à venis etiam circa hepar attrahere, & è corpore pellere consuevit, de quâ locis propositis etiam Galenus: alteram detersoriam, & attenuantem, quâ & excrementa, quæ sunt in ventre & intestinis, cujuscunque sint generis, per inferna subducit; cúmque potissimùm inter fæces evacuantia, ἐκκοπρωτικὰ dicta, principem ferè locum occupet, facilè propositas omnes difficultates superare poterit. Cùm enim tanquam bilis purgatorium medicamentum assumitur aloë, ad drachmas etiam duas, & non nisi rarò, ut alia medicamenta, & longè à cibo summo manè, quin etiam rarò in febribus biliosis concedi potest: si verò aloën sumamus ut dejectorium medicamentum, útque detersione quâdam ac attenuatione, quidquid per viam invenit, subducit, & frequentiùs assumi, cùm cibo permisceri, in minori quantitate assumi, & febribus longis, tertianis nothis, & quotidianis quàm maximè auxilio esse poterit, potissimùm si lota fuerit; nam quamvis 5. *& 6. de tuend. val.* Galenus aloën neque siccam, neque melle exceptam senibus concedendam statuerit, nisi magna aliqua necessitas urgeat, *& 8. de compos. med. secundum loc. cap.* 2. biliosis & siccis corporibus aloës usum non mediocriter infestum docuerit; In aliis sanè corporibus, sive morbo tentatis, sive sanis, ubi vitiosis succis utcumq; infestentur, aloë non sine magno commodo in usum ducitur, potissimùm, ubi ventriculi villis ii adhæreant: sic enim Oribas. 7. *Collect. cap.* 27. absinthio aloën conferens, stomacho placidissimam esse contendit, & sumi quotidie posse à cœnâ; *subducit enim*, inquit, *& ciborum vim non hebetat; prætereà sitim non inducit, & hominem ad cibos sumendos facit promptiorem.* Et quoniam proximè ante hæc verba dixerit aloën, ad duas drachmas sumptam, pituitam, & bilem subducere, cùm addit; *sumi etiam quotidie potest à cœna*, non intelligit de eâdem quantitate, sed alium usum sumit, de quo 1. *Euporiston, cap.* 9. ubi de evacuantibus, quæ in sanis corporibus conveniunt agit; quantitatem enim iis præscribit, qui quotidie eam assumunt, trium cicerum magnitudine. Idem etiam, & longiori oratione, explicuit Aët. *Tetrab.* 1. *Serm.* 3. *cap.* 24. Cùm enim ad trium drachmarum

19. Aloë in quotidianis, & aliis febribus longis optimum remedium.

Aloës duplex facultas.

Longis febribus aloës usus commodus.

Aloës varia quantitas sumenda, si pro purgatorio & si pro dejectorio medicamento.

marum etiam quantitatem ad multos demoliendos morbos optimam esse statuisset, commodam etiam esse scribit sanitati conservandæ, si quotidie ante cœnam sumatur, ut ante prandium manè: id autem esse non potest in eâdem quantitate, sed ad scrupulum, aut semidrachmam. Sic ex Mauritanis Avic. *lib.* 2. *cap.* 43. de iis, qui secundâ valetudine constituti alvum movere possunt, de detersoriâ hac facultate loquitur; *&* *lib.* 7. *cap.* 4. de eâdem, ut medicamento purgante, agit, ut & apud Mesuen videre licet. Si igitur tanquam detersorium medicamentum, & ventriculum expurgans sumatur, & in minori illâ quantitate, & statim à cibo, vel etiam ante cibum statim sumatur, febricitantibus ijs sæpe concedi poterit, in quibus aut crudi multi humores febres produxerint, aut certè ex diuturnâ febre debili reddito calore ventriculi, multa pituita congeratur, ut in longis febribus evenire docet Galen. 1. *ad Glauc.* Sic 8. *de compos. med. secundum loca*, *cap.* 2. & Oribas. *loco. cit.* in febribus hujusmodi, potissimùm si lota fuerit, aloën quàm maximè commendârunt, non lotam tamen in iisdem, si educendi indicatio prævaleat, etiam concedunt. Concedatur igitur intrepidè in iis febribus, cùm, quæ ex febrili calore desumitur, indicatio non prævalet, sed quæ ex crassis humoribus, in ventriculo congestis ob diminutum partis calorem, tum ubi roborandi ventriculi viget indicatio, quod in longis febribus, & ex pituitâ genitis, & tertianis spuriis sæpissime evenire dicebat Gal. 1. *ad Glauc.* Unde videmus, Mauritanos, & eam scholam sectantes, & pilulas ex hierâ Galeni commendare, & aloëphanginas, bis in hebdomadâ in paucâ quantitate à cœnâ sumptas.

Attenuantia in principio nõ sint valenter calefacientia.

20. In usu attenuantium, & diureticorum hæc esto cautio, ne ineunte eorum usu nimiùm sint calida attenuantia, sed moderatè aperiant; ne aut materia nimis liquata & fusa majori mole turgescat, & dolorem per universum pariat, aut ne exhaustis tenuibus partibus, quæ relinquuntur crassiores remaneant, & quodammodo lapidescant, & in invictum ferè malum ægri decidant.

Purgantia valenter rarò in febribus in usũ veniunt.

21. Illud certissimum est, in Galeni doctrinâ non multùm in febribus usum medicamentorum purgantium commendari; cùm 8. *Meth.* 1. absolutam putridarum febrium curationem tradens, ne verbum quidem de purgatione habuerit. Et cùm 11. *Meth.* in resolutoriâ illâ methodo curativâ earum, cùm putridum humorem evacuatione esse propulsandum doceat, statim subdat, eligenda esse medicamenta, quæ sine calore educant, ut sunt mulsa, ptisana, clyster. Et cùm 1. *ad Glauc.* etiam in continuarum curatione purgantium medicamentorum non meminerit. In tertianâ verò præstare ait medicamenta alterantia, quàm quomodolibet evacuare

cuare: id verò, quòd sæpenumerò per urinarum copiam, aut per sudores, insensibilémque transpirationem morbifica causa sit evacuata; quòd, si quæ supersunt, crassiores potiùs aliquæ portiones erunt, non multæ, illæ medicamentis nostris blandioribus non calidis tolli possunt, cùm in eâ quantitate esse conjectabimur, quæ ad alios in putredinis communionem attrahendos apta sit; cùm verò non sæpe id in tertianis, continuis, & acutis contingat, rarò etiam in fine earum purgationem exercendam censuit Hipp. 1. *Aphor.* 23. 2. *Aphor.* 29. *& lib. de Medic. purg.* 5.

22. In febribus autem à pituitâ genitis, quæ intermittunt, levia quasi medicamenta purgantia tantùm, eáque per intervalla admittit Galenus, quem secutus est Alex. Trallianus, magnæ vir auctoritatis, *lib.* 12. *cap.* 7. de hac re differens, cùm dicit: *Non oportet autem ipsos universim purgare, sed per vices, & simplicioribus medicamentis &c.* Unde fortasse recentiores suorum minorantium usum desumpserunt, quod in aliquo casu, & aliquibus febribus, & post coctionem conceditur ex arte, ad omnes febres, & quocunque tempore, & in principio malè traducentes.

Purgantia levia, repetita in quotidianis, cōveniunt.

23. Leviùs etiam, cautiúsque in febribus omnibus purgandum esse constat, quàm in aliis morbis, à febre sejunctis: calidissimorum enim viscerum, cordis nempe & hepatis fervor, calor ex humorum motu contractus, & deleteria, vel saltem satis calens medicamentorum qualitas in causâ sunt; ut cùm timore in febribus purgemus, in morbo autem non febrili audacter evacuemus; id quod Hipp. *lib. de Articulis in fine*, clarissimis verbis ostendit.

Purgandum leviùs in febre, quàm in aliis morbis, & cur.

24. Verùm purgare corpora in febribus cùm opus est, inclinante morbo, vel post illum, quo tempore vires majori ex parte sunt imbecillæ, & spiritus multùm exhausti; cavendum maximè Medico est, ne ex assurgendi frequentiâ, aut ex humorum evacuatione in syncopen incidant sui ægri: quod vel in purgandis iis, qui à tertianâ sunt evacuandi, maximè timuit Averroës. Quapropter jubeat excrementa in lecto exonerare, vase aliquo, huic usui accommodato, supposito, aut sindone plicatâ, quod innuisse visus est Gal. 3 *de Cris. cap.* 9.

Debiles dū purgantur, è lecto non surgant.

25. In Quartanæ febris rectâ victûs ratione, & in quantitate, illa sit animadversio, ut in principio, non in omnibus sit eadem; neque enim semper à crassiori est incipiendum, quod ex communi regulâ 1. *Aphor.* colligunt aliqui, in statu attenuantes. Neque etiam semper per primas tres hebdomadas abstinendum erit à carnibus & pullis gallinaceis, ut crudi humores possint attenuari & absumi, quod magni alioqui nominis viris placuit; sed distinctione opus est. Sanguinei & carnosi, quique lautiùs vitam per multos dies traduxerunt, &

Quartanarum in principio varius victus, & quomodo variandus.

qui crudis multis ſcatent ſúccis, & qui ex ſanguine, in melancholiam verſo, febricitant, primis quatuordecim, aut viginti diebus tenuiùs alendi erunt, atque etiam, ſi fieri poſſit, ab uſu carnium ſunt interdicendi, ut & crudi humores, in ventriculo, & primis venis exiſtentes, concoquantur, attenuari, & in ſanguinem mutari queant, néve altiùs permeantes obſtructiones adaugeant. Qui verò in primâ regione cruda non acervârunt, & biliofi ſunt, macri facilè reſolubiles, tum & pueri, aliter ſunt in principio alendi, atque concedendæ erunt carnes, ut diuturno morbo obſiſtere poſſint, atque ad ſtatum uſque cum viribus valentibus pervenire.

Salſamenta quartanâ laborantibus concedenda, ſed parcè, & cur.

26. Quòd ſalſamenta in quartanis laudentur à Galeno, cavendum eſt, ne multo eorum uſu melancholicus ſuccus in corpore adaugeatur; concedenda igitur erunt parcâ manu, ut medicamentoſâ alimenta, attenuante vi prædita, & ut appetentiam, quæ primis menſibus omnino ſolet eſſe dejecta, excitemus.

Quartanis venæ ſectio quãdo convenit.

27. Sanguinem quidem in quartanâ miſſum per ſectam venam, ſi opportunè hoc auxilium adminiſtretur, Galenus cenſuit optimum remedium; opportunè autem fiet, ſi multus in venis ſanguis fuerit, & craſſus, & fæculentus, niger & craſſus.

Quartanâ laborantibus dum ſanguis evacuatur, Medici præſentia neceſſaria.

28. Unde jure merito Medici præſentia neceſſaria eſt, dum talis actio à veniſecâ exercetur, qui qualitatem ſanguinis conſideret, ut, eo inſpecto, ſi niger & craſſus ſit, liberaliorem permittat evacuationem, habitâ ſemper virium, ætatis, plenitudinis, & temporis ratione. Quòd ſi potiùs tenuis & clarus ſit, & potiùs ad flavum vergat, ſupprimendus erit.

Sanguis in miſſione ſanguinis in quartanis non ſtatim ſupprimendus, etiamſi bonus.

29. Adhibenda tamen hæc eſt cautio, ne ſtatim, ac perrubentem ſanguinem, & bonum exire viderimus, illum ſupprimamus ſigillatâ venâ; ſæpius enim vidi primas illas duas uncias effluentes bonæ conditionis, quòd non ex penitioribus educantur, ſed ex venis brachiorum, quorum ſanguis ob aſſiduum eorum motum quandoque purior redditur; progrediente verò evacuatione, nigrum, & craſſum effluxiſſe. Quapropter ſaltem duæ, aut tres unciæ ut effluant, ſinendæ ſunt, antequàm certum de hac re feratur judicium, & antequàm ſupprimatur.

Sanguis in miſſione ſanguinis in quartanis, etiamſi optimus, quando ſinendus effluere.

30. Evenit tamen aliquando ut, etiamſi ſanguis optimus è venâ fluat, permitti debeat effluere, neque ſiſti oporteat, ſi fortè ex anteactâ vitâ, & ſignis plenitudinis ad vaſa, cognoverimus tantam ſanguinis copiam congeſtam in venis eſſe, ut, niſi ſolvatur, periculum immineat, ne aut novis aliquis morbus magni momenti adjungatur, aut certè, ex multâ illâ ſanguinis congeſtâ copia obſtructione genitâ, aduratur ſanguis, & in atrum ſanguinem mutetur, addatúrque in cauſam quartanæ.

Sanguis

31. Et licet Galenus de loco, unde in quartanâ ſanguis eſt evacuandus,

cuandus, agens, censuerit ex axillari, sive internâ brachij sinistri venâ esse educendum, illud sumens, quod majori ex parte evenit, originem quartanarum ex splene pendere; præstat tamen hac in re Aëtium sequi, censentem, considerandum esse priùs, an potiùs vitio hepatis, multum melancholicum succum gignentis, vel assato sanguine, vel aliquâ aliâ occasione fiat: tunc enim potiùs ex dextro brachio, quàm è sinistro, sanguis esset mittendus.

quando ex dextro brachio extrahendus.

32. In Pestilentibus febribus, sic dictis, quòd pestiferas æmulentur, ut verum est, majori ex parte mittendum esse sanguinem sectâ venâ, consentientibus viribus: ita in Peste, Pestiferisque, sic verè dictis, rariùs id auxilium in usum duci debet: neque enim nunquam, si à pravis cibis in annonæ penuriâ fiat, sanguinem mittemus; neque in eâ, quæ ex aëris putredine, nisi magna subsit plenitudo,& humorum æstus; misso enim sanguine, & superfluum sanguinem evacuabimus,& æstum frænantes, ægris occasionem subtrahemus multi aëris trahendi, neque periculum imminet tanti collapsûs virium: At cùm pestis, contagio aliunde delato, alicubi serpit, qualecumque sit primum principium, mitti intrepidè potest, iis omnibus perpensis & observatis, quæ in reliquis febribus putridis considerari solent, quòd eædem vigeant indicationes. Consentit Gal. 3. *in* 1. *Epid*. 26. in Critone, & 3. *in* 3. *cap*. 76. in Calvo Larissæ, in quibus voluit missionem sanguinis convenire, cùm peste laborarent, 3. *in* 3. *Epid. in proœm*. Quin & Ruffus, referente Oribas. 6. *Synops*. 25. in peste, ubi sanguis abundaverit, vel ubi alii humores admixti sint sanguini, fiátque genus aliquod plenitudinis, jubet esse secandam venam. Idem Aët. *Ser*. 5. *cap*. 95. & Paulus, *lib*. 2. *cap*. 36. ex Ruffi sententiâ: Ex Arabibus Aver. *lib*. 3. *Theis. Tract*. 3. *cap*. 7. Rhasis 3. *cont. Tract*. 13. *cap* 2. *&* *libro de Peste, cap*. 6. & Avic. *lib*. 4. *Fen*. 1. *Tract*. 4. *c*. 4 ut ii satis esse possint adversus Fracastorium, & novitios aliquos, etsi magni nominis. Neque verò facessit negotium, quòd hausto veneno sanguis ex venâ non detrahatur, ne, bono sanguine ex venis evacuato, in venas trahatur, & per sanguinem dispergatur, non secùs, quàm de sectâ venâ, crudis in venis existentibus humoribus: Dispar enim omnino est ratio, nam haustum venenum quamprimùm est evacuandum, dum in ventriculo & primis venis continetur, quod vel vomitu, vel purgatione fit, venæ sectione fieri non potest, quia sanguis bonus, in venis existens, detraheretur, venæ verò inanitæ sugerent & attraherent ad se venenum, in ventriculo, & mesenterio consistens, quo nihil perniciosius esse potest. Quare Diosc. *lib*. 7. de curatione ab hausto veneno agens, non meminit venæ sectionis; quem secutus est Aët. *Ser*. 13. *cap*. 45. & Paul. *lib*. 5. *cap*. 28. At in febre pestiferâ venenum, sive materia pestilens, non consistit in ventriculo,

In Peste sæpe mitti potest sanguis per sectam venam, & quando.

aut

aut primis venis, sed jam inest in venis, cum sanguine commixta; proptereáque, detracto sanguine, pars illius materiæ pestilentis simul cum sanguine inanitur. Hinc Paul. *lib.* 5. *capit.* 2. dixit, veneno in venis existente, sanguinem esse detrahendum. Dispar igitur est ratio curandi hausti veneni, & febris pestiferæ evincendæ.

In peste sanguis ad animi deliquium non mittendus.

33. Cavendum tamen, ne in Rhasis opinionem, & aliorum Mauritanorum sententiam eamus, qui in aliquâ peste ad animi usq; deliquium sanguinem detrahunt; cùm in peste potiùs quantitas minor esse debeat sanguinis detracti, quàm in aliis febribus putridis, quòd vitales vires in eâ magis, & faciliùs concidant.

In peste solùm in principio mitti sanguis debet, & cur.

34. Quinimò, nec detrahendus est sanguis per sectam venam in brachio, si morbus jam invaluerit; quòd vires, quæ, si in principio missus esset sanguis, vegetiores factæ essent, exoneratâ ab onere naturâ, jam ex virulentiâ fractæ sint, & propterea resistentibus magnæ putredini, & alexipharmacis potiùs erit agendum.

In pestilenti febre, maculis erumpentibus, sanguis secta vena potest evacuari, & quomodo.

35. Quid verò, erumpentibus, aut eruptis maculis illis, aut pustulis? an mittendus erit sanguis? an potiùs expectandus exitus naturæ? an jam eruptis? Ego sanè, dum operatur natura, à principio sum spectator; mox, si segniter id agit, & plenitudo magna adsit, & fervor humorum; evacuo sanguinem sectâ venâ, & sæpe mitescit morbus, æstus imminuitur, validiúsq; reliquum ad cutim expelli sæpe animadverto. Neque enim periculum illud impendet, quod vulgus etiam Medicorum timet, & adeò exhorrescit, ne scilicet humores, ad cutim impetentes, aut delati retrahantur à circumferentiâ ad centrum; quod missione sanguinis fieri tanquam certissimum assumunt, & tanquam assertum à Galeno 4. *tuend. val.* 10. Missio enim sanguinis per se potiùs sanguinem à centro ad circumferentiam revocat, ut experientia docet, & Galenus apertis verbis tradidit 4. *de tuenda val.* 4. quod si oppositum c. 10. *ejusdem libri* asserit, id de multâ sanguinis evacuatione per accidens intelligendum est. Cùm enim per sanguinis mediocrem evacuationem sanguis, qui in venis internis reperitur, ad externa, & extra corpus revocetur, ut in internis inflammationibus manifestum est; si ulteriùs progrediatur evacuatio, cùm internæ illæ magnæ venæ exinaniantur, natura provida, ne partes majoris momenti destitutæ remaneant sanguine, ex accidenti, & secundariò à carnibus, & venulis ambitûs sanguinem iterum contrà ad interna retrahit: At si mediocris fiat evacuatio, tantum abest, ut missio sanguinis per sectam venam lædat, aut revocet, ut docuerit Gal. 6. *Epid. Sect* 2. *Com.* 30. in latis illis pustulis Simonis cujusdam sanguinis missionem maximè futuram proficuam. Neque dicant, Oribas. 7. *Synopseos* 7. & 3. *ad Eunap.* 21. dum hæc verba ad verbum recenset, omisisse sectionem venæ, ut proinde censeant additam esse in textu Galeni, cùm in omnibus

Sanguinis missio quando per se, & quando per accidens à centro ad circumferentiam trahit, & quomodo.

omnibus Galeni codicibus illa particula reperiatur, ut potiùs ab Oribasij collectore omissam per oblivionem dicere possimus; aut aliunde desumpta verba illa esse, cùm eadem difficultas in purgatione etiam subsit. Quam opinionem confirmavit Aët. 2. *Quat. Serm.* 1. *cap.* 126. pustulas, sive vibices, in principio pestiferæ febris apparentes, sanguinis missione curans.

36. In anthrace, furunculo, & bubone, potissimùm si in emunctoriis cordis, aut cerebri fiant, nullum esse præstantius cognovi remedium, si vires constent, & in principio versemur, maximè si plenitudo, & sanguinis copia adsit, sanguinis evacuatione, tum ratione febris pestiferæ, tum ratione morbi particularis: cùm enim fiant à sanguine crasso adusto, bili flavæ admixto, quid æquè sanguinem evacuabit peccantem in toto corpore, tùm & dolorem illum intensissimum mitigabit, qui sæpe vires dejicit, maximè cùm partẽ nobilem obtinuerit tum & materiam evacuativâ revulsione à parte retrahet? Scio, hac in re, ut & in superioribus experimentis certari, & contrariis quidem. Ego verò in peste illâ insigni 1575. & 1576. nostræ hujus magnæ civitatis profiteri possum, ex octo illis Medicis, quibus peste infectorum cura erat demandata, inter quos & ego unus eram, cùm unus aut alter venæ sectionem in suis ægris aversaretur, Fracastorii, & aliorum dogmatibus insistens, nec ex sententiâ curationes succederent, mutatâ sententiâ, aliorum exemplis, & felicioribus successibus utique excitati, quàm præstaret sanguinem evacuare, tandem cognovêre. Unde etiam communi consensu, in peste hujusmodi nobile remedium nullo modo prætermittendum esse decreverunt, modò statim administraretur, & parciori manu, eáque adessent, quæ in eo remedio administrando perpendenda sunt. Erat autem non ex aëris corruptione universali pestis ea, sed contagione, & communicata, & serpens, salubri alioqui & cœlo, & anni constitutione saluberrimâ & rerum omnium, quæ ad victum faciunt, maxima aderat abundantia; corpora autem nostratia verè succi plena constitui possunt.

Anthracibus & bubonibus apparentibus secanda vena, & quomodo.

37. Cavent tamen, ne semper ex eadem aut venâ, aut parte sanguinem hauriant; si enim post aures parotides exoriantur, aut sub axillis bubones, aut anthraces, furunculíve in trunco superiori eruperint, ex brachio ejusdem partis statim tundetur vena. Quòd si in inguinibus bubones erumpant, & inflammatorium dolorem progignant, in talo ejusdem pedis sectâ venâ sanguis evacuabitur. Si verò anthrax, aut furunculus apparuerit, ex opposito evacuabitur; illâ enim sectione venæ & naturam onere levabimus, & manus adjutrices naturæ porrigemus, ut ad emunctorium illud humores detrudat; cùm enim à corde plurimùm recedat, vidimus plurimos

Anthracibus & bubonibus apparentibus in peste, unde mittendus sanguis.

ex bubone in inguinibus curatos; paucissimos autem, si post aures per parotides; ut ferè nullos, si sub axillis materia detrudebatur. At si anthrax enascebatur in dextro, puta, crure, evacuandus erat sanguis ex sinistro, ne majorem molem materiæ ad locum affectum traheremus, unde & inflammatio major fieret, & dolor intensissimus, unde vires collabascerent; præstat igitur in contrarium revellere, evacuando, simúlque à principibus partibus virulentiam retrahendo. Doctrinam hanc licet colligere *ex 6. Epid. sect. 7. text.* ubi dicit, in anginâ pestilenti se venam secuisse in cubito.

Scarificatio crurum in peste saluberrima.

38. Sed cùm in peste omnia sint in præcipiti occasione posita, & aliquando Medicus statim non accersatur, aliquando etiam venæ sectio ab aliquibus non admittatur, cuperem ad manus artificem habere, qui scarificationem malleolorum sciret administrare: commodum enim esse remedium censuit Apollonius apud Orib. 7 *Coll. c. 19. & 20.* quo etiam, cùm aliquando peste esset correptus, asseruit se esse sanatum: quod remedium pro plenitudine curandâ quasi venæ sectioni æquiparatur à Gal. 4. *val. de tuend.* 4. & 20. Quæ actio omnino diversa est à nostrâ scarificatione in loco cucurbitularum, ut constat ex Oribas. 7. *Collect.* 18. ex Antylli sententiâ; si quis caput illud, & modum exercendæ illius operationis consideraverit, & quæ à doctissimo Prospero Alpino de hac re scripta sunt, *lib. de Medicinâ Ægyptiorum* quidquid contrà senserint Avic. 1. *lib. Fen.* 4. *cap.* 22. & cæteri Arabes Medici.

Cucurbitula scarificata aliquando vicaria sectionis venæ.

39. Verùm si jam aliquantò progressus sit morbus is pestilens, aut nesciamus an vitales vires firmæ satis sint; quòd aut vereamur, ne pertentatis arteriis pestem in nobis contrahamus, aut lege cautum sit, ne primis quatuor diebus Medici pulsus arteriarum tangant, ut apud nos constitutum est: certe solebam ego in nostrâ peste, aquâ calidâ ablutis suris, in internâ parte cucurbitulas injungere cum profundiori scarificatione, atque ita evacuare sanguinem ad sex, aut octo uncias pro signis aut plenitudinis, aut robore virium; quamvis enim immediatè sanguinem ex venis non detrahant, sed ex carnibus, necesse tamen est, ut, carnibus inanitis, ex venis subeat alimentum, & consequenter etiam totum inaniatur.

Cucurbitula cum scarificatione in suris in peste frequentiùs in usum veniunt.

40. Quinimò & frequentius, & tutius est præsidium hoc, cùm evacuet sanguinem citra multam spirituum exsolutionem, ab hepate autem, & corde ad longinquam partem virulentiam avertat; nec verum est, quòd non sint profuturæ, quia nimis distent à corde tibiæ: nam inanitâ plenitudine totius corporis, ipsas quoque cordi vicinas partes necesse est inaniri.

41. Cucurbitula in dorso quan-

41. Quid, si inanito corpore urgeant symptomata, & exanthemata lentè prorumpant, cor verò angustiis prematur in peste, & animi adsint deliquia, aut insignis dolor capitis urgeat, aut simile symptoma,

toma, quod ſæpenumerò in peſte contingere videmus, erit à nobis præſtandum? An cucurbitulæ dorſo erunt admovendæ, quod adeò controverſum inter Medicos video, aliis illas omnino exhorreſcentibus, aliis paſſim, & in quocunque caſu illas in uſum ducentibus? Cenſeo, ſi nihil aliud urgeat, non eſſe temerè, & ſine diſtinctione admovendas, ſed negotium naturæ eſſe permittendum. In illis autem caſibus, tum ſcarificatis, tum ſine ſcarificatione uti nos poſſe, & debere judico; neque periculum ſubeſt, ne verſus cor attrahantur humores propter totius corporis præmiſſam jam evacuationem, potiùs enim è corde in ſuperficiem humores evocarent cum manifeſtâ internarum partium utilitate. *do applicandæ, & quando non.*

42. Veſicantia, ut in hunc uſum antiquis in peſte non ſunt uſitata, ita, ſi extremis partibus, potiſſimùm ſuris, poſt univerſalem corporis evacuationem applicentur, non ſpernerem, modò æſtus ille in corpore non adſit, peccétque potiùs ſeroſus humor, & pituitoſus; ſic enim ad inferna virulenti humores à principibus partibus retrahentur. *Veſicantia in peſte aliquanda in uſum duci poſſunt, ſed rarò, & quando.*

43. In peſtilentibus verò febribus, quæ cum peſte non ſunt, ſed ſic dicuntur, quòd inſignem quidem habeant putredinem in humoribus, ſed non hujuſmodi, ut veneni naturam jam ſubierit; cùm putredo corrigi poſſit, & per coctionem emendari, veſicantia non in uſum ducerem; ſed non ſecùs quàm aliæ febres putridæ curandæ erunt, excellentis tamen putredinis habitâ ratione, ex exſiccantibus aliquo addito, & corde non mediocriter roborato. *Veſicantia in febribus peſtilentibus ſine peſte in uſum duci non debent.*

44. Animadvertendum tamen tam in iis febribus, impropriè peſtilentibus, quàm in verè peſtiferis, ratione ſymptomatum, potiſſimùm lethargi, & comatoſorum affectuum, nullum eſſe præſtantius remedium veſicantibus ipſis, aut parti brachiorum verſus humerum, aut etiam ſcapulis applicitis: ſeroſos enim humores, & frigidos, cerebrum opprimentes, citò, & facillimè & attrahunt, & extra corpus evacuant: conſtat hoc ex Antyllo, referente Oribaſ. *lib.* 10. *cap.* 13. in peſtilentibus affectibus maximam ſæpenumerò eſſe in ſomnum propenſionem, in quâ ſinapiſmos convenire ſcribit, maximè in lethargo; & magnâ ſanè ratione: nam in lethargo confluxus fit materiæ ad caput, unde opus eſt revulſione; cúmque perpetuò dormiant, expergefacere ſimili gravamine medicamentorum eos oportet. Idem defendit Aët. *Archigen. Ser.* 13. *cap.* 181. & Paul. Ægin. *lib.* 7. *c.* 18. Hinc Aretæus Medicus, his & Galeno antiquior, *libro* 1. *de curandis morbis acutis*, *c.* 2. curaturus lethargum, dixit, *tibias urticis eſſe verberandas, aut etiam valentioribus medicamentis eſſe utendum, denique etiam ſinapi.* Cùm verò ii omnia priùs tentari voluerint, quàm ad veſicantia veniretur, oſtendunt, quanto in er- *Veſicantia partibus ſupernis, in comatoſis affectionibus, & lethargo, conveniunt*

rore recentiores versentur, qui protinus in morbi initio vesicantia esse administranda censuerunt.

Vesicantia in principio febrium pestilentialium non conveniunt.

45. Alius est casus, in quo tutò in pestilentibus vesicantibus uti possumus, cùm universum corpus exteriùs alget, & ægrè calefieri potest, non quidem, si refrigeratio fiat ob virium extinctionem, tunc enim instaurantibus opus est, sed si ob alias causas, tunc administrari posse docuit Antyllus apud Oribas. *lib.* 10. *Collect. cap.* 13. & Archigenes, Aëtio teste, *Summa* 3. *c.* 181. túncque & tibiis & brachiis sunt admovenda, Oribasio referente *loco adducto*, & Paulo Ægin. *lib.* 7. *cap.* 19. Quibus locis constat, duobus solis iis casibus, in acutis, & peste, vesicantibus nos uti posse; & hoc est, quod Oribas. ex Ruffo *lib.* 6. *Synop. c.* 25. docebat, in peste calorificis quandoq; esse utendum ad evocandum calorem ex profundioribus corporis partibus ad superficiem: ut & Aët. *Ser.* 5. *cap.* 95. & Paul. *lib.* 2. *cap.* 36. Unde neque in omnibus pestilentibus, neque semper in peste vesicantibus utendum censuerunt magni ii Medici, sed aut in soporosis affectibus, vel cùm externa algent, & interna æstuant; cùm Novatores ii semper, & in omni peste, pestilentíque febre, quin &, si Deo placet, in principio vesicantia adhibeant. Sed non est mihi in hac re tempus conterendum, cùm à doctissimis viris res hæc absolutè, & ex professo sit pertractata, & à nobis in libro *de Peste* annis juvenilibus, dum totus in eâ curandâ in patriæ meæ calamitate versarer, composito disputata; quem librum Amanuensis meus, homo exterus, cùm emendatum meo jussu transcripsisset ad editionem, suffuratus est, nescio quo consilio, cùm sciret, apud me in schedis ea omnia remanere, licet multis in locis defœdata.

Vesicantia in pestilentibus, ubi corpus alget, utilia.

Vesicantia in pestilentibus à recentioribus pessimè passim usurpata.

Purgatione utendum in peste, & cur.

46. Evacuatio pravorum humorum, & cacochymiæ per medicamentum purgans assumptum, non minùs quàm sanguinis evacuatio in peste convenit, & fortasse sæpius in usum ducitur: ut enim venæ sectio nunquam in peste, quæ ex pravi succi cibis fit, convenit, & non ita sæpe in eâ, quæ ex corrupto aëre, sæpissime in eâ, quæ contagio serpit: ita in iis omnibus purgatio in usum venire potest, licet multò rariùs in eâ, quæ per contagium vagatur; quòd sæpenumerò virulentia communicetur hominibus sanis, & optimis humoribus præditis; quibus si medicamenta purgantia exhibuerimus, & carnes colliquabimus, & bonos humores evacuabimus, spiritus exhauriemus, & denique vires vitales destruemus. Quòd si refertum pravis humoribus esse corpus conjectabimur, purgatione omnino opus esse dicemus. In eâ verò, quæ ex ingestis malis cibis fit, purgatione omnino opus est; licet etiam ratione virium maxima adhibenda sit cautio. In hanc opinionem Medici omnes, Græci, Arabes, & Latini venerunt locis adductis, ad demonstrandum venæ sectionem convenire; inter quos Gal. 1. *de diff. feb.* 4.

Unus

Unus ex antiquis Celsus *lib.* 3. *cap.* 7. & ex recentioribus pauculi medicamentis uti purgantibus in peste judicârunt inutile, quòd non putredinem, sed venenosam qualitatem simplicem in peste subesse putârint; quòd veneni naturam medicamenta propemodum omnia, & igneam naturam participare censeant; quòd alvi fluor iis concilietur, quo plêrosque in peste illâ interiisse testatus sit Gal. 3. *in* 3.*Epid.* 58. cùm neque Celsi auctoritas præponderare possit tot magnorum virorum auctoritatibus, neque recentiorum illorum rationes convincant; quòd ætate nostrâ tot medicamenta inventa sint, quæ neque venena sunt, aut venenatam naturam participant, neque excessu caloris igneum febris æstum adaugere, neque etiam alvi fluorem concitare solent; cùm non in omni peste symptoma hoc supervenire scribat Galenus, sed in eâ quæ suo tempore vagabatur. In quam pestis constitutionem si quis inciderit, cautè se geret, & iis uti poterit, in quibus vis aliqua inest & adstringendi & roborandi.

47. Invento auxilio in morbis, illius exhibendi occasio est inquirenda, quod maximè in peste est observandum: cùm enim 2. *Aphor.* docuerint Hippocrates & Galenus, vel statim ab initio, vel postquàm maturuerint humores, coctique sint, in declinatione humores esse purgandos; difficultas in hoc casu maxima esse solet etiam inter doctissimos. Ego sanè, quid præstiterim in hac nostrâ pestilentiâ, liberè dicam, & quibus ductus fundamentis; cui etiam eventum felicem successisse sanctè possum profiteri, quantum pestis effrænis rabies concedere potest. Evacuandum igitur in principio statim, aut sectâ venâ censeo, saltem secundâ die, si putridorum aut malorum humorum copiam subesse cognoverimus. Neque *Aphor.* 22. 1. *Sect.* quo asseritur, *Concocta esse medicanda, & cruda non movenda, nisi materia turgeat, rarò autem turget*, nobis repugnare censendum est. Quod ut intelligatur, considerandum solùm erit, an sub dictione, *cruda*, contineri possint humores illi adeò putrefacti in principio febrium pestiferarum. Ego sanè non video, quomodo materia, quæ nullam patitur concoctionem, neque alimentalem, neque impropriam, quæ putridæ materiæ convenit, cruda dici possit. Crudum enim, & coctum correlativa sunt; ita ut crudum sit, quod coqui potest, sed nondum hanc perfectionem per coctionem est assecutum; Atqui si gradum eum putredinis assecutus est humor is, ut pestem gignat, quo major vix dari potest, ut jam veneni naturam induerit, & ad benignum ampliùs reduci non possit, certè eum nunquam verè crudum dicere poterimus; aut coctionem ejus pro purgatione esse exspectandam. Eóque magis, quòd majori ex parte materiam hanc turgentem esse observatum sit: quare cùm turgentem materiam excipit, utique pestiferam hanc

Purgandum esse in initio in peste, Disputatio.

Pestis materia cruda dici non potest.

Pestis materia turgens sæpenumerò.

hanc materiam exceptam esse censendum est, quòd sæpenumerò primâ die turgeat, aut proximâ die, aut alterâ turgens sit futura; hanc enim etiam per turgentem intellexisse Hippocratem constat 4. *Aphor.* 10. *si turgeat in acutis, eadem die esse purgandum*, asserentem. At acutissimum morbum esse pestem, in quâ materia plerumq; turgeat, quòd acris sæpe sit, ardens, virulenta, quæque undequaque mota principes partes impetat, quilibet, qui morbos pestiferos viderit, ac diligenter observaverit, facilè concedet. Nos in nostrâ hac pestilentiâ sæpenumerò vidimus in eodem ægrotante, eodem tempore à naturâ multas, ac varias tentatas esse excretiones per alvum, per vomitum, per sudores, per urinas, per cutis efflorescentias, & per carbunculos quoque, & bubones. Docuit hoc Ruffus apud Oribas. 6. *Synopseos, cap.* 25. & Aët.*Ser.*5. *cap* 95. & Paul. *lib.* 2. *cap.* 36. qui adeò varia & vehementia symptomata in peste dum referunt, nihil aliud repræsentare videntur, quàm turgentem materiam hinc inde latam, nec certam sedem habentem: Quæ si, dum venenata est, purganda statim est ab initio, ne repat ad princeps aliquod membrum, multò magis tunc evacuanda erit cùm veneni naturam habet, cujus proprietas est principes partes petere. Ostendunt id ipsum pestilentes casus, quorum libris *de morbis vulgar.* meminit Hippocrates; colligimus enim materias in eis fuisse virulentas, & veneni participes, vagas item, & certam sedem non habentes: cùm enim varias sedes peterent, varia etiam symptomata induxisse scribit; in multis papulæ apparebant, quæ mox retrocedente materiâ ad internas partes delitescebant, quæ posteà alia inducebant sæva symptomata. Neque quispiam Hippocratem objiciat dicentem, *rarò materiam turgere,* nos autem asserere, in peste sæpenumerò turgere; si namque consideraverimus, pestem rarò evenire, utique materiam rarò turgere, & in peste sæpe turgere, non esse contraria, aut contradictoria judicabimus: turget enim materia, cùm natura à multâ, aut pravâ qualitate affecta, materiâ concitatâ, tentat inter initia eam expellere, quamvis importunè: scimus autem pestem semper à pravâ, & veneni naturam sapiente materiâ fieri. Non tamen credat aliquis, nos putare, ubi non turgeat materia, evacuandum non esse: nam cùm virulenta sit materia, morbum faciens, & timendum sit, ne ulteriùs procedat, reliquos omnes humores inficiendo, venenísque participes eosdem reddendo ex contactu portionis illius primæ, ex contagione acquisitæ, purgandum statim erit, ne ad terminum eum ducantur humores omnes, de quo locutus est Galen. *libro adversus Iulianum cap.* 7. Quòd ubi totus sanguis putrescit, vel alioqui vitiatur, morbi, qui inde oriuntur, curari nequaquam possunt. Inquit enim: *Non pollicentur Medici, se omnes morbos ex vitiato humore, omnémque putredinem curaturos, sed eos*

Turgens materia quomodo rarò, & in peste sæpe.

Putrida non omnis ma-

eos tantùm quibus corpus adhuc validum est, & vires robustæ; non autem quando sanguis penitùs corruptus, & factus æruginosus, ut assumptum alimentum in corruptelam trahat; & quæ seq. Cùm præterea morbus is acutissimus sit, si declinationem exspectare voluerimus, inanis omnis nostra opera erit, non solùm quòd frustra exspectetur coctio, quam nullatenus humor potest admittere; sed quoniam cùm declinatio tunc subsequatur, cùm aut à naturâ extra corpus pulsus fuerit humor, quâcunque tandem viâ id fecerit, aut ope Medici, aut missione sanguinis, aut alexipharmacis, & sudoriferis, frustra tunc Medicus tentabit in fine propellere. Non negaverim quidem, aliquando expurgandum esse in fine corpus à reduviis, ut renutriri possit, atque a recidivis sese vindicare; at præservatio hæc potiùs erit, quàm vera curatio. Purgandi igitur potius erunt ab initio humores, quòd cùm emendari nequeant, quamprimùm expelli debent: nam aptissimo vini exemplo explicuit Gal. 2. *Aphor.* 17. quod ubi acescere cœperit, adhuc vinum est acidum; & tunc emendari potest, & ad pristinam naturam reduci: si verò corrumpatur, & naturam propriam amittat, non ampliùs vinum est, sed acetum, & tunc non ampliùs ad pristinum statum reduci potest: Ita sanguis, cæterique humores, cùm putrescunt, ad benignum iterum, aut saltem ad conditionem, quæ non multum noceat, coctione deduci possunt; at cum computruerunt, jam naturam mutârunt, neque corrigi amplius possunt, sed tanquam omnino deleteria statim expelli à corpore debent. Est insuper præter morbi causam continentem, quæ est aut in venis prope cor, aut in partibus, cordi communicantibus, alia quædam vitiosa, in ventriculo, intestinis, & circa præcordia adhærens, dolore, calore, æstu, nausea, amarore, aliisve signis manifesta, quæ necessariò quamprimum purgationem exposcit, neque declinationem potest exspectare. Quæ sanè etiam efficit, ut aliâ ratione in principio etiam expurgari debeat, nam si in hoc morbo per totum ejus decursum alexipharmacis, & medicamentis à totâ substantiâ utendum est, ut etiam ii, qui secus sentiunt de hac purgatione, concedunt, nónne necessariò concedent, in impuro corpore præcedere debere purgationem? Hæc namque, vel ipso Gal. teste, *lib.* 5. *de sanit. tuen. cap.* 6. antè non sunt assumenda, quàm totum corpus inanitum fuerit: cum enim ea vel ita antipharmaca, vel antidota dicantur, quòd totius (ut ajunt) substantiæ dissidio immutent venenatam illam naturam, frangant, obtundántque, atque prorsus exstinguant, & evacuent à corpore per sudores, atque cutaneas excretiones; nemini dubium esse potest, in corpus nostrum hæc minimè præstari posse, nisi prius inanitum fuerit corpus: non enim ad cor vires suas emittere poterunt, nisi meatus sint expurgati, neque à corpore per cutaneas excretiones venenum expellere:

[margin: ...teria coquenda.]

[margin: Alexipharmacis, impuro corpore, non utendum prius quàm sit expurgatum corpus.]

expellere poterunt, nisi pariter totum sit evacuatum. Quin neque evacuationem per cutim ullam esse moliendam, nisi totú corpus inanitum fuerit, ex Gal. 8. *Meth.* 4. & 11. *Meth* 10. at nec rarefaciendum prius quàm sit evacuatum, 11. *Meth.* 9. colligitur. At inquiunt, id fieri sanguinis missione, Verum quomodo vim argumenti effugiunt, qui illam respuunt? at omnes saltem fatentur, in multis non convenire, ut in peste ex pravis cibis, & in cacochymis corporibus, in quibus exspectari non potest concoctio; faciendum igitur quod jubet Gal. 4. *de tuend. val.* 4. *Quod alienum à naturâ est, ut ad pristinam bonitatem redigi non possit, protinus evacuetur.* Huius sententiæ fuisse Galenum, colligere possumus *ex lib.* 1. *de differentiis feb.* 4. ubi dicit, impura corpora in principio statim esse purganda, & ad sanitatem deducenda, quod manifestis verbis confirmavit 2. *in* 6. *de morb. vulg.* in Simone, in quo latæ pustulæ efflorescebant, idq; in libris Methodi medendi demonstratum esse affirmat, quod vel 5. *Meth. med. c.* 12. constat, ubi habet: *Cæterùm ii in peste facilè sanati sunt, propterea quòd præexsiccatum iis, præpurgatúmq; corpus totum fuerit; quippe quòd evomuerint ex iis nonnulli, & omnibus venter profluxerit; atq; cùm ita evacuati essent, qui evasuri erant, iis pustulæ, quas exanthemata vocant, nigræ toto corpore confertim multæ apparuerunt, ulcerosæ quidem plurimis, omnibus certè siccæ.* Quibus verbis, vel cæcis manifestum est, purganda esse corpora ab initio in peste. Quid enim per purganda esse corpora significat, nisi in principio esse evacuanda medicamento purgante? Nónne præterea constat, excretiones has pestilentes nullas ferè esse criticas, sed symptomaticas, quæ in principio, vel augmento accidunt? At nihilominus præpurgatum esse debere scribit corpus, antequàm apparerent; non igitur exspectavit coctionem. Secutus est hanc sententiam Avic. *lib.* 4. *Fen.* 1. *Tr.* 4. *capit.* 4. cùm inquit: *Summa curationis huius febris est exsiccatio, & illa fiat cum purgatione, à quâ incipere debemus*; & Aver. 3. *Theis. Tract.* 3. *cap.* 1. qui in principio pilulas ex fimo columbino, aloë, & agarico commendat in peste. Et Rhasis tum 3. *Continentis*, tum *lib. de Peste*; quos posteà secutus est Aver. 2. *Collect.* 36. Ex recentioribus etiam plerique ferè melioris notæ, inter quos Manardus Ferrariensis, 5. *Epist.* 3. & 13. *Epid.* 1. & Victor Trincavellius *in libro de febre pestilentiali*, in hanc venerunt sententiam. Quod experientiâ etiam confirmare possum: Mihi enim, & sociis, in magnâ hac pestilentiâ magnæ hujus urbis feliciter cessisse sciunt & præfecti sanitatis, & cives nostri, publicéque etiam nos laudârunt pro bonâ & sedulâ præstitâ operâ, cùm purgante medicamento ab initio ferè curationis usi fuerimus. Quod & Gentilis ille Fulginas sibi experimento contigisse testatur 1. 4. ubi inquit: *Ego vidi socios nostros, viros expertos, qui in pravâ pestilentiâ prima, vel secunda die, vel in quarta ad summum,*

quàm

quàm citiùs poterant, dabant pharmaca evacuantia, exsolvendo materias, sicuti Rhabarbarum, vel Agaricum, & aliquando dabant medicinas, vigoratas cum paucâ Scammoneâ. Et vidimus, plures evasisse per manus istorum, quàm per manus illorum, qui non purgabant, nisi cum levibus clysteriis, & quandoque solâ cassiâ. Neq; rationes, quas contrà adducunt, multùm urgent; quòd enim Aphorismum 22. objiciunt, jam docuimus, aut sub turgente comprehendi, aut sanè verè materiam illam crudam dici non posse, quòd nullam coctionem admittat. Neq; caliditas medicamentorum verenda est, quæ non avocavit Galenum ab eorum usu ob majorem utilitatem in turgente materiâ; minùs autem nos impediet in pestilenti, in quâ sæpe minor æstus subest, potissimùm cùm materia ea in ventriculo contineatur, potissimùm cùm mitiora quàm plurima medicamenta, minùs calida, vel vix caliditatem attingentia, & simplicia, & composita nostris his temporibus sint inventa. Neque verenda sunt mala, & incommoda, quæ sequi docet Gal. 1. *Aphor.* 22. 24. & 2. *Aphor.* 9. ubi quis crudam materiam in principio, & non præparatis viis eduxerit; ob majora enim mala, fugienda in turgente materiâ, non veritus est statim evacuare: ob eandem etiam causam nos in peste idem præstabimus. Neque alvi profluvia, quæ in peste Hippocratis tempore, ubi supervenirent, mortem inferre solebant, debent nos ab exhibitione medicamentorum in principio deterrere: nam etsi in eâ constitutione id eveniebat, in aliis non semper est cum peste conjunctum. Sed verè etiam nulla vis est argumenti; nam fluxu illo multi interierunt, quòd nimis oppressa, ac irritata natura fluxus exonerare tentabat, sed & succumbebat, & materia quasi effrænis facta, plùs justo fluens, vires dejiciebat, unde mors subsequebatur; at statim purgatis humoribus, periculũ hoc evitabimus. Sed argumentantur præterea auctoritate Galeni *9. de simpl. medic. facult. cap. de terra Lemniâ*; ubi inquit qui illos terræ Lemniæ, aut Boli Armeni assumptione curari nonpotuerunt, plerosque interiisse. Quasi verò, sive manifestis agant qualitatibus, sive occultis, in usum hæc tutò duci possint, non præmissâ purgatione; cùm jam Galeni auctoritate constitutum sit, antipharmaca, & antidotos tutò exhiberi non posse, impuro corpore. Pestiferæ autem, ac virulentæ materiæ cum veneno comparatio, quâ probare nituntur, in principio non esse purgandum, nulla est, neque convincit: Assumpto enim veneno, cum materia ea in ventriculo contineatur, vomitor vomitoriis quamprimùm expellere tentamus; aut si id obtineri non possit, emollientibus, lenientibus, vel lubricantibus per inferna subducere conamur. Ita in peste cum primum cor afficiatur, omni ingenio omnino tentandum est, à nobilissimâ parte illam revocare, ac quamprimum ex corpore pellere.

Pestilentes febres sine peste coctionem exposcunt, nec in principio in iis purgandum.

48. Caveat autem Medicus, ne, quod in peste constitutum est, in iis febribus, quæ, quòd insigniorem habeant putredinem, quàm vul-

E e gares

gares febres putridæ, quódque in aliquibus symptomatibus pestiferas veras æmulentur, Pestilentes dicuntur, quales sunt, quæ maculas, quales pulicum morsus, aliásque etiam cutis efflorescentias junctas habent, idem observandum censeat: cùm enim eò usque non sit in eis progressa putredo, ut ad pristinam bonitatem revocari non possint humores, aut sanè cùm per coctionem ad quandam temperiem & mediocritatem reduci possint, ut mitescente eorum ferociâ, aut à naturâ, aut arte à Medico pelli possint, exspectanda omnino erit eorum concoctio, sicque non in principio, sed in declinatione erunt vacuandi.

Purgantia valida in peste non conveniunt.

49. Quamvis autem eorum opinionem receperimus, qui in peste in principio humores esse purgãdos censuerunt verè cathartico medicamento, inter quos diximus fuisse Arabes, & inter hos Zoarem, & Averroëm; recipi tameǹ horum duorum opinio non debet, qui validissimis utendum, & calidissimis medicamentis censuerunt. Nam Avenzoar 3. *Theis. cap.* 4. commendat medicamentum ex euphorbio, & aliud ex fimo columbino. Aver. verò 3. *Collect.* Cochias exhibet. Mediocria enim, nec impensè calida potiùs in usum duci debent, tum simplicia, tum composita, in quibus etiamsi scammonii nonnihil excipiatur, adeò tamen aliis ingredientibus corrigitur, ut ad mediocritatem reducatur.

Stibii vitrum in peste pessimum.

50. Vitrum stibii, quod tantopere probatur aliquibus, nullo modo admitti debet, quòd venenatâ suâ qualitate majorem in humoribus inducat malignitatem, & ferociam: tum quòd experientiâ compertum sit infelicissimo eventu omnes in hac nostrâ pestilentiâ, qui consilio Empiricorum eo usi sunt, ad unum interiisse.

Peste laborantibus non semper conveniunt purgatio, & sanguinis missio.

51. Neque tamen is ego sum, qui multorum Practicantium errorem sequar, utrumque hoc magnum auxilium in peste, ut & in reliquis febribus putridis, exercentium; cùm Hippocrates altero solùm utendum suadeat aliquando, aliquando autem utroque, aliquando autem neutro.

Sudorum provocatio in peste in principio pessima.

52. Sudorum in vera peste, pestilentibúsque etiam aliis febribus promotio, si naturâ duce suscepta fuerit, ut tuta est, & perplacet; ita displicet omnino, cum natura prorsus deses, inérsque nullatenus munere suo fungitur, videtúrque malo propè succumbere. Intempestiva enim, & audax nimiùm est eorum curatio, qui miseros ægrotantes frustra fatigant, aliàs excitatis toto corpore sudoribus, alias adhibitis cucurbitulis, alióve quovis ἐπισπαστικῶν auxiliorum genere, quòd aliud nihil faciant, quàm inaniter ægrotantium corpora vexare, incertámque pro certâ curationem suscipere: quæ omnia ociosorum sunt hominum, atque vires, valetudinem, vitámque alienam pro nihilo habentium. Quantumvis igitur robustæ fuerint ægrotantium vires, nunquam admittenda sudorifera hæc ab initio crediderim, nec

Medi-

Medicus Galenicus unquam maturabit expulsionem per cutim tentare, exspectabit potiùs, dum aliquid ipsa per se natura moliatur, animadvertétque curiosè, quorsum ipsa vergat, quâve parte infensæ materiæ quærat exitum, alioqui naturæ motus antevertere, incerta pro certis aggredi, contraria moliri, & ab incepto revocare non sine vitæ discrimine posset: quinimò, ne statim quidem per eas partes evacuare debet, sed solùm, ubi imperfectè operetur natura.

Sudores in peste quando promovendi.

53. Theriaca, & Mithridatica magna compositio, ut semper, nisi aut æstus ingens, aut in tempore, aut in corpore fuerit, ad præservanda corpora à peste à me commendantur; ita pro eâdem curandâ non ita frequens earum usus esse potest: quamvis enim ad cohibendum excellentem illum gradum putredinis, ac ad exstinguendam virulentiam convenirent; si tamen ardens febris subsit, æstúsque maximus in humoribus, & corpore, non ita tutò concedi possunt, ne, dum veneno obsistimus, ita febrilem calorem augeamus, ut vel ex eo solo mors ipsa subsequatur, quâcunque verò de causâ mors subsequatur, idem est. Observandum igitur erit, si prævaleat bilis in corpore, in eâque putredo illa virulenta sit concitata, præstare semper, postpositâ Theriacâ, & calidis, siccisque antidotis aliis, cæteris uti, quæ refrigerandi, & siccandi facultate præter alexipharmacam prædita sunt, ut acido citri, lapide Bezahar, margaritis, & similibus. Si verò, quod in plurimis observavi, calor febrilis sit mitis, nullóque modo æstuans, peccétque aut pituita, aut melancholia, in iisque concepta potissimùm sit putredo, virusque inde enascatur, tutò & Theriacâ, & Mithridaticâ compositione, & similibus antidotis uti licebit: quibus etsi calor febrilis nonnihil adaugeatur, major tamen erit ex illorum usu utilitas, tum in evincendâ vi veneni illius, tum in attenuandâ materiâ, & ad cutim propellendâ.

Theriaca in peste quando utendum, & quomodo, & quando abstinendum.

54. Vt lapillis preciosis, & gemmis non omnino fidem detraho, Sapphiro, Smaragdo, Hyacintho, &c. quod multis, & magni quidem nominis viris eorum usus receptus sit, & in multis, & magnis antidotis receptas illas sciam, ut in electuario de gemmis dicto, & alio à Conciliatore nomen sortito; ita nec eisdem multum tribuo ob eas rationes, quæ à doctissimo Ioh. Baptistâ Sylvatico, primo Medicinæ Professore in Academiâ Ticinensi, amico singulari, in libro, huic rei dicato, propositæ sunt.

Lapillorum preciosorum usus neque omnino rejiciendus, nec passim, ut fit, recipiendus.

55. Si quando tamen in usum Medicum ducendi sunt, communis error erit fugiendus, ne ante cibum immediatè ejusmodi pulvisculi exhibeantur, ut nec margaritarum: ex illis enim, cibo commixtis, cæmentum quoddam, obstructionibus gignendis aptissimum, in stomacho generatur. Præstabit igitur, si modò iis uti voluerimus, immediatè ante dulcoratas potiones, aut stillatitios liquores, summo mane solitos propinari, illos concedere.

Pulvisculorum cardiacorum usus non cum cibis, sed jejuno stomacho recipiẽdus.

Auri usus per os laudandus.

56. Auri usus & ad animi mœrores, & ad atrabilarios affectus antiquis & recentioribus commendatur, quòd, cùm spiritus recreet, cor, nobilissimum viscus, roborare potest: neq; enim Dessenii opinionem recipio, qui non nisi in aureâ Alexandrinâ, recentiorum Græcorum antidoto, aurum recipi, aut proponi asserit, cum alioqui & Nicander, antiquissimus & Poëta, & Medicus, auro, per os assumpto, in alexipharmacis utatur; & Diosc. *lib.* 5. *c.* 69. de argento vivo, auri limatam scobem mirabili esse auxilio scribat. Modus verò, quo uti oportet, est, vel eo in tenuissimum pollinem redacto, & comminuto hoc pacto: Defœcatissimum, & purissimum aurum eligatur, & contusum in foliorũ formâ, aquâ rosaceâ aspersâ, sub Porphyrite, aut marmore ad linimenti instar formam redigatur. Sunt etiam, qui Pannonicos ducatos, utpote ex puriore auro, sub lapide pictorũ lævigatos quàm tenuissimè, accipiant. Alii aspero linteo continuò affricant, & aquâ madefaciunt, in quâ descendat. Quòd si Chymicâ industriâ in liquorem solvatur, modò nimis igneas in se non habeat partes, fortasse magis commendari posset.

Auri per os assumendi varii modi.

Aureas monetas, & torques jusribus incoquere absurdum.

57. Stultum verò, meâ sententiâ, est, aureas monetas, annulos, aut catenas intra capones, juscula, aut stillatitios liquores, aliosve quosvis coquere; cùm in his nihil aliud absumatur, quàm multarum manuum sudor adhærens; nihil enim ponderi penitùs detrahitur post illorum elixationem: nec etiam quidquam aurum aquæ imprimat, nec etiam saporem, odorem, aliudve adjiciat.

Ex arsenico placenta pro corde in peste detestanda.

58. Placentas Iacobi Carpensis, ex arsenici crystallini partibus duabus, unâ autem parte rubri, ex albumine ovi & tragacanthæ mucilagine exceptis, quas sacculo serico, aut ex aliquâ tenuissimæ texturæ materiâ obvolutas, & cordis regioni appositas, sanos à contagii labe immunes, omninóque illæsos servare, ægris verò ad salutem magnum momentum attulisse, creditum est; neque recipio, & longâ experientiâ in nostrâ hac pestilentiâ doctus omnino rejiciendas consulo.: neque enim experientia, cui ii tantoperè innitebantur, pollicitis respondit; quinimò gravissima aliquibus symptomata induxerunt, ut in aliquibus etiam mortem præcipiti quodam impetu concitârint.. Vidimus servos, qui in magno illo D. Gregorii Valetudinario ægris, & infectis hoc morbo operam navabant, & Chirurgos, hac placentâ alioqui munitos, brevi fatis concessisse; quinimò multos vi hujus remedii in gravia adeò symptomata, animi deliquia, syncopales febres, tremores cordis incidisse observatum est, ut se per illud vim pestis effugisse somniarent, in vehementiora fortasse accidentia, & mortem ex remedio incidisse certò cognoverint. Multáque exempla in hac nostrâ pestilentiâ afferre possem nisi & ratio ipsa id persuaderet, non enim, quod aliqui afferunt conferre poterunt, quòd arsenicum occultiore vi venenis, tanquã venenum,

num obsistat, cùm arsenicum non occultiore vi, sed corrosione constet esse lethiferum. Ex quo etiam colligitur, nullam eorum esse rationē, qui eâ ratione asserunt conferre, quod cor, in peste primò affici solitum, veneno sensim assuefaciat, unde nec tam repentè, nec sine negotio potest cæcâ, violentáque pernicie corripi; cùm ratio hæc nulla sit, quòd & experientiam habeat adversantem, nec arsenicum hoc modo inter venena connumerari possit.

59. In variolis, & morbillis curandis cùm decoctum lentium passim apud Medicos Arabes maximè commendatum, etiam apud multos in usum veniat, cùm abusum potiùs illum censeam, hoc loco non abs re esse credidi, etiam hujus erroris inter Medicas istas Cautiones meminisse. Arabes igitur omnes scriptores, inter quos præcipui Rhasis 18. *Continentis*, & 10. *ad Almansorem, cap.* 18. & Avic. 4. *Cant. cap. de curandis variolis,* ad materiam ad cutim expellendam, & ad evocandas variolas ex lentibus solis, aut ex iisdem, laccâ, caricis, tragacantho, & hujusmodi decoctum parabant, ídque cætera omnia præsidia, ad hoc munus obeundum parata, superare scripserunt; quo etiam multi ex recentioribus in pestiferis, & pestilentibus febribus ad materiam ad cutim propulsandam, ac ad sudores permovendos passim uti solent: Verùm non satis ego conjicere possum, quâ ratione lentes aut sudores promovere possint, aut in variolis, peste, pestilentibúsve febribus concedi; nam si earum naturam rectè consideremus, eas mali esse succi, atque melancholicum sanguinem generare dicemus; in activis qualitatibus mediam, in passivis siccam temperiem in secundo gradu sortiri; in secundis verò qualitatibus varias, imò contrarias habere facultates; nam prima earum adhuc integrarum, & non deglubitarum clixatione cieri alvus solet, quod in extimâ superficie virtus sit irritandi, & deturbandi alvum; cùm è contrà iterata decoctio, aut tota comesta alvum adstringat, unâq; operâ collectos in ventriculo, & intestinis succos siccet, ut quæ vires corticis interni, & integram lentium substantiam recipiat, quæ vim habent adstringentem; vehementiùs tamen lens, in cibo sumpta simul cum cortice, adstringit, minùs verò decorticata. Hæc sunt, quæ de lentium naturâ ex Galeno, Græcis, & Mauritanis scriptoribus colligere potui. Galenus quidem 3. *simpl. cap.* 15. 8. *ejusdem, cap. de Lente.* 1. *de compos. med. loc. cap.* 8. 1. *de alim. cap.* 1. & 18. 2. *ejusdem, cap.* 18. & 44. 5. *in* 6. *Epid.* 33. 1. *de victu in acut. Com.* 18. 4. *ejusdem, cap.* 4. & *lib. de salub. Diæta, cap. de Lente.* Oribas. 2. *Synops. cap.* 1. & 1. *Collect. cap.* 17. & Aët. *lib.* 1. *cap. de Lente.* Paulus, *lib.* 2. *cap.* 79. & *lib.* 7. *cap. de Lente.* & Actuar. *lib. de spirit. animal. nutrit. cap.* 5. Hos secuti sunt in omnibus Arabes, præterquàm in temperamento, quod frigidum, & siccum statuunt, fortasse Hippocratis sententiam secuti, 6. *Epid. Sect.* 5. *text.* 33. ubi lentem

Lentium decoctum in peste, ut & in variolis, improbandum.

Lentium qualitates.

Lens quomodo Hippocrati frigidissima.

frigidissimum cibum statuit; quâ in re etiam à Galeno eo loco arguitur Hippocrates, quòd in activis qualitatibus medium tenere inde colligendum sit, quòd & adstringente, & solvente facultate sit prædita; cùm alioqui duplici ratione frigidum cibum constituere potuerit Hippocrates; Primò, quòd cùm adstringens sit facultas in pluribus partibus, & in majori mole substantiæ, magis frigidum cibum potest constituere: quòd si potiones è contrà, ex lente factas consideremus, quæ solvunt, primam nempe illam coctionem validiùs calefacere dicemus, quàm secunda refrigeret, quòd qualitates calidæ faciliùs in aquâ excipiantur, quàm quæ terrenæ sunt, & frigidæ. Secundò, fortè frigidissimam statuit lentem Hipp. non ratione qualitatum primarum, sed quòd, cùm humorem, & sanguinem progignant melancholicum, etiam quatenus cibi sunt, frigidissimæ dici poterunt, quòd succum producant in nostro corpore frigidissimum. Quæ cùm ita sint de primis & secundis lentium qualitatibus statuta, non video, quomodo Mauritanorum sententia hac in re admitti possit. Nam si primum eorum decoctum, non delibratis iis, præbeamus, cùm alvum moveat, potiùs à peripheriâ ad centrum humores trahemus. Quòd si decorticatas, ut Avic. jubet, imponamus, cùm tale decoctum valenter alvum supprimat, atque sanguinem melancholicum reddat, valentérque adstringat, atque obstruat, maximè tragacantho & caricis admixtis, quando ad cutim per sudores, vel aliquo alio modo humores virulentos expellere queat, non satis intelligo, cùm austera qualitas, quæ in lente persentitur, etiam Galeno teste 1. *alim.* 18. in t[illegible]â maximè parte consistat; ex Gal. 5. *de simpl. medic. facul. cap.* 26. Unde adstringenti qualitate & obstructiones augebit, & crassitiem humorum, qui ex eâ generantur, magis impinget. Prætereà, si crassum & melancholicum succum generat, si flatulenta est, & eâ ratione sæpenumerò morbos comitiales excitat, ad quid in peste convenire ullus unquam affirmare audebit? Quâ ratione etiam ex tragacantho, & laccâ decoctum, aut syrupus, ab Avic. paratus ad materias ad cutim propellendas, in variolis rejici debet, quòd humores noxios potiùs intùs obsepiat, quàm foras expellat, & corporis poros obstruat, non laxet.

CAUTIONUM

CAVTIONVM, ANIMADVERSIONVM ET OBSERVATIONVM PRACTICARVM *EX GVL. BALLONIO DESVMPTARVM.*

LIBER VI.

Continens eas quæ ad Morbos Capitis pertinent.

1. Aveant Medici prædicere se deprehensuros aliquid in capite eorum qui morbo cerebri interierint. *Annot.* 37. *in hist.* 1. *lib.* 2. *pag.* 60. Nescio quî fiat vt morborum Cerebri & notitia & curatio difficillima sit: Notitia quidem, quoniam multi convulsi sunt, Pavoribus consternati, Phrenitide, Apoplexia, Epil. sublati, Lethargicis affectibus oppressi, Sideratique, in quibus nullum fere vestigium mali, aperto cranio, inventum est, nec sanguis, nec aqua nec ichor, quanquam Medici, qui historiam morbi vidissent, & terrifica symptomata observassent, certò affirmarent sibique persuaderent, se aut inter membranas, aut in cavitatibus, aut alia in parte, aut abscessum, aut sanguinis, aut aquæ copiam deprehensuros: vt tantò cautiorem prudentioremque Medicum esse oporteat, & in investigandis rerum causis diligentiorem, quantò res sunt abditiores: Adeò est obscura morborum Capitalium ratio & evolutio difficilis: Curatio quoque non minore difficultate est involuta; quoniam nec Topica vires suas integras in Cerebrum exserunt; nec assumpta innocuè à capite causam mali amoliri possunt, præsertim si ea penitius

Capitis affectus cognitu & curatu difficiles.

nitius Cerebro hæret, & si ipsum τῇ πρωτοπαθείᾳ laboret: si enim sympathia, non tantis difficultatibus res implicatur. *Histor.* 1. *lib.* 2. *Cons. pag.* 31. *Cons.* 71. *lib.* 3. *pag.* 187.

Errhinis cautè vtendum. 2. In vsu Errhinorum magna cautione utendum est, sive utendi tempus & particulare & universale consideres, sive materiam: de tempore particulari, ut singulis diebus, aut mane aut vesperi: vesperi omnia sunt cruda, mane cocta & parata exclusioni: Sic quod Errhinum commodè usui esse poterit matutino tempore; vesperi inutile esse poterit à cœnâ; manè enim sequax & obediens est materia, vespere rebellis: serò crassa per cruditatem, manè per coctionem, crassa fit enim, lævis & æqualis, sic minore negotio extruditur: Quò pertinet locus Hipp. 3. de Diæta, *Nares citra causam apertam à cœna implentur & repletæ esse videntur, emungunt autem nihil: vbi manè deambulare & exercere cœperint, emungunt ac spuunt: mucus & saliva repletionis sunt crisis*, i. e. index & signum: quiescente corpore meatus spiritus illa obturant: ubi calefactum est corpus præ labore, attenuantur & excernuntur: De tempore particulari dictum est, de universali dicendum: Alia Errhina æstatis tempore, alia autumni, alia hyemis usui esse debent; In materia ferè peccatur: ferè enim omnia ex herbis calidis & siccis parantur, ut hyssopo, majorana, stœchade, anagallide, cui postrema vis inest maximè detersoria, desiccatoria, &, ob calorem nonnullum, attractoria: At magna hominum pars non mungit facile ob siccitatem quandam & caliditatem quæ inest in capite. Id genus sunt biliosi, melancholici, atrabilarii, qui curis & sollicitudine animum exercent, ab eorum enim naribus nihil excernitur, nisi partes hæ fuerint prehumectatæ: ideo Hippocr. 3. Acut. dicebat balneo nares humescere: sicque valent potiùs quæ suo blando calore & halitu humido partes istas tepefacient; De majoranæ pugillo in aqua multa macerato dici hoc potest, quod à nonnullis tutò usurpatur: tutiùs betæ & anagallidis succus; hydromeli ad detergendum & humectandum conferre potest. *Annot. in Cons.* 59. *lib.* 3. *pag.* 164. & 165.

Errhina quomodo usurpanda. 3. Fernelius probat expurgationem cerebri per gargarismos, si liquor haustus in nares ore resupino relabatur in fauces: fiat decoctio in hydromelite: macerentur Iris, Salvia, Cyclaminum, vel in hydromelite dissolvitur mel anthosatum. *Annot. in Cons.* 21. *lib.* 2.

Metasyncricis & validis cautè utendum. 4. An in affectibus capitis evocantibus ex alto & medicamentis validis est utendum? Affectus multi sunt, itaque distinctione est opus; inter cætera notandus locus Celsi qui de Phtheiriasi loquens ita scripsit, *Medicamenta intus lenia esse debent, ne quid acrioris pituitæ concitent*: Huc pertinet quod animadverterunt quidam Chirurgi, nimirum in vulneribus & offensionibus capitis medicamentorum

rum usum non valde utilem esse, nam augentur dolores, symptomata excitantur, inflammationes provocantur, agitatur enim humor, non evocatur : *Epidem. lib. 2. pag.* 268.

5. Observandus iste Canon quem Celsus eleganter descripsit, *Cum omnibus sit inutilis post cibum aut contentio, aut animi cogitatio, tum iis præcipuè qui vel capitis, vel arteriæ dolores habere consueverunt, vel quoslibet oris affectus : vitari etiam gravedines distillationesque possunt, si quamminimè eum qui his est opportunus aërem, loca, aquasque vitet : si caput in Sole protegit, ne incendatur, néve subitum ex repentino nubilo frigus id moveat : si post concoctionem jeiunus caput radit : Si post cibum neque legit neque scribit. Cons.* 1 *lib.* 3. *pag.* 9. *Canon observandus ad capitis tutelam.*

6. Caput non nimis tegendum nec aperiendum & contumeliis aëris objiciendum : quanquam antiquitas pinxit omnes ferè tecto capite, ut erat solicita de tegendo rationis domicilio. *Cons.* 24. *lib.* 3. *pag.* 100. *Caput mediocriter tegendum.*

7. Magnarum cogitationum cursus reprimendus, ut enim laborante pede nec standum nec ambulandum; sic nec cerebro infirmo laborandum. *Cons.* 120. *lib.* 3. *pag.* 286. *Intensæ cogitationes capiti nocent.*

In Dolore Capitis.

Ballonius.

8. In Doloribus Capitis curandis plus cunctando sæpe proficitur quàm maturando : Et in paregoricis potiùs consistendum, & expectandum donec morbus aliquantùm maturescat : Cur enim Dolores capitis sua non habent tempora ut & alii morbi? id declaravit serva D. de Guibbeville, cujus dolor in capite omnia nostra elusit medicamenta. *Epidem. lib.* 2. *pag.* 214. *Præceps cura nocet.*

9. Notandum quod scribit Rondeletius cap. de dolore capitis ex bile; Sæpe terreri medicos cùm vident ob dolores capitis vires admodum detritas; non audent enim aut insignes venæ sectiones, aut valida præscribere medicamenta, & tamen in his tantorum dolorum sedatio consistit : tamen isto infirmitatis metu terreri non debemus : quid tantopere enim corpus frangit & spiritus dissoluit? Dolor; ergo eum amovere studeamus : quoniam autem stupescit quodammodo sensus ob insignem dolorem, danda sunt medicamenta valida, quæ naturæ calcar addant, alioqui inanis erit opera : & sic fecimus in servo Episcopi Cisteronensis, cùm adeo præ dolore capitis infirmum esset Caput vt animam agere videretur, tutudimus venam frontis & satis copiosè sanguinem detraximus : in illo verum comperimus quod Hippocr. scribit. *Quibus capitis ac colli dolor adest,* *Vires debiles non impediunt generosum remedium.* *In Coacis.*

& totius corporis tremula impotentia, sanguinis eruptio solvit, quin & tempore hac solvuntur, verum vesica in his supprimuntur : Nunquid arte sanguinem detrahere conveniet? *Epid. lib. 1. pag. 41. & 42.*

Dolorum gravitas non solis primis qualitatibus adscribenda.

10. Capitis dolores non tam surgunt ob humorem melancholicum, aut frigidum, quatenus ejusmodi remanet; Quæ enim humori melancholico inest siccitas, ea parum ad dolores excitandos idonea est: frigiditas verò & humiditas (quæ tanquam qualitates propriæ pituitæ quadrant) parum quoque ad generationem dolorum valent : nam, opinione Galeni, frigus torporem potius inducit : Itaque, cùm in fluxionibus tam acerbi dolores excitantur, vel tales humores sunt Pituita Salsa, aut Acida, vel flatulenta materia est : ac credibile nullum pene dolorem excitari, quin aliquid fit de natura flatulenta & ichorosa, quod videbatur Medicis Pneumaticis, quorum dogma videtur Hippocr. secutus lib. de Flatibus. Istas ventositates, ἀνεμίας vocare possis, & flatus subventaneos, vagabundos leves, irritos; in talibus autem Phlebotomia solvit. *Ephemer. lib. pag. 44.*

Inductus dolor & tremor capitis pilul. ex hydrargyro.

11. Mirum quod contigit uxori I. Chalentonii, hæc enim imprudentis Pharmacopæi consilio usa pilulis ex hydrargyro, ab eo tempore caput doluit, cerebrumque ita affectum fuit ut perpetuò vacillare videatur. *Epid. lib. 2. pag. 263.*

12. Cerebrum non fert phlebotomiam largam.

12. In Capitis doloribus (nisi forte periculum grave minentur) nec nimis securè venas frontis aut occipitis aperies, nec audacter arterias temporum reserabis : At, ajunt, multus in capitis venis sæpe sanguis deprehensus est? Credo, in malè affectis, cùm factus est morbus quem Hippocr. vocat τὸ ὑπερέμετον τῶν φλεβῶν τῆς κεφαλῆς : at Cerebrum pars est naturâ frigida, spiritu limpido & illustri valdéque elaborato plenum est, cujus facilis est dissipatio, & proinde aut imminutæ memoriæ, aut morborum frigidorum, aut cæcitatis occasio: præterea, quod dolet caput sæpe, id potiùs post quandam effumationem fit quàm sanguinis copiam, at ista effumatio potiùs postulat revellens remedium, ut Purgationem, quàm Phlebotomiam : accedit quod Cerebrum potius nutritur per modum raptus quàm legitimæ attractionis : glandula enim est, & situm in corpore superum habet : at carnes quia sunt calidæ humidæ natura, non ex eventu, vt Cerebrum, ve è ab Hippocr. Epid. 6. ἑλκοὶ dicuntur, i. e. attrahendi facultate pollent, ideo & facilè in iis sanguis congeritur & attrahitur ad eas, propterea minùs formidare oportet phlebotomiam in morbis carnis, *Epid. lib. 2. pag. 117.* Et Aristoteles lib. de somno ait, sanguinem capitis esse tenuissimum, contra partium inferiorum crassissimum esse, ideo non fieri potest quin tenuissimum sanguinem multi comitentur tum fixi tum fluentes spiritus : item ab Hipp. cerebrum dicitur esse glutinosum frigidique metropolis: vide

vide Hippoc. lib. 7. Epid. in historiâ Halicarnassensis ad dissuadendam phlebotomiam, præsertim frequentem, in dolore capitis: *Epid. lib. 1. pag. 95.*

Sectio arteria temporalis & vena Puppis cũ Pyrotico, dolorem circa occiput mitigavit.

14. Mulieri cuidam dolor implacabilis circa collum & in occipite, etiam minimo digitorum appulsu dolor sæviebat, secta arteria temporalis & venæ Puppis, applicatum parti dolenti Cauterium, meliùs multò habuit. *Epid. lib. 2. p* 241.

14. Arteriotomia quando locum habet.

14. Potest obstinato malo Arteriotomia decerni, & cùm redit dolor est velut accessio febrilis, maximè existente febre particulari & velut capitali. *Cons. 1. lib. 3. p. 7.* Quibus in capite focus est, ut jam doctrinæ gratia febris capitalis dicatur, oculi rubent, dolorque pulsatilis percipitur, est velut σπασμὸς venarum capitis, ut ait Hipp. lib. 2. de morbis, annon arteriotomia confert? audimus Cardinalis Lothareni, qui febre capitali interiit, aperto capite repertas venas omnes adusto plenas sanguine, & meninges veluti tactas de cœlo & sideratas. *Epid. lib. 2. pag.* 129. Yvoni Chirurgo ἀπυρέτῳ ἐόντι ferè dolores aderant capitis profundi, vehementes, lancinantes, divellentes, διαίσσοντες, ut inde vires penè consternarentur: omni modo laboratum est ut dolores sedarentur, sed præsentissimum attulit remedium arteriotomia, dicto enim citiùs conquievere: qui sanguis detractus est, ei erat assimilis qui ex brachio detractus fuerat: at non audacter sanguis mittendus è capite, &c. *Ep. l. 1. p. 94.*

Quinam purgatione irritantur.

15. Hippocrat. partic. 115. libri 4. Acut. Cùm dolentes capite à Purgatione excludit, non omnes audit, sed eos qui sine cacochymia ob externum errorem aut excessum ita affecti sunt, quibus potiùs jusculis, cibo potionéque est consulendum: Vel forte de iis doloribus intelligit qui cum febre sunt, in quibus obest purgatio capitis, illi enim à vapore elato & à febrili calore suscitato surgunt: quod defœdatis virginibus maximè contingit, si quidem experientia vidimus in fœdis coloribus, cum febre quadam lenta & obstructione junctis, immedicabiles capitis dolores paruisse, quibus tollendis medicorum opera nil planè contulit: Item ibid. loquens de diuturnis doloribus capitis, ait, *Si caput purgaveris, magis affliges:* hoc autem evenit cùm materia adhuc cruda est, nam si dantur pilulæ aut alia medicamenta valida, & valide è capite humores abducere solita, dum movetur humor, pote crudus, magis ferocit atque irritatur, itaque expectandum donec mansuescat, ita enim medicamento trahenti parebit; de iis Hippocr. dixit, lib. de locis in homine, *Febricitanti caput ne purgato, alioqui furiosus fiet.* Quod diligenter notandum est, ne frustra in fœdis coloribus pilularum cephalicarum usu capitis dolorem rebellem profligare tentemus; Nos enim asserimus id frustra sæpe tentatum à medicis, qui non

habita ratione doloris capitis virgines affligere soliti, ad pilulas confugerunt, dolorem auxerunt nedum sustulerunt, imò ne lenivere quidem. *Libro de Virg. & Mulier. morbis cap.* 7.

Pilula noxia in dolore à flatu.

16. Si dolor capitis à flatu est ex quadam pituitę resolutione, nunquid Pilularum tutus usus, quarum tenuis & acer calor facilè pituitam in flatum resolvit & ita causam auget? *Epidem. lib.* 1. *pag.* 44.

Pilularum usus etiam præsente febre contulit.

17. Cuidam in dolore capitis acerbissimo, febre assidua, sed cujus argumenta in capite erant, Pilularum usus, etiam præsente febre, contulit. *Epid. lib.* 2. *pag.* 261.

Pertinax pilulis sine quibus sanatus & hidrotico.

18. Virgo jam menses multos medicamentis agitata, & serva quædam, non convalescebant: dolores capitis perseverabant & totius corporis: tandem Pilulis sine quibus & Communibus usæ sunt ante pastus, profuit valde: deinde Salsæ parillæ decoctum satis dilutum imperatum est, eliciti sudores per quatuor dies: mirum in modum profuit: Annon simile usurpare licet? imò ubi seri suspicio est, contemperare oportet & sudorifica præscribere, *Ep. lib.* 2. *pag.* 155.

Periodicus quomodo sedatus.

19. Quidam dolore capitis periodico vexabatur, quomodo & plerosque alios laboravisse observavimus: magna alvi subductione & sanguinis detractione liberatus est: juvit quoque & cataplasma anodynum ex mica panis. *Epid. lib.* 2. *pag.* 243. Uxor Domini de Here eo modo laboravit, nam periodicus fuit dolor capitis, instar Hemicraniæ, tandem validissimis purgationibus cessit: *Ibidem pag.* 263.

Hemicrania pil. & hidroticis sanata.

20. Hemicrania intolerabili quidam cruciabatur, pilularum potentium usus profuit; natura particularem in tempore sinistro sudorem provocavit, conferebat; arte & ministerio provocatus est sudor ampliùs, melius ei fuit: Annon cum crudeliter caput dolor affligit, præeuntibus universalibus, hidrotica dare bonum est, ut serum, præcipuus doloris author, educatur? revera id confert. *Epid. lib.* 2. *p.* 155.

In Hemicrania danda medicamenta tempore paroxysmi.

21. Qui inveteratas habent Hemicranias, præsertim si non tam per protopathiam quàm per sympathiam excitentur, sæpe aut aëris mutatione, aut diætæ, aut intempestivo quodam rerum externarum occursu suos veteres dolores experiuntur: an juvat eodem die quo & dolores repetunt valida exhibere medicamenta? ita enim ferunt, dum humores sunt in orgasmo, bonum esse conari aliquid contra obstinatos, contumaces & inveteratos morbos, & narrant se ab inveterata Hemicrania liberatos, *Epid. lib.* 1. *p.* 48.

Narcoticis quidam sedandus.

22. Capitis dolores quidam oriuntur ex acuitate sensus, quemadmodum quidam facilè syncopisant & resolvuntur ob acutiem sensus,

ſenſus, & oportet maximè providos eſſe ne quid hic peccetur : revera cùm magna ſuſpicio eſt ſenſus acuitatis, ut levi de cauſa oriatur dolor, qui ob eam acutiem ingens fit, ad narcotica veniendum erit, & meo quidem judicio tutò applicari poſſunt. *Epid. lib.* 2. *pag.* 162. Ad ſenſus acutiem veteres non reformidant ſopientia & foris admota & aſſumpta : & foris conſerva Nenupharis & Violarum cum ſemine lactucæ &c. *Conſil.* 1. *p.* 7. & 43. *p.* 157. *lib.* 3.

23. Cuidam dolor capitis implacabilis circum ſuturam coronalem : irrita medicamenta, qua parte dolor deſignabatur, eadem facta ſcalpello ſectio, non profuit; aperto capite repertus eſt vermis inter calvariam & Piam matrem ſitus, Si terebrata calvaria fuiſſet, ſpes aliqua vitæ fuiſſet. *Paradigm.* 19. *Quidam ſolo ferro ſanabilis.*

24. Notatu dignum pleroſque Cephalalgicos, Vertiginoſos, Arthriticos, à moleſtiis morbi, ſaltem incrementis, vindicari adhibito ad eam partem ruptorio, quæ Inion dicitur, ac præſertim ad extremum ejus quod eſt initium ejus ſcrobiculi qui in fine occipitis eſt, quà multi nervi decurrunt : at revera nulla pene moleſtia nullóque incommodo id fieri poteſt, & hinc profectus maximus conſequitur. *Annot.* 5. *in conſ.* 3. *l.* 2. *Fŏticulus in inio valet.*

25. In acerbis doloribus capitis an Galli exenterati applicandi? cùm humores adhuc moventur ac ſurſum rapiuntur, ut curetur gravitas capitis, pleriſque adhibiti ſunt ad ſomnum conciliandum, nocuit plurimum, tamen ſub finem Phrenitidis valent ad digerendum. *Ep. l.* 1. *pag.* 5. *Pipionũ admotio quando ex uſu.*

26. Lotio capitis ab antiquis uſurpata, à noſtris intermiſſa, quia facilè peccatur in lotionis uſu, ſi modò prudenter adminiſtretur, plurimum eſt auxilii allatura : lixivium ſit potiùs ex his quæ laxant & temperant, ſi dolor capitis ab æſtu viſcerum originem ducat, *Conſ.* 1. *l.* 3. *p.* 8. *Lotio prudenter adminiſtrãda.*

27. An in doloribus Capitis cum calore & humore ἑτερογενεῖ (linioſo mixto cum pituitoſo,) præſertim cùm ſerum bilioſum adeſt, conferent embrochę ex oxyrrhodino & repercutientibus? Si enim minima ſeri per ſudorem excretio capitis dolores acerbiſſimos ſedat, nunquid uſu adſtringentium in Capite, tanquam carcere, concluditur humor, qui difflari prohibitus, ſeipſo per moram deterior & fit & exiſtit? *Ep. l.* 2. *p.* 114. & 115. *Oxyrrhodina ſæpe noxia.*

28. Vulgò omnes medici calidos fotus & embrochas ad Dolores capitis inſtituunt; at cùm maxima pars eorum ſit ab humore aut per ſe calido, aut à vapore, aut ab aduſto, concluſo, & ob difflationem prohibitam quadamtenus putreſcente, fruſtra tot *Calidi fotus & embrocha ſæpe nocent.*

lixivia ex calidis cephalicis instituunt; *Histor. 4. lib. 2. Consil. p. 139.*

Sacculis paregoricis levatus dolor pertinax. 29. Illustris Domina de Charni implacabilibus capitis doloribus tenebatur: suspicabantur humorem esse frigidum, rebellem, efferatum tamen & jam in flatulentam naturam versum: sectæ venæ sunt brachiorum, purgatum corpus, vesicæ suillæ admotæ lacte plenæ: nil proficitur, tandem interbastantur sacculi semine lini pleni, vino & aqua incoquuntur, applicantur, dolores cessant, non longè post repetunt, eadem usurpantur, tandem cum nil proficeretur, sæpe adhibentur Galli exenterati, miraculo convalescit, *Epid. lib. 1. p. 45.*

Frictio capitis quando instituenda. 30 Frictio capitis est ubi juvat, est ubi obest; student omnes caput siccare, in Biliosis, & iis quibus caput biliosius & æstuantius est, nocet, non ex parte ipsius cerebri, sed ex parte membranarum ejus & Pericranii: frequenti enim frictione caput & siccius & minus perspirans redditur: *Consil. 1. lib. 3. p. 8. & Cons. 18. l. 2. annot. p. 232.*

Balneum aliquando confert. 31. Galenus parte 42. lib. 4. Acut. de usu Balnei in Dolore capitis ita statuit, *Capitis solius quovis alio modo habentis caliditatem Balneum iuvat: cùm verò spiritus flatulentus ob humorum pravitatem ad caput fertur, hos lavare non convenit*, Ac si dicat, Si localis est affectus in Cerebro, juvat lotio, Si à toto corpore, disconvenit: *Consilio 1. lib. 3. p. 8. & Histor. 4. lib. 2. Consil.*

In incipiente adstringens Emplastrum valet. 32. Dolor Capitis incipiens Emplastro adstringente mitigatur: id docet Frontale puerorum capiti applicatum, quod strictius additum, dolorem repellendo compescit, est enim Frons pars maximè excipiens, Occiput mittens: *Cons. 1. lib. 3.*

Vinum suspectum. 33. Etsi ex Gal. aph. 21. lib. 2. & 36. 7. vinum lædat caput, afferens convulsiones, deliria, ubi inanito corpore sumitur, tamen idem 6. Epid. sect. 6. aph. 5. in doloribus capitis & hemicraniis præbet: quomodo autem merum juverit somno conciliato Gal. eo loco explicat; id quod est notandum, quoniam id communi omnium opinioni repugnat: Et si ad affectus nervorum & cerebri remedia calefacientia & siccantia conferunt, cur vinum calefaciens & siccans non valet? an quia fundit vinum magis? an quia ut alimentum subit magis, & si quid nocere potest, magis nocet? fundit enim & non discutit. *Annot. 10. in Cons 1. lib. 3. pag. 12.*

Inedia cuidam speciei noxia. 34. In Cephalalgia ob sensum capitis exquisitum, inedia inutilis imò malefica est: ventriculus enim repletur per jejunia ichoribus, qui suffusiones & dolores capitis magnos excitare solent, *Cons. 1. lib. 3. p. 7.*

p. 7. Non ferenda inedia, etsi quidam medici inedia pertinaci aculeos omnes bilis dicant retundi; ego verò contra, nam efferatur magis. *Conf.* 43. *lib.* 3. *p.* 137.

35. Cùm mulieres queruntur de sincipite, videndum nunquid aliquid sit hystericum, nam passim in lib. de *morbis* scripsit *Hippocr.* vterum maxime sincipiti consentire: mulier quædam tum demum de sincipitis gravissimo dolore queritur cum erumpunt menses, adeo magnus vterorum cum sincipite consensus, vide *Langium* Epist. 49. lib. 1. *Epidem. l* 2. *pag* 129. *Dolor sincipitis in mulieribus ferè ab utero est.*

36. Anno Domini 1575 deprehendimus seri biliosi, efferi si quando aliàs, magnitudinem & malignitatem: Atque huius maximè vis & copia in cerebro apparebat; Nam capitis dolores viguere tanti tamque longi vt medicorum opera eluderetur. Seri malignitas remediorum vim superabat: nec non conclusum ibi in capite & exitum non habens, non poterat non affectionem nutrire: Et quod nobis videbatur, illud serum peculiarem in cerebro generationem habens, & quod indomitos capitis dolores inferebat, diathesin quandam in cerebrum induxerat, quæ tantæ diuturnitatis causa esse poterat: vnde cùm sine febre ægri esse viderentur, tamen nescio quæ erat oris siccitas, oculorum rubedo, pulsus in temporibus manifestus, sensus punctionis & lancinationis: An istis doloribus conferent embrochæ &c. *vide artic.* 27. *lib. ij. Epidem. & Ephemerid. pag.* 113. His capitis doloribus indomitis, balnea aquæ dulcis conferre potuerunt, cùm esset febris lenis; & pauci hoc animadverterunt, sed tamen verum ex Galeno: Oxyrrhodini & similium vsus an tutus? Imò noceratione aceti quod vigilias excitat? *Ibidem. annot. ij. & iv. pag.* 13. *Capitis dolor à Seri in eo dominatu.*

37. *Blandinus* dolebat caput, ophthalmicus erat: mirum quod nulla ratione dolor tolli potuerit: arteriotomia celebrata concedebat quidem aliquando malum, sed periodo incerta redibat, Is expurgare luto vicos solebat; An non teter vapor qui exhalat inde, caput ferire & afficere potuit, & nescio quam pravam diathesin capiti inurere? ita sane. *Epid. lib.* 2. *p.* 206. *Capitis dolor à tetro vapore forinsecus adveniente immedicabilis.*

38. In cephalalgia biliosa à validioribus est temperandum, quia corpus impendio magis incalesceret & agitaretur: at humorum tranquillitas & quies eorumdem perturbationi & seditioni est præferenda. *Conf.* 1. *lib.* 3. *In cephalalgia biliosa à validis abstinendũ.*

39. Viduæ N. filius intolerabili capitis dolore vexatus est, Id fecit parvi materni doloris & humoris maleficio calvitium contigit. *Epid. l.* 2. *p.* 226. *Neglecta cura succedaneũ habuit calvitium.*

40. Observavimus pulsum in temporibus vehementem esse posse, dolorem capitis insignem, perceptionem caloris in fronte, vt iam in capite foveri febris videatur, cùm tamen nihil tale in toto corpore *Datur febris capitalis, in cerebro sedem habens.*

corpore appareat, aut saltem non est ἀξιόλογον: Id Hippoc. 1. Epid. primus observavit, *Polycrati febris, sed adeo lenis, facta est, vt obscura consisteret, praterquam in temporibus*, Et paulò post, *Pythidoro febris continua ad 14. obscura erat: in temporibus autem manifesta erat: ipse sibi sanus videbatur: corpus totum à sudoribus perfrigeratum erat exceptis temporibus.* Item, *Eratolai filio dysenteria fuit & febris, febricula nec agro ipsi nec multis omnino adesse videbatur, adeo obscura erat: iuxta tempora pulsus erat, lingua pra siccitate subalba, moderate siticulosus & sine somno erat.* Denique eo loco innumeros commemorat in quibus febris tantùm in capite esse videretur. Similem affectum in puerorum capitibus vocamus σειρίασιν vel σειρίασιν, ἀπὸ τοῦ σειριάσθαι i. e. inflammari & siccari: Est autem inflammator,a dispositio in cerebro, vt febris si qua adsit, non sit ei analoga, alioqui verè phrenitis esset. *histor.* 4. *lib.* 2. *consil. pag.* 128. Audivimus observatum esse ab Hippocr. in Coacis (quoniam locum nondum vidisse contigit) Rigores aut horrores inanes, in febrium paroxysmis, translationem in caput afferre symptomaticam, i. e. dum effertur vapor febrilis à foco, aut tenuis ichor, qui naturam perturbans, & calorem efficiens, eundem foris intro revocat, vnde aut rigor aut frigus insequitur periodicum: quod si hoc frustra fiát, & potius rectà vapor caput appetat, ac si constituatur firmeturque sedes in capite, dolor sævissimus oboritur, & adurentis in toto capite caloris sensus excitatur: in cæteris partibus nil simile percipitur, Et vulgus se febrem in capite habere narrat. *Histor.* 1. *lib.* 2. *consil. pag.* 5. *vide lib.* v. §. 2. *& supra* §. 14. *&* 40.

Septalius.

Oxyrhodina in capitis dolore prosunt magis, si ex alto decidant.

41. In capitis dolore ab æstu, Sole, igne, & similibus curando, cùm oxyrhodina in usum veniant, & frontalia illa semper magis laudantur, quæ ex alto delapsa super suturam coronalem decidunt, maximè si ad interna, & cerebrum intemperies pervenerit, quæ æstate actu frigida esse debent.

Oxyrhodina applicata ne siccentur, nec ex crassâ materiâ applicentur.

42. In iisdem stupis, vel duplicatis linteolis applicandis caveant, ne crassiores applicentur, aut exsiccatæ parti nimis adhæreant, contrarium enim effectum pariunt, excalefaciendo & insensibilem evaporationem prohibendo.

43. Oxyrhodinis narcotica vix admiscenda.

43. Oxyrhodinis narcotica non admisceantur, vel leviora: frontalibus autem etiam valentiora admisceri possunt; ad cerebrum enim vix, & refractâ vi, per hanc partem perveniunt; per illam verò, suturâ viam præbente, integris viribus ad cerebrum pervadunt.

44. Narcoti-

44. Quinimò in oxyrhodinis, & similibus, nunquam narcotica admiscenda

miſcenda eſſe cenſeo ratione dolorum, ſed, cùm vigiliæ inde ſuccedant, unde maximè vires collabaſcunt, in uſum aliquando venire poſſunt; ſed tamen ſuturis aut nulla, aut debilia applicari debent, ſed fronti potiùs & temporibus.

ca in capitis dolore ratione doloris nõ adhibenda, ſed aliquãdo ratione vigiliarum.

45. Multóque minùs ſomnifera hæc per os erunt ſumenda in intemperie calidâ ſine materiâ, ratione doloris, cùm inde nullum vitæ impendeat periculum, nec ullus ſibi ob capitis dolorem manus intulerit, teſte Galeno, ut ex aurium, & oculorum dolore; ob diuturnas tamen vigilias ſumi poterunt.

45. Narcotica in dolore capitis per ſe per os non aſſumenda.

46. Animadvertendum autem, aliqua eſſe corpora, quorum cerebrum ferre non poteſt uſum inſigniter refrigerantium. Pueri, ob exceſſum humiditatis, ne congeletur, aut incraſſetur, indéque in morbos comitiales, & ſimiles incidant, tum & ob ſubtile nimiùm cranium: ſenes, ob imminutum calorem, & excrementorum copiam: mulieres, molles, & candidæ, & qui catarrhis ſæpe tentantur, & qui laxas nimium habent ſuturas, ex iis ſunt.

46. Inſigniter refrigerantia quæ capita non ferant.

47. Aceti pars in doloribus mitigandis ex intemperie calidâ ſine materiâ non major ſit quartâ; cùm nullus hîc ſit uſus repulſionis, ſed ad refrigerandum addatur, & ad penetrationem, cujus levis portio ſufficiet, cùm & calidæ in eo partes reperiantur.

47 Dolente capite ex itẽperie calidâ, aceti portio in oxyrhodinis ſit parva.

48. Ob id acetum neque acerrimum ſit, neque ex potentiſſimo vino, igneas enim multas partes ſic continebit.

48. Acetũ in oxyrhodino quale conveniat.

49. Oleum itidem roſatum in eo dolore calido ex olivis maturis ſit, ne, ſi ex acerbis ſit, cutim conſtipet, ac difflationem impediat, potiſſimùm cùm revulſione non egeamus, nullâ affluente materiâ; in tali enim caſu omphacino uti licet.

49. Dolente capite ex intemperie calidâ, oleum roſatum ſit ex olivis maturis.

50. Sit oleum roſatum, eo anno paratum, & oleum ſit ejuſdem anni: illud quidem, ne roſarum vis refrigerans exſolvatur; hoc autem, ne ex vetuſtate calorem contrahat.

50. Oleum roſatum ſit recens.

51. In dolore capitis à frigidâ materiâ, quæ ad mitiorem reddendum dolorem applicantur, non ſint fœtentia, gravíve odore prædita; replere enim craſſis vaporibus cerebrum ſolent, & dolores augere.

51. Non fœtentia ſint, quæ capiti applicantur

52. In doloribus capitis ex morbo Gallico errhinorum uſus nullus ſit: ſive enim ex bile ſit, ſive ex pituitâ putri, ulcera in penitioribus naſi partibus ex iis excitantur, & ſubinde oſſium naſi corruptiones.

52. Errhina pernicioſa in doloribus capitis ex morbo Gallico.

53. In acutis febribus, ſi quando vehementiſſimi dolores capitis ſupervenerint pulſatiles, cum rubore faciei, non ſtatim oxyrhodinis repellentibus utendum, potiſſimùm ſignis coctionis præſentibus: ſæpe enim ſuperveniunt inſtante criſi, & ſanguinis è naribus profluvio proficuo; quo in caſu, ſi infrigidantibus repellatur, optimo opere naturæ impedito, aut augeſcit morbus, aut in cerebro

53 In doloribus capitis, etiam vehementiſſimis, imminente

crisi fugienda repellentia. cerebro firmatur materia, & cerebri morbos invincibiles parit.

54. Crisi imminente, quando à capite repellendum. 54. Quòd si etiam crisis immineat; dolore magno superveniente, sed non per sanguinem narium, sed per vomitum, quod quomodo discernatur, ex lib. de Cris. colligi potest; tunc repellentibus, quin & adstringentibus uti licebit, ne per vomitum, cerebro repleto, dolor per idiopathiam reddatur.

Pilulæ capitales à cœna non danda. 55. Non recipienda est communis multorum consuetudo, pilulas, ad humores à capite trahendos institutas, exhibentium statim à cœnâ: aut enim cibos corrumpunt, aut illorum vis retunditur, aut simul cum cibo è ventriculo effusæ sine suo frustrantur. Præstat igitur aut incœnatis concedere, aut summo manè exhibere, somno unâ aut alterâ horâ concesso.

Masticatoria quando non concedenda. 56. Si dolor capitis sit à bile, vel à seroso humore calido, & salso, tenuíque, masticatoria suspecta erunt; periculum enim imminet, ne in pulmones violenter influxa, aut phthises producat, aut pulmonum alia vitia.

Errhina & sternutatoria mala laborantibus oculis. 57. Si item oculi imbecilles sint, & fluxionibus obnoxii, errhina, & sternutatoria fugienda sunt.

Vesicantia optima capiti applicata in vehementissimis doloribus & cõtumacibus. 58. In contumacibus, & diuturnis doloribus, ubi non cederent aliis, & potentibus quidem remediis, antiqui & Græci, & Arabes ad pustulantia, rubificantia, & dropaces, sinapismósve attrahentes confugiebant, ut ab internis evocarent crassam materiam, atque attenuatam per insensibilem evaporationem evacuarent: sed cùm cutis capitis crassior sit, quàm ut liberum humori aditum concedat, neque ulla sensu patens fiat evacuatio humorum, ego sæpissime expertus sum, præstare derasis capillis vesicantia imponere aut parti dolenti, aut toti etiam capiti; sic enim attracta ad externa materia evacuatur, maximè ea, quæ tenuior est, & calida, & acrisi vix enim, etiamsi diuturnus dolor à crassâ materiâ fiat, fieri potest, ut vehementia doloris adsit, nisi portio aliqua illius humoris sit admixta.

In Phrenitide.

Ballonius.

Phrenitis à sanguinis effusione nimia. 59. Uxor N. quibusdam convulsionibus obnoxia est & mente movetur sine febre, præsertim perspicua: cùm laboraret, ingens hæmorrhagia & indomita fuit: credibile sanguinem multum fluxisse,

se, qui & bilem & succum melancholicum temperaret, hæc autem habitu est melancholico, ita enim Hippocr. 7. Epid. narrat de quodam Halicarnassensi, cui cùm in dolore capitis secta esset vena, evacuatione & perfrigeratione quadam capitis Phreniticus factus est, *Epid. lib. 2 pag 194.*

60. Si in deliriis & Phrenitidibus (modò non jam sit alienatio sed alteratio tantùm) magnæ, ut sit, in Cerebro inflammationis notæ adsunt, nunquid contenti esse debemus sectione venæ in brachiis & cucurbitulis? nunquid, & tutò & ex arte aperiri possunt aut arteriæ aut venæ frontis? illud enim est dolorum proximum ventrem aperire: Si in dolore capitis intolerabili & apertio venæ frontis & arteriotomia confert, nunquid in Phrenitide hoc fieri potest? cum enim in Phrenitide, authore Galeno partic. 73. sect. 2. l. 1. Epid. materia venis egressa sit, & jam adhæreat partibus ipsis, veluti secreta à massa sanguinis, nil aut parùm præsidij affert vena brachii, *Epid. lib. 2. pag. 129.* *Vena capitis aperienda.*

61. Nicolaus Marguenatus caput dolet, febricula; astantium errore & negligentia malum augetur, Cerebrum obsidetur maximè: ferè Phreneticus factus est, turbatur plurimùm nec potest contineri: ecce Medicus, ut id sedaret, Pilul. de cynoglosso ℈ß. cum syrupo papaverino & aqua cardui dissolutarum dat, Sopitus jacet; tunc manè purgant illum vehementissimis medicamentis & clysteribus sæpiùs repetitis: forte hoc imitandum, & somnus in tali casu conciliandus, ut ne inflammentur magis spiritus vigiliis ipsis, & ut pertinaces non fiant ægri, nisi obstupefacti fuerint medicamentorum usu. *Epidem. libro 2. pag. 215. & 216.* *Narcotica cōferunt antè purgationem.*

62. Sub Phrenitidis finem Gallos exenteratos applicabis capiti, valent enim ad digerendum: at cùm humores adhuc moventur ac sursum rapiuntur, nocent plurimùm *Epid. lib. 1. pag. 5.* *Galli exenterati sub finem demū capiti admovendi.*

Septalius.

63. Vix in Phrenitide lenienti, per os assumendo, ad deturbanda excrementa, in ventriculo, & primis venis existentia, primâ die locus datur, sed molli clysmate injecto, si ejus etiam commoditas detur, mittendus est sanguis, sectâ in brachio venâ: cùm enim influxus jam desierit, aut majori ex parte factus sit, frustra hoc auxilium revulsorium tentamus; *Phreniticis statim vena secanda.*

64. Cave autem ne in Tralliani, & aliorum errorem incidas, qui, cùm ob maniacos motus sanguinem è brachio detrahere nequeunt, venam frontis secant; si enim copia adsit sanguinis in laborante, ut in hujusmodi morbo majori ex parte contingit, tantum *Phreneticis si in brachio vena secari non potest, non secanda est ea quæ in fronte.*

 abest,

abest, ut laboranti opem feras, ut potiùs, attracto ad partem laborantem sanguine, morbum adaugeas: revellendus igitur potiùs, aut scarificatis cucurbitulis, aut, quod melius esset, venis sedis apertis.

Phreneticis sanguis non mittendus ad animi usque deliquium.

65. Neque etiam in hoc casu ad animi usque deliquium mittendus est sanguis, quod plerisque placuisse video; quòd, cùm repellentibus frigidis ab initio etiam usi simus, refrigerato toto, ac à capite retracto, adeò multo sanguine calido, sæpenumerò aut phrenitis hectica inducatur, curatu impossibilis, aut lethargus subsequatur.

In frontis venâ secandâ blandè gula adstringatur, aut brevi tempore.

66. In venâ frontis secandâ adstrictio illa gulæ, quæ fit ut vena intumescat, aut non multùm sit violenta, aut quàm brevissimo tempore perficiatur; ne quodammodo ad superna repulso sanguine, ubi ad cerebrum & meninges pervenerit, morbum adaugeat, aut sanè, eodem incrassato, eundem magis contumacem efficiat.

Phreneticis, cucurbitulis appositis, quid faciendum.

67. Cucurbitulæ, quæ bregmati, fronti, & reliquis capitis partibus post evacuatum corpus affiguntur ad extrà trahendam materiam, arentes non sint & cum flammâ, sed ex aquâ calidâ, nec longiori tempore hæreant; & si subjacens pars in ruborem abierit, leviter eam scarificabimus; sin minùs, spongiis ex aquâ tepente substratum, & elevatum locum fovebimus.

In phrenesi purgandum ab initio, & quomodo.

68. Cavendum in hoc morbo, ne in eorum errorem incidamus, qui ab initio non esse purgandum censent, sed exspectandam esse coctionem, maturatio enim putredinem jam factam supponit, quam corrigat; quo in tempore, facto jam apostemate, morbus evinci vix potest: eodem igitur, vel altero die purgandum, vel ex Hippocratis præcepto, 4. *Aphor.* 10. imminet enim periculum, ne tota illa effrænis materia se in partem laborantem effundat, apostema perficiat, & vires prosternat. Neque tamen crudam evacuabimus, adversus præceptum Hippocratis 1. *Aphor.* 22. vel enim turgens erit, vel nondum putrefacta, sic nec cruda sanguini admixta bilis, intra propria conceptacula adhuc consistens, ut fecisse Hippocratem videmus 2. *acut* 10. cùm fluentem humorem ad pleuram statim ab initio medicamento purgante subduxit, tanquam nondum putridum, aut crudum, sed coctum.

Rhabarbarû in phrenitide in iis, qui duriori sunt alvo, non multùm in usum ducendum.

69. In iis, qui alvo duriori sunt, Rhabarbaro non ita facilè utendum: si enim simul cum bile non educitur, effervescentem magis bilem reddit, facilliméque supernis partibus ob igneas partes communicari solet; & ob hanc unam causam Avic. grana quatuor, aut sex scammonii medicamentis ex Rhabarbaro indidisse in phrenitide curandâ censendum est, quidquid dicant Græculi quidam, acriores Mauritanorum scriptorum reprehensores.

70. Quamvis

70. Quamvis in hoc omnes ferè conveniant, simpliciter refrigerantibus, solisque repellentibus primâ tantùm die esse utendum, ut repellatur influens succus, æstus & partis, & influentium humorum temperetur, dolor sedetur, & afflictæ parti robur addatur, sequentibus verò diebus miscenda esse aliqua resolventia; sæpissime tamen aliter faciendum esse, quòd urgeant in augmento adeò symptomata, æstus, dolor, vigilia, & mania, ut frigidissima etiam progressu temporis in usum duci debeant, Aretæus admonuit. *Solis repellentibus aliquando utendū ultra principium.*

71. Cavendum tamen, ne nimis assiduè iis utamur frigidissimis, aut narcoticis: nam, ut dicebat Aver. 3. *Collect.* 3. caput tutò calefit, at non citra pericula refrigeratur; periculum enim impendet, ne, quem dormire volumus, postea excitare non possimus, ut ait Celsus: sæpe enim in lethargum calamitosum abire solet ex solâ malâ curatione phrenitidis. *In phreneticis non diutius frigidissimis utendum.*

72. In topicis, etsi acetum in aliquâ portione admisceere expediat, ut & refrigeret, repellat, & penetrationem adjuvet; neque tamen multum admiscendum est, ne siccatione vigilias concitet; neque acrius, quòd calidæ partes, & siccæ nimiùm prævaleant. *Phreneticis acetū parcè applicandū.*

73. Neque tamen placet, quod à plerisque recipitur, ut aceti loco acido citri, aut limonum utamur; nimiùm enim adstringit, & ob acerbas terrestrésque partes neque pervadit, neque admistorum penetrationem adjuvat: quinimò externos meatus constringendo resolutionem humoris in aliis temporibus omnino impediet. *Aceti loco in oxyrhodinis acidū citri, vel limonum non indendum.*

In Soporosis affectibus.

Ballonius.

74. Domina le Boindre morbo medicis incognito, sed tandem inter legendum ab Hippocr. descripto, periit: cujus ratio tenenda ad unguem est, quoniam Medici decipiuntur plurimùm: & Domina Garnier non dissimili morbo consumpta fuit, utraque comatosa ac veluti Lethargica interiit, affecti valde Pulmones erant: An Lethargus à Pulmone esse potest? ita sanè, eo modo quem descripsit Hippocr. 3. de morbis; *Morbi Lethargi appellati idem status ac Peripneumoniæ, & non omnino remotus ab humida Peripneumonia, tussit, & sopor ipsum tenet: cùm moriturus est, multùm & liquidum egerit:* idem repetit 2. de morbis. At Lethargus propriè est affectio Cerebri? Sed hic affectus qui propriè affectionem Pulmonis sequitur *Lethargus à pulmonibus* *Vide Martianum in eum locum.*

& facilè Cerebro communicatur, ob Pulmonis & capitis συμπνοίαν, à similitudine quadam λήθαργος dicitur, primò quia hominem λήθαργον id est, ignauum & comatosum cum febre reddit; secundò quia Lethargicam dispositionem in Cerebro facit, ob crassorum vaporum elevationem à Pulmonibus concalefactis excitatorum, talis enim species Peripneumoniæ à pituita putri est, cujus crassior vapor feriens Cerebrum, velut hominem Lethargicum facit: Sic enim obseruavimus ex Galeno, in febribus, & præsertim earum accessionibus, sæpè soporosos affectus per sympathiam contingere: tertiò Lethargus dicetur, quoniam cum obstructi sint à Pulmonibus pituita infarctis, mæandri, & vix liber aditus & exitus spiritibus non sit, sic ληθαργικὸν quid inducitur, quia soporantur instar eorum qui Lethargo tenentur: Hæc notanda sunt, ne malè consulas capiti, cùm omnino ad Pulmones studium referre oporteat. *Epid. lib.* 2. *pag.* 118. Omnino hunc morbum λήθαργον videtur exprimere Hippocrates partic. 35. sect. 2. lib. 1. prorrhet. *Dolor, ait, Pectoris firmatus cum torpore malus*: Nam & λήθαργος & νωθρότης idem ferè sunt: & in eo sensu dixit in Coacis, *Qui ex Lethargicis evadunt, Pectore suppurati fiunt. Ibid. pag.* 135.

Lethargi cum syncope & cardialgia complicati curatio

75 Dom. N. deliquio animi correptus fere exanimatus est: adiutus parumper vires & corpus resumpsit, domum redux factus est ἄφωνος: aliquid Lethargicum ominabamur: testes marcor quidam animi, corporis torpor, inexpugnabilis sopor, molis corporis quasi quassatio, neç nisi punctus aut vellicatus sensum probabat superstitem, sed hebetiorem, deliria fugacia: si morbus inveterasset Typhomania fuisset: sensus caloris insignis, maxime in fronte, & qua plexus retiformis latet, aderat: Et id maxime Lethargum præsagiebat: Parum spei erat, quia pars princeps & sensus scaturigo afficiebatur: In ambiguo versabamur an reficiendus tantum, an purgandus & extenuandus: Pertulerat inediam jejunus, etiam diei integri: at defectu alimenti spiritus ardent, bilis suavi alimento carens efferatur & suo sero, quod frænum est, destituitur; & ventriculus inanis aliunde mendicat alimentum, sed sæpe infœlix per colliquationem: hinc malorum ilias, syncopes, spasmi, cardialgiæ: In dubio hoc vicit sententia de repurgando, & à capite revellendo, cum & plethoræ sese signa proderent, metus alioqui erat aut siriaseos cerebri, aut sphaceli, aut morbi attoniti, quem sæpe phlogosis in cerebro facit, in paroxysmo & extra, quod mirum: Phlebotomiam alacriter non tulit, medicamenta facile: usu remediorum reducta cerebri temperies & meatuum illius libertas, vnde spiritus suos motus & meatus habent: æger auspicato à periculo liberatus. *Conf* 32. *lib*.3.

Theriacæ suspectus usus.

76. In Lethargicis affectionibus, & Comatis, & Apoplexiis, Theriaca

riaca vulgo præscribitur, An id tuto fit? Neutiquam, idq; te duabus de causis, nam & obruit vis opii, quæ vix tempore retunditur, Et etiam causa, si aliqua supersit, maxime apparet in illis affectionibus; Præterea Theriacam multa ingrediuntur quæ vim adstringendi habent, Ideo duabus de causis impune dari non potest. *Epid. l.* 1. *pag.* 44.

Septalius.

77. Etsi in lethargo, si per se, & cum febre supervenerit, sanguinis evacuatio per sectam in brachio venam viribus consentientibus omnino conveniat; si tamen, quod sæpius evenit, vel ad continuam febrem subsequatur, vel ad phrenitin, sæpe etiam malè curatam, omittendam censeo, neque solùm dejectarum virium ratione, sed ob materiam potissimùm, à sanguine sejunctam. *Lethargicis quando secāda vena, & quando non.*

78. Si hæc exerceri nequeat ob aliquam causam, caput tamen repletum sit, & nonnihil sanguinis admixtum cognoveris, cucurbitulæ in usum venire poterunt, non tamen dorso & humeris, aut lumbis, ut Mauritanis visum est, sed colli lateribus potiùs, pone aures prope venas applicitæ: illæ enim, subtilem magísque fluxilem sanguinem trahentes, rebellem magis, & frigidam, difficiliúsque dissolubilem reddent in cerebro contentam materiam. Quòd si è proximioribus eo auxilio eamdem trahere contendemus, impactæ etiam frigidæ materiæ aliquam à cerebro evellemus portionem. *Cucurbitula in lethargo quando appliãda.*

79. Cavendum maximè, ne ab initio hujus morbi ad excitandum à somno sternutatoriis utamur; ex intempestivo enim hujusmodi remedio magis funditur materia, magísque subinde impingitur, unde & contumax morbus fit magis, sæpéque apoplexiæ sequuntur. *Sternutatoriis non utendum in principio.*

80. Errhina in veterno optima sunt; in iis tamen, qui longo collo sunt, & angusto pectore; uno verbo dicam, qui proni sunt ad phthisin, & qui sæpe morbis oculorum tentantur, in usum traduci non debent. *Errhinorum usus.*

81. In repellentibus applicandis, quæ non nisi ab initio, & etiam non summè frigida administranda sunt, adstringentium usus omnino interdicatur, ne & crassior pars humoris influxa reddatur, & ejusdem evacuatio, quæ per insensibiles meatus fit, impediatur. *Lethargicis repellentia parcè applicanda, & sine adstringentibus.*

82. Dropaces, & sinapismi, ut in usum venire debent ad attenuandam materiam, eámque à centro ad circumferentiam attrahendam: ita vesicantia magis commendari debent, tum scapulis, *82. Vesicantia in lethargo optima, & quibus*

& humeris appositas ad extrahendam à cerebro pituitam, & aqueum humorem irrigantem, tum deraso capite vertici, & super suturam coronalem.

Comatosis ac iora oxyrrhodina conveniunt & longiori tempore.

83 In iis affectibus, vbi aliunde ad cerebrum delatis aut crassis vaporibus, aut serosis humoribus affectiones eæ excitentur, non verendus est vsus oxyrrhodini, neque statim ad calefacientia & interna & externa erit deveniendum: quinimo *aceti* quantitas est augenda vel duplicanda, ad *oleum rosar.* completum; vel ex *Avicenna* & *Rhasis* sententia, ad diem vsque tertiam quin & acriori in iis aceto utendum est, vt citra refrigerationem validius repellere possit; Neque placet *Possidonij* sententia, ab *Aetio* relata, qui primis illis diebus *chamamelino* ex aceto vtebatur, cum ab initio repellentia sola sint adhibenda, non autem diaphoreticis sit vtendum: sed postquam affluxerit materia, quo etiam tempore alia addi debent valentiora, discutiendi & siccandi facultate prædita, vt *castoreum*, *abrotanum*, *lavendula*, *serpillum*, *verbenaca* & similia.

Comatosis fotus ex oleis tuto non adhibentur.

84 In Topicis in hoc morbo adhibendis, non adeo tutus est fomentorum ex oleis, aut decoctis, quia humectatio sæpe actualis ex oleis & embrochiis quandoque vincit virtutem medicamentorum incoctorum, nisi valida facultate siccante prædita sint, qualibus etiam vtamur paulo post lineo aut cannabino panno caput erit abstergendum.

In Desipientia, Memoria læsa aut deperdita.

Ballonius.

Desipientia quadam ab exhausto.

85. Desipientiæ medentium opera in eo versari videntur vt recurrant ad medicamenta Purgantia, ad cucurbitulas & ad sectionem venæ, quod hanc omnem à repletione oriri credant: Vnde *Galenus comm.* in aphor. 9. l. 7. *A profluvio sanguinis desipientia aut convulsio malum*, *Scribit illum aphorismum vim magnam habere ad persuadendum. Desipientiam ab inanitione etiamnum oriri posse.* Quod verisimile sit ætate Galeni Medicos extitisse *quibus persuaderi non possit ab Inanitione Desipientiam proficisci posse:* agnoscit autem Galenus, & ob profluvium sanguinis & ob vigilias immodicas oriri posse Desipientiam, ita vt quæ ob profluvium istud fiat, ab exhausto sit: quæ ob vigilias, ab inanitione: quanquam fieri possit ut immodicis vigiliis sanguis biliosus redditus, aut bilis siccior ac æstuantior, principium causamque det illi Desipientiæ: hæc Galenus, & nos id experientia observavimus, nam ad ripam Sequanę Quidam cùm menses quatuor febre Quartana Erraticáque laborasset, emaciatus

ciatus planè, squalidus, cœpit tantisper desipere, delirare, crebro resurgere, & inde Cataphora seu Catalepsi prehensus, quâ interijt; An credibile ista omnia symptomata à Repletione esse, cùm ita corpus totum contabuisset & emacruisset? Item iuvenis quidam febre maligna satis decubuit, sexto die sanguis cœpit affatim fluere, vix ac ne vix sisti potuit: ab eo singultus successit (dubitabant an ab Inanitione an à grumo sanguinis in ventriculum delapsi) cœpit tremere, delirare, desipere, Num & Tremor & Desipientia ab exhausto contigit? Imò vulgò iam pridem persuasum est deliria ab inanito fieri posse, cùm enim in inedia quendam mente aberrare vident, dicunt propterea delirare quod hinc cerebrum vacuum sit, ita enim vocant, & id verisimile est admodum: propterea hallucinantur qui in talibus deliriis ad Hieram Diacolocynthidos, & id genus valida coucurrunt. *Consil.* 58. *lib.* 1. *p.* 311. Et Hipp. aph. 9. docet ob fluorem alvi magnam Desipientiam contingere, An tunc venam secabis? Et in Prorrhet. Phrenitidem maniacam ait contingere, & ob malignam qualitatem, pote humore bilioso exassato: & propter immodicam siccitatem &c. *Epid. lib.* 1. *pag.* 78.

In Vigiliis præter naturam.

Ballonius.

88. In somno usu rerum soporiferarum inducto, sæpius in ægrorum commoda peccatur, ideo ratio ineunda qua in eius inductione, ne nimietate ac insolentia peccetur, sit insistendum: somnus ille hypnoticis inductus, cùm blandam benignamque anathymiasin causam sui agnoscat, à naturali desciscit, somnóque contra naturam similior redditur, quod refrigeratione & humectatione fiat, & quatenus ita inducitur, contra naturam somnus dicitur; quatenus autem nonnihil adjumenti affert, imò plus commodi naturam recreando, diuturnis vigiliis fractam & lassatam, quàm detrimenti, quod inducatur à rebus contra naturam existentibus: Sed in eo conciliando prodigos nos esse non oportet, satis est esse liberales: etenim & ineuntibus morbis, & in vigore, & omni tempore morbi, sive etiam calidi, sive frigidi morbi sint, dummodo aliqua sit somni vacuitas, ut videantur Medici semper aliquid moliri, hypnoticorum usu sese ægris consulere arbitrantur, at errant longè: nam sæpe καρηβαρίας & alia id genus mala inducunt; dum enim exitu prohibentur excrementa ἀτμώδη, cerebrum offenditur; in cujus calidis affectibus, vigiliis & febribus continuis, soporifera maximè Medici usurpant, *Vigiliæ fiunt propter calorem primæ partis sen-*

Narcoticorum usu suspectus.

ſifica, ait Galen. *Aph.* 3. *lib.* 2. *idque vel propter ſimplicem intemperiem, vel ob copiam bilioſi humoris in eadem parte ferocientis*: Tunc videndum ne imprudenter uſurpemus hypnotica, ſive in tempore, ſive in uſus crebritate, nam ſic ex calida intemperie fit frigida, quod peſſimum eſt; accedit quod exitu prohibeantur humores tenues, ſive quod per ventrem evacuari poſſint, ſive per halitum: at dices, incraſſantur? quid tum? bonum quidem eorum acrimoniam retundere uſu temperantium, non autem ſtupefacientium: & licet retundant, iſta retuſio à talibus facta plus afferet incommodi, nam difflatu per cutim, & refluxu à capite, tanquam parte principe, prohibentur humores; deinde repreſſi in capite, uſu ſtupefacientium, vim ſuam Cerebro imprimunt, unde videmus etiam fatuos ſtolidoſque quoſdam effici uſu Narcoticorum, etiam moderatorum; In tempore quidem peccatur, cùm initio morborum damus, obſtruimus enim tunc; materiamque crudiorem reddimus, & naturam hebetiorem, nedum vegetiorem, *Conſ.* 65. *lib.* 1. *p.* 373. & 374.

In vigore morbi noxia

89. Et omnium graviſſimè peccant etiam in vigore morborum ſtupefacientia hypnoticáque præſcribentes, nam tunc natura aggreditur coctionem, materia eſt mitificata, facultas vitalis & naturalis fortes etiamnum perſiſtunt; animalis autem infirma eſt, ob quam infirmitatem Galenus Aph. 29. lib. 3. vetat ne quid tentemus: at ſtupefacientia cerebrum ipſum hebetius reddendo, infirmius faciunt, propterea error committitur maximus; quin etiam, contra quod Galen. dicit, in vigore aliquando facultates ſunt attonitæ & imbecillæ, ac tunc hypnoticum non confert, ſopiuntur enim ipſæ facultates, ἐρεθισμὸν humoris non percipiunt, & ita criſis non fit: Quidam febre Cauſode laborabat, inſomnis erat, circa nonum diem, cùm naturæ aggreſſio concurſióque expectanda eſſet, capiti pullus exenteratus eſt applicitus, eidemque ſyrupus diacodionis cum decocto lactucæ præſcriptus: illi & præſentibus omnia viſa ſunt mitiora, tribus aut quatuor horis poſt, cùm ſeſe in ſomnum convertiſſet, inventus eſt exanimis; credibile eſt hoc contigiſſe quod per ſtupefacientia ſomniferáque facultates languidiores redditæ forent, die præſertim critico, ſic humores non ſtimularunt naturam, aut eam languidè ſtimularunt, eodemque uſu ſuppreſſa maligna materia, quæ per ſudores aut alvum projici debuiſſet; ſic mors derepente invaſit: Itaque nec initio morborum, nec in vigore ſunt admovenda ſtupefacientia, præſertim in acutis, nec pulli exenterati ſunt admovendi capiti in initio & vigore morbi, nam multùm conturbant, & ad caput alliciunt ſuo calore, vnde ſenſuum fit oblæſio: at opportunè dari poſſunt in morborum incremento. Præter autem exemplorum fidem, idem clarius reddi poteſt authoritate Tralliani, qui Narcoticorum Anodynorumque uſum, viribus præſertim infirmis, ſuſpectum

suspectum esse ait, imò etiam mortem sæpe inde advenire confirmat, nam influxum refluxumque humoris impediunt, obstruunt, naturam hebetant eiusque aciem retundunt, *Conf. 65. lib. 1.*

Cavendum ab eorum usu in iis quibus cerebrũ frigidum.

90. Somnus per se stupefacit, corpus torpidum reddit ac grave, meatus obstruit, ut præclarè Hippocr. lib. de flatibus docet: multò magis id præstat si præter naturam inducatur, maximè autem usum somniferorum verebimur in iis, quibus Cerebrum frigidius, quamvis vigilent, quia facilè vires exerit in Cerebrum res somnifera: *Annot. 4. in id consil.*

Papaverum decoctum stultitiam inducit incautè exhibitum.

91. An Papaverum decoctum tantopere lædit? quarto gradu refrigerat, quanquam à qualitatibus quibusdam manifestis interpres Dioscoridis vim quandam calfaciendi impertit: sed tandem gravitate veterum sententiarum territus, fatetur à mixtione Glaucij herbæ id contingere posse, ut ementitium sit hoc & adulterinum: Sed quid est quod vulgo credatur infatuare? Credo tribus de causis μώρωσιν & ἄγνοιαν inducere posse, primò dum refrigerat & spiritus incrassat; secundò tetros vapores, & calidos in substantiam cerebri impingendo: Nonne enim videmus initio Paroxysmorum ab extimis ad penetralia cordis calorem refugere, & unà capitis dolorem incredibilem sæpe excitari, aut Coma aut aliquid simile: contra calore febris sese frangente (licet sit tantùm remissio, non autem intermissio) quiescere capitis dolorem & ad pedes calorem recurrere? imò in libris τῶν ὀξέων tum demum exhibendæ aquæ, aut cibi, occasionem adesse scribit cùm pedes plus reliquo corpore concaluerint, potè καταῤῥόπω facto calore & spiritu qui priùs erat ἀνάῤῥοπος, hinc liquet caloris; spiritus, ichoris esse fluxum & refluxum, nec non & quandam διαφόρησιν, ut ea ratione hypnotica & refrigerantia impensè noceant egressum maligni spiritus & caloris à capite impedientia, & difflatum perspiratumque prohibentia; quod audiendum est nisi corpus sit legitimè repurgatum: nam tunc, quoniam non tanta est tetrorum vaporum concursio & sursum inclinatio, & tantùm alterandi sese offert occasio, tutior est refrigerantium usus. Quod ne cui mirum videatur, etiam ex ipsa methodo medendi patet, in qua Galenus vetuit ne in febribus, à putredine ortis, frigida exhibeatur affatim, nisi pepasmi signis ἐναργῶς apparentibus: quod si tanta cautio in usu aquæ est, multò major adhibenda in usu τῶν ὑπνωτικῶν καὶ ναρκωτικῶν; unde non mirum si somniferis, initio morborum datis, & comata & caroticæ affectiones insequantur, sistitur enim in Cerebro humor, infigitur, imprimitur, qui suâ morâ & suppressione, cùm venenum aliqua ex parte resipiat, non potest non impensè cerebrum lædere: Præter duos illos modos tertius adjiciendus est, credo ipse papaverum, & consimlium, usum aliquid

habere κακόηθες & malignum, &, si non omnium, saltem quorundam cerebrum inde tantopere læditur, ut ei labes sæpe, quæ elui non possit, inuratur; quid enim cùm omne solanum sit frigidum, tamen manicum, paruâ quantitate datum, præsertim pulvis radicis ejus cum vino, facit species vanas & imaginationes observari: sed duplicatus hic modus ad tres usque dies, mentis alienationem affert, ut jam illud Solanum non tam manifestis qualitatibus agat, quàm occulta quadam vi ad perturbandam percellendamque mentis arcem: Quis tamen dicat, si papaver refrigerat & somnum facit, cur non potiùs, si fortè ineptè usurpetur, aut in tempore, aut in loco, aut in modo, Caron & similem affectionem inducit, & non deliria, nugas, falsas imaginationes & vanas, ita enim vult Gal. humorum calidorum proprium esse turbulentos somnos afferre, movere, deliria inducere: frigidorum contra comata, καταφόρας βαθείας, lentorem & stuporem? Respondere licet eadem de Papavere quæ de Solano, quod nimirum mentem lędat, non tam manifestis qualitatibus quàm occulta eáque infesta vi, ut in quibusdam turbulenta insomnia excitet & deliramenta: præterea, dum & obstruit, & spiritus premit, & fuliginem vaporum cerebro ipsi apprimit, & somnum potest inducere, & mentem movere: Sic papaver dicamus suapte natura somnum conciliare, sed ob conculcationem multorum vaporum excitatorum vi caloris febrilis, conflictus fit ob diversas vires papaveris ipsius, & vaporis, aut exhalationis infernè excitatæ &c. *Histor.* 4. *l.* 2. *consf.* *p.* 124.

In morbis hyemis causæ hypnotica præscribẽda

92. Etsi hyeme somni sunt longissimi, constitutionem tamen corporis hyeme annotavi in qua omnes ægri de impotentia dormiendi conquererentur; atque assero me illis temporibus hybernis majorem observasse dormiendi difficultatem quàm in plerisque morbis æstivis, in quibus tamen ob bilis dominatum major est vigiliarum occasio: quod fit, aut quia peculiaris est temporis dispositio quæ id faciat; aut quia cùm hyeme revocetur calor intro, magna est calidarum exhalationum copia, hæ autem somnum prohibent: Et, ut liberè dicam, in corporibus siccis & squalidis, & jam morbo attenuatis (autumnales enim & hyberni morbi maxima ex parte longissimi sunt) tanta est agrypnia ut somnum conciliare difficile sit, id facit siccitas, squalor partium & seri maligni abundantis, sub finem autumni & principium hyemis, dominatus, quod diligenter notandum; & si ad hypnotica paulò vehementiora confugeris, celeriter delirandi occasionem attuleris; sic nonnisi cautè illa præscribi oportet. *Histor.* 8. *lib.* 2. *consf.* *p.* 178.

Vigiliæ vigidæ hyeme

93. Hyems anni 1573. fuit algidissima, tota aquilonia: In omnibus ægris intolerabiles dolores capitis fuerunt, ἀγρυπνία, quod tamen

tamen non convenit hyemi, nam cum sani tum ægri de vacuitate somni & occursu variorum somniorum dormiendo querebantur: cum hyeme longi & profundi somni esse debeant, & nullæ aut paucæ apoplexiæ, Cur non? cum & Aquilo cerebro noceat, vnde non mirum si de capite conquererentur, imò Medici talia Hypnotica præscripserunt qualia æstivis fervoribus: Erant à sero acri, indomito ex vigiliæ. *Epidem. l.* 1. *p.* 32. *contingentes hypnoticis sedata.*

Septalius.

94. In narcoticorum exhibendorum horâ eligendâ cùm diffideant inter se scriptores, aliis post cibum, è ventriculo lapsum, & ante exhibitionem alterius per tres horas concedentibus; aliis cum cœnâ; aliis verò post cœnam per horam. Ego sic censeo; si ex somniferis fuerit vehementioribus, quale est Philonium utrumque, & recens Theriaca, præstabit priorem sententiam sequi, ne coctio turbetur, & cibis admixta nimiùm refringantur, cùm omnino medicamentosa sint, & nullam nutriendi facultatem habeant. Si tamen maximè necessitas urgeat, etiam à cœnâ per horam concedi possunt, vaporibus cibi faciliùs deducentibus vim somniferam ad cerebrum: sic horâ somni pilulas ex cynoglosso aliquando propinamus. Si verò somnifera fuerint leviora, aut etiam alimenti aliquid contineant, aut cum cibo exhiberi possint, ut emulsiones seminum papaveris albi ex aquâ lactucæ, violarum, nenufaris, & similium, thyrsi lactucæ, saccharo conditi; aut sanè à cœnâ per horam, ut syrupus de papavere, de nymphæâ ex aquâ lactucæ: sic enim blanda illa effumatio, ex cibo elevata, humidiori illi, & aliquo modo frigidæ admixta, sæpenumerò somnum conciliat, atque immoderatas illas vigilias, ex fumidâ, & siccâ exhalatione productas, aut ex calidâ & siccâ cerebri intemperie factas, demulcet, & somnum convenientem introducit. *Somnifera qua hora exhibenda.*

95. Quotidianus tamen, & frequentior illorum usus, nisi nimius partis calor id persuadeat, fugiendus est; ne, dum cerebro succurrere tentamus, & illius symptomati, aut contrarium introducamus affectum, aut ventriculi coctionem imminuamus. *Somniferorum usus frequentior esse non debet.*

96. Pueris parcè admodum somnifera hæc per os sunt concedenda; rariùs fortasse valentiora extrinsecùs applicanda; solent enim quàm maximè memoriam labefactare. *96. Somnifera parcius in pueris in usum ducenda.*

97. Non priùs inanito corpore, aut repleto nimiùm capite, non sunt in usum ducenda: contumaces enim humores, & ad evacuationem ineptos, per os si exhibeantur, omnino reddunt; si verò capiti apponantur, in comatosos affectus ægros deducunt. *97. Somnifera, repleto corpore, aut capite, non admi-*

98. A tenui admodum cœnâ exhibeantur, ut blandâ evaporatio-

nistranda. ne cibi meliùs officium suum complere queant, ita tamen ne aut coctio cibi impediatur à frigiditate, aut vis remedii à mole obruatur.

98. Somnifera danda post cœnam par:am.

99. Narcotica non danda initio paroxysmi.

99. Cave ne in principio paroxysmi narcotica exhibeas, ex iis enim sæpe suffocatur calor naturalis, atque impeditur, ne calor febrilis quamprimum expandatur.

In Vertigine.

Ballonius.

Arteriotomia quando confert.

100. Galen.c. 9. lib. 6. de tuenda valet. ait quosdam ob peculiare Arteriarum temperamentum obnoxios esse vertiginibus & doloribus capitis, quibus Arteriotomia competere solet: illo loco agit de inæquali intemperie,& comm. ad part. 5. sect. 6. lib. 6. Epid. Tales Arteriarum dolores habere consueverunt. *Cons.* 1. *lib.* 3. *& Annot.* 11.

Trochisci viperini vertiginem inducunt.

101. Qui Trochiscis de Tyro sive Vipera utuntur, fiunt vertiginosi,cerebro nimium repurgato, *Consil.* 43. *lib.* 3. *p.* 137. Viperinarum carnium usus in Elephante prodest, sed donec vertigo inducatur eò usque comeduntur, eâque vertigo purgatione non eget; quæ oboriens est quasi signum & meta sufficientis usus Pastillorum: eáque fit quia exactiùs Cerebrum repurgatur, eóque exquisitioris fit sensus, & vix ulla aëris aut vaporum, fallaciter subrepentium,incommoda ferre potest, imò seipso fit imbecillius, & visum clarum reddit, quia proprietate occulta defœcat Cerebrum: *lib. de Vertigine.*

Balneum quando confert.

102. Balneum aliàs conferre potest, aliàs obesse: ita Galenus dum loquitur de vertigine, Capitis solius caliditatem, quovis alio modo habentis, Balneum iuvat, cùm verò spiritus flatulentus ob humorum pravitatem, ad caput fertur, hoc lavare non convenit; Ac si dicat, si malum in cerebro locale est, Balneum confert; sin minus, nequaquam. *Cons.* 118. *lib.* 3. *Annot.* 2. *pag.* 285.

Vertigini varie medendum.

103. Non parùm refert ad curationem scire an Vertigo sit à repletione an ab inanitione: Si illinc est,evacuantia conferunt: si hinc, adiectione potius vtendum est: cùm agitantur humores à medicamento, Vertigo adest; Si supra modum evacuantur, vertigo: Initio febrium Vertigo à copia & meatuum obstructione: sub finem aut definit aut adest ab imbecillitate: viperinarum carnium vsus in Elephante prodest, sed donec vertigo inducatur, eousque comeduntur, eáque vertigo purgatione non eget. *lib. de vertigine pag.* 36.

Septalius.

104. Illud ſolum in hoc morbo obſervandum, & cavendum cenſeo, cùm ex humoribus in cerebro contentis elevati vapores & exhalationes inordinato motu, & in gyrum cieantur, ptarmica non eſſe in vſum ducenda; neque valentia illa per nares attracta caput purgia: quamvis enim aliqua materiæ pars educitur, ſymptoma tamen ſæpe augetur, concitatur magis & motu ſubito materiæ morbus is in Epilepſiam mutatur.

Sternutatoria & caput purgia fugienda.

In Congelatione.

105. In Catalepſi, ſive Congelatione, cum videam practicos omnes ſtatim ab initio calefacientibus & ſiccantibus vti, in errore eos omnes verſari exiſtimo, cum enim in iis peccet materia melancholica, ab eaque morbus is producatur, ſi in principio & augmento morbi calidis & ſiccis vtamur, craſſior reddetur materia, ſiccior, & ad diſſolutionem ineptior; præſtabit igitur calidis temperate vti, ac humectantibus, vt materia attenuetur fluxilis reddatur, & ad evacuationem magis apta, quin vt per ſenſum fugientem evaporationem diſcuti & evacuari queat: Progreſſu quidem temporis calidiora adhiberi poterunt ad reliquias materiæ abſumendas, & intemperiem à parte auferendam.

In Catalepſi correptis impenſe calida fugienda.

106. In Topicis ſordent remedia, In hoc loco acetum nullibi in vſum veniat; tum ne pauci qui ſuperſunt ſpiritus exſtinguantur, tum etiam ne atri humoris ſicciter & acor adaugeatur.

Acetum fugiendum.

In Epilepſia.

Ballonius.

107. Hippocrates 2. Epidem. ſect. 5. Phlebotomiam in Epilepſia celebrat, ταμνειν τὰς ἔισω τȣ̃ νȣσήματος τȣ̃ μεγάλȣ ἐν τάσει γινομένȣ, Secabis venas interiores, ſi Magnus morbus in intenſione eſt: illud eſt obſcurum ἐν τάσει: Epilepſia videtur inter morbos numerari quos ἰδάδας Hippocr. vocat, quod redeant periodo; Vt rem brevi finiam, Epilepſia morbus eſt acutus vel chronicus; acutus bifariam, tum ratione paroxyſmi præſentis, in quo convelluntur ægri, etſi nunquam adorſus eſt: nam ut Celſus notat, cùm nunquam ſolitus eſt quenquam prehendere, ſæpe hominem conſumit; Chronicus eſt, quia ſæpe redux eſt & homini συναποθνήσκει: Cùm ergo dixit Hippocr. ſecandam

Hippocr. in paroxyſmo venam ſecat & quo in caſu.

candam venam in Epilepsia dum in intensione est, credo non tam de morbi ipsius curatione agere, ut eum phlebotomia tollere velimus, quàm ut occurramus periculo quod nunc adurget; ac si dicat, dum vexat accessio ipsa, & premit rediens morbus, venam secare bonum est, ad amotionem præsentis periculi: quod Aretæus præstat in curatione Epilepsiæ, nemo enim dubitat Gal. & Hippocr. in Epilepsia secare venam ad antevertendum paroxysmum. *Histor.* 1. *lib*, 2. *consil. pag.* 44.

Aëris vis in ea cienda.

108. Multos cùm iter facerent Epilepsia prehendit, violento aëre ducto aut per nares aut per aures: Si earum partium meatus obstruerentur, talis mali occasio præripiebatur. *Ex Rond. cap. de Epilepsia.* Parad. 125.

Quando ex cruribus mittendus sanguis.

109. Galenus lib. de Sangu. miss. cap. 19. vult mitti sanguinem in Epilepsia ex Cruribus potiùs quàm ex cubito, idque ad faciendam revulsionem è parte quæ certò afficietur, nempè è Capite; loquitur autem illic de præcautione; Et quod intelligitur de imminente morbo, aliud est imminere morbum qui certò hanc aut illam partem sit obsessurus, aliud imminere morbum de quo non constet adhuc quamnam partem obsidere debeat, ut puta cùm indifferenter modò alicui caput, modò pes modò hæc, ut illa pars, aut totum corpus doleat, tum sectio venæ suscipitur sine ulla distinctione aut è malleolo, aut annulari digito, aut è gibberò mittetur sanguis, aut scarificabitur: Sed si certum ratumque sit de parte occupanda, ut de Capite in Epilepsia, ad præcautionem ineunte vere, è malleolo detrahetur sanguis: Videntur autem Epileptici secandi ex vena cubiti, quod ita probatur, Galen. cap. 16. lib. de sangu. miss. & Hippocr. lib. de ossium natura, & sect. 6. lib. 6. Epid. ajunt in imminentibus morbis per distantiora revulsionem esse procurandam, in præsentibus per locum proximum; at eadem est sors & conditio morbi jam præsentis & imminentis, qui certò partem hanc aut illam est occupaturus: ergo si in præsente morbo, ut Epilepsia, è cubito sanguis ducitur, quia dolorum proximum ventrem secare oportet, sequitur ut in eadem Epilepsia imminente, (quia de obsidione Capitis certi sumus) eadem quoque vena cubiti prudenter feriatur: quod autem eadem sit conditio morbi præsentis & eius qui immineat, dummodo certum sit hanc partem obsessum iri, ita ex Galeni cap. 9. lib. de Sangu. miss. verbis eliciemus, *Quibus pars aliqua, nisi evacuati fuerint, infestatur certò, non æque ex quavis particula vacuabis* (ac si de parte laboratura non constaret) *sed perinde atque in iis qui jam laborare incipiunt*; & miror quomodo dicat postea, *Ergo Epilepticos & Vertiginosos ex cruribus vacuabis*, quod non videtur agendum, affectiones enim hæ, cùm sine ulla controversia Capitis sint, è brachio potiùs, tanquàm è propinquiore parte, videtur detrahi debere

bere sanguis, cùm futurus Comitialis sit curandus ac si jam actu laboraret: revera si curandi scopus est, & vacuandi consilium, non est dubium quin in Epilepsia e gibbero detrahendum sit; sed si præservare, præcavere, ac revellere tantùm animus est, è longinqua parte retractio fieri debet, sic enim non fit magna repente mutatio, & consuetudo tantùm mutatur, ne ampliùs eò feratur sanguis, *Conf.* 60. *lib.* 1. *pag.* 343. *&* 344. Hippocrates p. 24. lib. 4. de diæt. Acut. loquens de morbis per oppletionem venarum, cujusmodi est Epilepsia & Apoplexia, ut Galen. interpretatur, vult è brachio mitti sanguinem, illóque loco de plenitudine maxime mentio infertur, *Annot.* 14. *in illud Consil. pag.* 348.

110. Annon in Epilepsia mittendus sanguis? nequaquam, nisi aut suppressio sit aliqua solennis, aut sanguinis copia adsit, aut translatio maligna, & summa partium inferiorum obstructio; sed ratione cerebri vix confert; Quidam, per diffusionem à capite humoris, quibusdam primum particularibus convulsionibus captus est, magna copia pituitæ ad os fluebat, Epileptico modo convulsus est, nos in purgationem capitis incumbendum voluimus, tamen aliquibus post diebus febriculæ occasione inductus Medicus venam secuit, non multò post interiit. *Epid. lib.* 2. *pag.* 171 *&* 172. Si Epilepsia à partibus inferis non est, idque ob copiam humorum intra vasa contentorum, quorsum venæ lectio? nisi forte spirituum quædam confusio, aut sanguis, causa esse videatur; Si in Cerebro & diathesis & causa est materialis, eáque à massa sanguinis separata, minùs quadrat V. S. *Annot.* 13. *in conf.* 60. *lib.* 1. *p.* 348. *S.M. quando confert.*

111. Elleborismo miras tribuit vires adversus Epilepsiam Plinius cap. 2. & 5. lib. 25. & eum extulit exemplo Drusi, hominis primarii, hujus loco nonnulli tempore Paroxysmi cochlear unum aut alterum vini Emetici in os infundunt. *Annot. in conf.* 52. *lib.* 3. *Elleborismus & vinũ Emeticũ in Paroxysmo.*

112. In suspicione Epilepsiæ Cassia & Catholicon suspecta, ut doctissimè à Rondeletio & Hollerio annotatum, idque probatum communi quadam prudentia, cui experientia suffragatur, *Consilio* 40. *libri* 1. *p.* 157. *Cassia & cathol. noxia.*

113. Sæpe in Cerebro est διάθεσις author reducis Paroxysmi, id enim Galenus docet 6. aphorism. 28. hæc imprimitur membranis & ipsi cerebro; Quò pertinet Aëtii locus ex Archigene Serm. 2. tetrab. 1. Multi assiduo usu Hieræ Archigenis & Epileptici & Melancholici curati sunt, cùm nullam excrevissent bilem, sed malos habitus membranarum Cerebri exterendo; ideo parua quantitate dabatur Hiera, ut non tam manifesta evacuatione conferret quàm τὴν διάθεσιν tollendo. *lib. de Vrtigine. p.* 15. *Conf.* 48. *lib.* 2. *Alteratio cerebri potiùs requiritur quàm vacuatio.*

114. In Epilepsia non valde probatur usus rerum impense cali- *Calida & attenuantia noxia.*

darum & attenuantium, nam sive à crassa viscidáque materia est, ut placet Galeno, sive à flatulenta & acri, non valde ex usu sunt ista, In priore quidem quia in flatum convertent, unde quidam dicunt radicem Apii ideo in Epilepsia interdici, quod materiam acuat, & proinde malum sua tenuitate adaugeat, Quod si verum est, quid dicemus de Euphorbio, Castoreo, Sagapeno, Scammonio & aliis id genus in Epilepsia præscribi solitis? Si à flatulenta aut acri materia est, præsertim si ab acri, multò etiam minùs convenient ista calida; at omnem ferè Epilepsiam à materia quadam acri, principium nervorum impetente oriri, vel hoc argumento confici potest; magna est affinitas & analogia inter sternutationem & morbum Caducum, imò hoc discrimen statui volunt, quod cùm eadem utrique sit materia, in morbo Caduco natura sit inferior causa morbum faciente, in sternutamento verò ex adverso, natura quippe humore superior est, ut sternutatio minoris cujusdam Epilepsiæ naturam & ideam referat; atqui, ex Galeno, sternutamentum non *aph. 51. 7.* fit si quis humor in capite superfluat, sed si flatulentus sit aut mordax; unde si à quavis materia frigida sternutaret quis, comatosi & veternosi sternutarent, at id non fit, idem ergo de Epilepsia intelligi debet, *Cons. 60. lib. 1. p 342.* Si coctio fit incrassando, ut constans est omnium assertio, Si in morbo Sacro tenuis & acris materia est, quorsum angelica & pæonia, cùm requiratur potiùs coctio & crassefactio humoris ut sit natura victrix? creditur autem esse tenuis & cruda, cùm sit pungens, acris, & provocet naturam ad excutiendum, Si lentus & frigidus foret humor, potiùs stuporem afferret, ut in attonitis, unde Gal. Prorrh. 1. part. 20. *Cerebro patiente & in calido affectu non quiescit, at frigidi est immobilia tardáque reddere ea in quibus inest:* Si pituita est frigida, quæ punctiones, stimuli & motus convulsivi? ergo & flatus malignus, & materia quædam pungens requiritur, *lib. de vertigine pag. 10.*

Castoreum nocet. 115. Castorei usus Epilepsiam inducit, *Cons. 18. lib. 1.*

Balneum quando iuvat. 116. Quod veteres Epilepticos & Melancholicos ad lavacra miserint, id factitatum esse asserimus cùm corpus aut caput intemperie aliqua calida siccáque affectum est, cùm in partibus omnibus squalor; hic enim dubium esse non potest quin balneis locus sit ad correctionem calidæ siccæque intemperiei: in quibus autem paroxysmi Epileptici metus est, in iis cautos esse oportet in balneorum usu. *Cons. 40. lib. 1.*

Diæta, aëris præsertim, magna vis. 117. In remediis ipsis, maximè rerum non naturalium usu, ratio habenda est aëris & cibi. De aëre nemo dubitat quin hic sit magni momenti, unde Hippocrates lib. de morbo sacro agnoscit ventos primùm ad morbi generationem & paroxysmorum recursum

ſum facere: eodemque in libro ſcribit, Cerebrum eſſe interpretem eorum quæ in aëre fiunt, quia Cerebro ipſi ſapientiam Aër exhibet; quod in eo ſenſu accipi poteſt, Inter partes corporis, aëris aut moleſtias aut ejuſdem benignitatem ſentit, unde plerique præſentiunt mutationem aëris, aut ſerenitatem, aut tempeſtatem; ſic Cerebrum in iis eſt internuntius Aëris. *Conſ.* 60, *lib.* 1.

118. Cibi quoque habenda ratio, quod improba victus ratio ad generationem & productionem morbi plurimùm conferat, imò in grandioribus, cùm eos non antea prehenderat morbus Comitialis, affectionis cauſam agnoſcit Galen. 6. Epidem. & in Aphoriſm. improbam Diætam. *Ibidem.* *Cibi ratio habenda.*

119. Si ἐκλαμψις cauſa eſt cur iuvenes liberentur Epilepſiæ moleſtiis, cur abſtinentia vini confert? nam ad coctionem & illuſtrandos ſpiritus facit, nec ita lædere videtur, ut quidam putant, nam alimentum eſt & alimentum medicamentoſum; ſi ideo nocet quia vapore lædit Cerebrum, innumera remedia calida dantur, & cephalica, quæ calore & tenuitate partium caput feriunt; ideo quę ratio vinum interdicit, eadem & id genus remedia interdicere deberet; hoc fortè quibuſdam negotium daret: item vinum mirificas habet dotes, à cruditatibus vindicat, hæ autem ſæpe Incubonis & Epilepſiæ parentes eſſe ſolent, accedit quod χυμὸς χρηστὸς ἐργάζεται: Sed eſt locus apud Galenum aphor. 5. lib. 5. ex quo poſſis arguere Epilepticis, præſertim à materia frigidâ & ſucco crudo, iuvantiſſimum eſſe vini uſum, *Vinum copia ſubſtantiæ nervis Convulſionem affert, rurſus autem qualitate ſanat eam quam fecit diſpoſitionem, nervos calefaciendo exſiccandóque, & ſi hoc aliquando non facit, mortem ſequi neceſſarium eſt.* Hæc ratio ad Epilepſiam transferri quoque poteſt. *Conſilio* 4. *lib.* 2. *annot.* 5. *p.* 200. *Vinum an noxium*

120. Avicennas explicans illud quod ſcripſit Galen. in Arte parua, Habitudo corporis eſt in iis partibus quæ oculis ſubjiciuntur, vult quoſdam eſſe proprios ipſius habitus morbos; Cùm à pede aut inanitate ſub cute, dolores implacabiles excitans aura venenata ad caput ſurgit, id nec à viſceribus nec ab interno eſt corpore; unde multi Epileptici curantur habita tantùm ratione interni corporis: potiùs habitui providendum. *Ep. l.* 1. *p.* 109. *l. de Arthr. p.* 29. *Perperã ſæpe internis remediis vexatur corpus.*

Septalius.

121. In tempore paroxyſmi non placet, quod paſſim à plurimis fieri video, qui ſtatim corpus concutiunt, quin etiam ipſum *Epileptici in paroxyſmo non concutiendi.*

ipsum caput : sæpenumerò enim magis recurrit ex eo motu ad obstruendum materia, & diutius perdurat invasio.

Epilepticis caput non cooperiendũ

122. Fugiant etiam, & omnino caveant, ne, dum turpitudinem faciei, & distorsionem, ac spumam occultare tentant, capite & facie panno cooperta, respiratione liberâ impeditâ, ægros suffocent.

Epilepticis vomitus malus.

123. Cave ne in paroxysmo vomitum provoces; vidi enim aliquos, in invasione hoc tentantes, scriptorum quorumdam auctoritate ductos, præcipitem in mortem ægros duxisse; ex violento enim illo motu, magis repleto capite, ac concitatâ materiâ in cerebro existente, ad perfectam obstructionem faciendam deducunt, unde apoplexia sequi solet.

Epilepticis in paroxysmo lignũ ori non indendum, sed quid aliud.

124. Ut mirificè placet in principio paroxysmi ori aliquid, & mediis dentibus indere, ut hians os esse possit, ne lingua intercidatur, spuma educi possit, & palatum re aliquâ attenuante, putà Mithridaticâ compositione, castoreo ex aceto, aut sinapi, aut succo rutæ perfricari possit; ita lignum solidius immittere non ita tutum est, sæpenumerò enim inde excisos dentes vidi. Præstat igitur sacculum ex corio, vel ex crassiori telâ, repletum attenuantibus multis, & validioribus quidem, sinapi, euphorbio, castoreo, rutâ, aut ejus semine & similibus, ita parare, ut illius vices possit supplere: sicenim & voti nostri compotes reddemur sine illo periculo, & morbo adversabimur.

In præservatione ab epilepsiâ quando ex brachio, & quãdo ex talo sãguis mittendus.

125. In præservatione ab hoc morbo hæc sit in secandâ venâ cautio; si instent accessiones, nisi ex suppressis menstruis, aut hæmorrhoidibus originem morbus sumat, mittendus erit sanguis ex venis brachii: si verò semel, aut iterum, vere vel autumno supervenire soleant, aut hæmorrhoides, aut menses sint suppressi, secanda erit vena in talo.

Epilepticis ex aurâ elevatâ vix mittendus sanguinis.

126. Si ex aurâ virulentâ, aliunde elevatâ ad cerebrum, morbus fiat, nisi insignis plethora id persuadeat, mitti sanguis non debebit.

Vomitoria in præservatione epilepsiæ semper mala.

127. Cùm plerosque videam, Aretæo & Avicennâ duce, in præcavendâ epilepsiâ validissimis uti medicamentis purgantibus, tum per vomitum, tum per secessum; ego longâ experientiâ doctus profiteor, me nunquam morbum hunc, in quoquam per proprium cerebri affectum productum, validioribus vomitoriis curatum vidisse, sed ex iis omnes ad deteriorem statum deductos: valentiora autem, per secessum educentia, aliquando profuisse observavi, modò non ita frequenter in usum ducta fuerint, à frequentiori enim eorum usu, exhaustis spiritibus animalibus, apoplexiæ sæpe concitantur.

128. In

128. In confirmatâ epilepsiâ per proprium cerebri affectum, si quis, derasis capillis, vesicantibus per universum caput utatur, atque ad peripheriam humores virulentos trahat, diutius ulcusculis, cutim capitis infestantibus, relictis, ut per longum tempus serosi illi humores per vlcuscula emanent, optime curationem instituis, contumacissimos enim capitis morbos hujusmodi ratione etiam curatos vidimus.

In Apoplexia, Aphonia, &c.

Ballonius.

129. In ἀφώνοις dubitant valde Medici an sectioni venę locus sit, Hippocr. prudentissimus nonnisi tempore, jure & loco id fecit, Notandum ex iis quosdam omnino refrigerari, quosdam calfieri, alios omnino immobiles esse, alios aliquatenus mobiles; rursum quosdam fieri per venarum interceptiones, aliàs per oppressionem magnam, aliàs per summam debilitatem & quandam caloris naturalis oppressionem & velut extinctionem; in quibusdam dominari crudos valde succos, in aliis non: itaque ut non est eadem Idęa morborum qui τῆς ἀφωνίας nomine continentur, ita non ijsdem idem remedium, & præsertim venæ sectio, congruit; pręterea ijs in morbis Hippocrat. προπαρασκευὴν aliquando desiderat, aliàs non, lib. 4. acut. scribit, *Cùm quis repente obmutescit, id venarum interceptiones faciunt, si sano absque forti occasione contigerit, venam igitur internam brachii secabis.*: Sed paulò post dum meminit Apoplexiæ &c. per commotionem humorum factæ. διὰ τὴν στάσιν i. e. stationem ob egressum humorum à proprijs vasis, scribit, *Talibus priùs adhibitis fomentis venam statim aperies, cùm nondum fixa sint omnia quæ contristant, tum spiritus tum fluxiones, faciliùs enim remedijs parent*: Sic in duobus istis locis primo quoque tempore venam secat nulla præparatione præmissa; Et in lib. de morb. 2. dum loquitur de morbo Attonito, ait, *Hunc Attonitum, si sic habuerit, lavare oportet multa calida, & quam maximè calfacere, & aquam mulsam tepidam in os instillare: hoc autem maximè faciendum cum humorum congelatio ac concretio adest*: Ergo est ubi, cùm humores funduntur, perfrigeratio, congelatio, concretio & στάσις succedunt; est ubi, cùm moventur & eadem committunt, non adest ea conculcatio & στάσις: ideo aliàs in ijs malis repente venam secat Hipp. sine fomento ullo, aliàs in ijsdem secat quidem venam, sed præparatione pręmissa, quia in his refrigeratio adest, in illis non, Quod quatuor de causis puto evenire, 1. Si vir aut mulier ob λύπην, aut iram, aut insolatio- *Aliquando secanda vena illico aliquando præmittendus fotus.*

Ii 3 nem

nem, aut plenitudinem citò laxatam, aut vertigine,aut quopiam ſimili affectu corripiatur, eveniet ut malum adoriatur mulierem potiùs, cum partium algore, quia humorum στάσις fit potiùs, quia mulier frigidior, quia ob anguſtiam viarum oppreſſio potiùs evenit; quia ob deſidiam crudis abundat humoribus; quia hepar & meſenterium facilè obſtruuntur in his: at vir,qui calidior,vaſa habet ampliora, non frigidis ſcatet adeo excrementis ,& humores habet fluidiores, & ideo magis & promptius καταῤῥήγνυνται, Si fortè Apoplect. aut Aphonos fiat, non ea congelatio & refrigeratio fiet, quia non ea eſt στάσις & ἔμπηξις quę in naturâ frigidioribus apparet; Secundò, Si ventres inferiores mali ſint authores, & in cerebro tantùm morbos exitent per ſympathiam, ob revocationem ſubitam caloris ad centrum, refrigeratio potiùs eveniet & congelatio quàm ſi in capite malum fit,quod declarat Hippocr. nam lib. 4. de vict. Acut. requirit στάσιν humorum fieri in locis, i. e. vena cava, corde & hepate; non meminit cerebri: revera enim agit de affectibus iis quatenus localem in Cerebro non habent generationem, ſed per prohibitionem aſcenſus ſpiritui vitali ad Cerebrum. Tertiò eſt ubi humores in quibuſdam tenuiores ſunt & calidiores, & qui tales Aphonias facere poſſunt, qualitate potiùs quàm quantitate; eſt ubi frigidiores ſunt, etſi ab eodem iidem affectus ſpecie induci poſſunt, non iidem numero exiſtunt; quanquam & calidus & frigidus humor frigiditatis ſenſum inducere poſſit, diverſa quidem ratione: declarant rigores & horrores ſæpe à calidis & humoribus & ichoribus nati. Quartò, aliud eſt cùm oppreſſio fit, & materiæ opprimentis copia adeſt, aliud cùm ea abeſt, nam in hiſtoria de Pythione demonſtrat Gal. copiam humorum lethargicas, torpidas & comatoſas affectiones inducere. Poteſt adduci quinta ratio, cùm humores commoventur, & ſanguis, qui ad prudentiam facit, conturbatur alteraturque, aliquis Aphonos fieri poteſt: idem & calidas omnes partes habet, ſi humores vias ſibi mutuò non obſtruant, ſi ſeſe non obtrudant ſimul & obruant. Sin autem velut è proprio conceptaculo educti, affatim in inanitates aut cavitates quaſdam publicas irruperint, ibi ſeſe obtrudentes, conculcantes, ac opprimentes, tunc humorum στάσις fit & illam algor, & per caloris oppreſſionem, viarumque interceptionem, partium refrigeratio conſequitur: Sic cùm commotis aut confuſis, aut aliter affectis humoribus & ſanguine; ἀφωνίαι contingunt, aut cum calore, aut tepore, aut humiditate, aut ſudore, aut algore, prout hęc aut illa offerunt ſeſe, ita medendi conſilium variabit. *Hiſtor. 1. lib 2. Conſil. p. 43. & p. 19. & ſeq.*

130. Hippocr. 2. Epid. in Aphonia venam ſecat ſi ſine febre ſit, Quaſi velit in Aphonia febrem quodammodo dehortari phlebotomiam,

miam, id autem propterea fit, quod si febris adsit, ea cruditatem succi possit dissolvere atque quodammodo coquere: ita Epilepsiam Quartana solvit, & Tetanum febris, & febris item commodè aliquando Convulsioni supervenit, & Hippocr. scribit, *Subitaneis Apoplexiis, si febris mediocris adsit, perniciosum, ut Numenii filio*: acuit enim potiùs humorem & deteriorem facit, naturamque debilitat, non autem dissipat & frigus corrigit: accedit, quod cùm parua est febris, & multus humor crudus, plus fumi excitatur & minùs discutitur; & alibi passim, Calor febrilis dolores Hypochondriorum ab obstructione aut frigida materia natos solvit, Quod est audiendum cùm febris est potiùs symptomatica quàm essentialis, & cùm in caloris potiùs non putrentis excessu, quàm in putrente, ut sic dicam, consistit: nam cùm in putri materia accenditur, quoniam putredo inimica est naturæ, major noxa naturę infertur: & miror Medicos adeo ignaros ut in Apopl. Epil. Vertigine, Paraplegia, cùm vident febrem, justè venam secari oportere putant, & in suis deliberationibus à febre ipsa secandæ venæ indicationem sumunt; imò quia adest febris, à phlebotomia est temperandum: &c. *Ibid. pag.* 46. 47. *&* 59. *annot.* 28.

130. In Apoplexijs, in quibus aut aboletur omnino respiratio, aut exigua manet, tutus non est cucurbitularum usus in musculis abdominis: nam dum illi intenduntur, augetur difficultas respirationis, & ita exaugetur malum. *Epid. lib.* 1. *pag.* 44.

Cucurbitularũ usus supra musculos abdominis tutus non est usus

131. In Apoplexiis & Lethargicis affectionibus Theriaca vulgò præscribitur, sed non tutò, duabus de causis, nam & obruit vis opij quæ vix tempore retunditur, & etiam retusa, si aliqua supersit, maxime apparet in istis affectionibus: 2. Eam multa ingrediuntur quæ vim adstringendi habent, ideo impunè dari non potest. *Ibidem.*

Theriaces usus non tutus.

132. Quidam in Apoplexiam cadit, omnibus modis agitatur, An ita agendum? qui plethorici sunt & verno tempore exercentur, Apoplectici fiunt, An plenitudo hoc facit? *Epid. lib.* 1. *pag.* 6.

Agitatio corporis suspecta.

133. An rectè pulvis injicitur in nares? Observarunt Apoplecticum injecto simili pulvere Epilepticum extitisse: quæ calidiora in os & nares ad sternutamentum excitandum injiciuntur, quia cruda omninò materia est, amovenda sunt: Cui Coryza derepente incidit, potiùs nares omnino adimas quàm elicias quippiam; è pulmonibus & partibus inferis rapitur quid frequenti usu rerum in os injectarum. *Ibidem.*

Sternutatoria noxia in materia cruditate.

134. Quam-

Septalius.

Apoplecticis statim mittendus sanguis.

134. Quamvis, excrementis alvo refertâ, non sit evacuandus sanguis per sectam venam, ne ad venas crudi humores trahantur; in apoplexiâ tamen, cùm ex morâ confirmetur morbus, quamprimùm secare venam expedit, si abundet sanguis, aut mixtus sit sanguini humor, morbum faciens.

Apoplecticis repetitò sanguis mittendus.

135. Quin si indicatio secandæ venæ adsit, præstabit repetitò id agere; sic enim neque refrigerabitur corpus, aut vires imbecilles reddentur, & id obtinebimus, quod maximè exoptat Aëtius, nempe, materiam morbificam commovebimus.

Apoplecticis concutiendū, & perfricandum corpus.

136. Concutiatur blandè corpus, perfricetur calidis, & potissimùm brachium, unde educendus est sanguis, ut & revellatur, & attenuetur, qui crassior per se est, & factus ex refrigeratione adhuc crassior, faciliùs effluere possit.

Apoplecticis in secanda vena vulnus fiat amplum.

137. Neque vulnus angustum fiat, quod aliquibus placet, ut motus diutius perduret, sed latum fieri debet; nam crassior cùm sit sanguis, statim quasi restagnat.

Apoplecticis vena frontis quando secanda.

138. Venam frontis, aut pone aures, statim ab initio secare, quod aliquibus placet, ut quamprimùm præsto simus, non est conveniens, nisi præcesserit universalis evacuatio, saltem per quatuor horas: admitti tamen aliquando poterit, si plethora non adsit, & aliqua subsit sanguinis copia in capite, quæ tamen duas non admittat sanguinis evacuationes.

Apoplecticis cucurbitulæ quando, & quomodo applicandæ.

139. In cucurbitulis in hoc morbo affigendis cautio sit, ne parti posteriori thoracis applicentur, ne respiratio impediatur, sed lumbis, brachiis, & scapulis, quin & occipitio, & jugularibus quandoque venis, sed post alias, & tunc omnino scarificare cutem subjectum expedit.

Apoplecticis ligaturæ quales.

140. In ligaturis dolorificis non diutius persistendum, ne pars gangrænam incurrat, sed partes modò stringantur, modò laxentur, præcepto Avicennæ, ut & major fiat revulsio, & motus humoris.

Apoplecticis cauterium in commissura coronali inutile.

141. Cauterium in commissurâ coronali, quod laudat Aëtius, & alii, non multùm probatur, quòd præsentaneum non sit remedium, multáque alia etiam invehat incommoda, de quibus aliàs.

Cucurbitula raso capite, vel vesicantia conveniunt.

142. Præstat, evacuatione factâ, neque nimiùm in extimis rubescente parte, cucurbitulam in vertice ponere, & repetere, abra-

so

so capite, vel validum medicamentum, vesicas excitans, capiti apponere.

143. In clysmate injiciendo hæc sit animadversio; si injiciatur primò, ut revellamus, & per alvum subducamus, ea quantitas erit infundenda, quæ id præstare possit; & hoc, iis observatis, quæ aliàs docuimus: si verò, ut intestina mordicantibus, & valenter excalefacientibus vellicemus, & dolorem incutiamus, in dimidiatâ quantitate infundendum erit, ut diutius retineatur: quòd si diutius retentum tormina, & inflammationes in intestinis excitet, balano elicietur.

144. Vomitus fugiendus, tum quòd æger in hoc motu se ipsum adjuvare nesciat; tum quòd, cùm se erigere nequeat, potiùs suffocaretur; tum quòd in repleto corpore vomitus caput replere soleat.

145. Stibii igitur usus in hoc morbo, potissimùm in paroxysmo, est fugiendus.

146. Sed valentiora tamen dejectoria exhibenda ferunt, ut paucâ quantitate assumpta etiam à longinquis attrahere, & educere possint.

147. Sternutamenta ut maximè ex usu in hoc morbo, & quidem valentissima, ita non statim adhibenda, nisi priùs corpus sit inanitum.

148. Si caput derasum oleis calidis inungendum sit, cautio sit, ut à levioribus priùs incipiamus, ad valentiora progredientes.

149. Ut verò diutius hæreant, ceræ aliquid semper indendum erit.

150. In oleis, Chymicâ arte elicitis, in usum ducendis hæc sit animadversio, non iis solis utendum esse, sed oleis medicatis esse admiscenda: cùm enim igneâ substantiâ constent, in superficie posita statim dissipantur, & in halitus abeunt, nisi a ëreis, & oleaginosis quasi ligentur, ac coërceantur.

Apoplecticis quæ quantitas clysteriũ.

In Apoplecticis vomitus fugiendus.

Antimonium fugiendum

Purgantia sint ex valentioribus.

Sternutatoria & valida medicamẽta quãdo administranda.

148. Inunctionibus ab imbecillioribus inchoãdum.

149. Oleis cera addenda.

150. Olea destillata in usum non veniant sola, sed oleis medicatis mixta.

In Paralysi.

Ballonius.

151. Mulier jam Paralyseos rudimenta quædam in parte sinistra habebat, & cùm de capitis dolore quereretur, ut tanto impetu in partem affectam humor non influeret, at revelleretur, consulta est phlebotomia in brachio sano. Quo die secta vena est, tanto impetu in partem sanam humor irruit, ut magna impotentia ei parti sit conciliata, imò majora in ea sana parte Paralyseos argumenta fuere quàm in sinistra, jam vetere morbo afflicta, paruissent, Et hic

151. Cùm humor frigidus est in motu, non temerè vena secanda.

eventus docere nos debet, ne temerè, cùm humor frigidus est in motu, venam secemus. *Epid. lib.* 1. *pag.* 93.

Vinum noxium. 152. Videtur Vinum, quia calfacit & siccat, tantùm abesse ut obsit nervis, ut eos roboret: pares enim habet vires ac olea arte Chymica elicita, quæ siccando & calefaciendo tantopere firmant, contendunt & roborant nervos, id quod Galeni patrocinio aph. 5. lib. 5. tueri facilè quis possit: quæ enim incommoda vinum sanare videtur, ea ante ipsum effecerat, Sic vinum nervis erit alexipharmacum, nedum venenum; ita Galenus, *vinum facilè nervos replet ob calidam temperiem, intrat enim, ut cùm non habeat crassam substantiam, sic substantiæ copia nervos convellit, rursus autem qualitate sanat eam quam fecit dispositionem, nervos calfaciendo, exsiccando; & si id non facit, mors sequitur, & ut vinum sanat convulsionem, ita & febris*: Quis autem apud Galen. locus est qui vino magis patrocinetur? cur tam cautè podagricis, lunaticis, tremulis, paralyticis & omnibus quibus nervosum genus afficitur, interdicetur? Si siccat, si calfacit, etiam paulò immoderatiùs sumptum, non nocebit, imò medicatam vim habebit, & tamen audito affectu cerebri, aut nervorum, aut membranarum, cane & angue pejus exulat: nescio cur id fiat, nisi dixerimus calfaciendo & siccando juvare posse, sed vel maligno tetróque vapore nociturum esse, vel plus ipsum vinum fundere, liquare & humores irritare quàm possit digerere, unde fluxionum proventus, & nervosi generis repletio & humectatio, unde Galen. aphor. 5. lib. 5. ait *, Repletis nervis convulsio fit; replet autem vinum. Consilio* 80. *lib.* 3. *p.* 208. Ita Mesuæus capite de Paralysi, *Vinum in Paralysi vitetur, nam facit penetrare meterias ad nervos quæ non penetrarent, est inimicum nervis & oculis; ipsius abusus est causa morbi ipsorum*: *Annot.* 2. *in id Cons. p.* 214. Coniectura hæc nostra est, ut plus subeundo vinum fundat & liquet, quàm foràs digerat: at medicamenta hidrotica fundunt & digerunt, *Annot.* 3. *in id Consil.*

Initio leniter agendũ. 153. Peccatur cùm initio dantur valida medicamenta, cùm mitiùs agendum sit; ita enim Princeps, dum loquitur de curatione Paralyseos; Initio ne properes in usu fortium rerum, imò tarda usque ad quartum & septimum: lenit initio, clysteribus utitur, & revera consilium illud Principis est sani iudicii, & qui omittunt, graviter in medendo peccant. *Consil.* 8. *lib.* 3.

Quadã Analepsi curata. 154. Apud Galenum lib. 6. tuend. valet. cap. 1. Quidam cùm tophos & πωρώδεις τι in Renibus haberet, usus est medicamentis attenuantibus eò usque ut digitos ægrè mobiles haberet, & quiddam cavum sonantes præ siccitate: Medici id observantes, non habita victus ratione quæ præcesserat, ad remedia Paralytica impendio magis calefacientia siccantiáque confugerunt, nil profectum est, imò

magis

magis malum ingravescebat, melior habitus liberaliore victu restitutus est, restitutáque & sanitas & motus digitis; Inde Tecmarsis medendi elicitur, ut motus & sensus deperditio, aut depravatio aliqua, aliquid παρακλυτικὸν portendens, non tam corporis extenuatione opus habere quàm refectione, edoceat, *Consil.* 80. *lib.* 3. *p.* 213. 214. *Parad.* 151.

155. Consideret Medicus an sit extenuatio facta in iis qui aut Paralytici fiunt, aut quibus relaxati & resoluti sunt articuli, (longè enim interest) an proluantur nescio quo muco liquatis carnibus; & non excusso digestóque eo quod liquatum est, tunc enim falsa opinione extenuationis, & maciei, & marasmi non induceris ut omnino à sudorifico abstineas, *Conf.* 80. *lib.* 3. *Sudorifica aliquando prosunt, etsi pars extenuata.*

156. Æger Nob. affectu laborat iam annuo, qui scelotyrbe dicitur, & est quædam paralyseos partium inferiorum ab osse sacro & spinæ superiore parte, cum genuum infirmitate; Initio data medicamenta valida per os sumenda, decoctum hermodactylorum, cum tamen à mitioribus esset inchoandum: In eo bis peccatum est, Et quod data medicamenta purgantia per os, cum inferiores partes malum occuparet. Illud enim est axioma Gal. Quæ per ventrem inferiorem fiunt purgationes, fluxiones in partes vicinas conciunt, Alterum peccatum, Quod initio data valida medicamenta, cum mitius agendum foret; vide § 73. *Conf.* 8. *lib.* 3. *Scorbutica mitia initio postulat, Renuit per os exhibita.*

Septalius.

157. Etsi monet Avicennas, quem omnes sequuntur recentiores, in paralysi in principio non esse purgandum, nisi transactâ quartâ, aut septimâ, & ne tunc quidem validioribus medicamentis, quod etiam à Paulo observatum videmus; id tamen meâ sententiâ perpetuam non habet veritatem: si enim primâ ipsâ die accersitus Medicus fuerit, dum nondum nervis impacta est materia, dum adhuc in motu est, dum nondum crassefacta, præstabit materiam quamprimùm, & medicamento satis valido per alvum subducere. At ubi jam firmata sit, perfectéque obstructionem fecerit, priùs attenuanda erit, & præparanda, quàm evacuetur. *In paralysi quando ab initio purgandum.*

158. Maximus committitur error passim à Medicis in paralysi curandâ, cùm, omissis urinam promoventibus, ad ea promptiùs accedunt, quæ sudores movent, ut decoctum Guajaci, Sarzæ pariliæ, & similium, arte etiam per ignea artificia uberiorem sudorem prolicientes; cùm alioqui docuerit Hippocrates *in Coacis prænotion.* morbum hunc urinis repentè multis, & abundè proruptis exsolvi, sudo- *Paralyticis sudorifera inutilia.* *Paralyticis diuretica optima.*

 ribus

ribus autem confertim manantibus in deterius ruere : quòd cùm urinâ crassiora quoque educantur, per sudores autem, parte tenuiori exsolutâ, crassior magis callescat, crassior reddatur, magis obstruat, atque difficilior reddatur ad motum, & ad evacuationem.

Paralyticis olea nimis calida mala.

Olea distillata sola inutilia.

159. Quâ etiam ratione inunctiones non debent fieri ex oleis nimiùm calidis, & siccis, saltem solis; periculum enim impendet, ne materia, nervis adhærens, nimis exsiccetur, & lapidescat : quare illis semper pinguia misceri debent; unde etiam vis ignea illorum coërcebitur, ne exhalet, & diutius adhærescent, neque nimiùm exsiccando contumaciorem morbum reddent.

Paralyticis vesicantia utilia.

Paralyticis rubificantia quando conveniant.

160. Ut in paralysi curandâ aliquando vesicantia post universum corpus evacuatum scapulis, aut brachiis applicari debent,ut materia à cerebro,& principio spinalis medullæ ad externa attracta evacuetur; ita rubificantia solùm post illa,& progressu temporis (Avicennas triginta post dies iis utitur) spinæ dorsi applicare convenit, tum ut reliquias materiæ extrà vocemus, sanguinémque & spiritus iterum in partem revocemus, ut ea reviviscat.

161. Rubificantia quousque cuti adhærere debeant.

161. Cavendum tamen tunc, ne rubificantia eò usque adhæreant, ut vesicas, aut pustulas in cute inducant, sic enim spiritus ad partem non revocarentur, sed dissolverentur : eò usque igitur sinapismi, dropacésve cuti adhærere permittendi sunt, quamdiu rubida pars, pressa digito, non albescit, sed rubida perseverat.

162. Paralyticis cucurbitulæ ubi, quando, & quatenus applicanda.

162. Cucurbitularum usum quàm maximè commendat Avicennas, post expurgatum corpus, capitibus musculorum partis laborantis applicitarum sine scarificatione, non quidem ad extrahendam materiam morbificam, ut censuit Gentilis, sed ad evocandos spiritus ad partem ferè demortuam : quod ut obtinere possimus, animadvertendum, cucurbitulas angusti oris esse debere, cum multo igne esse applicandas, ac diutius non esse permittendum ut adhæreant, ne dissolvatur quod ab iis est attractum.

In Tremore.

Ballonius.

Tremor initio morbi contingens vacuationem non respuit.

163. Dicendum de isto Tremore qui in principium morbi incidit, & qui non debet à purgando & evacuando deterrere : Omnis Tremor continentem causam habet virium infirmitatem : Et cum ex tribus corpus constet, spiritu, humore, parte solida, spirituum dissipatio, aut collectio Tremorem facit, vt in gravi animi affectu contingit : Interdum enim accersit humorum & spirituum dissipatio, vt in fame, vigiliis, vsu Veneris contingit : In acutis morbis aliquando fit-

fit copia humorum, vt Pythioni: Interdum qualitas humoris, licet is quantitate sit paucus, interdum partium solidarum siccitate & marasmo, vt cum phrenitin aut causon Tremor excipit: Id etiam in morbis longis cernitur, facultate vieta ac languida reddita: Id quod R. Pater N. declaravit, post semestrem enim morbum tremulus interiit: *Histor.* 8. *lib.* 2.

Cuidam multa anacatharsis contulit cum deiectionibus.

164. Hortulano Dom. N. febre continua affecto, per totum morbum fere manuum saltus tremulus adfuit: Ad claviculas dolor sub obscurus, morbus diu siccus: Sanguis illi detractus laudabilis, dein corruptus, Tandem evacuatis multis per alvum, & expectoratione multa convaluit: Pythionis historia (3. Epid. sect. 3. hist. 1.) revocat in memoriam illud totum quod in morbo ipsius hortulani evenit Pythioni 1. die *Tremor à manibus, febris acuta &c.* Galenus explicans causam istius Tremoris mihi videtur deceptus esse; Nam cum Tremorem istum magni faciat, & quod primo die inciderit in ægrum, propterea credat à plenitudine esse, miratur cur V. S. non meminerit, cum necessaria hic videatur: morbum quippe plenitudo commisit, vt ex ipso etiam tremore collegit, qui plenitudinis signum est: Tamen paulo post, dum explicat cur tremerent manus, ita scripsit, *Probabile est in primis thoracis regionibus, vbi est continens thorax, ad vltimas cervicis vertebr affluentiam humorum constitisse aliquando, non multum tamen, vt as quæ dyspnoeæ excitandæ non esset satis: nec enim valde confert ad respirationem primum intercostale: Sed cum esset vitium in nervorum radicibus, qui ad manus pertinent, nervique degravarentur, Tremor manuum consequutus est: nam ex primo intercostali & vertebris ei superpositis, nervi muculos manum moventes enascuntur: hujus rei hoc est argumentum, quod Tremores vna cum sputis, quæ successerunt, permanerent, & etiam quod, vbi aliquod signum in sputis coctionis apparuit, non amplius fierent tremores &c.* Quorsum vero Galenus ad solutionem Tremoris istius phlebotomiam desiderabat, cum particularis esset affectio, & à congestione materiæ nullum dolorem excitantis ad primum μεσοπλεύριον? Et tamen ita Galenus ea de re scripsit, postquam Tremorem istum a plenitudine esse statuit: Itaque potuit auxilio esse missio sanguinis, succis revulsis qui hoc loco affluebant: Quomodò autem ita iuuerit sectio venæ ob Tremorem, cuius causa erat particularis, non video: ratione quidem febris juvare plurimum potuit, at ratione istius materiei prementis & obstruentis juvare non potuit, cum nulla inflammatio esset: Imo sola per os excretio, & coctio materiei juvare potuit, nulla sectione venæ celebrata: Atque huic ægro cum secta vena bis aut ter esset, laudabilisque effluxisset sanguis, nihilo pene minor factus est Tremor, At juvit expectoratio lenientibus cibis & arteriacis procurata: Doct.

Hollerius explicans aphor. iſtum οἱ πρὸς χεῖρα ἀναΐσσοντες verum effigiem iſtius morbi in Hortulano & Pythione exprimit, & non tam τρόμον vocat quam σπασμότρομον, nomine compoſito, quemadmodum affectio iſta non ſimplex eſt, ſed habet aliquid promiſcuum ex convulſione & tremore: morbus autem hortulani autumnalis erat, & vt colligi potuit, multa cruditas fuit in vniverſo corpore, & prout anacatharſi thoracem expurgavit, minui cœpit illud ſymptoma. Tandem ſive ratione particularis in thorace congeſtionis, ſive etiam redundantiæ ſuccorum in vniverſo corpore oppreſſio fuerit, colligere eſt Tremorem eſſe à plenitudine: Galen. quoque in Prorrh. convulſiones quæ ſtatim ab initio oriuntur a plenitudine eſſe contendit: Et Hippocr. 1. de morbis animadvertit manuum torporem & ſegnitiem ſequi ob venarum in thorace varicoſam diſpoſitionem, præſertim ſi malum ad humerum tandem pervenerit. *Hiſtor.* 8. *lib.* 2.

Σπασμότρομος motus miſtus ex Tremore & convulſione.

165. Datur affectio non ſimplex ſed aliquid promiſcuum habens ex convulſione & Tremore, σπασμότρομος dicta, nomine compoſito ἐκ τοῦ σπασμοῦ καὶ τρόμου: Porro iſte σπασμότρομος à ſimplici tremore differt, quod tremor ſimplex ceſſat ſi pars reſideat ac conquieſcat, ſed ἐν τῷ σπασμοτρόμῳ, manu etiam ſubnixa ac quieſcente, tremulum quid & convulſivum apparet *Novi*, inquit *Holler.* comm. in aphoriſm. οἱ πρὸς χεῖρα ἀναΐσσοντας, *quibus in febribus longis & autumnalibus, à copia crudi humoris, non tam ſiccatis quam humore madentibus nervis, id citra periculum acciderit.* Vide plura eo loco. *Lib.* 2. *conſil. hiſtor.* 8. *pag.* 82.

In Convulſione.

Ballonius.

Aliam cauſam agnoſci nonnunquam quā repletionem & inanitionem.

166. Dum omnis convulſionis cauſam ad Repletionem & Inanitionem referimus, nimis fortaſſe generaliter pronuntiamus; hoc autem ſæpe erroris occaſionem in medendo prætexuit: vbi enim Medicus putat ab Inanitione affectum non oriri, ſtatim ad Repletionem tollendam ſe convertit; vnde vt evacuationem moliatur, nullum non medicamenti genus experitur: Itaque prudenter *Galenus* novam quandam ſingultiendi cauſam comminiſcitur, quam vtinam ad convulſionem quoque retuliſſet: Sed Medici falſa Repletionis opinione tot evacuantia remedia non excogitarent. *Libro de convulſ. pag.* 15.

Septalius.

Septalius.

167. In ſpaſmo, motu irruentis materiæ ceſſante, ut cucurbitulæ, mediis muſculis affixæ, & ſcarificatæ, extra uſum ſunt; ita cavendum eſt, ne finibus muſculorum, ubi tendines ſunt, affigantur. *In ſpaſmo cucurbitula quando, & ubi applicanda.*

168. Addit Aretæus, in illarum applicatione parcè flammam excitari debere; nam quæ à labris cucurbitæ fit compreſſio, doloris, convulſioniſque auctor eſſe ſolet: molliùs igitur trahant, & diutius adhæreant. *Cucurbitula in ſpaſmo quomodo applicanda.*

169. Cavendum etiam, ne pars ſubjecta, detractis cucurbitulis, frigore tentetur; pars enim rarefacta facilè, frigido aëre admiſſo, rigeret. *169 Cucurbitulis ſublatis, pars ſubjecta fovenda.*

170. Cuſtodiendæ autem quàm maximè ab ambiente frigido partes, quæ calidis balneis proximè immerſæ fuerint, quæ perfricatæ. quæ irrigatæ, quæ denique dropacibus, ſinapiſmis, aliiſve ingeniis ad ruborem deductæ, aut quovis modó rarefactæ; quòd nervis frigiditas ſit inimica, materiámque, convulſionem facientem, craſſefaciat. *170. Convulſis partes omnes calidis fovendæ.*

171. Quapropter etiam, ſuperveniente ſudore, ob doloris vehementiam, maxime obſervandum erit, ne mador ille adhæreat, neve frigeſcat, ſed omnino detergendus erit: Sed ne meatus aperti frigiditatem admittant, neve effluens ſudor virtutem exolvat, calente aliquo oleo partes erunt deliniendæ blandè. *Convulſis ſudor ſi ſupervenerit quid agendum.*

In Melancholia.

Ballonius.

172. De phlebotomia ita Galenus cap. 7. lib. 3. de loc. Affectis. *Vbi univerſum corpus ſuccum ſanguinemquè melancholicum continet, à vena ſectione auſpicanda curatio: ubi ſolum Cerebrum infirmiùs,* (quod ad diſpoſitionem attinet) *ſanguinis detractione non eget, licet alia de cauſa ſanguis mitti poſſit:* Et cap. 7. lib. 3. idem explicat quibus notis deprehendas aut in Cerebro aut in toto corpore redundare ſuccum melancholicum illius affectionis authorem, item quinam ſint obnoxij iſti morbo, & generationi talis ſanguinis. *Molles, candidi & obeſi,* ait Galen. *nequaquam habent humorem melancholicum, ſed macri, hirſutiy, & quibus amplæ ſunt venæ, aptiſſimi ſunt ut talis humor in his cumuletur: qui ſunt flavi, præſertim ſi vigiliis, curis, laboribus uſi fuerint, & tenui victu educati fuerint, melancholicum ſuccum generant: Conſ.* *Phlebotomia quando confert.*

41. *lib.* 2. *pag.* 282. Quæstio tamen esse possit, an si solum cerebrum sanguinem multum melancholicum contineat, à sanguinis detractione sit abstinendum: hanc eandem distinctionem doctè observat Galenus Comm. in 4. Acut. de malo Cerebri topico, déque malo per consensum nato, cùm agitur de vertigine: *Capitis solius caliditatem, quovis alio modo habentis, balneum juvat: cùm verò flatulentus spiritus ob humorum pravitatem ad caput fertur, hos lavare non convenit.* Vena autem media secanda est, & si melancholicus sanguis non videatur, supprimendus est, sin talis appareat, vacuandus pro virium modulo. *Conf.* 4. *lib.* 3.

Vi ium sanguinis venæ sectione non semper emendatur.

173. Si sanguis melancholicorum virus quoddam in se continet, si acer, si salsuginosus, aut simili qualitate donatus, eáne qualitas per phlebotomiam tolletur aut corrigetur? Dicam unum à nobis sæpiùs observatum: hypochondriacorum, & melancholicorum verè dictorum sanguis, non ita facilè corrumpitur & serescit ut sanguineorum & calidorum humidorumque corporum sanguis: ratio est, sanguis eorum si acer, si salsus, si mordax, si acidus, ea qualitate se munit & tuetur adversus communem putredinem: malignus quidem & doloris parens est eorum sanguis, ob inclusam qualitatem nescio quam, quæ naturam stimulat & angit, sed notas non habet facilè vulgaris putredinis: ubi enim semel talis sanguis nitrosus, acer salsusque putruit, Dii boni, quantos dolores excitat, quàm erroneos & vagabundos, & qui cruces ægrotantium Medicorumque dicuntur? In maxima hypochondriacorum parte agnosco calorem nescio quem aridum, squallentem, mordacem, adurentem & zymosin in humores facilè inducentem: An ratione istius caloris sanguis demendus? an hac ratione calori nativo, visceribusque ipsis refrigeratio afferri debet? quidam sine distinctione sanguinem detrahunt audacter in eo habitu & temperamento, partim caloris acrimonia inducti, partim sanguinis malâ qualitate persuasi, phlebotomia enim minuendo calorem, tandem temperabit reliquum, & partem maligni sanguinis amoliendo, locum generationi melioris præparabit: Item, si tum demum bene habent melancholici cùm pinguescunt, temperato & madefacto eo calore sicco qui in iis marcorem maciemque accersit, cur non conferet venæ sectio? nam & vulgo pinguefacere dicitur, tollit enim & pravum sanguinem maciei causam, & refrigerium affert isti calori intemperato, sic ex eventu sanguinis detractio quandam ἐυεξίαν inducit: Fidem facit experientia quotidiana, facit & historia extenuatæ illius mulieris apud Galenum, quę evacuato impendio magis sanguine pici simillimo, priorem habitum nitoremque recuperavit: at dices, visceribus ipsis inusta est & impressa sicca & squallens intemperies? quid proficias licet massa sanguinis exhauseris? unde sanguis πρὸς τὴν φαντασίαν & aspectu apparet laudabilis; & tamen

men magna pars melancholicorum, præsertim hypochondriacorum, aut febre marasmode interit, aut Tympanite, nonnunquam, ob caloris naturalis ad bonos succos generandos apti, paupertatem, & caloris contra naturam, ad κακοπραγίαν facientis, diro Hydrope, de hoc viderint qui audentiùs sanguinem detrahere voluerint: at alia etiam ratio ad liberaliorem sanguinis detractionem adhortabitur, nempe & frequentia doloris & sævitia; Si enim constat, & ex Aristotele, & experientia ipsa, eos qui atro succo abundant, ut dolendi ita & conquerendi finem non facere, quod doloris præsentius erit remedium ipsa sanguinis detractione? At dolor non ob calorem, non ob frigus adest, sed ob ineffabilem inexplicabilemque qualitatem ipsius sanguinis, quam à nescio qua viscerum affectione & diathesi acquirit &c. Nec est quod dolor in ijs frequens ad sanguinem demendum provocet: Si autem quoties de dolore conqueruntur, toties sanguis detrahatur, ut conquerendi, ut dolendi, ita evacuandi sanguinis finis non fiet; hoc tamen relinquendum erit medentium prudentiæ. Cum ergo sit viscerum dyscrasia, obstructio, suppressio, proventus humorum acidorum, acrium, salsorum nitrosorumque (addo etiam virulentiam & κακοήθειαν, & peculiarem putredinem) non tam fortè cogitandum est de frequenti aut luculenta sanguinis detractione, quàm viscerum & humorum correctione, quam ἐπανόρθωσιν vocant. *Consil.* 4. *lib.* 3. *pag.* 56. *& sequ.*

174. In Hypochondriaca est inflammario quædam συστροφικὴ, & ad ejus curam licet multa reclament, venæ sectio imprimis est necessaria; nam ἐν ταῖς συστροφαῖς φλεβοτομία ἡγεμονικὸν ἐστι. *C'est le conducteur de l'œuvre, il faut commencer par là, Consil.* 41. *lib.* 2. *pag.* 283.

In Hypochondriaca vena sectio est ἡγεμονικὸν.

175. Cùm in omni morbo melancholico luculenta venæ sectio suspecta sit, in hoc solo Cutubuth, specie melancholiæ eximia, ad syncopen sanguis mittitur: Quod arguit aliquid esse in eo morbo quod in cæteris melancholiæ morbi formis non animadvertitur: Si enim suppressio aliqua solennis sit, præsertim sanguinis aut per mariscas, aut nares, aut uterum, non erit extra rem copiosè sanguinem mittere, quis est enim qui tam audacter sanguinem mittat, si ejus propria generatio spectetur, ex atro videlicet succo per adustionem bilis generato? *Histor.* 4. *lib* 2. *Consf. pag.* 133.

In melancholia Cutubuth convenit usque ad syncopen.

176. Melancholicis si ex usu esse videtur Phlebotomia, vesperi potiùs est celebranda, quod eo tempore humor moveatur, quanquam nocturnæ & vespertinæ sectiones venarum minus valent &c. *vide lib.* 4. *Articul.* 53.

Vesperi mittendus sanguis.

177. Melancholia morbo detentus se mortuum putabat, Hæ- *Quidam Hæmorrho-*

Ll morrhoidum

idū fluxu liberatus. morrhoidum fluxu liberatur, *Paradigmate* 102. *pag.* 314. *Ex Hollerio.*

Scarificatione brachii sanata insania. 178. Cuidam totum Brachium à metastasi humoris in eam partem nigricabat, malum disparebat, tunc insaniebat, rursus redibat, consultum tandem est ut denigrato brachio scarificatio profundior adhiberetur, convaluit, liberque fuit & ab ista nigritia & ab insania. *Paradigmate* 183.

Hypochondriacorum flatus vena sectione solvuntur. 179. Melancholia Hypochandriaca κατ' ἐξοχὴν flatuosa dicitur, Nam in hypochondriacis, & ijs quibus æstuant viscera, quos θερμοκοιλίους vocat Hippocr. non rarò usu venit, ut cùm calore acri abundent, non desinant esse flatuosi, imò in Tympaniten ferè post dolores aluinos diuturnos & vix placabiles incidant, & ijs non rarò secari solet vena, secundùm illud Hippocr. ἀνεμώδη φλεβοτομίη λύει sect. 5. lib. 2. Epid. *Consil.* 78. *lib.* 3. *p.* 197. Quidam cum ob flatus melancholicos, & sanguinis calorem, sæpe dolores sentiret maximos, statim se adjutum Phlebotomia asseveravit, *Epid. lib.* 1. *p.* 72.

Medicus debet potiùs eniti in diathesi tollenda, morbi altrice, quàm in purgando. 180 Quidam vehementer Purgantia calidaque præscribunt, unde Hierarum & Confectionum, ut Hamech, Logadij &c. operosa concinnatio ad melancholicos destinata: Præclarius Mesuæus. qui quodammodo temperat illud adverbium Hippocratis ἀδροτέρως, ut non adhibeatur ea vehementia, quæ Hippocr. placuisse visa est, Nam vult melancholicos non semel, non bis, sed frequentiùs purgandos, non validè, ut Natura evacuationé regat & moderetur, non Naturam regat evacuatio. Præclariùs Aëtius de emolumento Hieræ Archigenis, qua melancholici & Epileptici juvantur, non quod bilem excernant nigram, sed quia, ait, dispositio impressa partibus solidis sensim aboletur & exteritur sine commemorabili excretione humoris, etiam minima quantitate: sed frequentius sumebatur Confectio hæc, ut sensim fieret, delendo diathesin, quod nonnisi cum periculo, si ἀθρόως id fieret, contingere potuisset; Contra faciunt quidam Medici, celebres Purgatores, qui non cessant purgare donec totum corpus exhauriatur & marcescat, At iste humor non tam est irritandus quàm fovendus, alendus, mansuefaciendus, Et malo fundamento utuntur tales Medici, cum melancholici morbi non tam consistant in humore quam in partium solidarum (in quibus ἡ φύσις consistit) vitio & Diathesi, id quod cum Archigene animadvertit Aëtius. *Conf.* 4. *lib.* 3. *pag.* 59. *lib. de Virg. & mulier. morbis cap.* 7. *pag.* 116. *Conf.* 9. *lib.* 1.

In Melancholicis ab adustione lenis sit Purgatio. 181. Melancholici ab adustione non sunt vehementer purgandi: cùm melancholici dicantur, non tam ij qui succo melancholico abundant, quàm qui partibus solidis tales sunt. Est solertis Medici id

id distinguere, *Conf. 55. lib. 3. pag. 159. lib. de virg. & mul. morb. pag. 148. annot. 10.*

182. Corpus repurgare oportet, non validè sed leniter, ut hic admitti non debeat sententia Hippocr. qui melancholicos per inferiora purgat ἀδρεστέρως: Si enim melancholicis morbis vehementiora debentur medicamenta, lib. 1. cur curatione ad Glauconem, lenius in febribus Quartanis agit Galenus, cùm experientia perspectum sit ex simplice Quartanâ duplicem triplicemque nasci, nisi summissius egeris? Cancros autem, si duriusculis acriusculisque medicamentis agitaveris, ferociunt insultantque magis & medendo ægrescunt, Et laborantes Hypochondriaca observavimus usu validiorum deteriùs longè habuisse, contra verò medicationes blandiores facilè tulisse &c. vide plura lib. 5. Titulo de Quartana Artic. 55. pag. 195. Lib. de Virg. & Mul. morbis *cap. 7. pag. 114. Conf. 34. lib. 1. pag. 129.* *Crebro & leniter purgandi.*

183. Validum revera debet esse medicamentum quod humori melancholico purgando destinatur, Nam cùm sequax est humor, & pellenti naturæ cedit, non requiritur magna demoliendi vis (ut loquitur Galenus quodam loco) sed cùm abstrusus est humor, qualitate malus, quantitate paucus; non requiritur magna agitatio: sed ubi est magna copia talis humoris, & non potiùs urget dispositio & mala qualitas, ut fit in atrabilariis morbis, validis medicamentis locus est, *Annot. 5. in Conf. 34. lib. 1. pag. 133.* *Purgatio quando valida esse debet.*

184. Purgatio instituitur frequentior non vehementior, & sicubi aliàs ἐπικρασις locum habet, ut sit Nutritionis & Purgationis gradus & vicissitudo, frequens & mitior Evacuatio supplet vicem minus frequentis sed validioris, *Conf. 26. lib. 3. Annot. 2. pag. 106.* *Purgandi melancholici per ἐπίκρασιν.*

185. De Purgatione per Elleborum. *Vide lib. 3. Artic. 47. pag. 90.* *Purgatio per Helleborum.*

186. Ne putes in morbis melancholicis frustra expectari mitificationem quandam, eorum festinationem imitatus, qui atræ bilis nomine audito, aut melancholici humoris, statim ad confectionem Hamech, aut Pilulas è lapide Lazuli aut Cyaneo confugiunt, consulendus est Hippocr. aphor. 22. lib. 4. Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis supra vel infra exiverit, lethale: Satis docet excretionem bilis atræ pernitiosam esse, nisi sit mitificata, Non potest autem mitificari nisi cum tempore, Et in comm. Gal. de excretione atræ bilis, ut & omnis humoris, si initio morborum fiat, loquens, hoc Axioma conficit, Cùm Natura à causis morbificis opprimitur, eiśque humorum cruditas, non potis est quicquam salutariter excerni: hinc disces initio morborum melancholicorum lenioribus locum dari medicamentis, at cum materia iam aliqua ex parte mitificari cœpit, libertas meatuum est, locus valentioribus esto, quoniam humores te- *Humor melancholices ante purgationem coquẽdus & mitificandus.*

naces, crassi viscosíque, leniorum vim facilè effugiunt, *Cap.* 7. *lib. de virg. & mul. morbis.*

Cōfectionis Hamech efficacia

187. Vbi corpus purgandum, confectio Hamech primas tenet. *Consil.* 1. *lib.* 2. *pag.* 184.

188. Adustionis ratio habenda.

188. In melancholicis ratio maximè habenda adustionis & caloris adurentis, nec simpliciter calor considerandus, quod tumores atrabilarij satis superque testantur, estque virus quoddam junctum cum adustione, quod plumbo solanóve emendatur quodammodo, alijsque vehementioribus magis ac magis irritatur: Quod si in externis affectibus curandis, qui virus & pertinaciam melancholicam redolent, moderatio adhibenda est, ut non exacerbentur sed nutriantur, Cur non idem in intimis affectibus melancholicis usurpandum? Irritatio istorum morborum, seu internorum seu externorum, doloris provocatio est, mors ipsa denique; Eorundem nutritio est fomentum quoddam, dolorum levatio, dulcedo quædam vitę ejusque prorogatio, sic melancholicis lac, balnea & quicquid modicum temperatumque est, profuit, quod violentum irritansque obfuit: Sic enim adustio humorum, & maximè si bilis flava afletur, imprimit vim nescio quam humoribus, unde quos alioquin irritat frigus & calor, eos lenit, fovet, mitigat medium ac temperatum, Et quod de humoribus atrabilarijs dicitur, idem de moribus melancholicorum audiendum est, acerbioribus objurgationibus irritantur ac ferociunt, mollioribus verbis & frigidis minimè corriguntur, moderatis rationibus ac sermonibus acquiescunt ac temperantur. *Cons.* 26. *lib.* 3. *Annot.* 2. *pag.* 106. & 107.

Melancholicis εὐεξία procuranda.

189. Ijdem pingues faciendi sunt, alioqui eorum humores ferociunt magis, dulcedo enim alimenti temperat & suaviores mitioresque reddit humores: Contra, quia perpetuò conqueruntur, molestumque rei cujuspiam sensum habent, putant extenuatione, purgatione, sibi opis nonnihil posse afferri, at contra fit, Nec enim tam quantitas humorum molesta esse solet: imò bene habent illi cum εὐεξίαν compararunt, dummodo εὐσαρκία non impediat difflatum fuliginum, quæ etiamnum in talibus visceribus generantur; Nil itaque tam noxium est quàm fames, abstinentia, extenuatio, Et si in aliis extenuatio iram provocet, multò magis in melancholicis: denique necessum est ut idem hic contingat quod arboribus, quæ æstatis initio ad ferendos futuros æstus, umbram sibi ex foliis & pampinis comparare solent, Nam talia corpora similia sunt arboribus quæ in regione arida & siticulosa nascuntur, ait Themistius. *Cons.* 64. *lib* 3. *pag.* 173. Oportet melancholicos bene comedere, ut si fieri possit εὐσαρκίαν sibi concilient, tum enim bene habent cùm impinguantur, *Cons.* 64. *lib.* 3. & *Annot.* 4. *Cons.* 49. *lib.* 2. *pag.* 305.

190. In

190. In cura enim eorum errari videtur dum inediam famemque tolerare jubentur, Abstinentia enim cibi humores in multis acriores redduntur, hinc ferocitas major, ut de biliosis & quibus temperamentum calidius & siccius est, & sudor & saliva acrior redditur, imò venenatam vim quandam adipiscitur; Et morsus hominis biliosi jejuni venenum suæ qualitatis ratione æquat: Cibus verò euchymus sua benignitate succos acres temperat. *Cons.* 41. *lib.* 2. *Inedia noxia.*

191. In Habitu melancholico Vino interdicere non est Artis. *Consil.* 14. *lib.* 1. *Vinum convenit.*

192. In melancholia morbo Balneum universale convenit, præsertim cùm est per adustionem humoris, sive affectum sit Cerebrum, sive in mesenterio malum consistat, valet enim tum ad contemperandos humores, tum ad corporis perspiratum, tum ad restinguendum incendium: *Histor.* 4. *libr.* 2. *Consil. pag.* 139. In melancholicis (maximè per adustionem & suppressionem) fuliginosum adest excrementum multorum malorum causa: ideo reseratio cutis & temperatio prodest: nam cùm biliosi & calidi sanguinis æstum in præcordiis habeant, multam excitant fuliginem; ita Hippocr. 6. Epid. Calidior venula, i. e. arteria, sanguinis copia exustum gignit. *Cons.* 4. *lib.* 3. *pag.* 62. *Cuinam Balneum quadrat.*

193. Omnes in melancholicorum cura semper accusant Lienem, & cum splen viscus sit frigidius, foris & intus calfaciunt impensè; omnes enim herbe splenicæ ferè sunt calidæ & rypticæ, sic lædunt, & ut concedam Spleni consulere, reliquo corpori officiunt. *Cons.* 4. *lib.* 3. *Spleni consulendo reliquo corpori injuria infertur.*

194. Cucuphæ ex calidis non usurpandæ in melancholicis in quibus dominatur bilis, nam febre quadam capitali laborant. *Cons.* 1. *lib.* 2. *pag.* 184. *Cucuphæ quibus nocent.*

195. Cæterum in his morbis Medicos & pudet tantæ diuturnitatis, & querelarum, & ægros tædet; sic ut tædio & pudori consulatur videndum est; alioqui & pro remedio, ægris desperatio, & arti infamia pro laude continget. *Cons.* 4. *lib.* 3. *pag.* 60. *195 Caveat medicus ne morbi diuturni as famæ propria officiat.*

196. Morbi melancholici neglecti sæpe fiunt leviores, mirumque ad aliquid conferre negligentiam: Sed & ipsa senectus, quæ morbus est, remedio est, præsertim si ex macro habitu comparetur: Audiatur Aëtius, *Opera pretium est nosse multos melancholicos ægrotantes in tempore curationis nil commodi sensisse: dimissa verò curatione restituti sunt, Natura ante curationem prævalente contra morbos debiles ex medela factos: sic remissionem naturæ dare oportet, nam una cum curationibus videtur affligi, in quiete verò invalescere & superare morbos jam antea attenuatos,* *Conf.* 78. *lib.* 3. *pag.* 200. *Histor.* 4. *lib.* 2. *pag.* 137. *lib. de virg. & mul. morb. cap.* 7. *pag.* 135. *& Ann.* 10. *in id caput pag.* 148. *196. Medicamentorum usu sæpe exasperatur.* *Cap.* [illegible]

 197. Circa

Eorum dolores à catarrho non oriuntur.

197. Circa melancholica accidentia notandum, quod plerique dolores pariuntur quos à catarrho esse putant, & sic decipiuntur valde, nam & origine & curandi varietate differunt : tensiones sunt circum membranas, eæque à flatulenta aura aut tenui admodum materia, quæ tendit atque quodammodo divellit membranas : potest & serum quoddam malignum id efficere : observavit D. Magnus eos dolores distendentes aliquando mulierem quandam afflixisse, & cùm omnibus remedijs tentatum fuisset ut ij mitigarentur, tandem desierunt in tuberculum cancrosum : admirabilis est effectus humoris melancholici: Et cavendum est maxime ne tum, cùm dolores isti premunt, corpus exsiccemus, imprudenter persuasi quod talis dolor à fluxione est, imò est corpus potiùs contemperandum & humectandum, & in hoc falluntur vel etiam experientissimi homines: testis Maria Berthier, quæ humectata meliùs habuit quàm siccata, exhausto multo sero melancholicam naturam adepto : quid enim impedit quin humor aliquis in toto habitu eam naturam acquirat, quam habet particularis quidam in parte humor? *Epidem. lib. 2. pag.* 220.

Melancholia & mania non semper expertes febris.

198 Magna quæstio oriri possit, An quis Maniacus & Melancholicus (præsertim in cerebro morbo fixo) sine febri sit? Si enim diutius humor cunctatur, cur non putrescit: si non putrescit, cur non febrem in capite accersit? maximè verò tum cùm bilis flavæ in atram fit ὀδοιπορία : vt ingenuè dicam, cùm communis animantium morbus & hostis, febris sit, & nullum ferè expertem sui habeat, præsertim si quo alio morbo tenetur, vix tantus in cerebro, parte principe, morbus foveri potest, quin febris oriatur: Sed non tam morbus est universalis, quam capitalis & particularis febris: Cæterum, Cerebrum natura frigidum est, & ægrè admodum inflammatur: Sed si in meningibus ipsis aliquid esset inflammatorium, derepente febris oboriretur: At in cerebro ipso potest contineri humor, qui, licet vim impresserit, & calorem conceperit, quia in substantia cerebri hæret separatus, & non in arteriis ipsiusque venis, ideo obscura febris in toto corpore potest esse, aut nulla, cùm tamen cerebrum ardeat & febriliter, vt ita loquar, affectum sit: declarant lethargicorum febres, licet in cerebro ipso humor salsus sit, nitrosus & putris: sed quia pituita est, ideo manifesta non est ἔκλαμψις : declarat & apoplexiæ causa, cùm Galenus dicat eam aliquando generari, ad aph. 42. lib. 2. διὰ τὴν φλεγμονώδη διάθεσιν ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ : quæ inflammatoria dispositio dicitur per similitudinem quandam, non quod re ipsa sit inflammatio, sed est dyscrasia quædam in cerebro, & diffusio quædam humoris, eo modo cerebrum imbuentis quo & in inflammationibus humor partes inflammatas diluit: In melancholia hypochondriaca est diathesis

thesis inflammatoria pylori & partium vicinarum, tamen non est febris, aut ea obscura admodum: quanquam in parte ipsa si humor secretus sit, & si pars ipsa sua natura frigida sit, febris quædam conclusa & particularis esse queat: Potest ergo & fanaticus & melancholicus in cerebro febrem habere. *histor. 4. lib. 2. consilior. pag. 129.*

Melancholicis indulgendum.

199. Indulgendum ægris, tametsi illud quod indultum fuerit minus è re videtur: Nam vt ait Hippocr. sub finem lib. de præcept. *Diuturnam ægrotantis concupiscentiam erigit indulgentia in morbo diuturno*: Quod cum alias, tum maximè in morbis melancholicis faciendum. *lib. de Virgin. & mul. morb. cap. 7. pag. 135.*

Animus varie moderandus.

200. Celebratur hic versus apud Græcos qui citatur à Plutarcho apud Apollonium, ψυχῆς νοσούσης ἰατροὶ λόγοι, ægroto animo medicus est oratio: siquidem, vt inquit sapiens Hebræus, sermo mollis frangit iram: Huc allusit Horatius in Epistolis.

Sunt verba & voces quibus hunc lenire dolorem
possis, & magnam morbi depellere partem.

Sed vt in corporum morbis pro ratione valetudinis alia atque alia adhibentur præsidia, itidem in animi malis non eadem adhibenda est oratio, sed interim dissimulandum, interim acrius obiurgandum, nonnunquam blandius monendum, iuxta *Pauli* monitum, argue, obsecra, increpa. *Annot. 1. in Cons. 49. l. 3.*

Dolores melancholicis accidētes in συστροφὴν colligendi.

201. Cum vxor N. diu brachium doluisset, nec dolor remediis remisisset, tandem obortus est tumor in summo humero anthracodes, dolorificus maxime: Hic suppuravit, à suppurato magna levatio: Dolores autem in melancholicis vagi sunt, nec quiescunt sæpe donec se ipsi se collegerint: & συστροφὴν aliquam fecerint: qui cum συστροφὴν fecerint, tum in suppuratum est incumbendum, nisi aliqua alia ratio dissuadeat. *Annot. 2. in conf. 48. lib. 2.*

Septalius.

Melancholicis purgātia liquida magis conveniunt.

202. Quamvis non negandum sit, in hoc morbo medicamenta, quæ exhiberi debent ad evacuandum humorem, sub quacunque formâ concedi posse; verissimum tamen est, si liquida concedantur, multò magis utilia esse; nec in omnibus usum pilularum admitti posse ob siccitatem melancholiæ; quamvis contumacia materiæ ad eas nos revocet: nam robustiùs agunt combinatâ vi, diutiúsque in ventriculo hærent, & vehementiùs à capite prolectant.

Quando mittendus sanguis iis.

203. In missione sanguinis per sectam venam, quamvis sciam, plerosque,

quando supprimendus, & quando sinendus.

plerosque, Galeni auctoritate innixos, hac uti distinctione, ut viribus consentientibus, morbo magno facto, secetur vena, &, si ater sanguis effluat, educatur ad debitam quantitatem; sin subtilis, & rubens, ubi ad tres uncias effluxerit, supprimatur: perpetuò tamen hoc servandum non est; aliquando enim aliquâ datâ occasione, cùm cœperit morbus is in cerebro, optimo sanguine exsiccato, si in universo abundaverit sanguis, & torosæ fuerint venæ, sanguisque in iis nullam conceperit labem, sed copiâ solùm peccet, secanda quidam erit vena, & sanguis, etiamsi subtilis, & rubens effluat, omnino in debitâ quantitate erit evacuandus, ut revellat à capite, & impediatur quò minùs in nigram bilem vertatur, aut melancholescat. Galeni igitur sententia vera erit, ubi non adsunt signa veræ plethoræ; tunc enim pro revulsione expedit secare venam, & si nigrum effundi viderimus, cùm in venis magnis abundare nigrum sanguinem viderimus, effluere sinemus; sin verò subtilem, & rubrum, sistemus: quòd potiùs aptus sit melancholicum sanguinem, in supernis existentem, attemperare, & ad benignam naturam revocare.

Sectio venæ in melancholicis sit ampla.

204. Foramen tamen semper amplum sit, ut, si in crassum sanguinem incidamus, promptè effluere possit, neque tumor circa scissuram excitetur.

Laxandum vinculum incisâ venâ in melancholicis.

205. Admonendus etiam est venisecа, ut dissectâ venâ vinculum aliquantulùm laxet, ne crassioris sanguinis effusio impediatur.

In Catarrho.

Ballonius.

Viscera & calida & tepida vapores summittunt ad caput.

206. Cum quis Catarrhosus est, ferè hic accusatur Hepar aut viscera calida: quod cùm verum est, summittuntur vapores qui refrigerati à Cerebro, illud vicissim refrigerant; Et sic fluxionum à Capite perennitas quædam est: Annon potiùs quibus moderato tantùm calore aut tepidiusculo viscera prædita sunt, ea non minores habent vapores? Nam cùm calor paucus est, aut inferior, cæteris paribus, id est, in humorum paritate, plus excitat vaporum, & non dissipat diffringitqúe ut cum robustior est; idem enim evenit quod & viridibus lignis accensis, Et, quod annotavit Fernelius, fortassis non ab inferioribus partibus tantæ vaporum copiæ causa repetenda est, sed etiam aut potius ab ipso Cerebro, quod aut calidius est, & sic liquatur & funditur, aut imbecillius est & delicatius, & sic ab eo manat & stillat aliquid semper, & plus excremen-

crementi congerit in se, Nam εὐτονία & συντονία ipsius Cerebri afflicta est, Galli dicunt, *le Cerveau est débandé*, aut quia fortius, & sic sese ualidè exonerans partes inferiores irrigat ῥευματισμῷ, Et talis exoneratio salutaris aliqua ex parte, unde dicimus Catarrhum magnum & frequentem salutarem, Aut quia pori sunt occlusi & cutis Pericranij densior: Et ut videmus corpora δυσδιαφόρητα valetudinaria effluvij defectu, ita cùm caput non est εὔρουν, congestio fit, hinc defluxionum ampla seges; Hæc ad unguem tenenda sunt ut medicina prudenter fiat. Nam quidam omnino in Catarrhosis à Phlebotomia abstinent, alij audacter sanguinem mittunt, utrique valde aberrant, nam sæpe in Cerebro tumultus fit, & ὀργασμὸς qui phlebotomia recte sedatur. *Epid. lib. 2. pag. 192.*

207. Nil tam vulgò jactatur quàm Catarrhi nomen, Nil cujus & cognitionem & curationem nemo non profiteatur, at hic video passim unumquemque turpiter labi & decipi, & miseros ægros aliorum ignorantiæ pœnas luere, Nam cùm materia aliàs sit tenuis & effera, aliàs mitis & crassiuscula, non parum interest ad salutem quo quis remedio utatur, Et turpiùs hic peccatur, quoniam frigus omnis distillationis authorem statuit, Errandi hæc occasio inde nata est, quod tussim excitet frigidæ auræ aspiratio: hinc manavit quorundam Neotericorum error, qui à frigido distillationis causam arcessentes, vinum, idque generosum, tussiculosis præscribunt. *Consil. 10. lib. 2.* *Non omnis causam agnoscit frigidam.*

208. Illud vulgò dicitur aliàs Catarrhum febri præcurrere, aliàs febrem Catarrho occasionem esse, atque tum aliter atque aliter se gerere oportet: Quoties Catarrho febris conjuncta est, si externæ causæ excusatio nulla afferatur, febris ipsa Catarrhi author esse dicetur: atque tum videre primum oportet quod ab Hippocrate scribitur lib. περὶ νούσων & lib. de morbo Sacro, ubi docet, per διάχυσιν in Cerebro fieri derivationem pituitæ à partibus supremis ad partes inferas, declarat multæ urinæ ejusque tenuis excretio? Si febris Catarrhum provocat, in febrem incumbere oportet: at si Catarrhus dum in vasis humores conturbat, caloremque alienum excitat, & proinde febrem, febris negligenda, symptomatis enim rationem habet, *Ep. l. 1. pag. 62.* *Aliter agendum si febris præcurrat, aliter si sequatur.*

209. Plerique sunt valde Catarrhosi, quibus modò in propinquas partes, modò in remotas humor fluit, & varias morborum ideas facit: iis multi audaciùs demunt sanguinem: audito le uiusculi morbi nomine statim ad secandam venam accedunt, An id commodè? nequaquam, nam aliàs Cerebrum proventum habet humoris, quia calidius & attrahit; aliquando quia frigidius, & congerit: aliquando quia ipsum per se funditur & liquatur, & id consumi Cerebrum vocat Hippocr. 6. Epid. loquens de defluvio capil- *Catarrhosi non ferunt venæ sectionem.*

Mm lorum

lorum, quod consumptionem Cerebri consequitur; Ergo si quid oritur, contemplari oportet quomodo id fiat, Nam tam liberaliter sanguinem mittere, facta in aliquam partem fluxione, temerarium est: Caput pituitæ vulgo sedes statuitur, muci copia id designat: at humore frigido, aut pituitoso, aut mucoso, ita defluente, & dolorem morbumve pariente, quid attinet phlebotomare? Id non faciundum nisi confundatur humor cum sanguine, & eum alteret & dolores pungitivos excitet. *Epid. lib.* 2. *pag.* 173.

Venæ sectio quando utilis.

210. Cum fluxiones fluunt à capite in maxillas, dentes, guttur, humeros, brachia, dolorem inferentes à sero malo & cacœthe, An Phlebotomia confert? Si dolorum acerbitas, necessariò ad venæ sectionem descendendum, aliàs frigidus humor videtur potiùs apophlegmatismis aut errhinis repurgandus, quoniam illac viam quærit. Dum Cerebrum quodammodo diffunditur ac liquatur, Hippocrates διάχυσιν vocat: tamen quoniam videmus in locis calidioribus, potè carnosis, facilè phlegmonas excitare, si quid tale cogit, fortè à phlebotomia non est temperandum, *Epid. lib.* 2. *pag.* 168. *&* 169.

S. M. cuinã maximè convenit.

211. Febris & macies tenues fluxiones sæpe consequitur; id Galen. abunde explicavit dum extenuationem corporis sequi ait ex calidis distillationibus, Et tunc Medici non reformidant phlebotomiam. *Cons.* 52. *lib.* 2. *p.* 318.

A sero maligno excitatus S.M. esedatus.

212. Anno 1578. veris initio, serum malignum & indomitum in animantium capitibus genitum fuit, quod virulentiæ suæ argumenta præbebat quocunque influxisset; Et quod mirum fuit, qui humor per nares excernebatur, licet frigidus sentiretur, tamen exurebat & exulcerabat partes, per quas fluebat, unde dolor intolerabilis: maximum remedium fuit in phlebotomia, ob inflammationes & pulsatiles dolores, quos tale serum biliosum excitavit. *Epidem. libro* 2. *pag.* 224 *&* 225.

Defluxioni frigidæ in brachia noxia V.S.

213. De Defluxione in brachia irruente, & paralyseos rudimenta invehente, An in ea vena sit secanda *vide supra Titulo de Paralysi Articulo* 71. *p.* 261.

In ferino à validioribus purgantibus abstinendum.

214. In ferino Catarrho à medicamentis validioribus abstinendum, alioqui cursus materiei tam efferæ citabitur magis: nec, si dolor capitis oboriatur, propterea ad pilulas veniendum, has cane & angue pejores vitabis, præsertim aloën ipsam, quæ est ἀναστομωτικὴ: nec facit illud quod ex quinto meth. quis objicere potest, ubi Gal. catarrhosis colocynthidem præscribit, agitur enim de evellenda materia contumaci, at hic potiùs temperandum est, *Cons.* 10. *l.* 2. *p.* 213. Hippoc. l. de Pr. med. abundè docet in salsis & a-

cutis

cutis fluxionibus mitificandum esse, non autem vacuandum. *Conf.* 114. *lib.* 1. *p.* 558. *annot.* 9.

215. Sic si in constitutione austrina, veluti liquefacto cerebro, multa pituita occurat in os, nonne potiùs ad corroborationem ejus confugies, & ad illud asserendum, quoad fieri poterit, ab externis injuriis, quàm ad medicamenta phlegmagoga? ita hercle. *Histor.* 8. *lib.* 2. *consil.*

Cuidã corroborantia quadrant potiusquàm Purgantia.

216. An in acribus stillicidijs Pilulæ, acriusculáque remedia, conferunt? Rationes utrinque probabiles afferri possunt, Galenus in meth. 5. cap. 14. & 15. dat medicamenta ex alto evocantia in Phthoë, ubi præsertim teter humor in capite gignitur, qui stillandi assiduitate partes subjectas irrigans eas afficit, Vnde rarò, sed tamen interdum, danda opera Purgationi per fortiora medicamenta, quia mitiorum vis est sæpe ignava & eluditur, unde Fracastorius, in ea parte Galenum æmulatus, id genus remediorum violentorum consuluit in hæmoptoicis κατὰ τὴν διάβρωσιν & Hip. l. de int. Affect. in descensu putris pituitæ à capite, validiùs purgandum putat, contra de Phtheiriasi lib. 6. loquens Celsus, Medicamenta intus lenia danda sunt, ne quid acrioris pituitæ concitent, *Conf.* 97. *lib.* 3. *p.* 245.

Pilulæ quãdo conferunt in catarrho calido.

217. Observarunt Medici multos catarrhis obnoxios esse, quod medullam Cerebri delicatam & mollem habeant, propterea confirmanda est, vitanda cruditas, vitandus rerum valde liquidarum frequens usus. *Epid. lib.* 2. *pag.* 218. Plerique etiam satis sicci sunt catarrhosi, & ijs multa natat pituita ventriculus, & os humescit, quoniam eliquescit cerebrum & facultate retinendi non pollet: credo quod in ijs naturam corroborare, est fluxionum occasionem præripere, *Annot.* 15. *in Hist.* 2. *lib* 2. *Conf. p.* 108.

Cerebri laxitas confirmanda.

218. Quoties quis de defluxionibus conqueritur, ad hidrotica recurrimus, præsertim valentia, ut est lignum Indicum, At ejus usu sæpe eam adaugemus intemperiem quæ tam pravarum fluxionum causa existit, Et ut concedam elicitis sudoribus adjumenti aliquid afferri, plus tamen incommodi affertur augendo intemperiem omnium malorum causam: si simplex esset absolutaque humiditas, quæque solum sua quantitate molesta foret, discussione ejusmodi humoris sanitas compararetur. *Consil.* 114. *l.* 1. *p.* 556. Si Hidroticis utimur, metus est ne corpus calescat & humores commoveantur. *conf.* 10. *lib.* 2.

Hidroticum non omni convenit.

219. Cum Catarrhus in has vel illas partes irruit, vt plerisque valde Catarrhosis, varias morborum ideas faciens, iis multò audacius demunt sanguinem; at si humor sit frigidus, aut pituitosus, aut mucosus, quid attinet phlebotomare? id non faciundum nisi

Sudor provocandus si sit à sero.

confundatur humor cum sanguine, & eum alteret, & dolores pungitiuos excitet: imò credo in hoc casu, anodynis præeuntibus, provocationem sudoris valere, sæpe enim serum id facit, *Epid. lib. 2. pag.* 173. Cum serva quædam ferina in collum & humeros & spinæ mediam partem distillatione laboraret, nil accommodatiùs reperimus quàm vti butyro recenti & sacculis contemperantibus, sudor elicitus est, meliùs omnino habuit; In omni dolore à diffusione seri, nil priùs quàm provocare sudorem. *Epid. lib. 2. pag.* 157.

Post hidrotica metasyncriticis vtendum.

220. Plerique sunt catarrhosi, quibus modò in propinquas partes, modò in remotas humor fluit, varias morborum ideas faciens; si humor sit frigidus aut pituitosus ita defluens, dolorem aut morbum pariens, anodynis præeuntibus, sudores provocandi, sæpe enim serum id facit, & post provocationem sudorum, Metasyn si criticum aliquid confert: quomodo vulgus sæpe medicos superat vsu Emplastrorum ex pice, quod non facit Medicus nisi cum præmeditatione: sic prudentiam & cunctationem Medici, vnius Idiotæ festinatio & imprudentia vincit, *Epid. lib. 2, pag.* 173. & 174.

Rosæ vis in Catarrhis.

221. Rosa privilegio vim habet sistendi Catarrhi, unde Rosa ἀπὸ τοῦ ῥέειν dicitur, quod inhibeat fluxiones. *Conf.* 97. *lib.* 3.

Aqua pluvia sistit catarrhos.

222. Si in distillatione à capite & tussi, tutò aliquando præscribitur opium, & ea quæ opium recipiunt, cùm impensè frigidum sit, cur non idem aqua præstet quæ frigida est, & sistendi vim habet? Aëtius scribit de Aqua pluviâ illam destillationes excitare si frigida bibatur, cur Opium frigidúm actu & potentia sistit easdem? *Epid. lib.* 1. *pag.* 41.

Salicis vires in catarrhis.

223. Salix maximas vires habet in desiccandis catarrhis: desiccat impensè & sine morsu: mirum est, cùm hæc arbos adeo sit familiaris nobis, eius vires tamen negligi, quas Dioscorides tanti facit: *Annot.* 3. *in Conf.* 22. *lib.* 1. *p.* 49. Et cùm perenniter illabitur catarrhus à materia efferа, ille qui sequitur syrupus miraculosè dicitur prodesse ℞. *flor. & germin. salicis, fol. urticæ mortuæ an. m. IV. summit. viminis rub. fol. bursæ pastor. an. m.* II *f. decoctio in* ℔ ij *aq. rosar. ungul. caball. & bursæ* past. cum sacch. lib. j. f. ad mediet. coqu. dozis unc. j. f. cum aq. destillat. viminis rub. *Conf.* 22. *lib.* 1. *p.* 45.

Catarrhus in faciem & fauces, per os derivandus.

224. In iis Defluxionibus quæ repente & affatim in faciem incidunt, præsertim si fauces appetant, vide vt quamprimùm emissarium in os moliaris, alioqui repente suffocationis metus ingruit, Griffonis vxor satis apertè id declaravit. *Epid. lib.* 1. *pag.* 63.

225. De

225. De Rumpendis crustis ferro candente locus est præclarus apud Hippocr. lib. de loc. in Hom. *Caro in collo inter venas crustis vratur, cicatrices quàm tenuissimæ inducantur.* Hoc autem fit vt fiant emissaria per quæ educatur serum nitrosum, quod perreptando corpus totum & sese sensim insinuando, dolores intolerabiles facit, imò & maciem toti corpori conciliat. *Consil.* 114. *lib.* 1. *p.* 555. *Causticorũ & fonticulorum vsus in catarrhis.*

226. Quidam Catarrho ferino obnoxius Medicos consuluit, iisque visum ex vsu esse lenientia, mitigantia, catarrhum compescentia, tandem nostro consilio syruporum incrassantium vsus visus est necessarius: syrupo de papavere copioso vsus est, tum ad Catarrhi leuationem, tum ad somni conciliationem, sed suæ imprudentiæ pœnas non longè post pependit, Obmutuit enim & ἄφωνος mansit per duas horas integras, sequentibus diebus veluti balbutiens & parùm attonitus redditus est: multorum obliviscebatur, καταφορικὸς interiit, An vsus istius syrupi tantopere obfuit? An materia suppressa quæ καταφορὰν invexerit? An bonum in Catarrhis venenatis & subtilioribus dare Narcotica? An non, dum symptomati occurrimus, causam morbi fomitem adaugemus? Etenim in talibus fluxionibus ferinis fit quædam σύγχυσις, & retinens de natura syntectica, & talis humoris suppressio, cùm aliquid venenati habeat, pernitiosa est: commodè per halitum & sudorem exhalaret, sed si hidroticis vtimur, metus est ne corpus calescat, & humores commoueantur. *conf.* 10. *lib.* 2. *Annot.* 6. *p.* 207. *In ferino Syr. de papauere caute vtendum.*

226. Suffitus ex Aromaticis, quales à medendi peritis præscribi solent, non conveniunt in affectibus ῥευματικοῖς capitis, in his enim semper coniuncta est grauitas: hanc autem adauget plurimùm Aromatum suffitus; Nam calida omnia superiora facilè petunt, fumis caput opplent, Gal. comm. in aph. 28. lib. 5. *Conf.* 2. *lib.* 1. *p.* 5. *Aromatum suffitus suspectus.*

228. An in fluxionibus, & ῥευματισμοῖς nitrosis, tutò Balnea præscribuntur vniversalia? Balnea præscribuntur ad contemperandum, non ad euacuandum. Nam cùm balnea euacuent, authore Galeno, si tantùm in aquam egelidam æger mittitur, nec elicitur sudor, temperatur quodammodo humor nitrosus per cutim fusus, saltem sub cutem diffluens, & dolores excitans partesque labefactans; Quod consilium est Hippocr. dum loquitur περὶ ῥόων γυναικείων ab humoribus salsis, & acribus & nitrosis, 2. *de morb mulier.* Si ea quæ effluunt bilis fuerint & salsugo, & non solùm internas partes, sed & externas exulcerent, diætam transmutabis, & humectabis, vt fluxiones quàm aquosissimæ fiant & minimè mordaces, Balneis multis calidis vteris &c. Et Aëtius in fluxionibus & congestioni- *In catarrhis nitrosis externis balnea conueniunt.*

bus humorum acrium τοῖς ἐκοκρατικοῖς vtitur, id eſt, ijs quæ affuſa aut circumfuſa, aut applicita vim habet mitificandi & moderandi humoris & eius impetum ſiſtendi: *Conſil.* 114. *lib.* 1. *p.* 555. & 556.

In ferino topica incraſſantia admovenda.

229. Aëcius in ferina diſtillatione vtitur oxyrrhodino & capitis lotione ex incraſſantibus & refrigerantibus; id quod notabile. *Conſ.* 69. *lib.* 3. *p.* 182.

Non omnis calidis curandus.

230. Tanquam à cauſa ſit frigida omnis diſtillatio, calefacientibus remediis omnes penè Medici vtuntur; item ægri ipſi perpetuò fouent caput linteis ad ignem admotis; contra aliquando caput refrigerare oportet, & humorem à capite ſtillantem incraſſare: Quod Aëtius adſcripſit, dum loquitur de oxyrrhodini vſu in ferina diſtillatione, ait, tenuitatem diſtillationis inſpiſſat, exurentem & acrem qualitatem in capite refrigerat, tuſſim, ſomnum inducit; hoc pauci Medici animadvertunt, *Annot.* 5. *in conſ.* 10 *lib.* 2. *conſil. p.* 215. *conſ.* 97. *l.* 3. *p.* 245. & *conſ.* 69. *p.* 182.

Liquida quando cõveniunt, quando non.

231. Vulgò dicunt liquidiora non quadrare Catarrhis, quæ opinio eſt convellenda, Quanquam ex Hippocr. *lib.* 4. *de morbis,* quò plus humidi ſumitur, plus quoque pituitæ videtur in Cerebro (quod phlegmatis fontem facit) congeri, & ſic occaſio fluxionum ſuppeditari: ſic hoc expediemus, Pituitoſis & præpinguibus frequens rerum liquidarum vſus non quadrat, vt nec iis in quibus humiditas multa, præſertim excrementitia: ideo Hipp. in aphor. 15. lib. 7. ſcribit famem convenire iis qui humidas carnes habent, quia fames exſiccat, ex eventu; Et quod dicitur nutritionem per ſimilia faciendam eſſe, hoc verum quidem eſt, quod ad optimam temperaturam ſpectat, quæ cæterarum ſit regula; ſed quoniam facilis fit ex illa egreſſio, iuuat mediocris rerum contrariarum vſus, at Catarrhoſi maximam partem humiditate multa abundant, imò cùm Catarrhus nullius morbi peculiare nomen ſit, ſed morbidam excretionem ſignificet, quæ prout in has aut illas partes procumbit, ita varias, morbus qui inde ſequitur, appellationes ſortitur, ſi exceſſus ſit humiditatis, quis dubitat quin ſiccandum ſit; at contra aliter faciendum eſt ſi exceſſus ſit multus humiditatis: ſi Cerebrum ſit humidius, nemo dubitat quin ſiccare non ſit bonum, contrario contrarium opponendo: At quoniam nitroſæ, acres, ſalſæ, ſubtiles quoque defluxiones ſunt, & Catarrhi, vel quia qui à partibus inferis ſurgunt vapores in Cerebrum talem naturam habebant; vel quia ob peculiarem in Cerebro conſtitutionem & malam diatheſin talem nanciſcantur naturam, vel quia hepar calidius proventum facit iſtius humiditatis per modum effumationis & ſublimationis, in hoc caſu ab humectantibus (etiamſi corpus videatur humidiuſculum) & ἀπὸ τῶν ὑγραντικῶν abſtinere non oportet. *Conſ.* 114. *lib.* 1. *pag.* 154. & 555.

232. In

232. In Catarrhis ferinis sæpe ac sæpe cibus est ingerendus, hinc enim catarrhi impetus debilitatur, nisi forte ex esculentis aut potulentis aliquid aliena qualitate tussim provocet, *Conf.* 22. *lib.* 1. *annot.* 2. *p.* 49. Ijs qui destillationibus sunt obnoxij, & in metu Tabis, consilium est Hippocr. ut incrassentur impinguenturque, *Conf.* 10. *lib.* 2. *ann.* 4. *p.* 215. Cùm fluxionibus extenuatum est corpus, prima cura esse debet ut corpus pinguescat, pinguedo enim illa, & εὐσαρκία, declarat fractam esse vim fluxionum illarum acrium, & calorem contra naturam superatum. *Conf. ult. lib.* 2. *p.* 319. Quò plus nutritur impurum corpus, eò læditur magis: & tamen biliosis, imò Catarrhosis (in quibus & impuritas est, & excessus humoris) inediæ malum potius augent, nam inanis ventriculus & exhaustus satiat se impuris humoribus, bilis ferventior redditur, contra acer acutusque humor benignitate alimenti mitigatur. *Epidem. lib.* 1. *pag.* 10. *Catarrhosis noxia inedia.*

Septalius.

233. Quamvis optimè sciam, ab aliquibus etiam præstantissimis in arte Medicâ viris, in catarrho curando cauteria proponi inurenda ad suturam coronalem, quo loco illi committitur sagittalis; ut & caput expurgetur ab excrementis, & τὸ infernis ad superna, & extra corpus eadem revellentur: quoniam tamen vix credi potest crassiora illa excrementa ascendere posse, ascensa verò per suturas permeare; verisimilius autem est, externè producta per eas descendere posse, omnino rejicienda, & ab usu medico repellenda esse videntur; quod enim aliqui sibi fingunt suspendi, intercipique materiam, ne ad pectus fluat, ridiculum est, quomodo enim suspendi queat quod grave est, nullo retinente, ne mente quidem concipi potest: cùm verò hic neque occlusio adsit vasis alicujus, neque deligatio, aut compressio, neque etiam humor intercipi dici potest. At verò neque revulsio est, cùm nulla ferè sit distantia: neque derivatio, cùm hæc ad latera fiat: quare nullus ejus erit usus. At abusus adest; quis enim denudato cranio periculum non cognoscat? quis adusto pericranio securitatem pollicebitur? quis inflammationis & externæ, & internæ periculum non verebitur, adustâ parte, ubi membranæ externæ cum internis per nervos, per fibras, per venas, per arterias junguntur? At verò, si experientiâ agendum est, scio, ob multa pericula visa, doctissimos Montanum, *Consil.* 36. *pro Nobili Veronense* 143. & 170. Hieronymum Mercurialem *in Tomo* 3. *Consiliorum sæpius*, & post omnes *Fonticuli inutiles in sutura coronali.*

Fabium

Fabium Pacium *in eruditissimis Commentariis in lib. 5. cap. 13. & in Appendice ad lib. 7.* omnino genus hoc auxilii detestatos fuisse. Ego verò liberè affirmare possum, me quadraginta horum annorum spacio, quo in magnâ hac urbe Medicinam facio, nullum ex iis, quibus cauterium hoc inustum est vidisse à tali remedio adjutum, sed aliquos etiam, inflammatione in parte excitatâ, esse periclitatos: potissimùm primis annis juventutis meæ, quo tempore aliqui adhuc ex iis vivebant, qui barbaram sectantes Medicinam, frequentiùs genus hoc auxilii in usum ducebant; sed subsequenti tempore Medicis spe suâ fraudatis sæpius, exolescere tandem illud, & posthaberi meritò cœpit.

Si fluerit ad pulmones noxii Gargarismi.

234. Ubi ad pulmones, & thoracem, quin & ad fauces irruit materia, sive tenuis sit, sive crassa, gargarismi nunquam in usum veniant; ex motu enim attracta materia sæpe suffocationis infert periculum.

Et cum thoracis regio plena.

235. Quin & ubi partes spirituales jam repletæ sunt materiâ crassâ, à gargarismis abstinendum; cùm non leve inde suffocationis subsit periculum.

Vel imminente tabe, aut in asthmate.

236. Quòd si homo tabi, aut asthmati obnoxius fuerit, idem genus auxilii fugiet.

Quando vtiles.

237. Solùm tunc convenient, cùm fluens materia acris fuerit, & aut exulcerationis in partibus gulæ, aut anginæ periculum impenderit; túncque & blandè id erit præstandum, & additis refrigerationi adstringentibus.

Sistentibus catarrhum quãdo locus.

238. Quoniam aliquos esse scio qui, ut contumacem & molestum morbum brevi tempore se curare posse ostendant, statim nullâ urgente necessitate, ad sistentia catarrhum accedunt, Theriacam novam, Philonium, Pilulas de cynoglosso, & similia exhibentes; animadvertendum erit, iis uti eos non debere ante humorum expurgationem, & revulsionem; tunc neque facilè ad hæc veniendum, ne incrassata materia & refrigerata si diutius in cerebro contineatur, cerebrales aliquos magni momenti morbos pariat. Ad ea tamen erit veniendum si gravia urgeant symptomata, ut si ita effundatur humor in pulmones, ut gravissimam tussim, metum suffocationis, exulcerationis, vel rupturæ venæ acerrimâ vi afferat; tunc enim misso sanguine, si opus sit, vel etiam illico, & ante purgationem, sistere licet hunc effrænem motum.

In

Ballonius.

239. Anno 1576. conſiderari potuit quantam vim habent aer & tempeſtas: nam cum Auſter maxima ex parte perflaviſſet, nervorum & cerebri œconomia plurimum labefactata eſt: & revera habet θεῖόν τι: nec enim tam eſt humorum parens quam author διαθέσεως τινὸς in partibus ipſis: vel enim partes firmat, vel imbecilles facit: vnde flante Auſtro βαρύηκοιαι, νωθρώτητες, quare? quia συντονία ipſorum nervorum afficitur ac labefactatur, corpus fit καταρρώδες, fiunt in corpore quædam καταῤῥήξεις, modo in interno corpore, modo in externo: Si in interno, vel in alvum ipſam fiunt, hinc diarrhœæ & alvi profuſiones: Si in pulmone id fit, dolores lateris, præſertim pituita liqueſcente & πνευματουμένη, Et ſic de reliquis partibus: In externo corpore fiunt iſtæ καταῤῥήξεις, vel à capite ipſo in ſubiectas partes, vnde paraplegiæ & hemiplegiæ; vel in ipſiſſimis partibus, hinc paralyſes particulares: Sed morborum magna fœtura eſt, præſertim paralyſeon, hemiplegiarum, defluxionum, διαχύσεως τοῦ φλέγματος, ſi caput affectum eſt aut gravatum: Affectum, vt cum inclementia cœli afficitur: Vnde plerique exeunt domo mane ſani & ſicci, qui attracto hauſtoque aëre nebuloſo, aut frigidioris auræ appulſu, ſtatim tuſſiunt, vocem raucam compreſſamque habent, Gravatum autem caput, veteris excrementi ſuppreſſione: Sunt enim quædam capita quæ excrementoſa magis ſunt quam alia: Porro inter homines tempeſtatum & mutationum vim præſentiunt qui ſunt λεπτομερέστατοι, & ſpiritus quoque tenues & ſubtiles habent: Porro per totam hyemem, & ſub principium veris magna paralyſeωn fuit ilias: Et non ſolum erat fluxio quædam ſubfrigida à capite, ſed & concurſus cacochymiæ peculiaris corporis, hanc quidam ad cœlum referebant: Iuvit ſæpius in his etiam reſolutionibus & defluxionibus phlebotomare. *Epid. lib. 2 pag. 189.* *Fluxiones variæ, ab Auſtro diutius afflante genitæ, Sanguinis miſſione deſinentes.*

240 *P. Rebetius* a deſtillatione ferinâ & diffuſione humoris, non à capite tantùm ſed reliquis partibus, ita vndecunque eſt oppreſſus vt thoracem dilatare non poſſet: Externum erat malum & dolorificum: cruda & maligna erat materia, & eadem eſt quæ catarrhos ſuffocantes facit: febris fuit potiùs ſymptomatica: multo alvi profluvio liberatus eſt: admirabilis hic fuit morbus & opinione Medicorum maior: facultas animalis non erat imbecilla, nec vitalis nec naturalis: Mirum eſt quod ἐφίδρωσις contulit, ſed ea non tam fuit ab imbecillitate naturæ quam à particulari redundantia humoris naturam moleſtantis: circa xxx. aut xxxv. diem ſudor ſubfrigidus *Catarrhus ferinus in thoracem decumbens ſudoribus & alvi fluore ſanatus.*

erupit toto corpore, fœtens & venenatus: infecit enim eam custodem quæ manum corpori sudanti admoverat. *Epid. & Ephem. lib. 2. pag.* 177.

In Oculorum affectibus.

Ballonius.

Morbi oculorum difficiles. 241. Morbi oculorum difficiles, ob varietatem partium ex quibus constant: & spirituum, quibus tanquam Soles duo splendent, & sunt illustres, Pars spirituosa est, & remedia vulgo refrigerantia eos spiritus obtundunt, & repercutiunt; Ratione membranarum & humorum, frigore læduntur, Difficiliores sunt curatu, quia sunt in actione perpetua; quia lumini obiiciuntur, quod oculo sano amicum, ægro inimicum, quia in cognato genere excedit: Pes laborans nec sessionem nec ambulationem requirit, sed quietem, cur non & oculus? Testis catarhactæ operatio; motus & actio calefacit: Difficillimi si dolor capitis, & id minatur cæcitatem, Item, si morbus oculi sit consectarius exanthematum, virus enim indomitum est. *Conf.* 13. *lib.* 3. *pag.* 87.

Euphragia non omnibus eorum morbis conducit. 242. Commendat *Matthiolus* vinum ex *euphragia* & similibus herbis, ad visum quasi deperditum; verum *euphrasia*, & similes herbæ, magno & cæco errore in oculorum morbis sæpius vsurpantur, Nam vbi in oculis est siccitas, squalor, & ob mœrores, vigilias, inedias, spirituum consumptio, quis dubitat quin vinum ex dictis herbis sit nociturum? *Conf.* 13. *lib* 3. *annot.* 1. *pag.* 88.

Siccantia nimium illis noxia. 243. In Oculis, in omni Animali, est quoddam pingue: quod intelligi debet de quodam glutinoso quod necessarium est ob actionem Oculi continuam: ideo cavendum sæpe ne nimium siccemus Oculos & squalorem inducamus: Senibus enim frequens hebetudo accidit, ob squalorem & siccitatem oculorum. *Ibid. Annot.* 2. *pag.* 87. & 88.

Errhina noxia. 244. Errhina nocent, licet Hippocr. 2. Prorrhet. suadeat; notandum non imitandum sine magna cautione. *Conf.* 13. *lib.* 3.

Quies mentis convenit. 245. Circumcidenda omnis negotiosa cogitatio, & Oculus mentem sequatur non mens Oculum. Oculos assidua cogitatio occæcat. *Plinius. lib.* 2. *c.* 17. *pag.* 223.

Alvus semper sit libera. 246. Procuraut semper veteres alui libertatem, quod ea unica sit morborum Ocularium medela; qui alioqui alia remedia eludunt, ni alvus aut sponte aut arte solvatur: Clysterum magnus est usus, ne ventriculi offensio ulla à medicamentis consequatur, quanquam in blandis consistendum. *Conf.* 15. *lib.* 2.

247. Cum

247. Cùm quis de imbecillitate visus queritur, non ita multos esse oportet in purgando, nam aliquando potiùs est corpus reficiendum quàm medicamentis agitandum; quis enim dubitat quod aut in cerebro sit infirmitas aut cruditas? si sit alterutrum, beniguiùs est tractandus æger; unde Hippocr. 4. Acut. in catalogo eorum qui purgari non debent, censet eos qui obscurè vident, quanquam movere humorem, & non educere, sæpe magnorum symptomatum causa est, *Ibidem.* *Purgatio nimia nocet.*

248. Nimis præterea liberaliter utimur frigidis & repercutientibus in morbis Oculorum; at vim & id quod est æthereum extinguimus, & membranas magis frigefacimus: Et si aër frigidus Oculos lædit, cur non aqua frigida? *Ibidem.* *Frigida admota noxia.*

249. Notandum humorem qui Ophtalmiam facit, ratione quidem humidioris partis, frigidum esse, ratione verò partis tenuioris, acrem esse & mordacem, sic unum & idem remedium non confert; unde vulgi remedia sæpe plus prosunt quàm methodicorum conquisita præsidia, *Ann.* 1. *in consil.* 15. *lib.* 2. *In Ophthalmia mistus est humor.*

250. Fuit quidam Ophthalmicus à tempore omni abstemius; humores adeo acres fuerunt, ut nulli penè remedio cesserint: verum esse deprehendimus quod scribit Galenus ad Aphor. Dolores Oculorum &c. quod suppressio humoris acris, usu reprimentium procurata, dolores excitat majores & symptomata terrifica: tandem invitis nobis & minimè cogitantibus suppuratio facta est, eodem ipso die convaluit; itaque graviter peccant Medici qui fascijs imbutis collyrio refrigerante oculorum regionem constringunt: dum enim lacryma & salsus ichor supprimitur, multum incommodi afferre solet: propterea Hippocrat. lib. de locis in hom. multam lacrymam movendam esse ait. *Epidem. lib.* 2. *pag.* 262. *Collyria repellentia nocent.*

251. Cum dolor Oculos occupavit, aut Ophthalmia, aut Epiphora, post unam aut alteram Purgationem, sequentes motum naturæ excernentis, non dubitant dare quæ lachrymas proliciant; erumpente enim per oculos humiditate multa, eos sanatum iri putant: at hæc ratio medendi non placet: doctiss. Sylvius hanc retinebat, & magna inde incommoda consequuta esse audivimus, Aëtius medicamenta lachrymas promoventia præscribit: Hippocrates jubet aliquando humectari oculos, & lachrymas prohiberi vetat, imò omni ratione excitat, sed loquitur de illapsu humoris cruenti in Oculum, ut Topicum remedium sit lachrymæ provocatio, sed cum à Cerebro aut Pericranio malum est, hoc ita tutum non est, quanquam cur non fieri possit? *Epid. lib.* 1. *pag.* 40. *&* 41. *Lacrymas cientia an conducant.*

252. Cùm obstinato animo dolores Oculorum & Ophthalmias divexare conspicis, nè obstinatè contra malum pugnes, sed remissionem aliquam & inducias aliquas naturæ concede, verum enim *In doloribus eorũ & ophthalm. aliquando*

feriandum à remediis. conſpicimus quod à Celſo dictum eſt, Oculorum morbi fruſtra multis remedijs vexantur, per ſe ipſi ſaneſcunt: Ac de eo comperimus illud verum quod Hippocr. ſcripſit 2. Prorrhet. Oculi lippientes optimè permutantur ſi & lachryma,& ſordes, & tumor ſimul fieri inceperint: Si verò lachryma ſordi fuerit admixta, & non valde calida, ſordes autem alba fuerit & mollis & tumor levis ſolutus; ſi hæc ita habuerint, Oculus conglutinabitur ad noctes, ut doloris expers ſit, atque hoc modo res minimè periculoſa fuerit ac diuturna; Si verò lachryma procedit multa & calida, cum pauciſſima ſorde ac paruo tumore, atque hoc tantum ex altero Oculo, tunc diuturnum valde malum fuerit, verum non periculoſum. Et doloris expers eſt hic modus & judicationem expectare oportebit ad 20. aut 40. diem. *Epid. lib. 1. pag. 63.*

Viſus hebetudo non ſemper augetur venæ ſectione. 253. In Viſus hebetudine, ſeu Amblyopia, venæ ſectionem reformidant ægri, quod hac ratione putent fore viſum imbecilliorem; quod verum cum ab obſtructione eſt, aut paupertate ſpirituum animalium, aut ab imbecillitate, aut denique à vitio inſtrumenti: At cùm à ſanguine eſt fervidiore & copioſo e qui infernè fertur ſurſum, ſalutaris eſt phlebotomia: idem enim contingit quod & in ijs quibus è nare hæmorrhagia futura eſt, obſcuriùs enim vident, donec largo ſanguinis fluxu venæ depleantur, atque hujus rei cauſa ſolis Medicis, quibus ipſa ratio ſuffragatur, cognita eſſe ſolet: Ac quod viſus hebetudo ab ea cauſa pendeat, authoritate Hippocrat. innoteſcit, 2. Prorrhet. Quibus nec febricitantibus, nec decoloribus caput & vertex dolet &c. his hæmorrhagia futura eſt; quibus ſanguis fluit, hi ſani videntur, his antea vel ſplen elevatur vel caput dolet, vel marmarygodes quid ob oculos obſervatur: ſic viſus obtenebratio iſta hæmorrhagia ſolvitur, ergo nec imbecillitatis nec obſtructionis index eſt: et idem loquens de ſpecie quadam morbi Podagrici,& Iſchii dicit, In ijs quibus magna ſunt viſcera,& olim ſanguis è naribus fluxit, ait, Interroga num fluxerit copioſè olim ſanguis è naribus: Item, num hebetudine viſus laboraverit: Sic hæc hebetudo à ſanguine & ferventiore & uberiore eſt; vide & de Nyctalopia apud eundem, quæ pueros, adoleſcentes, & juvenes tenet, & certis temporibus curatur per ſe, huicque non ſunt virgines & mulieres (ſi utriſque menſes proveniant) obnoxiæ: unde hæc Nyctalopia? non aliunde quàm à ſanguine & copioſo & fervente: Notandum id ut ne cunctanter venam aperiamus in viſus obſcuritate: id quod vulgus falsò reformidat, perſuaſum ab imbecillitate eſſe id quicquid mali eſt, *Conſ. 3. lib. 3.*

Quibus debilis acies natiua, ſine remediis. 254. Cum imbecillitas viſus à natura pendet, ut in ijs qui exertos habent Oculos atque latos, in quibus radij rerum objectarum non facilè in conum conjiciuntur, nec ſuo ſatis gyro, qui per opticum

cum canalem feruntur spiritus, retinentur: Medici qui medicinam castè & integre factitant, cum id vitii Arte sublevari tantùm possit, non corrigi, ac sæpe frustra contra eiusmodi inveterata mala, à naturáque contracta, pugnetur, remediorum mole eam non vexant ac onerant: attamen misellorum ægrotantium morbi, etiam desperati, aliqua remediorum formula sunt eludendi, capiti consulendo, vel per sese affecto ac laboranti, vel sublatis aliunde vaporibus, plethoricis symptomatis aucto. *Consil.* 21. *lib.* 1. *non relinquendi.*

255. Ex *Plinio cap.* 4. *lib.* 28. *Decubitus supini conveniunt oculorum affectionibus, & Venus medetur lumborum dolori & oculorum hebetationi*: quanquam de Venere dubitatur. *Consil.* 15. *lib.* 2. *Decubitus supinus confert.*

Septalius.

256. Quamvis cum Oculi fluxibus humorum tentantur, censuerit *Galenus* tum 6. *aph.* 31. tum *xiij m. m. cap. vlt.* ab adstringentium vsu esse abstinendum, In *Epiphora* tamen multo secius faciendum docet, potissimum in principio: Cum enim affluxus humoris sit externus circa orbitam, & in angulis, roborandæ sunt partes illæ adstringentibus & siccantibus, vt & materia in intimioribus recipiatur, & ab externa tunica quodammodo repellatur, aut saltem ab ea non admittatur: cui aqua ex *rubi summitatibus*, ex *foliis* teneris *quercus*, ex frugis & similibus, vel compositis, aut ferrata convenit: at adstringens siccitas nunquam admitti debet, vbi humiditas ad internas tunicas & intra corpus oculi affluit; durior enim medicamento illo reddita externa tunica, & crassior humor factus, consuma contumaciorem & solutu difficiliorem efficiunt affectum, & sæpe etiam actioni visus non leve afferunt detrimentum. *In Epiphora adstringentibus initio vtendum.*

257. Notant recentiores viri doctissimi, & post multiplici experientiâ à me comprobatum est, in glaucis oculis, ubi etiam venæ amplæ conspiciuntur, mitioribus remediis agendum esse, quòd fortasse magis sint pervii. *Glaucis in oculis, & ubi venæ amplæ, mitioribus agendum.*

258. Masticatoriis & apophlegmatismis utendum est potiùs, quàm errhinis; quæ tamen progrediente morbo, & frigidâ affluente materiâ, modò validiora non fuerint, in usum aliquando venire poterunt: sic enim aversio materiæ fiet à meatibus canthorum oculi ad nasum *258. In Epiphora errhinis rarò utendum.*

259. A sternutatoriis cujuscunque generis omnino abstinendum, impetu enim propulsa materia à cerebro per nares, & per eos dum meatus ad oculos promovetur, & ab internis, & meatus magis aperiuntur. *Sternutatoria in oculorum morbis fugienda.*

260. In muliebris lactis, ex uberibus recenter emulcti, aut stillati usu, ad demulcendum vehementissimum oculi dolorem ut principem locum inter hujusmodi præsidia semper obtinuit; ita cautio *260. Lacte muliebri quâ cautione utendum.*

 adhibenda,

in ophthalmia. adhibenda, ne eadem lactis portio diutius parti adhæreat: ſæpe enim ab æſtu corrumpitur, & à vehementi calore oculi acrimoniam concipit; abſtergenda igitur blandè erit, aut novo lacte aſperſo ſubluenda.

In ophthalmia opii uſus neque frequens, neque multus. 261. Opii uſus in inflammatis oculis neque frequens ſit, neque multus: quamvis enim in eo prævaleat refrigerandi vis, cùm tamen amaroris nonnihil habeat, ſæpe mordet, & dolorem adauget. Quòd ſi ex longiori morâ, prævalente frigiditate, ſenſus torpeſcit, & ſubinde dolor imminuitur, tum & per frigiditatem temperatur æſtus, craſſefacto tamen affluxo humore, contumacior redditur morbus, curatúque difficilior; tum & viſûs actio hebetior fit, ut etiam Galenus obſervavit, 3. *Meth. med. cap. 2. & 2. de compoſ. med. ſecundum loca, cap. 1.*

Adſtringentia valida in ophthalmia fugienda. 262. Ob quas etiam cauſas rejiciebat Gal. 13. *Meth. med. ult.* ea, quæ vehementer adſtringunt, etiamſi refrigerent, & repellant in inflammationibus oculorum, ut acaciam, & hypocyſtin; ne materia morbifica, quæ eò influxit, exitu prohibeatur.

263. Lentorem habentia ophthalmicis incommoda. 263. Et quemadmodum remedia in hoc morbo lenia & mollia eſſe debent; ita nullum lentorem habere oportet, ne pertinaciùs adhæreant, néve, ſi pulviſculum aliquem ex pompholyge, cadmiâ, plumbo adjungamus, areſcant, acrimoniámve vel ex admixtione acris humoris, & calidi adſciſcant: Quare licèt albumina ovorum, *Albuminis ovi utendi ratio, & cum qua cautione.* diutius conquaſſata cum aquâ roſarum, vel myrtillorum, vel ſimilium, ac ſpumâ ſemel atque iterum detractâ, maximè omnibus probentur, ac in uſum ducantur, cùm tamen tenaciùs adhæreant, ut huic incommodo occurramus, ſoleo ego ovum recens ad duritiem quamdam excoquere, & detractâ flava parte, per expreſſionem ex albo aquam extrahere, & illâ uti cum aliis; aut ſanè in loco cavo, ſacchari albi, tutiæ, & aquæ roſarum portione impoſitâ in modum cæmenti, per duplicem petiam expreſſione factâ, aquam, ſuccúmve extrahere, quo in inflammatis oculis ſine moleſtiâ, & maximo cum fructu uti ſoleo.

Emplaſticis in ophthalmia quando utendũ. 264. Non negandum tamen cum Gal. 13. *Meth. med.* 22. emplaſticam vim habentia, & refrigerantia in lippitudine convenire, ut diutius adhæreant, longioríque tempore refrigerando repellant; ubi potiſſimùm aut ophthalmia ſit ſicca, aut humor effluens tenuis, nec adhærens; ubi verò viſcidior ſit, & mordens, ſuperiorem cautionem adhibebimus.

Fœnugræco utendum in lippitudine, non ſemine. 265. Obſervandum prætereà, Galenum & 13. *Meth.* 22. & 4. *de compoſ. med. ſecundum loc. c.* 2. inter lenientia dolorem in oculorum inflammatione cum albumine ovi & lacte, collocâſſe decoctum fœnugræci; id verò plerique Medici parant ex ſemine, cùm alioqui id magis ſit calidum quàm conveniat in oculorum inflammatione; cum

cum calidum in secundo gradu, & siccum in primo posuerit Galenus semen 8. *de simpl. med. facul.* assumi igitur pro parando hoc decocto ad fovendos oculos debebit herba ipsa, & ejus folia, alioqui augebitur inflammatio.

266. Quinimò in illius usu hæc sit cautio ex Galeno ibidem, ne in usum ducatur, nisi priùs abluatur diligenter, ne pulverem admixtum habeat; seminaque etiam erunt excutienda: sicque communem errorem evitabimus. *Fœnugræcum abluẽdum, antequam decoquatur.*

267. Infinita propemodum remedia, aquas, pulveres, & alia cùm videam & passim proponi, & scribi; placet illud hîc pro cautione adnotare, quod à doctissimo Mercato *lib. 1. de intern. morb. curan. c.* 20. scribitur. In Oculorum curatione animadvertendum, quamvis plurima præscripta sint remedia, non omnibus, aut plurimis, aut semper esse utendum; plus enim boni promittunt, quàm præstant, ut ait Galenus. Scio profectò, plures in omnimodam cæcitatem deductos esse copiâ auxiliorum potiùs, quàm defectu: nequeunt enim oculi, quæ proficua sunt, citra damnum perferre; nedum quæ inordinatè, & citra rationem adhibentur. *267. Ophthalmicis paucissima externa auxilia adhibenda.*

268. In Suffusione perfectâ, quam Cataractam barbari appellant, curandâ, & acu removendâ, cautio hæc adsit, ut nunquam tali curationi manum admoveamus, si tussi æger laboret. Si enim acu introductâ supervenerit, perforationis periculum impendet: si verò tunicula depressa fuerit, ex concussione vehementi dimota recurrit. *In cataractâ oculi acu removendâ non adsit tussis.*

269. Si verò jam depressâ sternutamentum imminere æger persenserit, unde aut recursûs periculum immineat, aut inflammationis in oculo, summitate digiti dextrè majore oculi angulo compresso, & perfricato, periculum hoc evitabit, impedito sternutamento. *Sternutamento impediente, quo impediri possit.*

270. Quoniam ante curationem hanc per acum Medici sæpius, ut periculum faciant, an satis incrassata sit, ut actioni, per acum factæ, cedere parata sit sine rupturâ, digito pupillam comprimunt, cautè id facere debent, ne, si valentiùs id faciant, nimis tuniculam attenuent, facilémque reddant ad disruptionem. *Cataracta antequàm acu deprimatur, quid cavendum.*

In Aurium affectibus.

Ballonius.

271. Aurium affectus graves dignitate partis, sensu exquisito, angustia loci, vicinitate Cerebri; Nervus à quinta conjugatione in Aurem inseritur exquisiti sensus. Item eò dolor major est quò in angustiore, *Sunt graves.*

anguſtiore loco : Item morbi Oculorum intra Oculos nocent, morbi Aurium ad Cerebrum progrediuntur. *Conſil. 19. lib. 3. p. 92. & conſil. 77. arnot. p. 195.* Aurium affectus ſunt ſumma cura præno cendi, ac præſertim ii qui non cum dolore exiſtunt : Oculorum quidem dolores & morbi noſcendi quidem & plurimi faciendi ; ſed non tanti quanti Aurium affectiones : Notandum enim quod eleganter ſcripſit *Celſus cap. 7. l. 6.* Aurium vſum proximum luminibus nobis dedit natura, ſed in auribus aliquanto maius periculum eſt, nam vitia oculorum intra ipſos nocent, aurium inflammationes, doloreſque ad dementiam mortemque præcipitant. *Annot. 1. in Conſ. 67. l. 3.*

Auriū tinnitus ſuppuratione ſanatus.

272. Cùm omnis Aurium Tinnitus ſit ferè incurabilis, raróque voto ſaragenris Medici reſpondeatur, æquum eſſe putant quidam dolorem aliquem inducere ſi inducere tutum ſit, cùm Aurium dolor tormentis annumeretur, ſaltem immiſſis turundulis unguento Baſilicone, aut alio vim ſuppuratoriam nacto illitis, aliqua ſuppuratio molienda : ita enim fit, ut abſcedendi quadam lege & ratione, materia coctione ipſa obſequentior reddita foras erumpat, ægrorum commodo maximo, *Annotat. 1. in Conſ. 31. lib. 3. p. 117.* Quibuſdam placet in ſumma obſtructione procurandam quandam ſuppurationem, ut aliquid ex aure emanet, ſed habenda maxime ratio ſubjectorum viſcerum, *Conſil. 77. lib. 3.*

In imminuto auditu alia atque alia ſint remedia, pro varietate cauſa.

273. In curatione Auditus imminuti, aliter te geras ſi ſit obſtructio, aliter ſi humectatio & diſſolutio ; contrarijs enim oppugnatur morbus, & obſtructioni debentur aperientia, quæ autem mixta ſint ex rhypticis & attenuantibus ; Humiditati ſiccantia : Diſſolutioni συνλατικά, id eſt, quæ contendunt ac firmant : Sic δυσήκοια ab Auſtro eſt, κατὰ τὴν λύσιν τινὰ, *Conſ. 77. lib. 3. p. 194.*

Oleoſa injecta nocent.

274. Quibuſdam non placet iniectio oleorum in Aures, tum quia ratione viſcoſæ materiæ obſtruunt, tum quia ſordes, quæ forinſecus inciderent, ratione viſcoſi olei facilè medio in meatu inhæreſcunt, unde novi morbi noua occaſio, *Annot. 2. in Conſil. 31. lib. 3. p. 117. & conſ. 77. p. 195.*

Abuſu ſuffituũ noxius.

275. Mulieri acerbiſſimi dolores capitis & Aurium, ſine intermiſſione admittebat fumum Cephalicorum per infundibulum : allevabatur, deteriores fiunt dolores, mors, Aperto capite aquę copia magna reperitur, cauſam Medici retulerunt ad vapores ita frequenter ſuſceptos ; Nec abs re : Cautos eſſe oportet in excitandis in Aurem vaporibus. *Paradigm. 143.*

Iniecti liquoris non minima ſit quantitas.

276. Cum anfractuoſæ ſint Aures, injecta liquoris convenientis guttula non ſatis eſſe poteſt, ſed potiùs implenda eſt Auris, deinde cottone occludenda. *Conſilio 3. lib. 3.*

Dolor pyrotico ſanatus

277. Cuidam Aurem vehementer dolenti, pyroticum, in ſævitia doloris

doloris radici Auris adhibitum est: multò alacrius dolorem tulit, *Epid. lib. 2. pag. 260.*

278. In manante ex Auribus sanie, Quæstio est an juvanda Excretio, an minuenda, an supprimenda, an quid agendum? forte idem fiet quod in hæmorrhoidibus, omnino supprimere funebre est: laudat vinum mellitum Aëtius ad Aures manantes, & cum judicio siccantibus utendum dicit. *Consilio 19. lib. 3. p. 93.* Filia Dom. N. manantem Aurem habebat, id quod effluebat, erat ἰχωροειδές, suppressum id est, Dolor inde capitis ejusdemque gravitas: caput videbatur non sustinere posse, febris, Nullis malum capitis cessit remedijs, mors; Inventus est in Cerebro Abscessus. *Epid. lib. 2. pag. 270.*

Sanies manans nō omnino supprimenda.

Septalius.

279. In Aurium interna curanda inflammatione, à repellentibus & oxyrrhodino abstinendum omnino censeo; cum enim internarum cerebri partium repletarum soboles esse soleat materia eo detrusa, si repellatur, ad principem partem remeabit, & delirium quandoque pariet, aliquando vero alios cerebri affectus: Quod si *Galenus 3. de comp. m. s. l.* repellentia & oxyrrhodynum in doloribus aurium, & in inflammationibus earundem concedere visus est, id intelligendum potius est de phlogosi quam de verâ inflammatione. Si tamen non magna fuerit, atque non multam in particulâ, & cerebro subesse materiam cognoverimus, repellentia aliqua in usum venire poterunt.

Auribus inflammatione laborantibus repellentia vix conveniunt.

280. Qualiacunque tamen hæc fuerint, quæ ad leniendum dolorem & refrigerandum infundentur, etiamsi æstus maximus in parte fuerit, nunquam frigida applicari debebunt; nam cùm sanguinis sint expertes aures, facilè ad sibi cognatam intemperiem frigidam flecti possunt: tepentia igitur semper cum Galeno adhibebuntur.

Remedia, auribus applicita, actu non sint frigida.

281. Quòd si dolores contigerint à frigidâ materiâ, partem extendente, quæ actu calida sunt, & potentiâ, omnino instillabuntur: sic enim & frigidam intemperiem evincemus, crassam materiam magis discutiemus, & penetrationem adjuvabimus.

In auriū doloribus à materiâ frigida insigniter calefacientia in vsū ducenda.

282. In Tinnitu Aurium à lue Venereâ, alioqui naturâ suâ rebelli, & vix sanabili, cauti sint Medici, neque vehementioribus remediis utantur: longâ enim experientiâ observavi, majori ex parte, dum tinnitum hujusmodi nimis obstinatè evincere tentâssent, omnimodam surditatem induxisse. Si quod autem remedium illi

Tinnitui aurium ex morbo Gallico valentiora non applicanda.

Tinnitus aurium ex morbo Gallico remedium. auxilio est, urina asini, in quâ per noctem maduerit lignum Guajacum, & portio castorei, & mentastri fasciculus, distillata, & auribus instillata, aut per evaporatorium excepta, maximè id præstat; aut oleum Guajacinum, gossypio exceptum, & auribus impositum.

In Narium affectibus.

Ballonius.

Fœtor aliquando alteratione, aliquando vacuatione corrigitur. 283. Fœtor Narium aliquando fit vitio humoris qui talis generatur; aliquando bonus quidem & εὐώδης humor excrementitius, sed dum attingit ossa ethmoidea, aut alias partes ulceratas, ibi corrumpitur & δυσωδίαν acquirit; sic diathesis tantùm mala est, & non tam vacuandum quàm alterandum; Est enim ubi diligentiùs purgandum, est ubi non; præsertim cum agitur de fœtore oris, imo licet totum corpus vacuaremus ne hilum fortè proficeremus, indelebilis enim est diathesis. *Consil.* 21. *lib.* 2. *p.* 234. Si sit fœtor narium antiquus, videndum num sit ob conformationem, aut gentilitium: à vitio olfaciendi facultatis, ossium vitio, aut viæ, aut generationis ipsius materiæ: malum aliquando est in olfaciendi sensu ipso, aliquando in ossibus: Quærendum an sit symptoma fœtor narium, an morbus, & quis morbus; quod symptoma, cuius morbi: An sit actionis læsio, an exiens mutatum, an vtrumque: An sit vlcus: quibusdam enim velut quoddam crustosum ex ima nare deraditur, & ἐλκώδες τὶ significare videtur. *Cons.* 21. *lib.* 2.

Siccantia aliquando ex usu, aliquã do humectantia. 284. Dubitari potest an humectantia conferant, an calida & sicca; Si enim tetra est sanies, si ulcerosum quid, potiùs est siccandum & detergendum; Et quod Galen. facit, qui Pulmonicis, præsertim si putredo est in Pulmone, sicca & calida dat, (contra quam Medicorum vulgus facit, præscribens multa iuscula) id hercle faciendum est: Contra quæ humectant juvare videntur, cùm quæ è Cerebro fluunt, viridia sunt & tetri visus, quæ declarant æstum quendam in Cerebro aut corruptionem: quibus enim corpus biliosum & æstuans, si tale caput est, ijs mucus ferè viridis excernitur. *Cons.* 21. *lib.* 2. *p.* 235.

Naribus siccis Balneum utile. 285. Balneum confert iis quibus Nares Siccæ, i. e. iis quæ nihil reddunt, cerebro nimis resiccato. *Cons.* 2. *l.* 2. *p.* 19.

Vibrissarum evulsio periculosa. 286. Rassius observavit detracto pilo, vno eorum qui in cavitate nasi nascuntur, cancrum teterrimum contigisse, Quod notandum, ne quid hic temere fiat. *Paradigm.* 32. *p.* 304.

In

In Hæmorrhagia.

Ballonius.

287. Magno errore tenetur major Medicorum pars, nam si induxerint in animum venam reserare, & id cunctanter faciunt, Si guttula sanguinis è Nare fluat, tunc quasi trophæum reportantes, clamant oblatam legitimam occasionem : Si luculenta sit Hæmorrhagia, audaciùs secant, quia Naturam copia gravari asserunt: si infra modum & pigro lapsu sanguis fluat, compensandum istum defectum apertione venæ contendunt : At inscienter agunt qui Hæmorrhagias criticas quamprimùm sistunt, cùm enim Natura, sanguinem repurgatura vult aliquid moliri, non temerè ab instituto revocanda est; Sic nos fluente sanguine nil agendum contendimus; quandoquidem, veterum decreto, statutum est Hæmorrhagijs solvi Febres ardentes; Et quod de excretione per Nares dicimus, idem de uterina Purgatione audiendum &c. *Histor.* 4. *lib.* 2. *p.* 119. *&* 120. Fernel. cap. 4. lib. 2. methodi medendi, arguit Medicos qui ex stillicidio sanguinis è Naribus, vel urinis rubris, captant occasionem secandæ venæ, *Annot.* 6. *in eam Hist. p.* 141. *Hæmorrhagia critica nō est sistēda*

288. In fractis jam longo morbo sæpe hæmorrhagiæ symptomaticæ paruerunt: putant hac una exclusione allevari ægros: contra fit; maxime verò istæ hæmorrhagiæ contingunt Pulmonicis & Hepaticis, quod maxime est notandum de Pulmonicis, & has bonum est sistere. *Epid. lib.* 1. *pag.* 17. D. Fernelius annotat eos è naribus sanguinis fluxum pati, quibus viscera sunt imbecilla, & Iecur maximè, Id quod hydropicis contingit: itaque est potius robur addendum Iecori quàm captanda occasio mittendi sæpe sanguinis: hinc Hippocr. 2. Prorrh. Quibus è naribus fluit sanguis, ijs vel speres Splenem in tumorem elevatum, vel caput dolere, vel habituros ante oculos marmarygas. *Cons.* 99. *lib.* 3. *In debilibus à morbo, Pulmonicis & Hepaticis sistenda.*

289. Cautè reprimendus est sanguis è Naribus fluens: nam si impetu fluit, & statim supprimitur, malum majus afferet: nam Hippocr. in Prorrhet. annotavit hęmorrhagias vi suppressas Convulsionem afferre; Galen. in Comm. non tam convulsionem sequi vult ob ipsam suppressionem, quatenus talis est, quàm ob usum medicamentorum frigidorum quę circumquaque affunduntur & applicantur. *Epid. lib.* 2. *pag.* 179. *annot.* 2. *Cautè reprimenda hæmorrhagia.*

290. Serosior sanguis, & qui in aquam citrinam resolutus est, non caret vitio, vel enim ob putredinem fit talis sanguis, resolutis à *Sanguis serosior emendatione eget*

à putredine fibris : vel ſereſcit, quia crudior eſt nondumque coctus : vel ob potum liberaliorem : vel jecoris imbecillitatem vniverſus ſanguis fit ſeroſior, vt in hydropicis apparet : vel etiam ob imbecilliores renes, ut qui nequeant illud attrahere : vel eorundem obſtructionem. Sed obſervatione dignum quod ait Galenus, Quod ſuis temporibus fere expers erat ſeri ſanguis : nunc autem & pueris & natu majoribus in putre ſerum reſolutus eſt : quo fit vt vini albi vſus ſit ſalubrior, quia tenuitate partium, & ſubeundi facilitate ſanguinis ſerum ſecernit & expurgat 2°. Quod non detrahebatur ſanguis niſi male affectis. *Ann. 1. & 2. in conſil. 99. l. 3.*

Narium hæmorrhoides non ſupprimenda.

291. Mirandum quod nuper obſervatum, ex intervallis grumus ſanguinis è nare duriſſimus, friabilis tamen, cum magno conatu exibat : qua parte decurrebat latebatque vena, nigrities ſumma apparebat : quærebatur quid rei eſſet ? tandem dictum malum hoc veluti naſi Hæmorrhoidem poſſe nuncupari, qua fœculento ſanguine cerebrum repurgaretur : Nec malum hoc ſupprimendum cenſebant, quod furoris, aut ſymptomatis deterioris metus eſſet quidam. *lib Paradigmat. 179.*

In Oris Fœtore.

Ballonius.

Oris fœtoris curationis capita.

292. In Fœtore Oris curationis capita hæc ſunto : Pars unde prima mali labes diligenter repurganda. Toti conſulendum. Gargariſmis os colluendum, mane præſertim ſialiſmus provocandus iis quæ temperata ſunt : Salvia vino macerabitur : Aureus nummus ore continebitur : Theriaca aut Mithridatium quotidie mane devorabitur : Pilularum uſus ex Rhabarb. frequentiſſimus, Tabellæ, Pimpinella macerata in vino : Eadem ore contenta : Frequens vſus ſyrupi roſar. pallid. Vini abſinthitis frequens vſus, Carnium vſus paucus, vitanda allia & quæ odore ingrata ſunt ; Granatorum & limonum ſuccus jucundus : Pomorum aureorum cortex conditus ; vſus coriandri : maſticatio nucis moſch. miro profectu indulgetur : Aqua ciſternæ cum roſa ad collutionem. Aquæ Imperialis vſus convenientiſſimus. *Conſ. X. lib. 2.*

In

In Affectibus Dentium.

Ballonius.

293. Dentium caninorum extractio periculosa : si dum nascuntur tanta Pueris eveniunt symptomata, tanti eorum extractio esse debet, ut nonnisi magna cautione fiat; Inseruntur in suis acetabulis ex adverso Oculorum, radix implantatur longiùs: hæmorrhagiæ, quæ sisti facilè non possunt, insequuntur, & abscessus vix sanabilis metus esset solet. *Epid. lib.* 2. *pag.* 123. *Caninorum extractio periculosa.*

294. Vulgò observatur proclives admodum esse catarrhos in dentium acetabula si Dens unus vitium attigit; Sublato dente aut confestim cessa affluxio humoris, aut saltem nullo gravi symptomate se profert : Sin dens remanet vitiatus, nullus pene dies est, quo non, præsertim vesperi, aut externa aliqua occasione incidente, & dolores recrudescant, & non affluxus humoris, aliàs frigidi, aliàs alius generis percipiatur, unde hoc? quoniam imbecillitas partis & vitium juvat proclivitatem Catarrhi, imò veluti irritat, prolicit atque provocat, Quod medius-fidius mirandum est, maximè verò exempto dente, fluxionum provocatore, tam repente fluxum consistere. *Ep. lib.* 1. *pag.* 95. *Dens carie vitiatus eximendus.*

295. In acerbis Dentium doloribus Pyrotica ex usu sunt, quoniam educitur quædam sanies tenuis; Et mirum tam exigua materia & pauca excreta, tam acerbos dolores Dentium sedari: Annon simili exemplo, ut intercipiatur cursus & impetus materiei in partes ruentis & excitantis dolorem, Pyrotica applicabimus in his aut illis partibus? imò observatum in multis corporis partibus, post ingentes dolores, tuberculum aliquod extitisse & apparuisse, quod in se videtur conclusisse, & secum rapuisse id totum quod molestiam afferebat, dolores enim postea conquiescunt. *Ep. lib.* 1. *pag.* 87. & 88. Quomodo deforis extremo maxillæ inferioris Escharoticon miro profectu applicant quidam : Vidi mulierem gravidam in Dentium gravi dolore cineres calidos, donec stigma notáque inureretur, temporibus aspersisse : hinc dolores cessaverunt; pericula ista debent nos cautiores & scientiores reddere ad excogitanda affinia remedia, sed illis aliquantò tutiora. *Ib. pag.* 70. & 71. *Pyrotica dolori conferunt.*

In Gingivarum affectibus.

Ballonius.

Epulis cancrosum quid, respiciens, non attingenda.

296. Filia P. T. quandam in Gingivis excrescentiam carnis habet, & Dens corrosus apparet; Dubitant an sit Epulis ordinaria, & an tutò caro ista exedi possit aut secari: Quidam oculatus & acutus Medicus statuit nonnisi cum meditatione tractandum esse hoc malum; alioqui rem plenam esse periculi, quoniam aliquid sit gentilitium. Pater ejus nasum adeo ingentem habebat ut sextuplo majorem & extuberantiorem diceres: hoc declarabat aut materiei summam superfluitatem, aut quod malignum excrementum natura in hanc partem deponeret; hic cum consuleret de minuendo Naso, monitus est ne quid tentaret, alioqui Carcinomatis metum esse: idem ejus filiæ contingere potuit; sic extuberantia illa supplet Nasum istum, & hoc aliquid est peculiare: externi Medici parùm ea de re solliciti, tentare aliquid voluerunt, inde gravissima symptomata oborta sunt, & malum peius factum est. *Epid. lib* 2. *pag.* 172.

In Linguæ affectibus.

Ballonius.

Batrachii ad carcinoma accedentis noxia apertio

297. Puellæ obortus tumor sub linguâ, Batrachion vulgò dictus, hinc nonnulla deglutiendi difficultas; ovi Columbini magnitudinem adæquabat, & venulis consperſus erat nigricantibus: metuebant Chirurgi ne ad Carcinomatis naturam accederet. Sectionem tentare recusant; audacior unus adacto scalpello pituitę albugineæ uncias duas vel tres educit, breui convaluit. *Parad.* 188.

Lingua sordida non semper mali ominis.

298. Tametsi humor in præcordiis redundet, vix magna copia excitatur vapor qui ἀξιολόγως linguam inficiat, nisi calor contra naturam adsit qui materiam agitet: unde plerisque sanis mane sæpe à somno excitatis aliquid περίγλισχρον apparet, sed id facile aquæ lotione eluitur, quia causa efficiens non manet. *Epidem. l.* 2. *p.* 116.

In

In Anginâ.

Ballonius.

Laryngotomia necessaria.

299. An non tutò in Angina, conclamatis omnibus, in Gutture foris sectio fieri potest ? Periculosum id quidem, sed dummodo id fiat à perito artifice, qui norit nervos recurrentes vitare, id periculo vacat, certam autem salutem pollicetur: satius enim est anceps tentare remedium quàm nullum: Et fortassis hoc omittitur præsidium, magno ægrotantium incommodo, *Epid. lib.* 2. *pag.* 249. Quidam Angina correptus cùm suffocaretur, jussit sibi amputari Gurgulionem, servatus est: Iuvenis, qui vinum Hippocraticum biberat de nocte, Angina oborta cùm strangularetur, jugulum gladio aperuit: saniei plurimùm emanat, convaluit, hic fortuna plurimum potest. *Epidem. lib.* 1. *pag.* 11. *Paradigmate* 100. & 101.

Non in omni vena sectio necessaria.

300. Audito Anginæ aut difficultatis deglutiendi nomine, non statim ad secandas venas ranulares ac gibberi accedendum; cum aliàs à materia hac aut illa, à nescio qua intemperie illa difficultas deglutiendi oriatur: unde Author 4. de Diæta Acut. duas Anginæ species facit, à materiæ diversitate desumptas, ut cognitis speciebus morborum, in remediorum delectu aliquantò exactiores simus, ne malè temeréque unum pro altero usu veniat: Vna est Angina sicca, (non eo sensu quo Lippitudo sicca au Pleuritis dicitur, à qua nil humoris manat, aut cùm nil humoris resudat, quod initio contingit ob cruditatem, cùm autem excernitur aliquid, morbus ὑγραίνεσθαι dicitur) cùm in summis squaloribus, præsertim dum æstus adsunt, vel etiam in sicca & aquiloniâ constitutione, in qua supprimuntur humores, sed tenue tantùm serum exprimitur, vi ambientis, sæpe circum fauces, collum, oculos, siccitates oriuntur, quarum ratio nulla reddi potest; Et difficultas deglutiendi est, nullo apparente tumore vel in Vvula, vel in Pharynge, vel in Larynge, Et squalet aretque ægrotis guttur, lingua scabra, exigua febris & latens quasi, ab ambiente calido foras evocato calore, aut ab ambiente frigido nimiùm retruso in centrum, unde ut in Oculis ξηροφθαλμία dicitur ita xerangina aut Sicca Angina orietur: Quod admodum notare oportet, & Medici decipiuntur admodum: Vidimus ita affectos per 20. aut 30. dies laborare cum squalore magno, infirmitate summa, ariditate, nullâ siti, difficultate deglutiendi, oculorum quadam cavitate, fuliginoso spiritu arente atque æstuante, ac si in Hecticam laberentur: D. Magnus vocat hunc morbum, Anginam colliquativam

&c.

& catarrhoſam colliquationem, nam partes omnes ad guttur, collum & fauces attinentes liquefieri quodammodo videntur; Et in exiguis venis ichor tenuis contineri videtur, qui ſuperficiarium dolorem excitat: morbus difficillimus eſt & ad cognoſcendum & ad curandum: Curationis ſcopus totus in intemperie ſicca corrigenda, gargariſmis humectantibus, litibus, bolo Caſſię ore verſato, deinde rejecto, quæ vim magnam habet humectandi & ſqualorem tollendi &c. *Conſilio* 54. *lib.* 1. *p.* 282. 286. 292. *&* 293.

Septalius.

Angina laborantibus qua vena ſit ſecanda.

301. Quoniam in hoc morbo miſſionem quidem ſanguinis per ſectam venam omnes neceſſarium auxilium eſſe fatentur, ſed in loco deligendo variaſſe video, aliis ex brachiis ſemper emittendum cenſentibus, auctoritate Hipp. 4. *de vict. acut.* 30. & quòd ſectis in brachiis non ſolùm univerſum corpus promptiùs evacuatur, ſed ſimul etiam non parum ſanguinis à faucibus revellitur: aliis ex partibus infernis, ſaphenâ, vel ex venâ tali, quòd fluentem ſanguinem in fluxionis initio non ſolùm ad contraria loci laborantis, ſed & fontis transfundentis, & ad diſtantia, regulæ, à Galeno traditæ, revellendum eſſe oſtendant: cùm igitur laborans pars ſit collum, fons autem transfundens ſit jecur, præcipua ſanguinis officina; ſi ſanguinem miſerimus ſectis venis in brachio, tantum abeſt, ut ad contraria ſanguinem retrahamus, ut potiùs ad partem laborantem avocemus: vena ſiquidem cava, inde lata, in duos ramos ſcinditur, lævum, & dextrum, qui in jugulares, & axillares dividuntur: at à jugularibus externis laryngis vaſa ortum ducunt. Sanguine igitur ex venis brachii tracto, certum eſt, ad venas juguli etiam trahi, ſicque potiùs morbum augeri, attracto ſanguine ad laborantem partem, viciniâ, & inflammatione ſanguinem trahente. In hac controverſiâ cenſeo ego omnino animadvertendum eſſe, an corpus maximè affluat ſanguine, ſive naturâ, ſive ob anteactam vitam, ſive ex ſolitâ aliquâ evacuatione ſuppreſſâ; tunc enim cenſeo, ſanguinem vel ex venâ poplitis, vel malleoli eſſe detrahendum, eâdem autem die, urgente morbo, vel ſequenti, jecoraria vel cephalica erit ſecanda; & ſi non ceſſerit morbus, rubor autem adſit faciei, ampliùs etiam veniendum erit ad ſectionem venarum ſub linguâ. Quòd ſi tanta non premat ſanguinis copia, intactis venis inferiorum partium, præſtare crediderim ſtatim cubiti venas ſecare, móxque ad ſupernas incidendas accedere.

In angina laborantibus iteranda ſanguinis miſſio.

302. Repetenda autem & ex brachiis ſanguinis miſſio eſt, non ſolùm quòd magis revellat, minùſque vires debilitet; ſed quòd obſervatum ſit, ſæpius ad partem laborantem affluxus novos fieri,

fieri, aut parte aliquâ, ut onere, quo premitur, levetur, transfundente; aut ob dolorem, & calorem laborante parte attrahente.

303. Cùm autem aliqui ex molestiâ medicamentorum, aut quòd naturâ medicamenta abhorreant, facilè medicamenta evomunt; præstat semper potione uti, quàm bolis, aut pilulis: si enim contigerit pilulas, aut bolos evomi, cùm confertim, & magno impetu ad angustias oppressi ab inflammatione transitûs propellantur, suffocationis, & strangulationis periculum non leve afferunt. *Anginosis potiones potius danda, quàm solida forma.*

304. Qui ad discutiendum in inflammationibus aliarum partium ex arentibus pulvisculis parantur sacculi, in anginâ nunquam in usum ducantur, quòd densando externam cutim potiùs curationem impediant; humentibus igitur potiùs est agendum. *Anginosis sacculi ex discutientibus mali.*

CAVTIONVM, ANIMADVERSIONVM ET OBSERVATIONVM PRACTICARVM

LIBER VII.

Affectus Pectoris Complectens.

In Pleuritide.

Balloniús.

Vt varia est causa ita varia sunt remedia.

1. 
X doloribus Lateris maxima pars à defluxione à Capite oritur; sed dicat quis: Si fluxionum major pars frigida est, quomodo & tam subitò oritur Phlegmone? nam hujus natura est calida & humida, & si hoc verum est, An venæ sectio confert? potiùs in purgatione, & anacatharsi, & anodynis consistendum videretur? Sed in suis libris passim Hippocrates maximos dolores oriri ait à confuso phlegmate & bile cum sanguine: quod si in nervos solos humor frigidus incideret, non tam citò ad Phlebotomiam recurrendum esset, sed cum per venas fluxio fit, facilè occasio datur Phlegmoni: Sed Pleuritidum & dolorum lateris tres ferè ideas in operibus Artis observavimus: alij enim dolores sunt ob phlegmonen, alij ob erysipelatoden affectionem; alij ob purum & sincerum humorem à capite labentem, & tunc non tam est Pleuritis quàm lateris dolor, ac ferè talis dolor inflammationis non est comes; sed tantùm congestionis cujusdam humoris & adhæsionis:

hæſionis: imò multos vidimus laborantes dolore lateris ob copiam excrementi in Pulmone, cujus pars tenuior & ſeroſior, dum ad membranas fertur, dolores excitat; Sed quod diligenter eſt obſervandum, major eſt pars & Pleuritidum,& dolorum Lateris, tum à congeſtione cujuſdam excrementi in Pulmonem & Thoracem, tum ob recurſum tenuioris humoris per orgaſmum à ventre inferiore, quam à capite & partibus ſuperioribus: quod diligenter videndum, quoniam plerique non audent purgare & ſolvere ventrem: At ſæpe hoc plus confert quam phlebotomia: imò tunc ſectioni venæ locus non eſt, niſi forte ſemel id fiat: Vnde in Conſulis uxore; dolorem lateris patiente, quinquies ſecta vena, idque fruſtra: hyems erat, à capite malum erat, quod notandum valde: nam cum Hipp. ait 3. Aphor. Hyeme vagari pleuritides, vult explicare illud quod ſcribitur lib. de locis in hom. vbi diſputat de pleuritide ſine ſputo, eſt autem dolor lateris à congelatione, vt ibidem Hipp. explicat & Gal. comm. in Aphor. An in talibus laterum doloribus an tuta ſectio venæ? Nequaquam: Sic non oportet cum tam multis turpiter errare: incredibile enim dictu quàm multos trita vulgataque medendi via, ac præſertim in pleuritide, perdidit; nam audito lateris doloris nomine, ſi quis aliud præter venæ ſectionem remedium tentet, ἀνάθημα ἢ ἀπειλά ἔσω: imò quod pertinet ad dolores lateris, nullus hodie non medicus eſt: quanquàm hic multorum carnificina & fruſtranea ſanguinis (in quo vita ſedet) eductio, ſpirituumque evacuatio committitur, magno Artis vituperio; vt etiam hac vna medendi Pleuriticis via, bajuli, carnifices, ſutores; ac vniverſa mulierum garrulitas medicorum celebrium induſtriæ obſtrepat ac ſeſe opponat: imò ſi quis de latere queritur, quocunque id modò fiat, ne articulo horulæ differre fas ſit: At non nouit imprudens mulier, impudens Barbitonſor, nugigerulaque mediaſtina mulier, multis ex cauſis dolores laterum oriri, in quibus vt aliquando venam non ſecare nefaſtum eſt, ita eandem aperire, crudele, impium ac ignorantiæ plenum ſit: Nam nulla eſt cauſa tam exilis, tamque parùm efficax quæ non dolorem in latere excitet; At, æquumne eſt, tanquam cauſa eadem ſit ac idem malum, remedium idem vſurpare, & omnibus eundem cothurnum attribuere? *Epid. lib.* 1. *pag.* 78. 79. *&* 80.

2. Pleuritides Autumno anni 1570. graſſatæ ſunt; potiùs dolores erunt laterum ob διάχυσιν (diffuſionem) ſeri à Capite: Non erat magna δύσπνοια: non tam in tumore & phlegmone conſiſtebant quàm in affuſione quadam eryſipelatode: iuuabat venæ ſectio, *Epid. lib.* 1. *pag.* 7. *Pluritis à diffuſione ſeri à capite.*

3. Tempeſtas verna Anni 1576. innumeros dolores Hypochondriorum *A ſe & chore infer-*

ne sursum expresso ab hypochondriis Purgatione curanda.

driorum intulit, per quandam expressionem infernè sursum mali seri & ichoris à cacochymia manantis: hi dolores falsas nothasque pleuritides retulerunt: nec tam de secanda vena cogitavimus, quàm de purgando: quanquam & phlebotomiæ locus fuit: dolores erant sæui, & inter cæteros adoriebantur mulieres, & quibus anxietas ægritudoque aliqua fuit: *Epid. lib. 2. pag.* 168.

Pleuritis à cacochymia ab hypochondriis expressa.

4. Cùm dolores vagabundè tenent nothas costas, & continuatione membranarum attingunt mammas & partes sterni anteriores, cautè videre oportet an propter ventris inferioris cacochymiam, à qua, propter vapores elatos, dolores surgunt, sensio adsit doloris, an causa ipsa à partibus superioribus pendeat, an verò in thorace ipso sit: vulgò enim secatur vena, vndelibet dolor fit, atque id quidem malè: quis enim nescit, si dolor iste agnoscat causam in ventre inferiore, non modò non prodesse s. m. sed etiam nocere sæpe, quod attractio fiat à partibus inferis, &, si nondum adsit pleuritis, ea acceleretur; *Epid. lib. 1. pag.* 88. Hic plerosque falli comperimus, plerique queruntur de dolore pectoris, vnaque ventriculi, & sese animam non posse ducere dicunt, statim Medicorum quorundam vulgarium opinione ad S. m. concurritur; at nihil aut parùm proficit: declarat rerum exitus, etenim si vel cholera morbus succedat, vel alui fluor, vel medicamento laxante alvus sollicitetur, manifesta est istorum dolorum levatio: Sic cacochymia, obstructio hypochondriorum dolores facit, qui maximè apparent & proferuntur in pectore ob consensum diaphragmatis, & quia in thorace communis est membrana & lateribus & diaphragmati parte convexa. Sic in iis qui melancholia flatuosa tenentur, circum mammas & sternum, & latera, dolores surgunt, an propterea venam secabis? non, præsertim ad evacuandum: Sic initio paroxysmorum, & in specie Incubi, & contumaci obstructione viscerum, excitantur dolores in pectoralibus partibus, & frustra secaretur vena: Sic in talibus tentandam priùs purgationem existimo, non S. m. contra opinionem vulgi: In doloribus excitandis valet maximè id quod dicitur, totum corpus conspirare ac confluere, vt sæpe dolor alia in parte excitetur, quàm vbi causa primaria sit. *Epid. lib. 1. pag.* 97. & 98. Dolores laterum, cùm fiunt à fluxione, tantùm abest vt iuventur medicamentis, vt irritentur magis: contra qui principia duxerunt à partibus inferioribus, nonnisi purgantibus, iisque validis, iuvantur. *Epid. lib. 2. pag.* 225.

Ei quæ à flatu fit nocet vena sectio.

5. Alios & dolores laterum observavimus à flatu; flatum autem excitabat διάθεσις ὑποχονδριακή, & præsertim cùm chyli fit ἀνάδοσις, aut quibus solennis est frigidæ haustus dum cubitum disceditur, aut crudorum fructuum esus. *Epid. lib. 1. pag.* 8. Medici debent attendere ne temerè affectus vnus pro altero supponatur, nam novi-

novi plerisque Hypochondriacis sectam esse venam ob dolorem lateris, cùm is tantùm esset ratione cuiusdam flatus ab hypochondrio surgentis : quanquam Hippocr. ventositatem flatuosam phlebotomia soluit; sed de ea audit quæ cum phlogosi est, vt in hydrope sicco ob inflammationem lactium : vt phlogosis sufficiat ad flatum excitandum non ad dissipandum *histor. 1. lib. 2. p.* 54. Dolores homoplatarum Hypochondriacis familiares, & virginibus quarum faciem fœdus deturpat color, & in his non tam laxare venam quàm ventrem convenit, & flatui exitum dare : hanc flatuum copiam,& imbecillitas caloris nativi, & succi melancholici ζύμωσις inducit, præsente quadam ipsorum lactium & pylori phlogosi, ex Dioclis sententia : *Conf.* 48. *lib.* 2. *annot.* 1. *consil.* 38. *lib.* 1. Qui Hypochondriaci sunt, & flatibus abundant & cruditatibus, vtrumque imaginationem Pleuritidis afferre potest, quia & in cruditate ipsa, & flatuum copia, facilè Thoracis dolor excitatur, *Annot.* 62. *in hist.* 1. *lib.* 2. *conf.* 1.

6. Plerisque hyeme, præsertim rigente; dolores Laterum excitantur à congestione ob ambientem frigidum ; an his sectio venæ imperanda ad orgasmum impediendum? faciendum haud omnino; nam purgationi tunc nullus locus : in hoc à plerisque peccatur & ideo Hippocr. purgationi præfert celebrationem phlebotomiæ, *Epid. lib.* 1. *pag.* 18. *In ea quæ sit ob congestionem à frigore non purgandum.*

7. Dum sævit hyems, dolores pectoris & lateris sæpissimè grassantur, imò & 3. aphor. inter hyemales morbos numerantur lateris dolores; qui sæpe à flatu crudo & frigido in pulmonem thoracemque ducto oriuntur ; & mendax est id quicquid est : ad id festinanter Medici, phlebotomiam præscribunt, & id temere, potiùs valet vsus lituum & thermasmatum : hìc gravissimè aberratur vsu & experientia parùm probanda. *Epid. lib.* 1. *pag.* 54. & 84. *Pleuritidi a flatu crudo & frigido noxia vena sectio.*

8. Multis Pulmonicis levi de causa dolores lateris excitantur pleuritidem mentientes? an his ad sedationem doloris frequens venæ sectio? minimè, cùm tantum aut flatus sit aut febris exigua, sic sectio non confert, nam si cùm dolor oritur, secueris, lædes plurimùm; nam latera tandem debilitantur, & hoc nocet : si inflammationis sit suspicio, id quidem agendum, & protinus ad anodyna concurrendum, *Epid. lib.* 1. *pag.* 18. *Pulmonicorum lateris dolor vena sectione non curandus.*

9. Pleuritides & Peripneumoniæ siccæ, id est, quæ non tam in humore & tumore phlegmonode consistunt quàm in phlogosi & vagabunda assatione aut adustione, homines incautos iugulant, & minimè cogitantibus Medicis : harum author est serum acre, subtile, malignum, efferum, eludens exclusionis ansam, & pepasmi occasionem, à quo siderantur pulmones repente : signa sunt rubores *Pleuritis & peripneumon sicca à sero acri, subtili & maligno.*

genarum fugaces, tuſſis inanis, indolentia ferè, jactationes, ariditas linguæ & extenuatio præter rationem, dolores pungentes & fugaces; an his ſecanda vena? Hippocr. lib. 1. de morbis ita ,ſcribit, Fit peripneumonia & pleuritis ſine ſputo, ambæ ex eadem ,cauſa,& ſiccitate: ſiccant autem & calida,cùm nimium calefecerint,& , frigida, vbi nimium frigefaciunt: congelatur autem latus, & quæ , in ipſo ſunt venæ, & convelitur, quantum in ipſo eſt bilis & pitui-,tæ, id à caliditate reſiccatur,& dolorem induci & febrem: hinc venam ſecare convenit, in manu ſplenitidem aut hepatitidem,iuxta utram fuerit morbus: Tamen *lib.3. de morbis,* dum de pleuritide ſicca & ſine ſputo loquitur: humectationis quidem multæ commeminit, at nunquam phlebotomiæ: Sic hic accuratos & ſagaces eſſe Medicos oportet. *Epid. lib. 1. pag.* 83.

Pleuritis à ſero acri orta purgationibus & ptyaliſmo anteveriendo. 10. Anno 1573 tota hyems fuit aquilonia (vide lib. 3. §.) Pleuritides multæ graſſatæ, multos interemere; nullis cedebant remediis, epidemiæ erant & mali moris, ſine ullo violento motu prehendebant: dolor erat fugax,& cum ægri bene habere putarentur, & immunes à dolore lateris, interibant: Erant à ſero acri, indomito, cuniculos & viam ſibi parante, eryſipelatodes non phlegmonodes: non erat magna difficultas ſpirandi, ſed dolor tantum mediocris, & hinc decepti Medici; Ingens erat ſitis, leipothymiæ,& præter rationem vires vacillabant, nil commemorabile expectorabant: Cum talis viget conſtitutio frequentibus,purgationibus & ptyaliſmis morbos antevertere oportet. *Epid. lib. 1. p.* 32.

Eiuſmodi pleuritis ſexto die ſudore deſinens. 11. Occupatus pleuritide generis commemorati Vir Nob. cum periculoſe ægrotaret ſexto die ſudavit, nil ſeptimo natura excrevit: Naturam irritaveramus noſtris remediis ad criſin accelerandam: revera fere in iſta criſi interiit, niſi ætas juvenilis interiiſſet, mors obveniſſet: Galen. in Epidem.multum ætati tribuit: Mirum quomodo evaſerit, cum dies ſextus tyrannus ſit. Galenus in hiſtor. de virgine Lariſſæi negat omnino ſextum diem malum eſſe, præſertim ſi inflammatio non adſit, aut κακοήθεια, aut ſi diebus ſequentibus abſolvatur criſis, vt morbus ſit potius a quadam plethora: ſed hic erat inflammatio; at illam ſedaveramus tentatis ſæpius phlebotomiis. *Ibidem.*

Lien affectus lateris dolorem infert. 12. Hippocrates lib. de int. affection. loquens de Hydrope à Liene, docet dolores in mammis & ſcapulis oboriri: an propterea ad phlebotomiam recurrendum; *Annot.* 61. *in hiſtor.* 1. *lib.* 2. *conſil.*

Hepar tumidum pleuritidis ſpeciem induci. 13. Omnibus Iecorariis, i. e. quibus grandius hepar, amplius, tumentius & calidius, cum febribus magnis prehenduntur, maxima ex parte tempore vrgentis febris, dolores in clauiculis & ſecundum homoplatas ſentiunt ſatis vehementes: & ſigna diagnoſtica pleuritidis

tidis superiores aut inferiores partes occupantis Hippocr. desumit ex dolore aut claviculas aut Ileos regionem occupante: hepate accenso aut inflammato, aut per insignem febrem æstuante plurimum, dolor potest ad iugulum pertinere, *consil.* 77. *lib.* 1.

Dolor lateris in febribus non pleuriticus.

14. Quæcunque mulieres (idem & de viris) dum sanæ sunt, dolent de latere aliquo, cùm febricitant, æque dolent ac si pleuriticæ essent verè: & revera cum iis ac cum pleuriticis agendum *cons* 115. *lib* 1. *annot.* 1. *pag.* 566. Refectoris impluviorum vxor prægnans latus dextrum dolet, dum sana est de eo querula est latere: fortassis quia pars hæc infirmior est, aut hæret pulmo ad costam: mirum quod contigit: cùm febris increscebat, quæ certè erat partim essentialis, partim symptomatica, tantus dolor erat; vt summam difficultatem spirandi afferret: Ergo non erat pleuritis, sed dolor lateris pro motu febris & humoris exacerbatus: Nam quicunque laterum doloribus est obnoxius, dum febris adest, aut adesse debet, dolet tunc latus eodem modo ac si pleuriticus foret; frangente se febris calore, minuitur dolor, quod arguit dolorem istum accidentarium esse: An his sectio venæ confert? confert, sed non sæpius repetita: quia non tam fit per inflammationem aut impactionem quàm infirmitatem, vt quæ pars infirma est, facilè corpori condoleat: maxime verò sese profert dolor in gravidis ob compressionem vasorum. *lib.* 2. *Epidem. pag.* 145.

In Pleurit. epidemia erysipelatode non contulit vena sectio.

15. Anno 1571. Pleuritides erant Erysipelatodes: hyems præcesserat asperrima, excepta ab Austrino pluvióque tempore, cum magnis aquarum inundationibus ineunte vere: inde rheumata innumera, & cùm tempus vernaret, & tepidiusculum foret, repentini laterum dolores oboriebantur: in doloribus hujusmodi sectio venæ non profuit; ac quærebant num aliud esset remedium præter istud solemne, quod primum ducitur in Pleuritide, nam innumeri fato eripiebantur quibus secta foret vena: sic colligebant à sero potiùs cacoëthe & maligno eos oriri dolores, quàm ab inflammatione: ille humor pepasmum non admittebat, promptè oriebatur dolor & inopinatò, tussiculæ siccæ erant, deinde dolor fugiebat, facilè alvus irritabatur, cessabat dolor post venæ sectionem, sed subinde renascebatur: multis ad pulmones metastasis, deinde ad caput, quæ omnia orgasmum, ferociam, tenuitatem humoris cum pepasmi ἀδυναμία significabant. *Epid. lib* 1. *pag.* 20.

Pleuritis à vermibus venæ sectione irritata.

16. Puero dolor erat circum latera, detrahebatur audacter sanguis, dolores non concedebant, inopinatò vermes exclusi sunt, dolores quieverunt, an vermes id facere potuerunt? ita prorsus, imò & innumeras doloris species excitare possunt in omnibus partibus, ac præsertim si ad ventriculum repant. *Epid. lib.* 1. *p.* 21.

Pleuritis luis vener. soboles litu & diæta curanda.

17. Vidimus dolores Lateris perpetuos, sed qui de nocte urgerent, nullis cessere remedijs: cùm remedij inopes essemus, de lue venerea suspicio fuit: tandem diæta, & litu curatio procurata est: Quoties consuetis remedijs morbi non profligantur, ad cacoethiam, Galeni consilio, est recurrendum. *Epidem. libro* 1. *pag.* 7. *&* 8.

Videndum an febris sit essentialis, an non.

18. Quoties agitur de dolore Lateris, Medici plurimum debent animadvertere, An febris sit essentialis, an non: In omni febre essentiali cum junctus est lateris dolor, febre aucta dolor augetur: at in vera Pleuritide augetur febris aucto dolore: falluntur quippe sæpe Medici, qui audientes ῥέγχος quodam junctum cum dolore lateris, cum expectoratione exigua, de sinistro rei eventu præsagiunt; ut in filio D. Poisse, qui convaluit præter spem, & febris erat potiùs essentialis. *Epid. lib.* 2. *pag.* 208.

Pueri raro obnoxii pleuritidi.

19. Duretus rogatus sententiam cur Hippocr. pueris Pleuriticis aut Peripneumonicis venam non ciderit? respondit Hippocr. non agnovisse pueros Pleuriticos aut Peripneumonicos, id quod audiendum ratione τῆ ἐπιδεκτικῆ; cum enim pueris sanguis sit crassiusculus, cum benignus & halituosus, caret ijs stimulis qui sunt necessarij ad incitandum sanguinem: his accedit quod nutritioni & auctioni sanguis satisfacit, ut reliquus paucus sit; At non idem de iuvenibus judicium? cùm enim justum ceperint incrementum, superfluit, hinc consectariæ Hæmorrhagiæ, &c. Epi*dem. lib.* 2. *pag.* 265. *&* 266.

Pleuritis ex Dorso liberali venæsectione curanda.

20. Pleuritis ex Dorso affectus est ab Hippocr. nominatus, à paucis, quod sciam, observatus, à me semel; erat autem mulier gravida gerens septimestrem ferè fœtum: dolor erat punctorius paulò infra duodecimam spinæ vertebram, dolor inquam insignis pertinens ad regionem Hepatis, febris assidua, tussis inanis, cùm inflammatio ferè extra Thoracem esset, ut Pulmo serum ab inflammatione manans apprehendere nequiret; inter signa Pathognomonica erat dolor circum Dorsum: membrana affecta, non quæ costis obtenditur, sed quæ vertebras cingit: inter signa Demonstrativa, erant urinæ planè vinosæ, ac si sanguis multus eas proluisset ac tinxisset, quia enim coafficitur Hepar, urinæ tales apparent. De ea Affectione ita Hippocr. lib. 3. de morbis. *In Pleuritide ad Dorsum dolet ipsum Dorsum velut ex plaga, suspirat & acervatim spirat, statim spuit pauca, tertia aut quarta die saniem meiit subcruentam, &c.* Et secundo de morb. loquens de morbo Dorsali quem νωτιάδα vocat, qui aliquid affine habet, ita scripsit, *Dolet Dorsum & Inguina, tertia & quarta cruentam meiit urinam:* Inflammatio itaque pertinet ad partes Thorace inferiores, in eo ergo affectu duo

duo ſymptomata rara comperimus, unum eſt mictio cruenta, vel quod, præ calore & inflammatione, ſerum & χυμὸς urinæ apparent ἰκτώδης, ob bilis mixtionem quamplurimæ, vel quod reapſe ſanguis remiſceatur ipſi urinæ, facta tranſlatione quadam ad veſicam, Alterum eſt, difficile ſpirare erecto corpore, quod novum eſt in morbis Thoracis, Hippocr. in Coacis meminit cujuſdam Pleuritidis in quâ Dorſum rubet per eryſipelas, à fluxu concitato per venam Thoracicam, per quam fit Pleuritis Dorſalis, de qua hic agitur, hæc à reliquis differt. Curatio mihi videtur maximè poſita in ſanguinis detractione, eáque tantò frequentior & major eſſe debet, quò magis poſita eſt in inflammatione per collectionem, & quod ſpes ſanitatis non ſit poſita (ut cæterarum Pleuritidon) in larga & facili ſputorum eductione: nec enim alæ Pulmonum allidentes ad latera, exugere poſſunt materiam phlegmones, reſudatione quadam corpus Pulmonis ſubeuntem: Nos iſti mulieri, etiam gravidæ, ſanguinem ſepties dempſimus, & cùm nobis religio eſſet toties evacuare, illa inſtabat precibus ut id auderemus, adeo manifeſta ex frequenti liberalíque ſanguinis detractione allevatio conſequebatur, fotibus litibuſque aliquando adjuta eſt, aliquando ægreſcebat. *Tractatu peculiari de eo morbo. pag.* 287. *&* 288.

21. Quibus Corpora compacta ſunt, firma & ſolida, ijs dolores lateris ſunt curatu difficiliores, & velint, nolint Medici, venæ ſectio repetita non confert: Obſtructio enim & ſpiraculorum cutis conſtipatio, impedit quominus exhalet corpus: præterea aëri frigido corpora ſua exponunt, nec lecto ſe continere volunt, Id in multis ægrotantibus obſervavi. *Epid. lib.* 2. *pag.* 231.

Robuſti vena ſectione etſi repetita nõ juvãtur.

22. Cùm Nutrices fiunt Pleuriticæ, graviter ægrotant & magna Dyſpnoea tenentur, idque fieri puto quoniam & mammę attrahunt, & ad eas impetu humor fertur, ut docet Gal. lib. de ſimpl. medic. fac. Sic demitur ſanguis, annon, propter tranſumptionem à venis in venas, facilè albicans apparet, ut facilè imponat medicis, credentibus talem humorem & colorem à corruptione eſſe? *Epid. lib.* 1. *pag.* 93. *&* 94.

In Nutricibus Pleuritis gravis.

23. Hippocr. 2. Acutor. Si dolor ſui ſignificationem præbeat ad claviculam, aut gravitas in brachium, aut circa mammam, aut ſupra ſeptum tranſverſum, ſecat venam internam in Cubito: ſi autem ſub ſepto tranſverſo ſit dolor, non præſtet autem ſui ſignificationem ad claviculam, purgatione utitur: Galenus ſic commentatur, *Vbi non ſolum acutus morbus fuerit, cuiuſmodi eſt Pleuritis, verum & cum febre vehementiſſima, multò magis vitanda Purgatio, atque per ſectionem venæ vacuandum magis, etiamſi ad hypochondrium*

De Pleuritide aſcendẽte & deſcendente.

dolor finiatur, nempe etsi minùs quidem auxilium quam per Purgationem sequatur, securius tamen multò existit: imò nullum periculum impendet ex eo quod fit per sectionem venæ, eo discrimen maximum subeunte quod per Purgationem tentatur, maximè si laborantis naturam non fueris expertus, si enim naturam non noveris, metus est ne plus iustò vacues, aut nullo pacto naturam moveas, aut si moveris, non sufficienter vacues: quæ omnia magnas in morbis offensas pariunt, quod non facilè, ut in iis qui non febricitant, emendatur: cum igitur febris non fuerit vehemens, & naturam laborantis expertus fueris, ad medicamentum Purgans te conferes, iis, quæ ab Hippocr. dicta sunt, usus. Hic tria animadvertere oportet, dum sectionem venæ antefert Purgationi, primum est, cùm meminit febris vehementissimæ, ut vehementia febris dehortari videatur Purgationem, præsertim & cùm adsit inflammatio, febris autem vehementia & inflammatio Purgationem dehortatur, quod medicamentum calorem fit adaucturum: Secundum, Quod minus auxilium à sectione venæ sequatur quàm à Purgatione. Tertium quod securitas sit magna in sectione venæ, non item in Purgatione, Quæ tria animadvertenda, ne forte, sententia Galeni malè intellecta, nos valde munitos putemus, cùm alioqui gravissimè erremus, Quid enim obest illud quod objicitur de febre ardentissima, nam in Pleuritide, ea præsertim quæ occupat Hypochondrium, non est tanta febris, si non tanta febris, & si minùs auxilium affert sectio venæ quam Catharsis, omni ratione amplexanda est Purgatio, non autem Purgationi præferenda sectio, ut securius consilium & remedium: quorsum enim ista securitas, si non prosit remedium? Pręterea si febris vehemens, possumus dare medicamentum non ita eradicans, non calfaciens, non agitans: quoad calorem, quem præbitum medicamentum affert, respondet Gal. aph. 24. lib. 1. majus sequi commodum ex vacuatione humorum morbificorum quàm incommodum ex ea calfactione & febris auctione. Denique si Purgatio in febris vehementia nocet, cur non & sectio venæ? Relictis Arabibus, qui in morbis biliosis Phlebotomiam reformidant, Galen. 6. Prorrh. sect. 2. ait resiccatos, nec rigorem, nec vacuationem insignem, nec simile quid ferre: Resiccatorum nomine & Biliosos audiemus, & eos qui biliosissimis & siccis morbis tenebuntur: Pleuritides maxima ex parte biliosæ sunt, ex Gal. imò Hipp. de locis in Homine nomine Bilis Pleuritim intelligit. cùm ergo siccus sit morbus bifariam, & ratione ὑπάρξεως, & quia sæpe nihil excernitur, præsertim initio, & febris juncta est, affectus & siccus & siccans, an locus erit vacuationi per Phlebotomiam? Præterea si, ex Hipp. in mulieribus biliosis, etiam naturalis mensium eruptio formidabilia affert symptomata, frequens sectio venæ conferet? quanquam Gal. aphor. 23. 1. in biliosis & ardentibus febribus non reformidat

midat venæ sectionem,etiam ad leipothymiam usque:Respondebimus uno verbo, Omnis inflammatio facilè juvatur & tollitur sectione venæ, nil enim est quod tam facilè refrigeret corpus, & inflammationis occasionem tollat: at Pleuritis inflammatio est, quod autem medicamentum daretur, illud suo calore febrem & augebit, & corpus siccabit, & vix ab inflammato loco quicquam educet, Cùm dicit minus auxilium à sectione afferri, sed securius, illud intelliges de inferiorum costarum inflammatione, Nam si de inflammatione superiorum intelligeret, hoc falsum esset: non enim liber est exitus ad excretionem materiæ per partes infernas: at cùm Pleuritis inferior est, cùm fiat à congestione potiùs, & quæ infra Diaphragma sunt, Purgatione per inferiora potiùs exigi debeant quàm alia arte, libero etiam existente exitu, potiùs ad Catharsin accedendum est, sed ignoratione naturę eius qui purgatur, & metu incrementi febris, vult nos impediri ne tam audacter purgemus, ac venam secemus: *Conf. 96. lib. 1. p.* 470. Purgationi potiùs intendendum in Pleuritide & dolore occupante nothas costas, si tria illa animo comprehendas, Si medicamentum non sit perturbans & calfaciens multùm: si febris non sit intensa, si inflammatio non sit magna, sed potiùs dolor à congestione quadam humoris; vnde graviter hodie peccatur ab iis qui festinanter nimis audito nomine doloris ad latus, ubicunque is dolor sit, statim ad sectionem venæ confugiunt: imò etiamsi nulla adsit febris, aut exigua, etiam audacter venam secant, persuasi illa sententia Gal. quod securius sit remedium Phlebotomia, minùs tamen auxilium: at nosse debent conditiones quas attulimus, & quas nisi noverint, non sunt digni Medicorum nomine. *Ibidem. p.* 472. Eventus probat juvare plurimum ad dolorem lateris & accersendum inflammationem, colluviem humorum, ut contra vulgarem opinionem sæpe meliùs sit in doloribus lateris, præsertim cùm opinio est de translatione tenuium ichorum à partibus inferis, purgare quàm secare venam, ideo Galen. dicebat, minus auxilium ex sectione venæ quam ex Purgatione sequi, sed securius, quia medicamenta augent febrem, nunc verò cum alia habeamus lenientia, & maius & promptius & æque securum pręsidium in Purgatione locabitur. *Conf.* 111. *l.* 1. *p.* 537. Iuveni dolor lateris post vehementes exercitationes, & corpore plethorico secta vena, febris aucta; Summa erat difficultas spirandi, ad nothas penè costas dolor erat: febris, paroxysmo inclinante, difficultas spirandi minuebatur & dolor lateris, Sic febris potiùs erat essentialis quàm symptomatica: non tam juvabat sectio venæ quàm Purgatio, verebamur de Pleuritide ex Dorso, non erat tamen, nam talis Pleuritis Hippocr. Crisin habet per urinas, is verò potiùs per alvum, & cave-

bamus ne errorem committeremus, nam sputa erant biliosa: talibus apparentibus, Hippocr. cavet ne deorsum purgemus, hoc an verum videto: ingens humorum colluvies deturbata est; Et prudentis est Medici in talibus videre num potiùs purgandum, ut non tam liberaliter sanguinem mittamus. *Epid. lib. 2. pag.* 204.

Crebra S. M. juvat etiã in magna cacochymia.

24. Gratiani latus dolentis notanda historia, Sexies secta vena, sæpe repurgatus est, miraculo evasit: ferè ictericus erat & sanguis ἰκτερώδης: etiam in magna cacochymia audendum est, nec diffidendum ita viribus, hæ enim recreantur prout de saburra detractum fuerit, *Epid. lib. 2. pag.* 208.

Abusus S. M.

25. Cùm quis laborat dolore Lateris nullus non magnus medicus est, imò barbitonsor hac in re egregius magister est. Secatur vena, demitur liberaliter sanguis: Si quid vitij in superficie habeat, legitimè iterum secandi capitur occasio: bifariam peccatur cùm sanguis floridus facilè sua natura immutetur, non tam leviter capere oportet occasionem ita phlebotomandi ex ista immutatione sanguinis: deinde cùm thorax facilè putredinem concipiat ob humiditatem & calorem loci, fotus & cataplasmata frequenter adhibita obsunt, nam effœminant latus, putredinem accersunt: & credo nostra Cataplasmata, ex radicibus liliorum & similibus quę adhiberi solent, putredinem facilè invehere, & sic mutatur semper sanguis & rursus sanguis demitur: Quam tumultuaria hæc medendi ratio? *Epid. lib. 2. pag.* 162. Non nos ad sectionem venæ iteratò, imò pluries faciendam, incitabit impuri sanguinis effluxus: quod plerisque occasionem porrexit celebrandæ phlebotomiæ sæpiùs, & virium frangendarum, non sine magno vitæ periculo, *Cons. 96. lib. 1. pag.* 473.

Fotuum & Cataplasmatũ noxa.

Etsi dolor evanescat remediorũ usu, non tamen securus esse debet medicus.

26. Multis oboriuntur lateris dolores qui aut secta vena aut aliquo remedio usurpato statim evanescunt, & propterea securos esse non oportet, nam inde sæpe Peripneumonia succedit, imò isti dolores lateris sunt tantum accidentarii, nimirum per resudationem seri acriusculi in corpore Pulmonis stabulantis: Et cùm febris adest, & præsertim Thoracem occupat, fit velut ebullitio humorum & orgasmus, & hinc modò in dextro modò sinistro latere dolor oboritur qui Pleuritidem refert, sed non est, Medici statim secant venam satis imprudenter: & cùm febris, æstus, sitis ingens & difficultas spirandi perseverat, tamen securi esse solent & benè actum cum ægro putant, quod tam levi remedio cesserit malum, sed fovetur in Pulmone multò deteriùs, nempe Phlogosis à fervente ichore & sanie in corpore Pulmonis: ac primùm aliquis dubitarit an inflammatio Pulmonis dolores in lateribus excitet? primum id experientia vidimus: imò plerique vix distinguunt inflammationem

flammationem Pulmonis cum febre conjunctam à febre Causode, quod vera inflammatio Pulmonis rarò adveniat; sed illi ferè Peripneumonici intereant quorum Pulmones infirmi natura, multam saniem collegerunt, unde corruptio ipsius Pulmonis sequuta est, & quæ inde Peripneumoniæ & febres, focum in Pulmone habentes, nascuntur, decipiunt Medicos: Hippocr. lib. de int. affection. cùm Peripneumoniam describit, ait, *Peripneumonia fit cum Pulmo sanguinem aut pituitam salsam in se attraxerit, ab initio & per totum morbum tussis arida & acuta, rigor, febris, dolor in pectore & in dorso incumbit, aliquando etiam in latere, erecta cervice spirat.* Maximè verò observavimus in ijs dolores laterum excitari, quibus aut Thorax hydropelaborat, aut Pulmo duriusculus sanie multa scatet, An talibus Phlebotomia confert? *Epid. lib 2. pag.* 154 *&* 155. Omnis dolor lateris fugax malignus est & erysipelatodes, & ferè necat, propterea ego iubeo in eo Medicos non esse securos, unde dicunt quendam aphor. esse Hippocr. Raros laterum dolores malos esse, vide part. 22. lib. 2. prorrhet. *Annot. 9. lib. 2. Epid. pag.* 165.

27. Quibus tumet abdomen suppressa alvo, & febris adest, facilis fit falsarum Pleuritidon generatio, & Phlebotomia competit, & qui detrahitur sanguis, is corruptus valde est; testes multi ægri, & is Consul cui ter secta vena tumente alvo & dolente utroque hypochondrio valde. 2. Ep. *pag.* 165. *Cuidam falsæ convenit S. M.*

28. Quemadmodum tardos nimium esse non oportet in sectione venæ celebrandâ, ita festinatio probro est: multi enim dolores Pleuritin mentiuntur, in quibus aut solum fomentum, aut Purgatio leviuscula abunde erit, ut ita in humano sanguine fundendo liberaliores non simus: *Conf. 96. lib.* 1. *pag.* 472. Maximè verò observavimus in iis dolores laterum excitari, quibus aut thorax hydrope laborat, aut pulmo duriusculus sanie multa scatet: Quartanariis, quibus non manant sudores, ad claviculas tantus quãdoque dolor oboritur qui pleuritidem ementiatur. An talibus phlebotomia confert? *Epid. & Ephemerid. pag.* 155. *lib. 9.* *Festinatio in S. M. aliquando noxia.*

29. In multis gravidis, orgasmo materiæ quam natura, ut pote imbecillior facta, enixa non potest regere ac domare ut ante partum, multa contingunt quæ Pleuritidem mentiuntur; sive quod motu naturæ humor sursum deorsum moveatur, sive quod externa aliqua fluxio fiat, sive quod circa hypochondriorum tunicas & venas humor multus est, unde per continuitatem membranarum & vasorum communionem elevatur hypochondrium alterutrum, & hic meteorismus difficultatem respirandi affert, quæ similitudine imponit sæpe Medicis, supponitque alium affectum pro alio; ita nimirum in Coacis Hippocr. animadvertit quendam lateris dolorem cum Hypo- *Enixæ falsis Pleuritidibus obnoxiæ, S. M. curandæ aliquando.*

chondrij meteorifmo & difficultate fpirandi, fed vocat eum dolorem Lateris dolorem fine fignis, quafi dicat Pleuritidem non effe, ne ea fimilitudo nobis falsò imponat: Cùm mercatoris uxorem recens enixam urgeret hic dolor, metufque effet fuffocationis, quæfitum num tutò & jure tundenda effet vena, cujus maxima eft opportunitas ad antevertendos morbos per congeftionem nafcituros: dehortabantur vires imbecillæ, partus qui paulò ante præcefferat, item quod Pleuritis non effet, alijfque fortaffis remedijs fedaretur, denique metus fuppreffionis lochiorum à partu, quæ fi fupprimerentur, omnia pejora contingerent: At cùm dolor ad Pectus urget cum difficultate fpirandi, non ftatim tundenda vena, imò nifi figna adfint, talem fectionem improbat Hippocr. in Coacis. Tamen ne quæ materia locum certum nondum teneret, tandem parti impacta, opinione noftra majorem morbum afferret, in eam ventum fententiam ut fectio venæ tutò celebraretur, Sanguis qui fluxit lacteus erat planéque putris, dolores conquieverunt, lochia non funt fuppreffa, &c. *Conf.* 17. *lib.* 1. *pag.* 30. *&* 31. Quæftio magna effe poteft. An cùm lateris dolores oriuntur in muliere à partu, cui lochia eunt, vena fit fecanda, in hac enim muliere, cui dolor lateris, ut hic dicitur, obortus eft, fecta vena lochia fuppreffa funt, Vereor ne illa fuppreffio tanti mali caufa fit, id eft, cur in Hydropem inciderit, *Annot. in id conf.* 17. *pag* 31. Cuidam à partu hypochondrium tumet, difficultas fpirandi, à coxis ad humerum finiftrum dolor ingens, nec moveri loco, nec extuffire, nec fpiritum ducere poterat, febris conquiefcebat, dolor repetebat, vomitiones variorum humorum: An in illis doloribus opus fectione? Si id fit lochia fiftentur; fortè illuc pertinebat Aphor. *Dolores juxta latus in febribus tenuiter confiftentes citra notas, venæ fectio lædit, five cibum averfetur æger, five hypochondrium fublime habuerit*, nec enim in ea muliere notę erant Pleuritidis. *Ep. lib.* 1 *pag.* 26. Mulier quædam gravida pleuritide infeftatur, mittitur fanguis ei abundè, vi morbi peperit; Pleuritica fit, Iterum atque iterum demitur fanguis, convaluit &c. *Vide hift. integram lib.* 4 *artic.* 2. (*Epid pag.* 156.

Pleuritis gravidarũ gravis.

30. Nobilis mulier Pleuritica prægnans aliquid habuit commemorabile: doluit latus, febris continua erat: vterum ferebat iam octo menfes cum dimidio: dubitabant an partus accelerandus foret: Alii è malleolo tundendam venam putabant: tamen ex brachio fanguinem detraximus, planè corruptus erat: tandem pariendi occafio fefe obtulit: vires erant infirmæ: dolores fuos & tormina (politico verbo vtar) devoraverat, dedimus decoctum foliorum Sennæ, folia erant pauca quantitate, ut non tam alvum fubduceremus, quam cum leni alvi fubductione tormina excitaremus; excitatis torminibus peperit feliciter: Mirum quod dolores pectoris in gravidis funt valde terrifici, & non facile fedantur nifi vterus fefe

ſeſe exoneret: nam comprimuntur partes ventris, & veluti humores ſurſum ad lactis curſum repunt: unde niſi aliò divertas, vix dolor quieſcit, vix autem divertuntur aliò niſi cum partus periculo. *Conſilio 21. lib. 2. pag. 233.*

31. Domina *Brizart* ſatis docuit quod dolores lateris, præſertim cum fere ad claviculam pertinent, potius egent anacatharſi quam phlebotomia, *Epid. lib. 2. p.* 230. Dolebat circa primum intercoſtale, Pleuritim eſſe putabant; metu majoris inflammationis ſanguis detractus: Alij ſæpius detraxiſſent, nos obſtinatè a S. m. abſtinuimus, incubuimus in anacatharſin, convaluit: Temere in doloribus ad coſtas ſanguinem detrahere non oportet; Idem contigerat filiæ *Dominæ* de Sancto *Amando* & *Sengermano. Epidem. l.* 2. *pag.* 232. *Aſcendenti aliquando anacatharſis ſufficit citra S. M.*

32. Uxori Cleomenis (7ª. *Epidem.* Pleuriticæ quarto die copioſi menſes fluxerunt dolor lateris & ſputa omnia ceſſaverunt: Sed tanta fuit vis αἱμῤῥοΐης, ut derepente manante per uterum ſanguine pleuritis ceſſaverit: Nunquid commoda eſt ea vacuatio in febribus? Quod ſi minor ſit quàm par ſit, arte iuvetur ac incitetur, & Hippocr. in Coacis, *In febribus horrores, labores, dolores, colli moleſtiæ menſes proritant*: Sic tametſi ea vrgeant ſymptomata, ſi eruptionis menſtruæ ſpes eſt aliqua, in illa conſiſtet ſalus. *Hiſtor.* 4. *lib.* 2. *pag.* 120. *Pleuritis eruptione menſium ſedata.*

33. Multis in Latere dolor eſt, particula quæ dolet non videtur eſſe tanti ut propterea mittatur ſanguis tam audacter, & ſimus ſolliciti adeo de dolore parvam circumſcriptionem habente: Annon forte idem judicium haberi poteſt de particula illa thoracis laborante, quod & Hipp. habuit de eo cui pars femoris & pedis pollex dolebat. id parui momenti videbatur, tamen inde mors eſt inſequuta; Et Galen. comm. in hiſtor. de eo cui pollex pedis dolebat, miratur cur Hippocr. omiſerit Phlebotomiam: magna id contemplatione opus habet, nam cùm natura ſuis viribus uſa, conatur aut materiam, aut virus quoddam à ſeſe depellere, aliàs in emunctorijs partium, aliàs in crure aut in capite, aliquod ſignum edit depulſionis iſtius materiæ; unde aut epinyctis, aut phlegmone, aut phlogoſis apparet, tanquam morbi prænuntia, niſi tu ipſe alias provideris: & quod in iſtis partibus facit, idem in Thorace fieri poteſt: hinc fruſtra ad defluxionem id mali refertur, ſed fit per tranſlationem à parte in partem, velut Orgaſmo quodam; & audacter ſanguis mittitur, aut Purgatio inſtituitur: cùm in Bubonibus, aut in alia parte apparet ſignum aliquod tranſlationis materiei, non tam forte quantitate quàm qualitate peccantis; Si poſſis conjicere aliquid ſimile cauſam eſſe doloris lateris, intrepidè ea præſtabis quæ diximus: ac nonnulli Medici hoc parùm animadvertentes, de iſto dolore *Pleuritidi parvo loco circumſcripta S. M. convenit.*

dolore parùm sunt solliciti, minimè rati particulam esse materiei defectæ & decisę à majore materiei mole, ac interim inopina morte multi præventi, occasio fuerunt cur in infamiam & dedecus incurrerint, *Epid. lib. 2. pag.* 227. Non est dubium quin pars thoracis recipiens partem materiei orgasmo incitatæ, inflammetur eodem modo quo partes aliæ: unde Pleuritis ea inflammatio propriè dicitur, Et ea translatio maioris quantitatis, humorum signum est: unde quibus est infra modum detractus sanguis, isto præsente dolore, ii aut vi morbi perierunt, aut diutiùs ægrotaverunt: nam & pars magis affligitur, & suppurati metus est, Id quod experientia patet. *lib. 2. Epidem. & Ephemer. pag.* 236.

Pleuritis frequens ab infirmitate partis S. M. sed parca curanda.

34. Prægnans quædam latus dextrum dolet: dum sana est de eo querula est latere, fortassis quia pars hæc infirmior est, aut hæret Pulmo ad costam: mirum quod contigit: cum febris increscebat, quæ certè erat partim essentialis partim symptomatica, tantus dolor erat ut summam difficultatem spirandi afferret: Ergo non erat Pleuritis, sed dolor lateris pro motu febris & humoris exacerbatus: nam quicunque laterum doloribus est obnoxius, dum febris adest aut adesse debet, dolet tunc latus eodem modo ac si Pleuriticus foret; frangente se febris calore, minuitur dolor, quod arguit dolorem istum accidentarium esse: An his sectio venæ confert? Confert, sed non sæpiùs repetita, quia non tam fit per inflammationem aut impactionem quàm infirmitatem, ut quæ pars infirma est facilè corpori condoleat: maximè verò sese profert dolor in gravidis, ob compressionem vasorum à vasis. *Epid. lib. 2. pag.* 145.

Biliosa frequens S. M. non confert.

35. In biliosis Pleuritidibus frequens sectio non confert, & ut dicam conferre nunc ad malum urgens, dum biliosior est factus sanguis, major est in Pleuritim incidendi occasio: Hippocr. 2. de morbis mulier. ait fulvum fluorem mulieri evenire, cùm exhaustas per alium fluorem sanguis, biliosus fit; Vnde patet evacuationem sanguinis bilefacere humores & reliquum quod adest. *Annot. 1. in Cons. 96. libs 1.*

Sputũ sanguineum quando impedit S. M.

36. Hipp. parte 44. sect. 3. lib. 6. Epid. ait Pleuritin indicare ne secetur vena in sputo sanguineo, Quasi verò in Pleuritide non sit secanda vena? immo tunc secandi sumitur indicatio cùm sputum cruentatur? Hoc non vult Hippocr. quanquam litera id videtur indicare, Sed considerat sputum cruentum vel ut morbum, vel ut symptoma; ut morbum, cùm est proprio vitio Pulmonis, & tunc αἱμοπτοικοὶ καὶ ἀναφορικοὶ dicuntur: ut symptoma, cùm fit ob Pleuritim; cum enim fit ob Pleuritim, non ex se postulat phlebotomiam, est enim ipsa Pleuritis quæ fortè postulat aut non: nam cum medendi Pleuritidi alia ratio sit quàm per phlebotomiam, fieri potest

test ut sputum sanguinis nullo modo phlebotomiam indicet quatenus symptoma est: quatenus morbus, omne sputum cruentum phlebotomiam insinuat: *Histor. 1. lib. 2. cons. pag.* 47. Hoc vult *Hippocrates*, Si sputum cruentum est occasione pleuritidis, ne sumas indicationem secandi ex sputo, quoniam forte ipsa pleuritis non petit venæ sectionem. *Annot. 54. histor. 1. lib. 2. consil.*

37. An prout augetur & dolor & febris in Pleuritide, consilium capiendum est detrahendi sanguinis? annon auctio & doloris & febris fit ob pepasmum? at quis dubitat quominus in Pleuritide sit expectandus Pepasmus, & ei studendum: cum autem augetur & febris & dolor, fortassis natura aggreditur coctionem, & detractione sanguinis à penso revocatur: ut mirum non sit si plerique intereant, in quibus potius supersedendum fuerat tam frequenti venæ sectione. *Cons. 30. l. 2. pag. 259. Epid. lib. 1. pag. 46.* *An ad augmentū doloris & febris iteranda S. M.*

38. Testamur nos dolorem Lateris quatriduanum & vehementem, cum frustrà ternam sectionem celebravissemus, & sanguinem laudabilem detraxissemus, secta quartò venâ radicitus sustulisse, cum tria insignia vascula sanguine purulento plena detracta fuissent: Itaque allevatio ægri tam subitâ & eductæ materiæ qualitas, conjunctam ipsam materiam decisam detractamque confirmavit: *Consil. 88. lib. 1.* *Quadam quaterna S. M. cessit*

39. De Phlebotomia ad coloris mutationem *vide librum quartum Articulum* 14. *Quando ad coloris mutationem cō-venit S. M.*

40. In secanda vena in Pleuriticis servanda ἐυθυωρία *vide eodem libro Articulo 44. pag.* 144. *Servanda ἐυθυωρία. in S. M.*

41. Galenus in Arte parva non vult feriri semper venam in eodem latere, cum scribit, *Vbi corpus plenum est, universum per partem affectam vacuandum non est*: quo ex loco possis reprehendere sectionem venæ quæ fit in Pleuritide, corpore universo pleno; aut cum Pleuritis ob regurgitationem sanguinis fit ab Hepate; Tunc enim ἀντίσπασις necessaria foret: hunc locum adduxit Scaliger comment. in lib. de Insomniis, docens sectionem quæ fit in parte opposita necessariam esse: *Annot. 4. in Consilium 96. lib. 1.* *Non semper vena in eodem latere aperiēda.*

42. Cùm secandi venam occasio est, & Phlegmone dolorque urget, an tutò quater in die vena secari debet? & potiùs id fit quàm expectetur quid sequens dies vehat: nam cum phlegmone in Pleuriticis nascitur, dolorque adest magnus, omni ratione impedienda est phlegmone incremento: an verò præsentius remedium sit quàm identidem facta phlebotomia? *Epid lib. 1. pag.* 80. *Eodem die vena secari potest quater.*

43. Socrates tres jam dies febre continua laboravit, quarto die Pleuritis oritur; an septimo die totius morbi tutò secari vena *An si à triduo febricitanti Pleu-*

 potest,

ritis superveniat quartò, liceat 7. venam secare.

potest, qui dies Pleuritidis tantum tertius est? Nunquid crisis septimo isto die oriri potest, & interea si vena secetur, verendum ne aliquid eveniat sinistri? Hinc videmus sæpe cùm tertio aut quarto die oritur Pleuritis, augetur febris quæ essentialis dicitur, & partim essentialis fit, partim symptomatica, nam per sectionem venæ, Pleuritide remissiore facta, remissior quoque fit febris. *Epid. lib.* 1. *pag.* 77.

An S. M. in manu solvat Pleuritidem.

44. Verisimiléne est illud quod scribit Gal. sectionem arteriarum in manu dolorem lateris, & qui circum iecur erat, solvisse, quod per magnam revulsionem id factum fuerit? An venarum infra gibberum sectio in Pleuritide conferre potest? forte attractio ista longa, & sensim facta, exonerat faciliùs partem quàm cum è propinquiore parte affatim attrahitur; nam dum è propinqua parte ducitur sanguis & confertim, quia ex alijs locis attractio fit violenta, verendum est ne concursus iste sanguinis & spirituum, noceat, sed cùm veluti materiam conjunctam, dolorem, aut abscessui aliquid simile, foventem educimus, sensim revellendo, tutior & verisimilior videtur esse eductio: unde videmus suctas mammas mulierum à majoribus natu, facilè arescere ac inaniri, quod attractio violentior sit; sed puelli, etiam recens nati, dum minimo conatu, atque lambendo tantùm, eliciunt suguntque, aliquid consecutione quadam ex profundis venarum elicere videntur; sed cùm suctus attractióque est potentior, interciditur consecutio ipsa, & tanquam in chorea, amplexio ac contingentia. In filio D. Noël, quod commodè in gibbero vena feriri nequiret ad Pleuritin, secta est vena inter carpum & gibberum, & id valde profecisse putamus, cum ab eo tempore dolor quieverit, An idem factitare poterimus? *Epidem. lib.* 1. *pag.* 80. *Galenus* in diuturno lateris dolore, dum secuit arterias in manu, id tanquam miraculum memorat: At *Hippoc.* (quod mirum est) lib. 1. de morbis, in Pleuritide sine sputo, à calore aut siccitate, secat in manibus venas: credo illum dolorem lateris, cuius sedandi ergo *Galenus* arteriam secuit, à vapore fuisse & obstructione melancholica, cui certè prodest sectio in manibus. *Ibid. annotat.* 2.

Ad leipothymiam quando sanguis mittendus.

45. Hippocr. parte 74. lib. 4. Acut. In Pleuritide sanguinem ad leipothymiam mittit si dolor acutus fuerit; at acutiem morbi bilis facit, ergo præsente bile leipothymia sectione induci potest: Galenus non probat omnino illud Hippocratis, ait quidem plus sanguinis vacuari debere quod dolor sit acutus, sed quod liberiùs sinamus fluere, non ab acutie sumitur indicatio: sed, si vires valent, si ætas floruerit, sanguis abundarit, laborantis natura densior & minus perspirabilis, si consentit tempus anni. *Annot.* 3. *in Cons.* 96. *lib.* 1.

46. Fotus

46. Fotus & cataplasmata frequenter adhibita Thoraci obsunt *vide Articulum* 23. *Fotuum & Cataplasm noxa.*

47. An cùm animus linquere videtur à sectione venæ (quæ hic præsentius & unicum remedium) temperandum? nequaquam, imò ea sæpe repetita sanguis copiosè detrahendus; nec terreri oportet istis deliquijs; non sunt enim συγκοπτικά nec madoribus & τῇ ἱδρώσει, quæ sæpe adest ob cordis incendium: & Experientia, & Ratio & Iudicium Medicorum, si quando aliàs, hic maximè elucet: ***Epid. lib.*** **1.** ***pag.*** **23.** *Animi deliquium imminens, S. M. non impedit ubi necessaria.*

48. Damisellæ cujusdam latus dolentis historia commemorabilis est; nam cum pulsus languidissimus esset, & penè de feretro cogitaretur, ratione doloris præsentis, qui eam facilè prosternebat, missus audacter sanguis sanitatis author fuit: sic fortuitus ausus sæpe rationem prudenter initam superat, ***Epid. lib.*** **2.** ***pag.*** **204.** Quidam annos penè 78. natus, imbecillis Pulmonibus ac purulentis, crudeli satis Pleuritide detentus jacebat: inæqualis Pulsus & intermittens, quod nobis non mediocrem metum incussit, ista anomalia perseverabat: sępe medendi fiduciam quam habebamus per sectionem venæ repetitam, ut ferè fit, minuit ista intermissio: tamen ista, quam adduximus, opinione audacior erectiorque factus, venam ter quaterque secui, convaluit. Intermissio hæc ab ætate erat, juvante quoque duritie Pulsus, tum ratione inflammationis tum duritiei vasorum, sed Pulsus magnitudo animum addidit, &c. ***Cons.*** **59.** ***lib.*** **1.** *Etiam pulsu languido potest vena secari.*

49. Pleuritica prægnans doluit latus, febris continua erat, uterum ferebat jam octo menses cum dimidio: dubitabamus an partus accelerandus foret: alij è malleolo tundendam venam putabant, tamen ex brachio sanguinem detraximus, planè corruptus erat; Tandem pariendi occasio sese obtulit, vires erant infirmæ, dolores suos & tormina (ut politico verbo utar) devoraverat: dedimus decoctum folliculorum Sennæ, folia erant pauca quantitate, ut non tam alvum subduceremus quàm cùm leni alvi subductione tormina excitaremus: excitatis torminibus peperit feliciter; Mirum quod dolores pectoris in gravidis sunt valde terrifici, & non facilè sedantur nisi ferè uterus sese exoneret, Nam comprimuntur partes ventris &, veluti humores, sursum ad lactis cursum repunt, unde nisi aliò divertas vix dolor quiescit, vix autem divertunt aliò, nisi cum partus periculo. *Consilio* 20. *lib.* 2. *pag.* 235. *Pleuriticæ prægnanti, exacto mense 8. an partus accelerandus*

50. Vetulis & plerisque alijs latus dolentibus, qui sanguis detrahitur, in superficie refert albam pultem, Annon hoc à cruditate est? si cruditas, cur audacter hinc detrahendi sanguinis occasio sumitur? *Epidem libro.* 2. *pag.* 167. *Quibus in superficie albicat sanguis non iterandu S. M.*

51. Anno 1571. quæ vagatæ sunt Pleuritides, (vide supra Artic. 2.) *Pestilentem non juvat*

 meo

meo iudicio Pestilentiales erant; multi sub eadem specie morbi interibant, Nil omnino proficiebat venæ sectio: De Pleuritide Pestilenti, & an secanda in ea vena vide Manardum. Epist. 5. lib. 12. *Epid. lib* 1. *pag.* 24. *Annot.*

Duplex pleuritis sicca.

52. Nullos video apud Hippocratem legisse duplices esse Pleuritides, alias cum sputo, quæ & siccæ & humidæ dici possunt, siccæ initio, cùm nondum procedit sputum: Alias sine sputo, quales sæpe hyeme grassantur & quæ à calore fundente & colliquefaciente sunt: item quæ à ferino oriuntur, quæ omnium deterrimæ, cum sensim cuniculos agunt: In siccis Pleuritidibus omni ratione humectare convenit, tum ad retundendam humoris acrimoniam, tum ut tranquillior redditus cedat naturæ, nec ita per colliquationem pestilentem, hominem ἀθρόως offendat ac necet. *Consilio.* 111. *libri* 1. *pag.* 538.

Pleuritidis causa sanguinea excernitur pituitosa.

53. Quid illud est quod in Pleuritide, cum inflammatio sit, excernitur pituita quædam putris & ea solvit Pleuritidem? An non sanguis biliosus Pleuritidis author? Cur non aut pus aut sanguis excernitur si materia conjuncta est malo? An quia membrana inflammatur, ideo sanguis quodammodo pituitescit, ut in inflammationibus partium nervosarum accidit; fit enim excretio aut seri tenuis, aut mucosæ pituitosæque materiæ: Huc pertinet illud Hippocratis, in Coacis, Quidam anginosi cùm evaserint fiunt purulenti, si non sit expurgatio sursum-pituitosa, *Ann.* 5. *in consil.* 3. *lib.* 3.

Diæta qualis.

54. De Diæta in morbis Pectoris & Pulmonum vide multa libr. 2. Artic. 8. & *Cons.* 42. *lib.* 1.

Cibus non exhibendus urgente dolore.

55. Hippocr. parte 33. is Acut. *Si lateris dolor assiduus est, calidis fomentis non remittitur, sputum non procedit, sed citra coctionem glutinosum est, nisi dolorem vel alvi subductione vel secta vena solveris, si hic Ptisanam des, ægrum jugulas*: Et paulò antè *Si quis sorbitionem dederit non vacuata alvo, dolorem, si non adest, inferet: Si adest, augebit, maior difficultas spirandi orietur & Pulmonem exsiccat, &c.* Hoc satis indicat urgentibus doloribus vigentibusque, succurrendum esse præsidijs Artis, cùm illis symptomatis vires deterantur priusquam Ptisanam exhibeamus, præsertim Iulepum, id est, priusquam plenius cibemus: præmisso autem Clystere & secta vena, tum de cibando consuletur: Ex quibus manifestò patet, eam nunquam fuisse Hippocr. mentem ut velit, etiam in Pleuriticis, exactam admodum Diætam observari, præsertim initio morbi: cùm dubium esse non debeat in omnium morborum statu, cùm dolorum summa sunt omnia, tutiùs esse morbi depellendi provinciam naturæ committere, quàm adjectis cibis eandem ab instituto revocare: *Consilio* 42. *libr.* 1. *pag.* 180. & 184.

Pleuritis quædam sudorificis po-

56. Quidam Pleuriticus non tam allevatus fuit mutiplici phlebotomia quàm sudoris provocatione à Naturâ facta; & revera graviter ab

ab ijs peccatur qui nil expectantes, & Naturam fatigantes, ægros multò detracto sanguine exinaniunt. *Epid. lib.* 2. *pag.* 226. *tiùs cedit quàm V. S.*

57. Vt in Angina, conclamatis omnibus, in Gutture foris sectio fieri potest, fortassis idem & in Pleuritide factitari potest inter 5. & 6. costam; exigua enim puris evacuatio magna affert commoda mortalibus. *Epid. lib.* 2. *pag.* 249. *Apertio lateris aliquando conducit.*

58. Latomus côquestus est de dolore ad nothas costas, qua parte hepatis gibbum contingit, dicebat se ea parte vim aliquam passum esse, vt contingit illis Latomis dum graves lapides sublevant aut loco dimovent: nec tamen certus erat de læsionis & offensionis modo, hinc cacochymus factus est, & nobis ipsa cacochymia imposuit: duodecies purgatus senna: nunquam vidi medicamentum melius voto respondere: à secta vena quinquies allevatio aliqua, tamen designabat locum jam prædictum: Ego suadebam vt & apertio fieret; quod tumor foras promineret: aliis visum non est, tandem vi naturæ ruptus abscessus superiora petivit: Quinque pelves intra dies materia, purulenta implevit: fœtens erat humor: syncopæ graves, Tabefactus obiit. *Epid lib.*2.*p.*241. *Lateris dolorà vi externa, in abscessum desinens, hinc talem quia serius apertus.*

59. Nobilis viri *Perroti* morbus notandus, Dolor pectoris, rauca vox & summissa, non libera, difficultas spirandi, tussis nulla, febris aut nulla aut exigua: Repente intus foras tumor apparuit in osse sterni; Erysipelatodes quid, Audacter detractus sanguis, quod latentis phlogoseos (quæ inflammationem tandem in pectore peperisset) nobis erat suspicio, Convaluit. *Epidem.l.*2. *pag.*204. *Pectoris dolor cui successit Erysipelas S. m. curatus.*

Septalius.

60. Quamvis in pleuritide curandâ sectâ venâ, majori ex parte exspectanda sit coloris in sanguine mutatio ex Hippocratis & Galeni præcepto, 2. *acut.*10. modò æger ferre possit; sic enim & antecedentem inflammationis causam avertemus, & conjunctam amovebimus: id tamen perpetuò, aut in quâcumque pleuritide observandum non est: aliàs enim docuimus, servandum id esse, ubi vena, quæ secatur, proxima est loco affecto: propterea dolore descendente, & infimam thoracis partem occupante, talis non exspectatur mutatio; nam tales partes, ait Galenus, nutrimentum suum hauriunt à venâ sub corde; & cordis partes nimiùm inaniremus, antequàm sanguinem, inflammationem facientem, evacuaremus. *In pleuritide, dolore descendente, in sanguinis missione non est expectanda coloris mutatio.*

61. Quin nec semper quidem in pleuritide, partes supernas occupante, mitti eò usque sanguis debet, quò coloris in eo fiat mutatio: sæpe enim, dum coloris exspectamus mutationem, vitales vires concidunt; nec æger valebit ea è pectore evacuare, quæ aut resudant, aut disruptâ vomicâ, in pulmones defluxa collecta sunt. *Neque viribus debilibus.*

Neque impacto parti sanguine.

62. Et evenit etiam, ut, etiamsi vitales vires constant, non expectari possit ulla coloris in sanguine mutatio, si insederit loco firmiter sanguis, & in densiorem membranam insederit.

In pleuritide fotibus quando utēdum, & quibus.

63. Licet pleuritidis curationem primò tentandam docuerit Hipp. 2. *acut.* fomentis, ut, an iis curari morbus possit, tentemus & dolor mitescat; id tamen neque semper, neque in quâvis pleuritide, aut in quâlibet corporis constitutione, aut quovis fotu præstari potest; si enim jam morbus auctus est, aut vehemens est inflammatio, & dolor, æstúsve magnus, aut corpus multo sanguine repletum, non alio hujusmodi remedio uti licet, quàm aquâ tepente, ne major æstus, dolor, aut affluxus materiæ ad locum fiat.

In pleuriticis, dolore ascendente, fotus sint humidi.

64. At magnâ etiam in iis fotibus, qui ad demulcendum dolorem in usum veniunt, adhibendis cautione opus est: si enim ad supernas partes pertingat, & versus claviculam dolor, cùm & materia acrior, & maximè calida esse soleat, calidis, & humidis actu potiùs res erit transigenda: sin ad inferna vergat dolor, qui etiam non adeò pungens esse solet, quíque non levem flatuum copiam adjunctam habet, sicca etiam in usum duci poterunt, & sanè commodiùs; attenuant enim magis, exsiccant, & digerunt: ex humidis autem attenuatur quidem materia, sed crassiores flatus, ex simili materiâ excitati, , non ita commodè discuti solent.

Dolore descendente, sicci.

Sacculi foventes sint leves.

65. Sicci ii fotus, ut ex multiplici materiâ parari solent, ita ea magis præfertur, quæ levis sit; sic milium cæteris præfert Hippocrates, panicum, furfures, semina, & flores discutientes; salis autem etiam portio aliqua ob exsiccationem licet admisceri aliquando possit, minus tamen illius addendum, quàm soleat, tum ob gravitatem, tum ob acrimoniam.

Mitescente dolore, non statim desistendum à veris remediis.

66. Quod si ex fotu etiam dolor mitescat, non proinde tamen statim evictum esse morbum censendum erit, aut à generosis remediis cessandum, puta, missione sanguinis; sæpe enim ad primum fotûs blandimentum mitescit in phlegmone dolor, quòd pars tensa laxetur, sed reviviscit mox ardentiùs, novâ affluxâ materiâ: quare si & febris, & spirandi difficultas etiam perseverent, non erit cunctandum, sed affluens materia quamprimum erit revellenda.

Externis nō indistinctè utendum.

67. In hoc morbo maximè plerique, qui Medicinam profitentur, arcana remedia promunt externa, & interna: in externis nullum committi posse errorem omnes sibi persuadent; unguenta ex dialthæâ subtili, butyro veteri, & cumini pulvere parant; alii ex calce, & aliis cerata, & cataplasmata; alii ex pice, & rebus aliis quàmplurimis calefacientibus, cum ægrotantium detrimento: cavenda hæc maximè erunt, potissimùm in principio; calore enim fluxiones

xiones concitant, atque humores trahunt; alia verò præterea etiam laxant.

In pleuriticis reliquia absumenda.

68. Observandum præterea, quòd optimè annotavit Aretæus, si post devictum hunc morbum paululum etiam tussis supersit, & corporis adsit aliqua caliditas, quæ aliquando magis infestet, quamprimùm dandam esse operam, ut quæ reliqua est materia discutiatur, aut enim quæ relinquuntur recidivas faciunt, aut ad suppurationem convertuntur.

Pleuriticorum duo præstantissima remedia

69. Non sunt hoc loco prætereunda præstantissima duo remedia, quæ doloribus iis lateralibus adeò utilia esse cognovi, ut multos, qui jamjam suffocari videbantur, ab hujusmodi periculis exemerim. Primum est, si post missum sanguinem exhibuerimus tres uncias mellis ros. solutivi, & tantumdem butyri recentis; quòd si etiam progressus fuerit morbus, difficilè autem suppuretur, aut disruptâ vomicâ ægris periculum immineat suffocationis, maxime etiam conferet: In eundem vsum feliciter vtor quinque vnciis *olei amygdal. recent.* cum *manna* ℥j. In eundem vsum duco infra scriptum:

R. olei olivar. opt. & maturi ℥viij aqu. fontis ℔ij. coquantur simul sine operculo ad consumptionem totius aquæ,

Olei illius ℥vij. dentur; dolorem mitigat, suppurationem adjuvat, alvum blande mollit, ac non ignescit, aut in bilem vertitur.

In Peripneumonia & Pulmonum Affectibus.

Ballonius.

Peripneumonia sicca.

70. De Peripneumonia sicca *vide supra Articulo* 8.

Erysipelas pulmonis.

71. Puellus annos quatuor natus febre corripitur continua, sed quæ exasperationes haberet vesperi: catarrhus erat, tussis sicca, nec præ tenella ætate quicquam excernere poterat, tamen inanis semper erat tussis, & tenuis humor eludebat spiritum, vomitiones frequentes, alvus albicantia dejecit, deinde substitit, vrinæ tenues, crudæ, decolores pro vehementia febris, medicamentulo alvus sollicitata reddidit multa biliosa, tussis perseverabat; dolores ad sinistrum hypochondrium, sed vagi, nec eodem modo perseverantes, deinde lateris partem sinistram occupabant, alvus soluta est, viridia excreta, chylosa, sitis quæ expleri non poterat, magnus genarum rubor, ingens in Pulmonibus conceptum incendium conjectum est, hinc dolores ad sternum & latus sinistrum; Medici putabant vomitiones ab imbecillitate ventriculi oriri, ob frequentem dejectionem & multam rerum variarum putrium, viridantium: aliquando animus paulatim deficiebat: Movetur hic quæstio,

An

An in Inflammatio Pulmonis, sive ea sit phlegmonodes, sive erysipelatodes, habeat hæc sibi coniuncta, defectus animi, vomitiones, tussim siccam, alvi fluores, ac si per se primóque alvus inferior laboraret, fugacem genarum ruborem, inextinguibilem sitim, febrem non ita magnam omni tempore, sed ex intervallis ferocientem & prodentem sese: Cum ad puellum acciti essent tres celebres Medici, unus solum affectum Pulmonem intellexit, & quandam speciem Peripneumoniæ suspicatus est, unde sectionem venæ suasit, sed falsò subesse ulcus cogitavit, nesciens inanem hanc tussim Erysipelatis Pulmonis pathognomonicum esse: omnes ignorarunt vomitiones illas frequentes, dejectiones frequentes, ingentem admodum sitim, & opinione majoerm, in Inflammatione Pulmonis solere apparere: sed Hippocrates lib. 1. de morbis, istum Puelli morbum verè mihi expressisse videtur. *Erysipelas in Pulmone fit cùm Pulmo nimium fuerit resiccatus, quod contingit ab ardore, febribus, labore, intemperie, & cum superexsiccatus fuerit, plurimùm sanguinis ad se trahit; maximè ex venis magnis tenuissimum ac debilissimum trahit; Postquam traxit, febris ex ipso fit acuta, tussis sicca, repletio in Pectore, dolor acutus in anterioribus ac posterioribus partibus, maximè circa spinam, magnis venis calfactis, vomunt subcruentum, aliquando lividum, vomunt pituitam & bilem, animo linquuntur, ob sanguinis transmutationem derepente contingentem: atque hoc maximum signum est in Pulmone geniti Erysipelatis, & si assidua febris invasio perseveraverit, &c.* Nos autem observatione trium eo affectu laborantium, certò scimus febrem (licet sit occupatus Pulmo) non eodem perpetuo tenore affligere, nam quia Erysipelatosæ affectionis comes est, præsertim à tenui sero, fit ut flammeus sit calor, cujusmodi in palea accendi solet & evolare statim: si autem putris, solida firmáque esset materia, & pars quæ inflammatur solida, ut Hepar, perseveraret febris & calor eodem modo quo in candente ferro: Alvi fluor duabus de causis contingere potest, tum quia ventriculus ipse afficitur, & ut leipothymia eum prehendit per consensum Pulmonis, ratione ichoris à Pulmone resudentis, & ratione attractionis ab ingente calore Pulmonis, ut Hipp. annotavit; ita quoque debilitas aliqua in ventriculum cadere potest, à qua leientetiæ aliquid simile contingit: tum quod ichor à Pulmone refluens, ferire possit ventriculum & intestina; hinc alvi inferioris fibræ laxantur, hinc fluores: *Cons. 27. lib. 1. p. 67. 67. & 68.*

λειποψυχία non impedit S. M. in peripneumonia.

72. Peripneumonici sæpe imbecilli sunt, & delinquunt animo ob incendium & obsidionem partis Principis, & tamen non oportet esse valde timidos in secanda vena, imò audacter mittendus sanguis: Nobili mulieri, post horrores, acuta febris orta est cùm linguâ aspera, dolore lateris acuto, dyspnoea: secta ter vena, non quievit,

vit, deinde repente sedatus est, evanuit potiùs; quarto rubent insigniter genæ, delíria, mentis alienationes, frequentes surrectiones, jactationes, nullus lateris dolor, caput dolebat, febris duplò major, linguâ torrefacta apparebat & mucore plena; Peripneumonica facta est per translationem; alvus liquidis ducitur excrementis, vicesimo interjit; Debueramus illam pluribus venæ sectionibus exercere, præsertim cùm Peripneumoniæ adessent argumenta, Nam morbus iste maximè phlebotomiam postulat, *Epid. lib.* 1. *pag.* 20. *&* 21.

73. Si, ut volunt Medici, vera Peripneumonia oritur excusso tenui & bilioso sanguine è dextro cordis sinu in venam Arterialem, unde totum Pulmonis corpus occupatur, unde inflammatio, sectio venæ videtur potiùs celebranda ex interiore dextra: tamen Fernelius, ex sententia quorundam, in inflammatione Pulmonis secari vult internam cubiti sinistri, Ratio ejus hæc est, quoniam Pulmonum venæ ex dextro cordis sinu prodeunt, hic autem in sinistrum parietem venæ cavæ inseritur, qui per alam sinistram in cubitum excurrit, *Consil.* 27. *lib.* 1. *Secanda vena interna subito.*

74. Multis Pulmonicis levi de causâ dolores lateris excitantur, Pleuritidem mentientes; An his ad sedationem doloris frequens venæ sectio? minimè, cùm tantum aut flatus sit aut febris exigua: sic sectio non confert: nam si cùm dolor oriturcueris, lædes plurimum, nam latera tandem debilitantur, & hoc nocet: si inflammationis sit suspicio, id quidem agendum, & protinus ad anodyna concurrendum. *Epid. lib.* 1. *pag.* 18. *Pulmonicis non ilico vena secanda, si dolor lateris infestes.*

75. Litus ad Thoracem an Pulmonicis confert? videtur quod non, nec enim attingit corpus Pulmonis: primarius Medicus duas ob causas linit thoracem, vt τῇ διαφορήσει thorax evacuetur, diaphoresis autem in pellendis morbis primas tenet; si enim ægrotans calido est, acri & mordaci sanguine, litus iste est bonus: si cruditas est, valet ad mitificandum & aliqua ratione coquendum, tum vt pituita quæ præ calore & siccitate membranis adhærescit, difficultatem spirandi & dolorem inferens, faciliùs eluatur *Epid. lib.* 2. *pag.* 212. *Litus conferunt.*

76. Etsi quorundam opinione Balneum Pulmonicis non conferat, quod liquet & humores fundat, unde aut febris, aut inflammatio, tamen ad eos affectus Hipp. commendat. 3. Acut. *Peripneumoniæ, ait, magis quàm ardenti febri confert Balneum, nam lateris & pectoris mulcet dolorem, sputum educit, maturat &c.* Quidam nomine Peripneumoniæ communiter intelligi volunt omnem pectoris dolorem: nam Peripneumonia vera non habet conjunctum lateris dolorem, & tamen Hippocr. loquens de Peripneumonia, meminit lateris doloris, quem Balneum discutit *conf.* 115. *lib.* 3. *Peripneumonicis Balneum confert ex Hippocrate.*

Peripneumonicorum diata.

77. Quæ Diæta ad Pulmonum morbos quadret, vide librum 2. Artic. 5.

Anacatharsis quomodo promovẽda.

78. Ad craſſos & obſtruentes humores educendos valent quæ moderatè humida: ſi viſcoſi, non ſolùm opus humiditate ſed deterſione ex acidis: ſic melicratum ad craſſa, oxymeli ad viſcoſa conducit: deinde ptiſana & vinum dulce, ſi & Peripneumonia & Pleuritis cocta ſit nullâque adſit inflammatio: ſi ſitim facit, vinum non confert, impedit enim expectorationem; quæ autem iuvant, nec ſitim afferant, nec ſint diuretica; ideoque aquæ naturales pulmonicis nocivæ; *Conſil.* 89. *lib.* 3. *vide infra artic.* 81.

Vinum quibus concedendum.

79. Admirabilis morbus in Nobili quadam, collecta erat incredibilis copia humoris ferè purulenti in pulmonibus, &c. *vide hiſtor. lib.* 2. *artic.* 11.

Quibus Pulmones debiles, humiditas multa noxia.

80. Si ſiccum ſano eſt propinquius in vulneribus & vlceribus; ſi provocatio ſudorum tam prodeſt; ſi diæta & deſiccatio tantùm proficit, cur tam multi ſumus in vſu iuſculorum? vnde Gal. cap. vltim. 4. de loc. aff. in affectu pulmonum cum corruptione, vtitur omni deſiccatione, vtitur aromatis & mithridatio: At dices, corpus extenuatum eſt, quid tum? oportet enim putredinem còrrigere, vnde vulgus non ineptè dicit hunc aut illum, Pulmones habuiſſe putres, ob rerum liquidarum & potus copiam: præterea iuſculorum frequens vſus hydropem pulmonis accerſit, & vt ſicca impediunt expectoratum, ita frequenter vſurpata humida, ſputum diluunt & effœminant, ut minùs aptum reddatur excretioni. *Epid. lib.* 2. *pag.* 188. *conſil.* 78. *lib.* 1. *p.* 11. *conſil.* 6. 10. *p.* 206. *&* 37. *p.* 273 *lib* 2. *conſil.* 97. *lib.* 3. *p.* 246. *Hippocr.* 1. *de morbis.* ſputum ſemiput refactum, non abſolute coctum & mitificatum, ἡμισαπὲς vocat: Et excretionem hanc è pulmone ſemiputrefactam ἐκτεθηλυσμένην, effœminatam, divulſam, & nil compacti habentem: abominatur autem illud ſputum, vocatque μυσαχθέσαι τὸ σιαλὸν, quod aut malitiam & malignitatem ſputi denotat, & rei quæ extunditur: tale autem redditur ob continuum & nimium vſum rerum emollientium intus ſeu foris vſurpatarum. *Conſ.* 44. *l.* 3.

In febre eſſentiali ſæpe varia expectorantur, peripneumonia nulla aut Pleuritide præſente.

81. Error Medicorum qui cum ſputum aut cruentum, aut ſubcruentum, vident, putant eſſe, aut pleuritin aut peripneumoniam; Ex pulmone enim ſæpe fiunt pravæ excretiones, vt floridæ i. e. cruentæ, nigricantes, pallidæ, cum tamen nulla ſit inflammatio in thorace: locus eſt commemorabilis in hiſtoria de Pythione *lib.* 3. *Epid. p.* 4. *ſect.* 1. vbi docet 6. die varia Pythioni & cruenta ſputa apparuiſſe, cùm nec peripneumonicus nec Pleuriticus foret, nec à capite malum eſſet, ſed à defluxu tantùm materiæ, quæ non erat tanta,

tanta, vt inflammationem pareret; aut fortè in Pulmone congesta, sed quæ incendium non conceperat. *Annot.* 1. *in cons.* 178. *lib.* 1. *p.* 510. Hinc Hippocr. *aph.* 47. *lib.* 4. In febribus quæ non intermittunt, excreationes sanguinolentæ, liventes, graveolentes, biliosæ, omnes malæ sunt: Nomine τῆς ἀποχρέμψεως vsus, volens notare non tam esse materiam thoracis morbificam quæ excernitur, quàm excrementum aliarum partium quod in Pulmonem influxit, & ob moram aliquam alienum colorem accersivit: cùm autem significatur vera excretio è Pulmone, vtitur voce πτύελον: Sic cum inopinatò in febre essentiali talis mala apochrempsis apparet, non tam generatio est, quàm veteris excrementi collectio: Ideo dixit, in febribus non intermittentibus, vt declaret ratione præsentis cacochymiæ & vi caloris humores fundentis, & per modum attractionis ipsius Pulmonis à partibus inferis; aut per modum transumptionis & transsudationis, colligi in Pulmone materiam alienam, quæ aut tussi aut alio modo expectoratur. *Cons.* 108. *lib.* 1. *p.* 507. 509. *&* 510. *Pythion* duplici affectione laborabat, febre essentiali, & thoracis affectione: Sic duplex crisis fuit, una thoracicæ affectionis per sputa varia & sanguinolenta, cum tamen nec esset pleuritis nec peripneumonia, nec dolor lateris: Alioquin historiam Hippocr. vt febris continuæ & essentialis non enarrasset: Et idem ipsum est ac quod scripsit, *Excretiones in febribus &c.* Altera crisis fuit ipsius febris per sudores, & apostasin & stranguriam: Porro materia in primo intercostali erat conclusa, propterea non deterius habuit æger licet primo die nihil expectoraverit; non vrgebat enim malum: aliter vero fit in vera pleuritide & peripneumonia: augetur enim respirationis vsus, majorque difficultas ducendi & educendi spiritus: quod non contingit occupato primo mesopleurio. *Hippocr.* 8. *lib.* 2.

82. Inter morbos qui occurunt, Pulmonum affectus cognitu sunt difficiles; nec enim signa vnivoca sunt, sed maxima ex parte æquivoca *Cons.* 27. *libr.* 1. *pag.* 69. *Pulmonum affectus cognitu difficiles*

83. Notari debet, tum ex recentioribus tum veteribus, aliquid Erysipelatodes in pulmonibus concipi bifariam, aut cum tussi aut sine tussi, saltem quæ magnam afferat molestiam: (nam subest tantula) si cum tussi, destillatio est ferina, diluens calorem, vnde febris non ita ferox apparet: illi incauti moriuntur; nil extundunt commemorabile, à capite præsertim manat causa fovens morbum: Si sine tussi, à venis magnis & parvis resugitur sanguis, qui in pulmonem illabens & incurrens, potius attractus, foveat incendium: Et illud est quod volunt Medici memorandum, veram Peripneumoniam oriri excusso tenui & bilioso sanguine è dextro cordis sinu in venam arterialem. *Consilio* 27. *lib.* 1. *pag.* 68. Cùm destillatio est, tussis sicca, febris non ita ad manum mordax, *Peripneumonia causa alias à cerebro alias à venis*

rubor genarum, dolor sterni, (quod notandum) virium dejectio, sitis ingens; perceptio summa caloris in pectore, non est dubinum quin inflammatus Pulmo sit. *Ibidem. Pars* quælibet laborat ab humore vel tanquam nutrimento, vel tanquam excremento; Si pulmo laboret ab humore tanquam excremento, à pituitoso humore laborat : Si tanquam nutrimento, à bilioso, nutritur enim humore bilioso. *Ibid. annot.* 2.

Pulmonum phlogosis. 84. Quibus phlogosis est in Pulmonibus, facies ejus affectionis fere index est, sæpe tota est velut subalbida, & iis quos *Hippocr.* 2. *acut.* ἑψηθέας vocat, Latine excoctos dices, non dissimilis, Galli vocant *vn visage de cuir bouilli.* Et hæc facies aliquando turgidula est, & familiaris iis qui sunt aut suppurati, aut quibus pituita putri scatent Pulmones : Sed & genarum rubor alius est fugax, & quibusdam ignes sacri crebro in faciem involant : Ex doctrina autem Hippocr. & maculas, & πόμφοι, & ignes sacros iis oriri quibus Pulmonum corpus intemperie laborat, didicimus: Eos qui eo sunt temperamento pinguescere sanitatis terminus est; Nocentissima inedia, Non ita tamen accuratos oportet esse in phlogosi Pulmonum vt in hepatis phlogosi, hepar enim est officin a sanguinis *Cons.* 3. *l.* 3.

Hydropis Pulmonis signa. 85. Vidua N. Hydrope Pulmonis laborabat, quo interijt: difficultatem spirandi per annos triginta habuerat, de oppressione stomachi querebatur, sed id tantum per consensum fiebat : omnes membranæ putruerant, cor aqua natabat, nec facilè movebatur; E Cavitate Thoracis aquæ putrentis libræ sex educuntur: In latus dextrum facilè declinabat, in sinistrum non poterat citra syncopen, aruerant Pulmones, Pulsus magnus, elatus tardus, intercalarem habens in Pulsatione una atque altera Pulsationem : sævis cum doloribus & magna oppressione interijt. *Epid. lib.* 1. *pag.* 17.

Nimia sanguinis missio in morbis Thoracis noxia. 86. Pulmo copiosiori alimento eget quàm partes cæteræ, his de causis; prima est motus perpetuus, secunda caliditatis copia : caliditas autem & propter cordis viciniam,& propter motus assiduitatem & constantiam; adde & nativam vernaculamque caliditatem, cùm & spirituosa sit pars & rara : Ergo perperam faciunt qui in morbis thoracicis multùm sanguinis detrahunt, quia fraudant alimento. *Conf.* 42. *lib.* 1. *pag.* 175. & 196.

Liberaliter sanguis detrahendus quibus thorax malè conformatus. 81. *Galen. lib. de sangu. miss.* adversus Erasistrat. audacter iis sanguinem mitti iubet quibus pars aliqua malè conformata : maxime verò ait, si Thorax : Ergo multò magis iis detrahendus quibus corpus Pulmonis calidius est, amplius, plenius. *Consilio* 2. *lib.* 3. *pag.* 17. mirum quomodo gibbosus æger à f bre continua & dolore lateris evaserit : sexies detractus sanguis, incredibilis ex-

cretio

cretio materiei & pituitæ putris ; hinc patet quod audacter sanguinem detrahere confert. *Epidem. lib. 2. pag. 233.*

88. Veteres interdicunt frequentiori vsu remollientium & pinguium, ne pulmo mollior fiat, &, si qua putredo, ne augeatur, præsertim si sputum sit putre ac purulentum. *Consil. 44. lib. 3. pag.* 140. *Vide ars. ic. 43. lib. 7.* *Litus emollientes nimii Pectori noxii.*

In Empyemate

Ballonius.

89. Servus D. N. ex curru decidit, læsus est in thorace, præsertim dextra in parte, Dolores remediis non cesserunt? Cogitabant de sectione inter 5 & 6 costam, Diversæ sunt sententiæ, Tandem vicit pars minor, & periclitandi occasionem captant ex desperatis pene rebus; applicatum cauterium, fluxit per dies plus minus xx aut xxv materia saniosa fere ad pintas xv, vt retulerunt Chirurgi, convaluit, *Epid. lib. 2. pag.* 240. Cum summus *Hippocr.* passim hoc remedium vsurpet. περὶ ἐμπύων, nunquid satius est aliquo remedio cruento & ancipiti certam mortem (si aliter facias, & id remedii genus omittas) redimere ? humanum est, & officii plenum, aliqua ratione miserorum ægrorum dolores levare, atque id magis si cum aliqua salutis spe. *Conf. 6. l. 2. p.* 205. *Paracentesis tentanda in desperatis.*

Septalius.

90. Cum suppurati ex disruptâ vomicâ vix aliâ viâ rectè expurgentur, quàm per tussim screatu, non multum spei in evacuandâ eâ materiâ per alvum reponere debet Medicus, quòd ope Medici hoc vix fieri possit ; præstat id quandoque natura , quæ nobis incompertas vias invenit,& ad salutem ægri struit ; audacis tamen potiùs est officium,cùm non per alias vias excerni per alvum possit,quàm per cor, & jecur sibi transitum materiâ parante, quod periculi plenum negotium semper censui ; syncopen enim , dum per cor transit, inducere poterit : cùm verò etiam hepar attinget, & intestina, & dysenteriam mordaci vi concitabit, & sanguificatrice hepatis facultate læsâ , hydropem faciet. Salubriter id quandoque à naturâ tentatum scimus, id Aretæus testatur : & nos in purulento ex pleuritide , jamjam ex suffocatione moribundo, vidimus in magno hoc Valetudinario, qui cùm phlegmone laboraret , & propemodum strangularetur, sudores jam frigidi adessent, livescerent omnia ex- *In empyemate non potest materia à Medico per alvum expurgari.*

Empyici, à naturâ curati, exemplum. trema, potissimùm facies, subito alvi fluore superveniente, maximâ saniei copiâ effusâ, brevi tempore convaluit: rarò igitur cùm id faciat natura, cùm eadem nobis incognitas vias sibi struat, cùm præterea non sit per loca convenientia, omnino non erit imitanda à Medico; potissimùm quia, si leviori purgante utemur, noxii nihil evacuabimus, sin validiori, vires imbecilles reddemus, in quibus solis salutis spes posita est, ut & ferendo morbo sint idoneæ; & materia per tussim screatu expelli satis possit.

Suppuratis diuretica convenire possunt, & cur. 91. Per urinam, licet quæ in thorace & pulmonibus continetur materia, difficillimè, & minùs tutò educi possit; promoventibus tamen lotium tutò uti possumus, ut saltem materia, quæ in vomicâ adhuc continetur, & quæ denuò colligitur, per vesicam excerni possit: quòd sciamus venam azygos interdum inseri ramulis arteriæ aortæ, interdum cavæ venæ, bifurcatæ ad renes, interdum venæ adipali, vel emulgentibus, & propterea frequentior etiam & per vesicam ejusmodi materiæ evacuatio, & proinde etiam imitanda, cùm etiam sit per vias convenientes.

Empyici quando urendi, aut secandi. 92. In ustione, & sectione faciendâ in empyicis hæc sit cautio, ne à ruptione vomicæ statim fiat, sed cum Hipp. *in Coacis prædictionibus* differenda erit in decimumquintum diem, ut & materia coctione ulteriori mitescat magis, quin ab effusione extra locum, ubi maturuerat, iterum alteretur, & ulteriori coctione melior reddatur; post quem diem, si inustio facienda, omnino maturandum. Placet enim Oribas. 9. *Synopseos, cap.* 3. celeriter evacuandam esse, neque multùm cunctandum, ne vires collabascant; in quo casu omnino à tali actione abstinendum est, ne in illud incommodum incidamus, in quod cum certo mortis periculo incurrunt, qui in ascite ad sectionem nunquam veniunt, nisi cæteris remediis omnibus primum in usum ductis, & jam viribus exhaustis, & morte præ foribus stante.

Suppuratis vomitus periculosus. 93. In Suppuratis Vomitus plenus est periculi, si enim eodem tempore vehemens tussis, & exscreandi necessitas superveniat, simulque evomantur impetu multo ex ventriculo crassiora, vix evitari potest suffocatio; conspirante ad suffocationem & œsophago, & arteria aspera; tum præterea quod constrictis musculis abdominis in vomitu, puris copia multa in pectore repleto coarctata, magis in regione venosæ arteriæ compulsa: sæpe cor ita suffocat, vt statim mors subsequatur.

Suppuratis vomitus quomodo provocãdus. 94. Proderit tamen inanem vomitum etiam digito provocare, non tamen promovere; sic enim a rectis abdominis musculis ab infernis partibus compresso diaphragmate, materia paratior facilius propelletur.

In

In Difficili Reſpiratione.

Ballonius.

95. Sæpe difficultates reſpirandi adſunt, aut propter *nervorum* a ſpinali medulla ortorum affectionem, Aut propter *affectum renalem*, aut *Hepar tumens*, aut *Hypochondriacam affectionem*, Et temere inſcienterque multi recurrunt ad Pulmones & Thoracem, putantque affectionis cauſam illic latere: falluntur autem plurimum, & ſæpe deterius eſſe putant quam ſit. *Conſ.* 113. *l.* 1. *Hiſt.* 1. *lib.* 2. *conſil. p.* 48. Mulier difficultate ſpirandi ſumma laborabat, ſpiritus frequens & parvus ad mortem vſque, In ſicco veluti ſpirare videbatur; nec tuſſis, nec ſputum, ſpiritum ne ad momentum cohibere poterat: erecto paulum corpore ita frequens & parvum ſpirabat; febris non erat magna, nec quæ iſtam reſpirationem requireret: Medici accuſabant Pulmonem, alij catarrhum eſſe putabant, alij inflammationem aut phlogoſin Pulmonis: quod non erat credibile, cum febris non eſſet, ſaltem commemorabilis: nec phlebotomia nec alvi ſubductio juvit; Cum febre lenta laboraviſſet, & bene cœnata fuiſſet, cœpit brevi ſpirare & frequenter, iſta reſpiratio manſit donec exſpiraret: retulimus ad ventrem inferiorem malum, non ad Pulmonem, alij contra: Aperto cadavere, repertus eſt Ren dexter purulentus, unde credibile a vapore maligno hanc orthopnoeam ſiccam inductam fuiſſe: incredibile enim qualia ſymptomata afferat aura venenata à Pure traducta &c. Porro eam affectionem dubitabamus an vocare jure poſſimus Orthopnœam ſiccam an Sanguiſugum: Orthopnœam ſiccam, quoniam videbatur aliquid habere affine ei affectui quem Hippocrates *parte* 21. *lib.* 4. *acut. vocat orthopnœam ſiccam*: Galen. in comm. vocari putat orthopnœam ſiccam eam dyſpnœam quæ ſine ſputo, vel eductione per Tuſſim; uſque eò vehemens eſt, ut inclinari citra ſuffocationem, qui ita affectus eſt, non poſſit: hæc autem ſpirituum interceptione fit: meminit autem inflammatorum hypochondriorum, quod affectio hypochondriorum eam affectionem inducere poſſit. Vel Sanguiſugum vocabimus, Gordonium imitati, quod difficultas eſt anhelitus cùm aliquis non poteſt expellere aërem pro tanto, quia Pectus & cannæ non poſſunt conſtringi ſufficienter, ibi retinentur fumoſæ ſuperfluitates: *Epidem. lib.* 2. *pag.* 197.

Dyſpnœa cauſa non ſemper in Pectore.

96. Chirurgus affirmavit ſe ſecuiſſe cadaver pueri difficili ſpiratione

Dyſpnœa ab obſtructione aſpera Arteria.

tione & morbo incognito ſublati : Inventa eſt pituita lenta, contumax quæ inſtar membranæ cujuſdam aſperæ arteriæ erat obtenta ut non eſſet liber exitus & introitus ſpiritui externo, ſic ſuffocatio repentina. *Epid. lib.* 2. *pag.* 201.

Frequenti & valida Purgatione ſanata. 97. Quædam orthopnoica erat, magna copia pituitæ putris in Pulmone, Purgatione & ventris inferioris & multa anacatharſi melius habuit : in difficultate ſpirandi non eſt formidanda etiam frequens & magna Purgatio. *Epid. lib.* 2. *pag.* 217.

Rerũ humidarum uſus confert. 99. In orthopnoea & difficultate ſpirandi, præſertim ab obſtructione, non videtur abſtinendum eſſe ab uſu juſculorum & rerum liquidarum, etſi Galen. ult. de loc. affect. in affectu Pulmonum cum corruptione, utitur omni deſiccatione : ſed hic ſicca impediunt expectoratum, quæ aliàs frequenter uſurpata ſputum diluunt & effœminant, ut minùs aptum reddatur excretioni. *Epid. l.* 2. *p.* 188. *annot.* 7.

Aquæ minerales noxiæ. 101. Aquæ naturales Pulmonicis nocivæ, quod ſint diureticæ & expectorationem impediant, Et acria omnia interdicuntur à *Galeno* in Dyſpnoea; fundunt enim ſanguinem & liquanti, & educta tenuriori portione craſſius reddunt quod relinquitur : 6. *Epid.* ſ. 4 de filia *Ageſii* aſthmatica locus præclarus eſt, quo interdicit acribus : at *Galenus* l. c. dum acria damnat, id temperamenti adhibet, vt pauca quantitate acria addantur liquidis; vt vtrorumque vſu valetudini ægre reſpirantium conſulatur. *Conſ.* 89. *l.* 3. *p.* 232. *Lib de calculo. p.* 80.

Dyſpnœa catarrho nõ ſemper imputanda. 100. Mercator quidam variis curis implicitus, ac metu mortis perculſus, cœpit macreſcere admodum : habitus erat macilentus ſqualidus, hypochondria collapſa, deſtillatio in pulmones & difficultas anhelitus : cuidam empirico ſe concrediderat, qui accurata diæta catarrhum ſiſtere contendebat, ſed fruſtra id & imperitè: Lutetiæ conſuluit medicos vt præſenti malo occurrerent : Uiſus eſt tandem queri de difficili anhelitu, cuius authorem catarrhum accuſabant; Oculi erant mobiles, modò fixi, Galli vocant *égarés,* quaſi eſſet attonitus, quod propter affluentem animalem ſpiritum fit affatim, deinde propter eum reſiſtentem : E nare ſiniſtra ſtillabat humor putris, ſeroſus, qui ſi reſtitaret in cerebro, aut vertiginem, aut epilepſiam accerſeret : Sed vt accuratè inveſtigata eſt totius mali cauſa, ac præſertim de difficili reſpiratione, de qua ſolum querebatur, laborabamus, invenimus tandem eum melancholia hypochondriaca laborare, & in viſceribus quaſi hectica quædam affectio deprehenſa eſt : Difficilis reſpirationis cauſa longius repetita eſt, eáque ſiccitati marcorique viſcerum, ac cordis præſertim, accepta relata eſt : nam in iſta hypochondriaca affectione

ctione siccitas est totius corporis per alimenti proprii corruptionem, siccum est cor, calidum tamen calore acri, febrili & squallido: vnde cum cor flabellationem (vt sic dicam) eventilationem que summe efflagitat præ siccitate, dum sufficientem motum duplicem non habet ad refrigerationem eius caloris febrilis, statim repetito motu illud compensat ac resarcit: hinc fit vt dum paulo magis corpus agitatum est, quasi animal ipsum ἄπνουν remaneat, & veluti suffocatum: Sic causa difficilis respirationis & anhelitus potius ad siccitatem cordis, incendio junctam, referenda est quam ad catarrhum: Non quin pulmones ipsi laborent, vt & cæterum corpus: Itaque in eo omnino versandum est vt quacunque ratione fieri possit corpori prima moles restituatur, tollaturque tum alimentis tum medicamentis squalor & marcor totius corporis: Corpus renutriendum optimis alimentis, vtendum hordeatis sæpe ac jusculis: pulmones humectandi, balneis vtendum &c. *Consil. 9. lib. 1.*

Dyspnœa a sero nitroso nervos thoracicos imbuente.

101. Tonsori Caroli successori destillatio à sero nitroso omnes nervorum propagines quæ à cervicis vertebris, & principio vertebrarum dorsi oriuntur, imbuente cum doloribus summis, quos circum dorsum & præsertim homoplatas sentiebat, vt nec liberè spirare, nec moveri posset: Id erat à diffusione nitrosi seri, efferi & pepasmi expertis, qui dum imbueret 4am. 5. & 6. nervorum conjugationes à vertebris colli nascentium, difficultatem spirandi summam afferebat, ob diaphragmatis consensum, sine propria illius affectione: Et revera eo tempore quo iste laboravit, vulgò grassabantur istæ malignæ fluxiones in homoplatas & partes posticas thoracis: Ægro nostro omni ratione occurrimus fotibus & cataplasmatis; Tandem erumpente sudore die indice, plane dolores isti conquieverunt, effluente isto sero quod villos & stamina nervorum ita obliverat impleveratque: atque dicto citius facilitas ducendi spiritum est restituta. *Cons. 113. l. 1. pag. 548.* Quidam a destillatione ferina & diffusione humoris, non a capite tantum, sed reliquis partibus ita vndecunque est oppressus vt thoracem dilatare non posset, Externum erat malum &c. *Vide historiam integram supra lib. v. cap. de Catarrho.*

Dyspnœa causa sæpe est in ventre inferiore.

102. Si quid est præter naturam contentum in ventre inferiore, maximè circa ventriculi os, illud ratione continuitatis difficultatem respirationis afferre potest: vt etiam pondus & oppressio ventriculi homines ἐγγαστριμύθους reddere potest, id est quasi ex ventre loquentes, quia libertas sermonis ob oppressionem erepta est: Quod Polemarchi, vxori contigit l. 5. Epidem. *Circa cor* (ait) *aliquid colligi videbatur, respirabat more submersorum, ex pectore substrepebat, veluti qui clauso ore loquuntur, ἐγγαστριμύθους vocant*: Et qui spirant Ilia ducendo, aut propriam in pulmonibus latere affectionem in-

 dicant,

dicant, aut in ventre inferiore vt mulieres dum hystericæ fiunt antequàm omnino ἄπνοι fiant, spiritum ex ilibus ducere videntur, diaphragmatis, quòd liberæ respirationis instrumentum est, oppressione. (*histor. 1. lib. 2. consil. pag. 50.*)

Respirationis læsio vitio partium Thoracicarum, sæpe traducitur ad partes imi ventris.

103. Propter difficilem respirationem, causa ipsa thoracem non egrediente, sæpe dolor oboritur in partibus ventris, aut in ventriculo ipso, Et tunc malè Medici partibus dolentibus manum applicant &c. *Consiliorum lib. 2. histor. 1. pag. 48. vide artic. 20.*

** Dyspnœa ab occulto diaphragmatis vitio*

104. * Quendam equus in præcordiorum regione calcitraverat, in septo transverso semper mansit imbecillitas : dum respirationem inchoabat, omnes thoracis musculos movere cogebatur, etiam sanus effectus : Et athleta secundus (c.4.lib.4.loc.aff.) cùm in septo transverso imbecillitatem nonnullam perciperet, omnes una respiratione thoracis musculos movebat : patet hinc sæpè occultam dyspnoeæ causam ex abdita aliqua diaphragmatis imbecillitate nasci : Præsertim vitium æstimare oportet dum quietē agimus, nam tum sola diaphragmâtis motio respirationi sufficit : quod si tunc omnes thoracis partes moventur, aliquid contra naturam subesse suspicandum est. *Paradigmate 67.*

Respiratio læsa cordis vitio.

105. Quidam difficulter spirabat, anhelosus erat, macruerat, omnes accusabant pulmones, Aperto cadavere nil commemorabile in pulmone repertum est; cor (quod admirabile est) majusculi capitis magnitudinem adæquabat : adeo increverat, vt omnis sanguinis & spiritus eò facta sit συῤῥοὴ & συνδεσμὴ. *Epidem. & Ephemer. libr. ij. pag.145.*

Septalius.

In asthmate attenuantia, & impensè calida mala.

106. Cùm majori ex parte difficultates eæ respirationis à crassâ & viscidâ materiâ, in spiritualibus partibus contentâ, producantur, sæpe etiam non leves errores à Medicis committi soleant, dum illam præparantes ad evacuationem attenuantibus valentioribus ûtuntur, & impensè calidis : exhaustâ enim sæpenumerò parte tenuiori, crassescunt nimiùm reliquiæ, & morbum reddunt incurabilem.

Asthmaticis sicca fugienda.

107. Quin, quod quandoque ex nimiâ arefactione pulmonum fit, coarctatis, & quasi in globum ductis pulmonum alis, magna diligentia adhibenda erit, ne, dum attenuare, abstergere, & incidere materiam, quæ ut plurimùm anhelationem producere solet, tentamus, siccitate in parte adauctâ, ægrum in mortem præcipitem agamus.

Asthmaticis diuretica mala.

108. Urinam promoventia tutò in hoc morbi genere in usum duci non possunt, potissimùm si valida fuerint; sæpe enim evacuatis tenuibus partibus, quæ supersunt crassiores redditæ, difficiliorem reddunt curationem.

109. Quam-

109. Quamvis quæ in thorace continetur materia, vix medicamento purgante evacuari possit; quoniam tamen majori ex parte aliunde potissimum à capite, affluit, & suffocationem auget, optimum erit, medicamentis antecedentem illam materiam, ubi præparata fuerit, evacuare. At id in magno paroxysmo præstare, periculi plenum est negotium, ne aut superveniente vomitu æger suffocetur, aut dejectis viribus vitalibus, animalis, quæ per tussim excernit, succumbat. *Asthmaticis purgantia quomodo in usum ducenda.*

110. A vomitoriis, potissimùm in vehementi suffocatione, abstinendum erit, quidquid dicat Rhasis; imminet enim periculum suffocationis absolutæ: mirum enim in modum nisus ille pectus affligit, metúsque adest ne materia in œsophagum adducta, asperam arteriam opprimat. *Asthmaticis vomitus malus.*

111. Ius Galli veteris ex agarico, senâ, cnico, adiantho, marrubio, hyssopo, passulis, seminibus discutientibus, quod passim paratur, & à Mauritanis primò in hoc morbo, & colicis doloribus adeò commendatur, quódque ab antiquis, & recentibus Pragmaticis passim usurpatur, quod experientiæ non correspondeat, & rationi adversetur, tanquam noxium rejiciendum est; cùm enim sæpiùs in magnâ hac urbe à doctissimis Medicis in usum ductum cernerem, potissimùm ex descriptione Benedicti Faventini *in Empiricâ*; cùm & ego aliquoties irrito successu in hujusmodi morbis exhibuissem, cur frustraremur nostro fine, indagare cœpi; atque ob multas rationes obesse sæpius, prodesse vix unquam mihi persuasi. Ex longâ enim ebullitione nitrosæ illæ partes, quibus maximè prodesse jus illud galli veteris crediderunt, tanquam terrestres subsident, atque in percolatione rejiciuntur; viscidæ autem, glutinosæ, crassæ, tum & perpingues, ex cute, pedibus, alarum extremis, musculosis denique, & nervosis partibus promanantes, maximè remanent. Unde non solùm non adjuvabit materiæ ex pectore excretionem, sed crassiore, & viscidiore materiâ, & antecedente, & conjunctâ redditâ, contumaciorem, magísque rebellem ad exscreandum reddet. Quòd si non juris substantiam, sed quæ illi incoquuntur, consideremus, ne sic quidem in hujusmodi morbo cum multâ pituitæ copiâ conveniet: quæ enim pro solvendâ alvo induntur, agaricus, sena, semina carthami, omninò, cùm paucissimam admittant ebullitionem, vim omnem solvendi amittunt, ex longâ ebullitione igneis partibus dissolutis; quæ verò attenuantia etiam adduntur, ut capillus Veneris, & alia, cùm in superficie vires suas sortita sint, ex eâdem illas amittunt; alia verò, ut origanum, botrys, farfara ex longâ ebullitione putrilaginosa redduntur, atque omnino exsolvuntur. *Asthmaticis jus galli veteris malum, & cur.*

112. Sudorifera in hoc morbi genere, qualia sunt decocta Guajaci, Chinæ, Sarzæ pariliæ, Sassafras, ut concedi possunt in asthmate ad absumendam materiam antecedentem, quin & conjunctam; ita ma- *Sudorem moventia in asthmaticis quo-*

modo & quando conveniãt, & quando non.

ximè cavendum eſt, ne, ingruente magnâ ſuffocatione, in uſum veniant: ſuffocantur enim magis ægri, & auctâ neceſſitate ſpirandi, quandoque magna ſequuntur pericula, & venarum in pulmonibus diſruptiones, quin & mors ipſa.

Aſthmaticis ſudorifera in uſũ non veniãt ſine dulcibus.

111. Cùm tamen exſiccanti facultate inſigni polleant hæc, nunquam in uſum venire debent, niſi admixtis iis, quæ dulcore & aſperæ arteriæ poſſint abblandiri, & humores, in pectore & pulmonibus contentos, ad excretionem magis paratos reddere.

In paroxyſmo purgans non eſt propinandum.

114. In paroxyſmo ne medicamento purgante utantur Medici, ne irruens materia, attracta vi medicamenti, non ad ventriculum, ſed ad locum imbecilliorem, & ſolitum, ſubitò ægrum interimat ſuffocando.

† In aſthmate blandiendum ægro in paroxyſmo.

115. † Sic quoque eodem tempore non eſt ſiccandum, ne ſuffocetur æger; blandiendum enim potiùs eo tempore, teſte Galeno, quàm curandum.

** In paroxyſmo aſthmatico ne clyſteribus quidem utendum.*

* 116 Quin ne clyſteribus quidem tunc locus eſt: neque enim proſtratis injici poteſt citra ſuffocationis periculum.

§ Nec vomitu utendum.

117. §. Vomitus etiam, ut diximus, eo tempore evitandus; neque enim materia, in ſpiritualibus contenta, evacuabitur, ſed quæ in ventriculo, quæ cùm per œſophagum vi expellitur, ita arteriam aſperam comprimit, ut ſuffocet.

** Non ſupinus jaceat æger.*

118. * Eodem tempore ſupinus vitetur decubitus; nam, ut ait Aretæus, ſtrangulationis periculum affert.

119. Non fricandum pectus.

119. Fricatio etiam pectoris eodem tempore omnino fugienda.

120. Nec fovendum.

120. Quin ne fouendum quidem pectus ſpongiis cum laxantibus: calor enim ille ſæpe, flatibus excitatis, & ſymptoma auget, & quandoque ſuffocat.

121. In aſthmate ſæpe mutanda medicamenta.

121. Quamvis in omnibus fere morbis illud *Hippocratis* veriſſimum ſit non eſſe mutanda bene inſtituta remedia, ſtante eo quod ab initio viſum eſt: In hoc tamen communi omnium ſcribentium opinione, quamvis ad eundem ſcopum ſpectantibus eadem ſervanda ſit intentio, varianda tamen erunt remedia.

In Hæmoptyſi.

Ballonius.

Hæmoptyſis à jecore & liene illaſis pulmonibus.

122. Iuveni annorum viginti magna ſanguinis per os rejectio, valde Pulmonibus metuitur: omni arte Pulmonibus ſtudetur: forte fortuna dum hypochondria manu blandè continguntur, Pulſus percipitur ac veluti παλμός τις, nec non ab hypochondrijs decurren-

tis sanguinis, ac partes superiores affectantis, cursus percipiebatur, ac si manu sanguis duceretur; Prout partes superiores petebat, horror quidam excitabatur, at tum confertim rejiciebatur è Pulmonibus: talis rejectio erat hæmorrhagiæ loco, quæ juvenibus erat familiaris: relictis tum præsidijs quæ Pulmoni dicabantur & studebant, conversum est ad hypochondria studium, expurgata innumera colluvie, prærepta est ei rejectioni sanguinis occasio, Quod notandum valde est. *Epid. lib.* 1.*pag.* 62.

123. Cùm è Pulmone sanguis rejicitur, ille omni arte reprimi debet & solet, an hoc verum? Si febris adest, constat, & est extra controversiam, omnem non debere sisti, nisi cùm sufficienter & imminutus & aliò revulsus fuerit necessaria venæ sectione, hoc Galeno videtur comment. in Aphorism. quod inflammationis magna sit suspicio; an tum malum est è Pulmone sanguinem educi? Quidam nomine N. satis declaravit sæpe innocuè è Pulmone sanguinem rejici, nam videmus eum sæpe febribus detentum, cum quibus aliàs cruentum expuit, aliàs sanguinem è Pulmone spumantem expectoravit: sed hoc putamus ob mollitiem Pulmonis fieri, ut id esset illi instar evacuationis solennis aut per nares aut per hæmorrhagiam: Quod cum sit, & suspicio inflammationis non est, & quæ adest febris, non ob vitium in Pulmone oboritur, sed propter corruptos in mesenterio humores, tum minùs formidandus est ille impetus sanguinis per os: nisi enim magna vasorum Pulmonum esset mollities, impetum sanguinis non facilè sustinens, ad nares sanguis viam facilè affectaret: vidimus qui minùs sæpe minore quantitate sanguinem è Pulmone rejectarent, quos proximè Tabes sit consequuta; Quanquam magno opus est judicio, vt distinguas an excretio illa sanguinis sit formidanda, an non, cùm parui non referat scire quomodo se ea in re gerere oporteat. *Epid. lib.* 1. *pag.* 38. *Non semper formidanda*

124. Perperam Medici faciunt, qui ubi primùm aliquem Hęmoptoicum vident, illum frequenti venæ sectione fatigant, sic enim Pulmoni & lateribus infirmitas conciliatur: itaque distinctione opus est, nam si eductio sanguinis, aut propter tenuitatem illius, aut venæ arteriosæ gracilitatem contingit, hic parciores in secanda vena esse oportet: sin omnibus ritè comparatis, ob sanguinis pravitatem id fiat, liberaliores esse fas est, alioqui graviter in commoda ægrorum peccatur: nam cùm nutritio Pulmonis, & aliarum, partium, sententia Galeni, non tam per oscilla venarum, quam per earum tunicas fiat, natura Arteriosam venam machinata est artificiosè, ne vasis raritas & Pulmonis validior attractio efficeret ut statim sanguis, qui est Pulmonis nutrimentum, absumeretur, & sic *Non semper venæ secãda*

causa esset marcoris ipsius Pulmonis, affectumque illum induceret, quem Hippocr. in libris de morbis Tabem siccam vocat, quemadmodum & Pulmonem Siccum: Sic vasis arteriosi crassities facit ut restagnet, resideatque sanguis, & tardius in nutritionem Pulmonis facessat: Itaque si qua venę Arteriosæ tenuitas à natura est data, & ab ipsa conformatione, ut ijs contingit quibus natura venæ sunt angustæ & instar tenuium staminum, ij facilè sanguinem è Pulmone educunt, sed id periculo caret, cum tribuendum hoc sit tenuitati ipsius vasis: sed si vas ipsum ritè conformatum, si crassiusculum & pluribus villis intextum, & tamen eductio fit sputi cruenti sæpe, hoc cacochymiæ acrimoniæque humorum adscribendum. *Cons.* 78. *lib.* 1. *p.* 409. Tantum ergo abest ut illi iuventur sectione venæ, ut contra illis eò Pulmones debiliores reddantur, & sanguine tanquam fræno, in ejus generis hominibus, detracto, bilis protervit ferocitąque magis, ut placuit Arabibus: Si objicias Galen. in ardentissimis febribus misisse sanguinem, in quibus uberrimæ bilis impetus apparet, respondent eum non parca manu, ad evacuationem tantum nonnullæ materiæ & refrigerationem nonnullam, sed ad animi usque deliquium misisse, ut refrigerationis ratio omnino habeatur; quod notandum, nam qui in biliosa febre parcè detrahit sanguinem, is furentem magis bilem reddit; at si liberaliter, non est dubium quin sequatur magna refrigeratio & bilis temperatio: atque cum in biliosis hominibus cruentum expectorantibus, ob sanguinis tenuitatem sanguis mittitur, parca manu mittitur; unde patet eos offendi non leviter: at, dices, juvantur tamen? quid tum si id temporis juventur? sæpe enim sectio venæ, & calfactio, & dolorum per narcotica sedatio uno tempore tentatur, & fit cùm occultè lædatur æger, & læsionis argumenta nonnisi longo tempore apparent: unde videmus eos quibus pro re aliqua nata sanguis mittitur, ad obeunda munia ineptos, Pulmones habere imbecillos: juvabantur quidem olim illis remediis, sed pleniorem fidem faciunt quæ sequuntur: prætęrea in pravam consuetudinem corpus adducitur; Itaque quibus ea hæmoptysis contingit, consuli deberet potiùs humorum temperatio, cum ijs potiùs sit metuendum ab ariditate Pulmonum quam ab ulcere &c. *Cons.* 42. *lib.* 1. *p.* 193. Ergo perperam faciunt qui in morbis Thoracicis multum sanguinis detrahunt, quia fraudant alimento, *Annot.* 1. *in id consil. p.* 196. In ijs quibus spirituosus sanguis, fatiscit Pulmo, arescit & adhæret costis, ut experientia docet; An quia aliquando cruentum spuunt sanguis est mittendus? error fœdissimus. *Annot.* 4.

Purgatio validior aliquando confert.

125. Censemus semel aliquando repurgandum satis valido medicamento, ut Diaphœnico aut electuario Diacarth. (ad elidendam vim scammonii) in jusculo dissoluto: E ne mirum sit cur probetur

tur aliquando validior Purgatio, cùm in morbis Thoracis ab omnibus recentioribus lenientia probentur, dicimus id fieri propter humorum acrimoniam & cacochymiam, quam non superabit leniens & eccoproticum medicamentum: Quod facimus consilio Gal. quem Fracast. sequutus est, *cap.* 15. *lib.* 5. *meth.* ubi disputat de curatione hæmoptoicorum per diabrosin & capitis vitium *Consil.* 7. *lib* 1. *p.* 411. Hippocr. conformiter ad istam opinionem lib. de internis affect. in descensu putris à capite pituitæ violenter purgat. *Annot.* 5. *in id consil. p.* 412. *Consil.* 97. *lib.* 3.

126. Hippocr. 7. Aphor. 37. Qui sanguinem evomunt, si sine febre salutare, si cum febre, malum: curandum refrigerantibus & adstringentibus: hoc consulit sumpta indicatione ab ipsa excretione: An tutò ista adstringentia præscribuntur? nequaquam, nisi cum multa cautione, nam nisi usu rerum mellitarum, aut oxycrati dilutissimi, purgaveris Pulmones eo sanguine qui moram in ijs trahere posset, metus est ne corrumpatur & ita Phthoën accersat; imò non bonum omnino sedare Tussiculam, quia per eam Pulmones expurgantur: in his plurimùm errant Medici. *Epid. lib.* 1. *pag.* 45. *Adstringentia quando ex usu.*

126. Syrupus ex stercore Asinino in omni rejectione sanguinis confert: Lavatur primum in aq. rosacea, in eadem incoquitur cum sacch. rosat. & fit syrupus *Consil.* 22. *lib.* 1. *Syrupi ex stercore asinino usus.*

128. In Hæmoptysi est ubi pleniùs cibandum est, est ubi parcius: Si copia sanguinis est, parciùs: si acrimonia, temperationis ergo, plenius, nam fames & inedia bilem in nares conciunt: *Consil.* 97. *lib.* 3. *p.* 246. Ijs qui destillationibus sunt obnoxij & in metu Tabis, consilium est Hippocr. ut incrassentur impinguenturque, ita enim fiet ut cum hæmoptoici fiant, benignitate frequentioris alimenti, sanguis biliosus contemperetur: quod diligenter annotandum est, nam in excretione sanguinis per os plerique Medicorum exactam Diætam præscribunt. *Annot.* 4. *in Consil.* 10. *lib.* 2. *p.* 217. *Consil. ult. lib.* 2. *Diæta aliquando plenior esse debet.*

129. Sputum sanguinis est de apicibus artis, Plinius cap. 38. lib. 11. Est epistola de hæmoptoico apud Plin. lib. 5. Epist. 19. Ante annos aliquot, ait, dum intentè instanterque pronuntiat, sanguinem rejecit, atque ob hoc in Ægyptum missus à me: post longam peregrinationem confirmatus rediit nuper: deinde dum per continuos dies nimis imperat voci, veteris infirmitatis tussicula admonitus, rursus sanguinem reddidit; qua ex causa destinavi eum mittere in prædia tua quæ Foro Iulii possides; audivi enim te sæpe referentem esse ibi & aëra salubrem, & lac hujusmodi curationibus accommodatissimum. *Annot.* 2. *consil.* 18. *lib.* 3. *Hæmoptysis aëris mutatione supprimitur.*

130 Est

Gargarismi adstringentes utiles.

130. Est & vbi inhibitio in faucibus fieri debet, gargareonem & pharyngem, & laryngem gargarismis corroborando, id quod pauci animadverterunt, tamen id genus remedii inprimis ex usu futurum est: R. plantag. berberor. portulac. ana. m. j. semin. papav. a. ℥ij. f. decoctio in aqua hordei, In colat. dissolve diamor. ℥j. aq. rosar. & succi granat. a. ℥ß. f. Gargar. ad lib. j. colluat os sæpe. *Cons. 97. l. 3.*

Septalius.

In sputo sanguinis qua vena secanda.

131. Cum in sanguinis per tussim rejectatione soleant Medici statim optimo consilio ad missionem sanguinis per sectam venam, in brachio potissimùm dextro, ex jecorariâ recurrere, animadvertendum sæpenumerò id in mulieribus evenire ex suppressis menstruis purgamentis, aut aliâ cessante evacuatione, quæ per hæmorrhoïdas; & in eo casu, si sanguinem ex brachii venis extrahemus, pessimè nostro ægrotanti erit consultum; potiùs enim fluxioni addemus occasionem, ad superiora ratione vacui sanguinem attrahentes: præstabit igitur, secta venâ in talo, ad inferna retrahere sanguinem, mox repetitis vicibus ex brachio etiam conveniet eundem corrivare.

Sanguinis in sputo ex retentis mensibus qua vena secanda.

Sectâ venâ in talo in sputo sãguinis, affatim esse sanguinem detrahendum.

132. Sed ut in reliquis occasionibus in hoc morbo, dum ex uenis brachii sanguinem evacuantes repetitis uicibus, & in non multa quantitate id præstamus; ita dum ex talo sanguinem ob eas causas detrahimus, copiosè, & affatim id præstabimus, ut vera fiat revulsio.

Sanguinem rejectantibus cucurbitula parti affixa quando convenit.

133. Conantur aliqui in sanguinis per os rejectione cucurbitulis aut illum ad loca, unde effluit, revocare, aut in iisdem retinere, felici interdum successu, aliquando cum ægrorum calamitate; proptereà distinctione opus est: nam si ab externâ aliquâ causâ in his partibus vas fuerit disruptum, indéque per os sanguis rejectetur, si cucurbitulâ fluxum retinebimus, phlegmonem in parte sine dubio concitabimus. Quòd si non roso, aut disrupto vase, sed recluso id fiat, tutò cucurbitulæ tunc admoveri parti poterunt.

Glutinantia in sanguinis sputo quando conveniant.

134. Cavendum maximè ne, quod plerique faciunt, à rejecto sanguine per disruptam venam glutinantibus statim utamur; ut enim hoc aliquando confert, si effusus à venâ sanguis in pulmones aut thoracem per tussim sit totus evacuatus: ita si illius portio adhuc conclusa, & fluitans remaneat circa pulmones, tantum abest ut glutinantia juvare possint, ut potiùs ægrum præcipitem ducant in mortem: viscidiorem enim reddunt sanguinem, & crassiorem, sicque ineptum magis reddunt ad excretionem; unde suffocationes,

focationes, anhelitûs interceptiones, febres vehementiſſimæ, inflammationes partis laborantis, & ſubinde mors. Grumi igitur priùs erunt incidendi, & excernendi, & tunc glutinantium uſus erit ineundus.

135. Quod de glutinantibus dictum eſt, ad exſiccantia & adſtringentia omnino etiam erit deducendum. Videas enim pleroſque ſtatim ac in ſpuentem ſanguinem incidunt, non etiam bene perſpecto vero loco laborante, an thorax, & pulmones illum per ſe evomant, an à capite ad ſpiritalia loca ſanguis feratur, neque grumi adhuc adhæreant, & an ſanguis adhuc ibi fluitet; adſtringentia, & quidem valentiora injungere, & etiam lambendo propinare, unde lethales ſuffocationes oboriuntur.

In ſputo ſãguinis adſtringentia quando utilia, & quando non.

136. Præſente febre vehemente, in adſtringentibus, & agglutinantibus temperati eſſe debemus; potiſſimùm ſi aut ab inflammatione, aut etiam independens ſit: non minus enim ex eâ imminet periculum quàm ex ſanguinis eruptione.

Adſtringentia ſuſpecta in ſputo ſanguinis cum febre.

137. Ubi ab eroſione vaſis, vel etiam apertione ex acriori ſanguine ac bile referto, ſanguinis fiat rejectatio, purgandus ab initio ſtatim erit bilioſus ille humor, ne, dum attemperare illum priùs tentaverimus, copiâ ſuâ, & acerrimâ qualitate perfectum producat ſymptoma; neque enim putrefactus eſt, ut coctione indigeat, & cùm tenuis ſit, medicamentorum attractioni facillimè cedit.

In ſputo ſanguinis ex acri humore ſtatim purgandum

138. Medicamenta tamen non ſint valentiora, quòd, ea calida cùm ſint, acrimoniam in humoribus adaugeant, & validâ motione potiùs fluxionem concitent: hinc quæ ſcammonium continent, fugienda erunt, non ſolùm ob eam cauſam, ſed etiam quòd venas aperiant.

In ſputo ſãguinis valida medicamenta fugienda.

139. Quâ etiam ratione & aloë, & ex eâ parata medicamenta in uſum duci non poterunt, & quòd venarum ora aperiant, & acriora ſint, quàm par ſit.

Aloë ſãguinẽ rejectantibus mala.

140. Quinimò Rhabarbarum aliquando in hoc ſymptomate noxium eſſe ſolet; cùm enim igneis ſuis partibus altiùs ſeſe inſinuet, & ſanguini miſceatur, quod vel ex lotio impenſè flavo ab ejus aſſumptione perſpicuè colligitur, ubi fortè non pro ratione bilis educatur, acutior & calidior ſanguis redditus morbum magis acuet, & deteriorem reddet.

Rhabarbarũ in ſputo ſanguinis ſuſpectum.

141. In ſputo ſanguinis ex vaſis, aut pulmonum eroſione, illud maximè animadvertendum, an plus ſanguinis exſpuatur, an puris: ſi enim plurimum ſanguinis, adſtringentibus maximè res erit agenda: ſin verò multum puris, & parùm ſanguinis excernatur, potenter ſiccantibus erit utendum citra multam adſtrictionem, alioqui pus perdit pulmones; ſic Gal. 5. *Meth. 6.* ſolis trochiſcis Andronis, Po-

In ſputo ſanguinis quando valenter ſiccantibus utendum.

lyïdæ, vel ex chartâ combuſtâ utebatur. Unde & cùm pus merum excernitur, ſolis ſimilibus trochiſcis utemur.

Aceti ſolius uſus in ſputo ſanguinis ſuſpectus

142. Non placet eorum ſententia, qui, Themiſonis & Theſſali ſententiam ſequentes, in rupto, vel aperto vaſe ſincerum acetum ad ſorbendum & lambendum concedunt, ut aut adſtringant, aut grumoſum ſanguinem incidant; certiſſima enim utentibus illo ſincero imminet pernicies; partes etiam certiſſimè exaſperat, ac, ubi per aſperam arteriam tranſit, tuſſim excitat unde novum fluorem promovet: dulcorandum igitur erit aut melle, aut ſaccharo, atque ſic in uſum ducendum.

In ſputo ſanguinis topica ſæpiùs mutanda

143. In topicis adhibendis placet Tralliani conſilium, ut emplaſtra frequenter mutentur, ne incaleſcant; id enim, inquit, ſanguinem eò vocat, propterea irrigationes potiùs placent.

Actu frigidiſſima eſſe non debent quæ thoraci applicãtur.

144. Frigidiſſima tamen actu hæc eſſe non debent: præterquàm enim quòd talia omnia pectori inimica eſſe cenſuit doctiſſimus Senex, ſi externæ etiam partes rubræ & calentes fuerint, ſanguinem ad interna propellendo fluorem concitabunt.

Siccantia valenter in ſputo ſanguinis emplaſticis admiſcenda.

145. Quamvis quæ valenter adſtringunt, & exſiccant, urgente morbo, maximè commendentur; cautè tamen etiam hac in re agendum eſt, & incraſſantia erunt admiſcenda, ut amylum, far, & lac: quòd immoderatus ſiccantium uſus tuſſim excitet contumacem, ſed inanem; unde aut nova fluxio ſanguinis promovetur, aut venæ magis lacerantur.

In Phthiſi.

Ballonius.

Non omnis ab affluxu à capite.

246. Galenus ad partem 17. ſect. 1. lib. 1. Epid. Tabem advenire ait ob diſtillationes à capite, aut ob vitium ipſius Pulmonis, aut affecto Pulmone, non ob diſtillationem à Capite, ſed ob affluxum ab alijs partibus: vnde videre licet quàm malè vulgus credat ſemper caput accuſandum eſſe ut authorem deſtillationum & affluxus ad Pulmonem; attamen Galenus contra putat ſæpe affluere humores ad corpus Pulmonis aliunde quàm à capite. *Conſ.* 2. *lib.* 3. *p.* 13. Deſtillationibus obnoxij ſunt, & Pulmonum morbis, imò & Tabi, & præſertim quæ à Pulmone eſt, illi qui calidiore ſunt temperamento, qui ſanguinem calidiorem fervidioremque, ſive naturâ ſive vitæ inſtituto habent: & tamen, quia tale hominum genus

genus os pituitâ saliváque plenum habet: putat se frigidius & caput & cerebrum & Pulmones habere; contra fit, ut experientia deprehenditur: est enim quidam qualitate acri praeditus calor, qui liquat, fundit, & διάχυσιν καὶ ἔκτηξιν facit, & in hoc multi falsa opinione catarrhi labuntur & decipiuntur. *Ibidem.*

147. Phthisici an purgandi? praeclara est decisio de ea re apud *Arculanum* cap. de Phthisi, Contradictio est, ait, inter Avic. & Mesuen ex vna parte, & Rhasin ex altera: Primi praecipiunt solutiva, Rhasis omnino prohibet. Ratio hujus fuit, quod ratione hecticae vitanda sunt solutiva: ratione vlceris, vt vlcus non conveniunt: Ratio Avic. & Mes. quod solutiva conveniant vt auferatur causa tam factiva quam conservativa, sicut catarrhus. In catarrho enim solutiva conveniunt: Item humores maligni superfluentes, in quanto aut in quali, vt vlceris pulmonis consolidationem, sicut & consolidationem aliorum vlcerum: ergo cum oporteat eam auferri, solutiva pro ipsorum evacuatione erunt opportuna, sicut & quotidie facimus in curatione aliorum vlcerum: Et confirmatur, cùm propter praesentiam humoris maligni vlcera ista fiant corrosiva: Rhasis autem vult solutiva non convenire in curatione phthisis, ut phthisis est, scil. cum est facta & independens: quod etiam primi non negassent, sed ratione causae, non ratione phthisis conceduntur solutiva. *Cons.* 114. *lib.* 1. *An purgandum.*

148. Gal. lib. de Sang. missione adversus Erasistr. audacter ijs sanguinem mitti jubet quibus pars aliqua malè conformata; maximè verò, ait, si Thorax: à majori valet argumentum, ergo multò magis ijs detrahendus quibus corpus Pulmonis calidius est, amplius, plenius; vitium enim Thoracis aliquando est ab infirmiore natura, ut alatis contingit. *Consilio* 2. *libri* 3. *Ad Tabem vergentibus utilis vena sectio.*

149. An quibus tabi & seri pútris collectio in Pulmone, consulendum siccantibus, detergentibus, & adversus Pulmonum & mollitudinem & putredinem pugnantibus, An humectantibus? illa putredinem arcent, robur Pulmoni conciliant: haec putredinem pariunt: revera temperanda haec sunt, ne humectatione nimia sputum effoeminetur, ut loquitur Hipp. & putredo augeatur, néve siccatione os siccius reddatur & sputum non educatur; veteres in simili casu utebantur Hedychroo, id est, compositione quadam ad Pulmones corroborandos, & nunc sunt qui concinnant tabellas cum flore sulphuris ad siccandum, eo modo quo olim hedychroon laudabatur. *Conf.* 69. *lib.* 3. *Aliquando siccantia aliquando humectantia valent.*

150. Quidam somnifera Tabescentibus, maximè si Tussiculosi sint, praescribunt, quod magna cum cautione faciendum: Galenus enim 1. de alim. facult. cap. de sem. papav. notat semen pa- *Somnifera cautè praescribenda.*

paveris supprimere ea quæ à Thorace & Pulmone educuntur, valere autem in tenui & acri fluxione. *Consil. 69. lib. 3.*

Syrupus eximius in metu Tabis a catarrho. 151. Cùm perenniter illabitur catarrhus à materiâ effetâ qui Tabem tandem afferat, sequens syrupus miraculosè dicitur prodesse, &c. *Vide lib. prac. artic. 121.*

Balneum quando confert. 152. Est ubi Balneum conferre potest, est ubi non: Hippocr. & Galen. in affectionibus Pulmonum laudant balneum; at dicet quis, Si inflammatio in Pulmone est, oberit: Si copia humorum, liquando & fundendo, suffocationis periculum afferet? revera Hippocrates vult cocto morbo Balneum conferre peripneumonicis & pleuriticis; Deinde verò etiam confert iis quibus nares siccæ, id est, quæ nihil reddunt, cerebro nimium resiccato; confert & iis quibus æstuant præcordia: *Cons. 2. lib. 3, p. 18.* Notandum quod ante cibum alias dotes habeat quàm post; Nam ante cibum extenuat corpus, macrumque reddit: post cibum pinguefacit. *Annot. 7. in id. cons.*

Tabidorum Diata. 153 Hæc in victu rata firmaque sunto, somno diuturno abstinebis, ac præcipuè meridiano; frugalis cœna esto; jurulenta parca erunt, jentaculum soló pane constabit, potus nullus esto. Vini vsus non confert, cùm multis abstinentia vini sanitatem reddiderit: quoniam tamen abstinere omnino difficile est, metuendumque sit ne circumcisus vini vsus stomacho imbecillitatem pariat, aqua primò haustu in pastu sumetur, vt viscera superiore abstinentia paulum resiccata, rapto ad sese primo haustu, humescant nec incalescant, In aqua incoquentur myxaria, dactyli, pruna: (*consil. 2. lib. 1.*)

Diata difficulter instituitur iuvenibus tabescentibus si thorax malè conformatus. 154. Hic sese contrariæ offerunt indicationes; Si vt facilior sit respiratio, & pulmo non ita augescat, vel ob pleniorem ventriculum ipsum diaphragma opprimentem, non strangulетur vrgeaturque, ipsius pueri genius defraudetur, dum de demenso ciboque detrahetur, prohibebitur corpus incremento; pueri enim non facilè ieiunium ferunt, ii maximè qui inter eos sunt vegetiores: Et etiam si plenius alatur, plus sanguinis generabitur, & occasio erit maior ipsi pulmoni sui implendi, & oppressionis occasio maior erit, tum ex multitudine sanguinis, tum ex ventriculi tumore: ventriculus enim ingesto alimento, vt pars membranea, facilè dilatatur, & assiduitate capiendi multi alimenti, dilatatur magis: vnde sive plenus, sive vacuus, amplificari solitus, ipsi diaphragmati, respirationis libero instrumento, oneri est; diaphragma pressum thoracem angustum reddit parte interiore, hinc pulmo angustia thoracis corde æstuante, maius refrigerium requirit & attrahit sanguinem, cùm non sufficiat inspiratio expirationi, imò & cor dilatatur, id quod in multis observatum est: cor enim calidius effectum, aut oppressum, multi aëris indigens vehementer movetur, & infernè nequiens aërem attrahere,

trahere, sanguinem validè attrahit, sanguis vi attractus, & copiosior quàm par sit, imò quodammodo cumulatus & conculcatus, opprimit & vasa distendit: hanc affectionem veteris medendi magistri barbaro, sed apposito nomine, Sanguisugum vocaverunt, partes enim hirudinum modo alliciunt & attrahunt: deinde cor vehementius & celerius movetur majoris refrigerii ergo & pene animans suffocari videtur, & veluti καρδιωγμοὶ adsunt, at tracto multo sanguine & corde perspiratum non habente (*Consilio* ij. *lib.* 3. *pag.* 7.)

155. Visum est è re fore si loco lactis asinini, hyeme præsertim, quo tempore butyrosum lac non suppetit ob herbarum penuriam, aut negligentiam eorum qui non ad auxilium, sed ad quæstum asinas alunt, præscribatur jusculum consumptum ferè è pullo & carne vitulina, cum passulis, hordeo ritè loto, cichorio, lactuca, seride, acetosa, & pugillus hyssopi sub finem in eo jure madescat: nil aliud in ientaculo dabitur: Quod si magno usu ejusmodi jusculorum fibræ alvi laxentur, aut albicans dejectio appareat, temperandum erit; firmata deinde alvo redeundum. *Ibidem*.

Iusculum medicatum supplet vicem lactis asinini, ubi è re non est uel non sufficis.

156. Notandum quod in tabescentibus à pulmone (idem etiam de reliquis) consumpta valent, modò non sit febris putrida juncta: iis de causis quas alibi attulimus, supplent enim vicem testudinum memoralium. *Consil.* 69 *lib.* 3.

Iuscula consummata aliquando noxia.

157. Ad Tabidos & Pulmonicos dari debent ea quæ calorem Tabificum temperant & lentum succum habent, ut resistant calori depascenti qui consumit corpus; carnes enim, ait Hippocr. magis liquescunt à malis, quàm nutriantur ab assumptis: unde notandum unum apud Plinium, cùm loquitur de succis arborum, Vivaciores sunt, ait, Plantæ quibus succus lentior est (Idem judicium de corporibus) & ille humor radicalis lentus, halituosus, glutinosus. *Conf.* 69. *lib.* 3. *p.* 183. In metu Tabis consilium est Hippocr. ut incrassentur, impinguentúrque. *Annot.* 4. *in Conf.* 10. *lib.* 2.

Caloris excessus in iis temperandus.

158. Lac asininum Tabidis conferre dicitur: sed hanc cautionem adhibere necessum est, nam si magna subsit putredo, aut febris adsit, impunè dari non potest: aut enim acorem aut nidorem contracturum est, hinc detrimentum corpori afferetur. Cum vult Hippocr. ne febrientibus lac offeratur, nec Tabidis valdè febrientibus, nec capite dolentibus, de lacte in genere loquitur, in cujus genere magna est latitudo: ideo lac quodvis usurpare non confert, sed ad id deveniendum quod commendat Galenus, quod nimirum contrariis substantiis & facultatibus constat, subducendi scilicet ac sistendi, obstruendi ac tenuandi: optimum autem lac asininum eas facultates habere dicendum: nec terreri initio debet si obsit, non prosit; nam perseverandum experientia docet; fit enim ut assiduitate tandem lac

Lac asininum quando exhibendum.

ſuâ bonitate temperet ac refrænet cacoëthiam & pravitatem humorum in corpore turgentium. *Conſ.50.lib.1.*

De uſu lactis in phthiſicis & vergentibus ad Tabem.

159. Quærebatur num Lac aſininum ex uſu foret puellæ cui congenita ad Tabem propenſio: quoniam calor acer quodammodo eſt, æruginoſa expectorat, quæ moram in pulmonis ſubſtantia trahentia, erodunt, ideo lac ex uſu foret: nam vt ſeri exuberantia ſuperat, ita pinguedine cæteris cedit; & mel aut ſaccharum admiſcendum, ut ſeri acrimonia retundatur, quod in ventriculum vacuum ingeſtum, facilè fundum refrigeraret: Sed obiicies, minima alteratione opus habet? imo Galen.cap.6.lib.6. de placitis, videtur velle lac alterationem in ventriculo non habere: Item cùm laudemus lac aſinæ quod facilè tranſeat, mel aut ſaccharum iſtum tranſeundi facilitatem impediet, utrumque enim admiſtum,lac ipſum incraſſat: Tamen vt lac ipſum ſua ſeroſitate fundum ventriculi non lædat, nec facile irritando, diarrhœam aliquam afferat, ſaccharum admiſcemus, faciet enim vt moram in ventriculo aliquam trahat, & ita coquatur, deinde coctum à naturâ diſtribuatur, concretionem etiam eius in ventriculo impediet. *Conſ.87.libr.1.pag.429.*

Vinum noxium.

160. Vini uſus in metu Tabis non confert, cum multis abſtinentia vini ſanitatem reddiderit: quoniam tamen abſtinere omnino difficile eſt; metuendúmque eſt ne circumciſus vini vſus ſtomacho imbecillitatem pariat, aqua primo hauſtu in paſtu ſumetur, ut viſcera reſiccata, rapto ad ſeſe primo hauſtu, humeſcant nec incaleſcant, In aqua incoquentur myxaria, dactyli, pruna. *Conſil.2. lib.1.*

Phthiſeos à fluxione retrorſum facta curatio.

161. *Cùm in medullam fluxio contigerit, Tabes occulta oritur, Cùm autem retro ad vertebras & in carnes fluxerit, fit hydrops, ſiccæ ſunt partes anteriores, caput videlicet & nares, oculis hebetudo accedit, fiunt cum virore pallidi & reliquum corpus*: Hippocr. lib.de loc. Id notandum valde, in pleriſque in quibus iſtæ fluxiones fiunt, videris oculos cavos,genas contractas alias pendulas, & nitorem viriditatemque oculorum deeſſe: *Qui hac affectus eſt*, addit, *caput ei purgabitur debili pharmaco*, & paulo ante, *cum retro in carnem iuxta vertebras fluxus illapſus hydropem fecerit ſic medeberis, Caro in collo inter venas cruſtis vratur, cicatrices quam tenuiſſimæ inducantur & quam pituitoſiſſimis vtatur.* Quod eſt intelligendum, quoniam abhorret in omni ſpecie hydropis (ſi tympanitem exceperis) uti pituitoſa & humida diæta: Sed nomine Hydropis intelligit quandam ſpeciem Hydropis Dorſalis à ferina deſtillatione à capite manante per poſticas partes; quæ diſtillatio dum calori & humori nativo bellum indicit, & tacitam, latentem, furtivamque depaſtionem & conſumptionem partium ſolidarum & ſpermaticarum, quæ plurimæ ſunt in metaphreno, unde ab his horrores inicpiunt facile, inducit: & dum inducit, naturalis humoris

humoris inopia marcorem quendam, adventitium tumorem infert per excrementi cumulum & veri nutrimenti corruptionem: sic pituitosos cibos consulit ad ἀνάληψιν istarum partium, quia partim tument tumore adventitio, siccantur paupertate humidi nativi corrupti: Carnem autem in collo circum venas vrit, vt fiant emissaria per quæ educatur serum nitrosum quod perreptando corpus totum, & sese sensim insinuando, dolores intolerabiles facit, imo & maciem toti corpori conciliat. *Cons.* 114. *lib.* 1.

162. Tabis nomen non ita turbare debet: reperio enim apud Hippocr. eis tabem quandam esse familiarem quibus Pulmones calidiores sunt: at talem tabem, præsertim si ejus cura statim habeatur, annuam sed curabilem statuit Hippocr. nec enim ab vlcere est, nec à venenata aura. *Cons.* 10. *lib.* 2. *Non omnis lethalis*

Septalius.

163. Cum inter omnia præsidia, quę in phthisi in usum veniunt, lac primum sibi locum vendicet, ut multa de specie lactis, de quantitate, de tempore, de modo, ac mixtione, optimè à Gal. 5. & 7. *Meth. med.* proposita, & recentioribus plerisque recipienda, & commendanda judico: ita illud, quod ab omnibus ferè recentioribus additur, nusquam tamen à Galeno traditum; non recipio, ut à lacte assumpto non dormiant ægri: cùm enim per quinque horas ante cibum velint exhibendum esse ægris lac, si somnus inhibeatur, & præstantissimo auxilio tabidi destituentur, somno nempe matutino, potissimùm cùm exsiccati sæpe noctes insomnes ducere soleant, aut ob tussim molestam somnus impediatur: si etiam eo tempore à somno arceamus, & siccitatem augebimus, & vires vitales imminuemus; per somnum autem & vires instaurabimus, & corpus siccatum humectabimus, & coctionem lactis in ventriculo accelerabimus. Neque enim valet ratio Mercurialis, quòd somno majores fiant evaporationes; quòd in tabe, sive hecticâ febre, sive catarrho, & pulmonis ulcere blanda illa evaporatio lactis maximè ad somnum, majori ex parte deperditum, conferat; in verâ autem phthisi cum distillatione acri, & sanguinosâ. & ulcere pulmonis temperata hæc evaporatio utilis erit, ac acriorum exhalationum calorem temperabit, plúsque utilitatis somnus ille conferet tussim cohibendo, quàm damni evaporando: maximè cùm tussis concussione lactis concoctio impediatur. *In phthisi à lacte assumpto dormiendum.*

164. Cum phthisi consumptis, si alvi fluor supervenerit, lethale fit, maximâ cautione utendum est, si in iis alvus non dejiciat, in usu subducentium; blandè enim omnino agendum, neque cassiam, prunorum *In phthisi blandè alvus molienda.*

norum dulcium decoctum, mannam, mel violatum, aut ad summum mel rosatum solutivum transcendere debemus.

In Tussi.

Ballonius.

Non semper oritur ab humore a capite defluente.

165. Errant qui in omni Tussi, & metu Tabis, ad Caput recurrunt, tanquam auctorem primarium; saepe enim id tantum contingit secundario: *Hippocrates* primus hoc animadvertit. 1. *de m.m.* dum docet quomodo caput Pulmoni consentiat in attractione; nam Pulmo calfactus attrahit, & caput facile calefit, vnde utraque pars conspirat in perniciem aegri. *Cons.* 78. *lib.* 1. *p.* 410. Sed sequitur aut distillationem à capite, aut collectionem veterem materiae in Pulmone contentae, aut exonerationem quandam a visceribus & partibus Pulmonis vicinis. *Consil.* 97. *lib.* 3. *p.* 244. *Cons.* 2. *ejusd. lib. p.* 13. Initio paroxysmorum in Febribus Tusses excitantur, non tam à capite labente materia quàm a partibus subjectis evecta: Vnde non parum refert scire unde sit Tussis; Aliunde enim quam à capite repetenda est. *Epid & Eph l.* 10 *pag.* 256. *annot.* 2.

A latente pulmonis vitio orta styptica nocent.

166 Tussis alia est humida, alia sicca: humida fere a distillatione est, nisi forte aliquando ab efferi indomitique humoris labentis irritatione: saepius est à refrigeratione (vnde cum os aperitur, aut quis loquitur statim tussit) à tuberculo, ab exulceratione, & horum materia irritans non facile exigitur: Testatur pleuritis cruda, in qua inanis est tussis: *Fernelius* ait eam tussim quae semel anno, aut ex intervallis molesta est, à destillatione esse: quae continenter nullaque aut minima intermissione fatigat, aut vitiosam pulmonis affectionem, aut veterem obstructionem, aut stabilem intus causam habere: quod tamen improbabile videtur, nam quibusdam ferina destillatio est, eaque à capite, & assiduo vexat: testis sensus ipse, nam dum fauces transit, molestiam infert irritando: Error autem aliquando in ea tussi committitur, quae à latente in pulmone vitio oritur: dantur enim saepe styptica, eaque virus in pulmone supprimunt; Si enim ponimus aut pus aut saniem subesse, sicque obstructionem Tussis causam agnoscimus, adstringendo obstructio augetur, & materia expectorabilis sistitur. *Ibidem.*

A frigido non semper oritur.

167. Plerique peccant qui falso persuasi Tussim omnem à frigido ortam, magnam auxilii vim in vsu rerum calidarum; aut admovendarum, aut assumendarum solent collocare: Frigus quidem occasio esse potest, sed & febrem & distillationem acris & ferini humoris potest concitare, sic falli non oportet. *Consil.* 97. *lib.* 3. Duo enim maxime

xime observari debent, aut facultatis retentricis imbecillitas, aut excretricis ab acriuscula materia irritatio: In priore διάχυσις ἢ σύντηξις cernitur: in posteriore orgasmus & impetus aliquis, vnde Tussiendi assiduitas: Posterius est peculiaris oneratio humoris efferi, mali, salsuginosi, quoquo versus se insinuaverit & irruerit, hic sævit, grassatur, hic ferociam exercet: unde videmus eos in quibus est eius humoris generatio, distillationibus, & febri inde natæ, marcorique consectario obnoxios. *Ibidem.*

168. Sub finem æstatis anni 1578. vagata est solennis ista Tussis, quæ Quinta seu Quintana dicebatur; Pulmo ita irritatur ut omni contentione nitens excutere id quod molestum est, nec admittat spiritum nec vicissim facilè reddat: intumescere videtur, & quasi strangulabundus æger mediis faucibus hærentes spiritus habet &c. Videtur à Pulmone ipso esse, quod declarat ingens copia pituitæ putris & semipurulentæ quæ extussitur; Nam si esset sola ferina destillatio, non ea copia incredibilis materiæ excluderetur; quanquam non nego à capite aliquid defluere, quod irritet &c. quapropter errant qui ad caput Tussis occasionem referunt &c. *Epid. lib. 2. pag.* 237. *Tussis Quintana dicta.*

169. Inanis Tussis sæpe est ob Pruritum Pulmonum a tenui & pauco humore qui & dolores fugaces aliquando in Thorace facit: de „ hoc Pruritu Hipp. l. de loc. in hom. *Resiccatum id quod influit & in „ Gutture compactum, vt pote quod non eluitur, sed paulatim influit ac de„ tinetur, Tussim excitat. & quod defluit in aortis detentum, angustum spi„ ritui locum exhibet, & talem spiritum habere facit qui veluti defectus „ semper respirare concupiscit, & in Pulmone veluti non vehementer humi„ do existente, Pruritus contingit, cùm multùm à capite fluxerit, Pruritus in „ Pulmone non fit*: Puer quidam Pruritu isto cum difficultate spirandi laborabat, imò si moveretur minimùm, dicebat sibi spiritum deficere: quomodo autem omni ratione in sicca Pleuritide humectandum sit, Hippocr. docet eodem lib. Nos eum sequuti id præstitimus in hoc puero; item & ea quæ omni ratione inspissant exhibuimus; sic enim „ consuluit Galenus comm. in partem 2. lib. 3. Acut. *Scis, ait, Pulmo„ nem ipsum ab humoribus crassis & viscosis per Tusses expurgari, nam qui „ sunt aquosi & extremè tenues, aërem qui tussiendo emittitur, circumfluunt: „ aër enim tanquam manus quadam existit, quæ sursum crassos humores „ ferat: quod si crassi fuerint, non humiditate tantùm opus est sed & detersi„ one quæ ab acidis fiat succis.* Itaque Puer alvo soluta leniendo, temperato calore, sectione venæ, anodynis & omni humectationis forma, brevi restitutus fuit, & suo Pulmonis Pruritu liberatus. *Cons. III. lib. 1.* *Tussis a Pulmonum pruritu.*

170. Sub autumnum anni 1575. multis Tusses fuerunt siccæ, molestæ valde, & dolores capitis incredibiles: Iuvit dare Narcotica ad com- *Tussis narcoticis sedata & pi-*

X x pescen-

lularum exhibitione. pescendam destillationis vim: deinde tametsi febris aliqua adesset, etsi non tam essentialis quàm symptomatica, pilularum juvit usus, ut observatum est & in plurimis aliis. *lib.2. Epidemi. & Ephemerid. pag.*140.

Styptica nocent Tussi orta ab abdito Pulmonum vitio. 171. Quibusdam ferina distillatio est, eaque à capite, & assiduo vexat, testis sensus ipse; nam dum fauces transit, molestiam infert irritando: Error autem aliquando in ea tussi committitur, quæ à latente in pulmone vitio oritur: dantur enim sæpe styptica, eáque virus in pulmone supprimunt; si enim ponimus aut pus, aut saniem subesse, sicque obstructionem tussis causam agnoscimus, adstringendo obstructio augetur, & materia expectorabilis sistitur. *Consil.* 97. *lib.*3.

Si distillatio maligna caute agendum. 172. Locus hic præclarus de distillationibus *Galeni ad part.*18.*sect.* 3.*l.6.Epid. Destillationes a capite in Pulmonem malignas puta, si subtiles & corrodentes fuerint; has nec in Pulmone tamdiu morari donec concoctæ crassescant, convenit, ut sunt aliæ fluxiones à tenui quidem materia, sed non corrodente & ægrè maturescente, nec rursus statim eas acres expelli necesse est: intus morantes non facilè coquuntur & Pulmonem lacerant: Si excernuntur, etiam Tusses molestas excitant, à quibus caput repletur, & hoc rursus deponit in Pulmonem, & à Tussis vehementia vas rumpitur, id fit in tenuibus humoribus qui spiritum excludentem eludunt: sic morantes, & dum excluduntur nocent*, Annot. 1. in Cons. 10. lib. 2. p. 214. cons. 49. eiusd. lib.

Pragnanti partui proxima vena secta. 173. Prægnans mulier biliosa Tussi infestabatur vehementiore, sputum cruentum, febris, partui erat proxima: Nos venam aperire verebamur, tamen major nobis metus erat inflammationis futuræ Pulmonum aut Pleuritidis: vena secta, detractus impurus valde sanguis. Eodem die vitalem foetum peperit, omnia sequuta sunt fausta, eventus rem probavit? *Epid.lib* 2.*pag.*237.

Septalius.

In tussi quomodo vigilandum, & quando. 174. Quòd scriptum sit ab aliquibus, & doctis quidem viris;

Esuriat, sitiat, vigilet, qui rheumata curat.

in curandâ tussi quàmplures ægrotantes vigiliis macerant, ut fluxiones impediant: pessimo sanè consilio: ut enim superfluum somnum cerebrum nimis replere concedimus, ita immoderatas vigilias multò majora incommoda afferre experimur, potissimùm cùm per eas vitales vires corruant, quæ in hujusmodi morbo maximè necessariæ sunt: vigilandum sanè est: cùm à cerebro adeò affluit materia, ut subitæ suffocationis periculum immineat; & tamdiu vigilandum, quamdiu tale imminet periculum: secus in tussi moderatâ; dormiendum

dum enim, ut concoquantur humores, & quiete pectus firmetur, si enim Galenus 1. *de Hum.cap.*28. ut citat Rabbi Moyses 23. *Sect. Aphor.* scribit tussim, sternutationem, & singultum curari aliquando, cùm homo sustinet, atque sese ab iis, quantum fieri potest, motibus efficiendis abstinet, (quoniam, cùm motus iste fiat à voluntate, sed irritatâ, potest quis interdum volens non tussire) cur etiam somnum non commendabimus, in quo omnes sistuntur fluxiones, & tussis quasi suspenditur.

175. In usu Pilularum in tussi ad evacuandam materiam, in capite existentem, non placet aliquorum sententia, inter quos fuit doctissimus Mercurialis, qui voluerunt eas exhibendas esse per quatuor, aut quinque horas post cœnam, quando ventriculus nondum, ut ait Mercurialis, ex toto vacuus est: quoniam tunc magis supernatant, & facultatem mittunt in pulmones, & asperam arteriam. Cùm è contrà illud certissimum sit, ex hoc modo exhibitionis multa sequi incommoda; nam aut cum cibo citiùs subducentur ad intestina, quàm oporteat; aut sanè semiconcoctum cibum deducent ad inferna, aut omnium fiet confusio. Quare præstat, aut incœnatum illas sumere, aut sanè summo manè jejuno, & vacuo ventriculo devorare, procurato somno per unam aut alteram horam. *Pilulæ in tussi malè post cœnam dantur.*

In Raucedine & vitiis Vocis.

Ballonius.

176. Est vbi Raucedo floccipendi, est vbi magni fieri debet, vnde Gal. in 1. Epid. circa init. *Quæ Destillationes hominibus primò Tussim concitant, deinde Raucedinem, neque consistunt, alteram Tabis differentiam afferunt: symptoma est laborantium faucium, vel ob Pulmonis asperæque Arteriæ humidiorem intemperiem, vel ob humorem superfluum à Capite stillantem in fauces, & vocis instrumenta plus æquo humectantem: vel non solùm ob humorem à capite labentem, sed ab aliis partibus, vel inferioribus ad Pulmonem missis, vel attractis:* Ergo malè vulgus semper accusat caput vt authorem distillationum & affluxus ad Pulmonem, *conf. 2. lib. 3.* *Raucedo negligi non debet.*

177. Hippocr. inter eos quibus Purgationem interdicit Raucos memorat, quasi Raucedo Catharsi non egeat; ita Galen. ad part. 115. 4. Acut. *Raucos non purgari vult. Hippocr. horum enim frigiditatem & humiditatem sanare consuluit capite & reliquis membris, quæ affecta sunt, exsiccatis Topicorum vsu, Annot. 6. in id conf.* *Raucos Purgatione prohibet Hippocr.*

178. Nimia humiditas, veram Raucedinem facit, quanquam *Siccandum quandoque*

alias humectandum in quibusdam raucescit vox, non ob simplicem illam humiditatem, nam aliquando humor elueretur &c. *Conf. eod. p.* 14. Si humiditas nimia raucos facit, siccandum, contra fit; Huc pertinet locus Arist. probl. 22. l. 11. Calore nimio febrientes Raucescere, *Ann. in id conf.*

Raucedinis vnicuique causæ proprium opponendum remedium.

179. Raucedo fit vel vitio peculiari Epiglottidis, quæ est primum vocis instrumentum: vel ipsius arteriæ, idque ab externa vel interna causa: vel ipsius pulmonis vitio: item quibus gargareon exesus est iis vox vitiatur: maximè autem vitiat vehementior pulmonis calor, aut humiditas, aut refrigeratio: Cùm à calore est, major & gravior est vox: cùm frigiditas, acutior: Siccitas exasperat & vocem gruum voci similem facit: Nimia humiditas veram raucedinem facit: quanquam in quibusdam raucescit vox, ingratiorque est, non ob simplicem illam humiditatem, nam aliquando humor elueretur, sed ob vitium, vel nativum ipsius arteriæ & bronchiorum; vel ob vitium adscititium, cæterum tremula fit vox, cum nimium humectatur arteria, rauca & cùm pauca est humiditas: aliquando dilatatio major raucitatem facit, & tunc quædam est lassitudo & loquendi difficultas: At quidam ex Veteribus notavit à calore multo ipsius pulmonis & arteriæ vocem vitiari: id quod sanguineis & iunioribus à sanguinis repletione contingit: cogitur enim animans ob attractionem frequentiorem aëris, fuliginosique excrementi expulsionem, quodammodo irraurescere: Et in ista præmaturæ vocis gravitate, dilatatio inæqualis ipsius arteriæ contingit, id quod ad inducendam raucedinem quandam facit: Si itaque à calore gravior est vox, & arteria, vt tenerior, vim quandam patitur & inæqualior fit, inde raucitatis occasio: ista autem raucitas minus formidabilis est: Est enim potius vt signum bonum, quandoquidem virilitatis & vis cujusdam masculæ est argumentum: cœterum ipsa dilatatio ante ætatem nocere potest: ex sententia enim veterum, dilatatio ista raucitatis causis adnumeratur: ex dilatatione enim ista quædam lassitudo accidit, & difficultas in loquendo, Elephantiaci quoque vitiosam habent vocem, vt & hypochondriaci. *Consilio* 2 *lib.* 2. *pag.* 14.

Raucedo hypochondriorum vitio orta.

180. Elephantiaci vitiosam habent vocem, Idem de Hypochondriacis dicendum, In quibusdam non pulmo, non caput accusanda; sed lustranda sunt hypochondria, & hepar ipsum maxime. *Ibid. Annot.* 2.

In

In Palpitatione Cordis.

Ballonius.

181. Inter cæteras Palpitationis causas, vna & communis & vulgaris est intemperies frigida ventriculi & jecoris calida, dum enim ventriculus non bene suum facit officium, & secundam coctionem tanquam correctricem & emendatricem sui prima non agnoscit, jecur calidius rapit crudius alimentum, hinc anathymiaseon proventus multus, obstructionum ilias, & ab istis obstructionibus palpitandi occasio: quod hypochondriacis solenne est, cachecticis & virginibus fœditate coloris infectis vsu venit, *Cons.* 109. *lib.* 1.

Causa sæpe ventriculus frig. hepar calidum.

182. Mucus per quandam colliquationem in cor illabens (vnde dicunt vulgò quosdam repente interire quòd adeps colliquatus in Cor influxerit) Palpitationis causa est: ac tum falsò Asthmatici creduntur ægri, quia sunt anhelosi, parua & densa spiratio est: *Cons.* 109. *lib.* 1. *p.* 115.

Mucus in cor illabens ejus causa.

183. Vidimus Palpitantem affectum ob Aneurisma in Liene, *Ibid.*

ob Aneurisma in Liene

184. Galenus omnem Palpitationem juvari venæ sectione author est, 5. de loc. aff. Qui Galen. interpretantur, ideo locum sectioni venæ dant, etiam posito quod causa frigida Palpitationem inducat, quoniam aut minuatur plethora, aut obstructio sectione venę liberetur, aut revellatur cursus materiei flatuosæ: supponit enim Galen. à crasso vapore Palpitationem ferè omnem oriri; ideo non est dubium quin ad divertendum revellendumque cursum phlebotomia conferat: *Mesuæus* de sectione venæ loquens, ex hypothesi loquitur, *Arculanus* etiam ad syncopen usque exclusivè in Palpitante sanguinem mittit, An sequendum horum consilium? Nequaquam, nam eorum qui Palpitationi sunt obnoxij ita comparata ratio est ut βραχύβιοι sint, ac sæpe in Phlebotomijs & Purgationibus opprimantur & moriantur; accedit quod Palpitatio cordis dispositio quædam media sit inter Pulsum & debilitatem & syncopen: sed Arculanus unam tantùm rationem affert quæ nos inducere possit ad tam luculentam & copiosam sanguinis effusionem, ut pote cùm in sanguinis copia, & orgasmo, in cordis arcem raptus metuitur, ne derepente in Corde apostema concipiatur, & mors proinde subita intentetur, Aut etiam si inflammationis subita sint argumenta, quæ ipsius Palpitationis causa sit: in isto enim casu, quoniam insignis & subita refrigeratio requiritur ne brevi tota ipsa

Omnis vena sectione juvatur ex Gal.

regia, inflammetur ac conflagret, nullum præsentius auxilium venæ sectione, eáque conferta & copiosa : in cæteris a largis istis vacuationibus temperandum est. *Ibidem. p.* 513. & 514. Si ratione etiam cujusdam doloris irritetur fluxio in partem aliquam, & metu majoris raptus, commodè vena percutiatur, cur non id fiet in metu raptus & sanguinis & spiritus ad cor? *Annot. 6. in id consſ. p.* 519. Præterea in omni Palpitatione cordis est flatulentum quid & αἵμα, at ad hoc valet maximè phlebotomia, ut sect. 5. lib. 2. Epidem. docet Hippocrates. *Annot. 7. in id. consſ.*

Quæ vena secanda.

185. Mesuæus ita de Phlebotomia in Palpitatione scribit. *Si cum cordis tremore fuerit Pulsus velocitas & febris, æger ex basilica minuendus est*: Ex dextra quidem, ait Arculanus, ad minuendam plethoram : ex sinistra, ad removendam repletionem vaporosam : sed vix evenit ut sanguis hunc morbum patiat, ac à vapore potiùs est, aut causa consimili : Quanquam sint qui venam in cruribus aut poplite secent, si præsertim ab hypochondrijs malum est, ut per arteriam cœliacam à parte sinistra, præsertim verò è Lienis regione vapor crassus, quem in cor elatum, facultas ipsius partis, tanquam subsultantem hostem nititur expellere : at erroneum hoc est, si quidem, si hoc valeret, cùm Palpitationum pars major ab hypochondrijs fit, venas poplitis aut malleoli utique aperire conveniret, at hoc non fit, Sed exclusa ista ratione, tanquam parùm probabili, duabus de causis inferiorum venarum reseratio ex usu futura est, prior est si suppressio aut mensium, aut hæmorrhoidum in causa sit: posterior, si revellendi studium est : alioqui brachiorum sectio profutura est potiùs : *Ibidem.*

Cassiæ bolus necis causa.

186. Quidam annos natus viginti, cùm Palpitatione annos aliquot laborasset, assumpto cassiæ bolo eadem die interjit, quod ijs contingit qui ex Palpitatione molestantur : *Paradigm.* 73.

Rheum qua ratione convenit.

187. Rhabarbarum in Palpitationibus cordis ratione morbi non quadrat, sed ob ventriculum qui cordi maximè consentit, & ad vehementiam morbi augendam facit. *Annot. 12. in consſ. 109. lib. 1.*

A vermibus inducta.

188. Mulier rustica Palpitatione cordis & inflatione ventris, ac si vtero gereret, laborabat, Vermes prodiere quamplurimi, convaluit. *Paradigm.* 7.

Palpitatio cordis ab abscessu interno, pyrotico admoto cessans.

189. Uxori D. Guillon, Quæstoris Regii, dolor obortus est in mamma sinistra ab aliqua suppressione lactis, vt conjicere est : tumor erat, disparuit, saltem nil foras eminebat : non desiit dolere ea pars, quamvis nil foret conspicuum : macrescebat indies, nil proficiebat, languebat, Palpitatio cordis insignis, unde ea oriretur, dubitant, A liene repetebant illam, Accersitus D. Duretus mali originem altius repetit & rimatur : Omnis palpitationis cardiacæ causam aut in

in oppressione, aut in Excussione ponit: Illa est cum malum in ipso corde est, aut circum cor: vt cùm nimia aqua inter pericardium crevit, aut cordi pericardium adhæreſcit; Hæc, Excussio, cum aliunde est, Aliqua erant argumenta mali non naſcentis & orientis à liene: ſequebatur ergo vt in thorace & corde cauſa mali foret: Tandem collectum est parte interiore abſceſſum latere, qui niſi aperiretûr, mortem repentinam eſſet accerſiturus: contra multorum opinionem ea parte ſepticum admovetur: actis aliqua ex parte cuniculis pus manavit multum, miraculo convaluit. *Lib. 2. Epidem. & Ephemer. pag. 229.*

Septalius.

190. In graviſſimo hoc morbo curando cavendum maximè, ne Gal. verbis 5. *de loc.affect* 2. abutamur, ubi aſſerit, omnes qui paſſi ſunt palpitationẽ cordis, à ſectione venæ juvamentum accepiſſe; quem ſecutus Avic. 1.3. *Tract.* 1.c.7. in omni cordis morbo ſcribit utilem eſſe ſanguinis miſſionẽ ſed non est: quiſpiam adductus in omni cordis palpitatione ſanguinem per ſectam venam evacuet; neque enim in omni, neque ſemper Galenus ſectione venæ utendum ibi cenſuit, ſed omnes, quibus ſubitò, cùm ſani eſſent, ſine ullo alio accidente cordis palpitatio ſupervenit, ſanguinis eductionem juviſſe: hos verò, quòd integrâ, & inculpatâ valetudine fruerentur, à ſanguinis copiâ, forſan & calidioris, in eum morbum incidiſſe, mihi ſit veriſimile; quod quilibet etiam ex Gal. 2. *de cauſis pulſ.cap.* 2. colligere poterit, cùm dicit: *Accidit etiam pulſuum inæqualitas interim ex ſanguinis copiâ, qui aut in venas, aut arterias ipſas ſit infuſus; atque hæc quidem ſanguinis miſſione ſedatur facillimè.* Hactenus Galenus. Cauſa eſt, quia copia illa in venis arterias illis vicinas premit, & coarctat; quæ ſi venæ ſectione tollatur, tumorem, extenſionémve venarum tollit, locúmque ſubinde dat ad motum arteriis. Unde veriſſimum eſt, cuicunque cordis palpitationi ex humorum copiâ, in venis exiſtentium, optimum eſſe præſidium ſanguinis per venam detractionem; quod confirmavit etiam Gal. *lib. de venæ ſect. adverſus Eraſiſtratæos, cap.4.* Quemadmodum etiam ſi aut æſtuatio, fervórve ſanguinis, ſive eryſipelas aut cor ipſum tentare aggreſſus ſit, aut etiam venas, arteriáſque vicinas invadens, & palpitationem inducens, ad hoc auxilium aggrediendum nos invitat. Præcepit hoc Gal. 13. *Meth cap.* 11. *& lib. adverſus Eraſiſtratæos. cap.*8. At ut hæc veriſſima ſunt, ita aſſerendum eſt, in verâ illâ cordis palpitatione, quæ illi cum aliis particulis communis eſt, quæque morbificæ ſolius cauſæ ſoboles eſt, non conferente facultate, quæ majori ex parte ex flatu eſt, diminuto calore; tum etiam in non

In cordis palpitatione quando, & quatenus ſanguis mittendus.

verâ

verâ, quæ cordis propria est, si vel ex frigido humore vel si alio, qualem describit Hippocrates, *lib. de sacro morbo*, cùm scribit: *Si porrò ad cor progressum fecerit affluxus, palpitatio apprehendit, & anhelationes, & corpora corrumpuntur; aliqui etiam curvi fiunt; cùm enim descenderit pituita frigida ad pulmonem, aut ad cor, perfrigeratur sanguis; venæ autem violenter perfrigeratæ, ad pulmonem & cor assiliunt, & cor palpitat*; nullo modo sanguinis missionem convenire. Quin ne tunc quidem sanguinis per sectam venam evacuatione utendum est, cùm cordis palpitatio à virulentâ materiâ, cor impetente, fit, aut à vapore fuliginéve venenosâ. Quòd si Avicennas in omnibus cordis affectibus venæ sectionem utilem esse dixit; non propterea tamen in omnibus causis evincendis morborum cordis utilem esse pronunciavit. Sic etiam in palpitatione conveniet, at non semper, neque in quâcunque palpitationis causâ commendanda.

In palpitatione cordis, ubi in sanguinis abūdantiâ mittendus sit sanguis, quæ cautio adhibenda.

191. Sed illud in evacuando sanguine per sectam venam maximè animadvertendum, si maximam in corpore laborantis hoc morbo subesse sanguinis & humorum abundantiam cognoverimus, quæ non tantùm vires premat, sed & ipsa quoque vasa distendat, tutò nos ad illud auxilium descendere non posse, nisi sanguinis motum, cor versus abundè proficiscentis, simul compescamus, ac ab ipso corde revellamus: cùm enim cubiti vena, quæ secanda est, ab axillari, axillaris autem non longè ab ascendentis venæ cavæ ramo proficiscatur, unde in cor ramus insignis coronarius divaricatur, abundantiorem sanguinis copiam ex venâ cavâ hauriri continget; ex quâ quidem re fiet, ut plurimis sanguis cor versus iter arripiat, sicque cordis viscus magis suffocabit. Ne igitur in hoc incommodum incidamus, eo ipso tempore, quo in brachio vena tundetur, utrisque hypochondriis optimum erit cucurbitulas affigere, dextro quidem, quòd inde vena cava exoriatur; sinistro autem, quòd illic plurimæ terminentur arteriæ, quæ spirituosum à corde sanguinem revellere poterunt: sic enim fiet, ut quæ jam invasura erat cor sanguinis copia, cucurbitulis admotis revellatur; quæ verò influxit, venâ sectâ exhauriatur.

Cucurbitulæ in palpitatione cordis quando applicãda.

192. Quòd si humoris, & sanguinis tanta non adfuerit copia, aut sola sufficiet sanguinis per sectam venam evacuatio, aut sanè post illam applicari poterunt cucurbitulæ.

In palpitatione cordis quæ vena secanda.

193. At ubi insignis adfuerit sanguinis abundantia, in utriusque brachij cubito venam aperire utilissimum erit: si verò non adeò magna fuerit, sinistri tantùm sufficiet sectio.

Arteriotomia in cordis affectibus quando convenit.

194. Quòd si ne sic quidem affectus cessaverit, arteriosum & spiritibus plenum, subtilissimum in arterijs potiùs abundare judicabimus: & tunc cum Gal. *de cur. rat. per sang. miss.* 22. sectione arteriarum opus erit.

Arteriæ

195. Sed in eo casu non magnas, sed exiles potiùs eligemus secandas

das, quales sunt eæ quæ per digitos excurrunt: licet enim parvæ sint, maximum tamen juvamentum afferunt; atque faciliùs, inductâ cicatrice, sine aneurismatis periculo coalescunt. *quæ secandæ in cordis palpitatione.*

196. Cucurbitulas scarificatas, dorso affixas, cordis palpitationem curare, scribit Rhasis 7. *Continentis.* At Avic. 4 *Fen.* 1. *Doct.* 5. *cap. de Cucurbitulis* easdem, dorso applicatas, aliqua quidem bona facere scribit, sed & ventriculum lædere, & cordis tremorem inducere: si tamen cautio adhibeatur, utrumque optimè observâsse dicemus, quidquid dicat Mercurialis noster *in suâ Praxi, capite proprio*; cùm sciamus peritum Medicum nunquam, repleto corpore, cucurbitulas ante totius expurgationem applicaturum. Distinctione igitur potiùs aliâ opus est; nam si ex humoribus palpitatio cordis proveniat, si dorso è regione cordis, ut plerique faciunt, cucurbitulæ applicentur, id in manifestam ægri perniciem fiet; augetur enim circa cor sanguinis copia ob calorem, & dolorem: docebat enim Galenus 11. *Meth.* 17. ubi in iis sit plethora, non magis ex pulmone in pectus aliquam excrementi partem transferri, quàm ex toto corpore in utrumque; At ubi palpitationis cordis flatus fuerit in causâ, evacuatâ materiâ, unde elevantur, cucurbitularum applicatio dorso è regione cordis præstantissimum erit remedium, Quinimò applicari etiam commodè poterunt, ubi cum flatu frigidus quispiam humor conjunctus fuerit: nam ventosus spiritus, admotâ cucurbitulâ, digeretur; qui verò reliquus est humor, faciliùs evacuatione detrudetur. *Cucurbitulæ, dorso affixa in affectibus cordis quando prosint.*

197. Flatibus etiam cordis, palpitationem inducentibus, semper humorum, & in ventriculo, & intestinis, & flatuum ibidem collectorum, maximè habenda est ratio, atque ii inde subducendi: quòd, iis inanitis, sæpissimè solutos etiam eos observaverimus qui circa cor obversabantur. *In flatibus cordis providendum flatibus ventriculi.*

198. Fugiendum verò quàm maximè illud, de quo nos Galenus 12. *Meth. ult.* admonuit, si adhuc in iis partibus succi, ex quibus flatus elevantur, continebuntur, à nullâ re magis esse metuendum quàm à calore, quòd eos colliquet, atque in flatum vertat, sed digerere non valeat: crassa enim, & glutinosa, dum calefiunt, flatuosum spiritum gignere solent, Gal. teste *ibidem.* *In palpitatione cordis ex flatibus externis calidis non est utendū, præsente materia.*

199. Ubi ad cor aut effervescens sanguis, aut bilis affluat, ut phlegmones, vel erysipelatis periculum adsit, quibus in corde productis, desperata omnino salus esse solet; statim à sanguine misso, vel dum mittitur, circa cordis regionem repellentia adhibere convenit: quæ quamvis in morbis pectoris omnino fugienda esse constitutum sit; in hac tamen afflictione, cùm, ad quamcunque partem materia fluens repellatur, ea sit ignobilior corde, nec inde adeò subitò mors immineat, nullâ interpositâ morâ applicanda sunt. *Dum mittitur sanguis, repellentia cordi applicanda.*

Corde laborante in crassis humoribus, diuretica & sudorifera non conveniunt.

200. Ubi ex crasso sanguine cor hujusmodi morbis laborat, à diureticis & sudoriferis erit abstinendum; nam hæc exhauriunt serum sanguinis, & sanguinem crassiorem reddunt.

201. Si ex serosis, optima sunt.

201. Verùm, si aquosus humor & serosus morbum illum producat, nihil est quòd faciliùs vim hujus morbi possit evincere.

202. Discutientibus flatus in cordis palpitatione miscenda subadstringentia.

202. In flatulentâ palpitatione vehementer resolventia damnanda sunt: nam spiritus vitales nimis exhauriunt. Quòd si in usum ea ducere necessitas cogat, adstringentia aliqua erunt admiscenda.

In Animi deliquio.

Ballonius.

Causa aliquando humorum afluxus.

203. In Febre, quam Avicenna Syncopalem humoralem, & in Epiala, defectiones Animi sunt (quæ συγκοπαὶ propriè non dicuntur) quas inducit adhæsus humoris tenacis, viscosi in parietibus ventriculi, quíque obvius est in partibus ventriculo vicinis: hinc actionis imbecillitas ob caloris oppressionem & humoris excessum; qui cum prius sua quantitate contumaciáque naturam obruerit, successu temporis, dum à naturâ non vincitur aut regitur, alienam naturam adsciscit, & sic multò deterior existit quam ante: Illas ignara rerum medicarum turba ad τὸ κακοηθὲς, aut ad occultum divinumque referre solet, sub scobe unicornu, mira expectatione & non exiguo sumptu, salutem pollicendo, *lib. de virg. & mul. morb. cap.* 8. *p.* 157. In quodam lypothymia præcessit febrem insignem & genu tumorem, Medici territi istis symptomatis ad Cardiaca properant, cùm potius ad purgans medicamentum sit properandum. *Epid pag.* 200.

Animo facile deficientes caute medicandi.

204. Quidam languit fere per 45. dies, nec manifestus erat morbus: animo sæpe deficiebat, vt facultatis vitalis virtus videretur extingui, alimentis resurgebat, mors: Aperto cadavere totum hepar pene putre, pulmones corrupti: Quibus in ægris eadem symptomata conspiciuntur, caute medicamenta exhibere oportet, nam sæpe calamitose statim à sumpto medicamento intereunt, ac præmatura morte corripiuntur. *Paradigm.* 174.

CAV-

CAVTIONVM, ANIMADVERSIONVM ET OBSERVATIONVM PRACTICARVM

LIBER VIII.

Continens eas quæ Imi Ventris affectus spectant.

In læsa Deglutitione.

Ballonius.

I. 

Uidam cum quartana diu laboravisset, & ea quasi contabesceret, colicis doloribus crudeliter divexatus, tandem collapsum prope abdomen est, & ita emarcuit vt sceleton esse dixisses: Inter alia symptomata quæ contigere, & quæ Medicis negotio fuere, difficultas quædam Potandi fuit: mirum hoc, appetebat cibos & bene deglutiebat, sed cum bibebat, secundo aut tertio haustu tanta difficultas & molesta tussis contingebat vt ad nares resiliret potus: Causa cognitu difficilis: nil enim in faucibus tumens apparebat, nullus aderat dolor: Ego id referebam ad ligulæ quandam contractionem,& asperæ arteriæ siccitatem, quæ efficeret vt non satis obsequeretur hauriendo liquori, ita vt in asperam arteriam de potu aliqua pars deflueret, id quod tussim & molestiam afferebat: Alius Medicus ad inflationem id referebat: decipiebatur meo judicio, Nos ita ægro & admotis & assumptis occurri-

Deglutiendi panis difficultas ab aspera arteria siccitate humectantibus & lenientibus curata.

mus humectantibus & lenientibus, & id profuit, cum enim pinguior factus est, istud cessavit symptoma. *Consil.* 14. *lib* 2.

Morbus Tiq. 2. Narrant morbum quendam esse Equis proprium qui vocatur Tiq: fit cum id quod devoratum est & deglutitum, vix os ventriculi præterlabi potest, imò sensum ponderis affert & dolorem aliquem inexplicabilem: gulosis id accidit, & qui cibos vix præmansos statim devorant: visitur & id in ijs quibus hepatis cavum videtur obrui multitudine humorum, venæque primæ sunt obstructæ, maximum remedium alvum sollicitare & ventriculum diligenter evacuare. *Epid. lib.* 2. *pag.* 212.

In Ventriculi Imbecillitate.

Ballonius.

Omnibus medicamentis roborantia addenda 3. In Affectibus ventriculi curandis graviter peccatur, & tamen magni interest si quid peccetur; primum quocunque te convertas, & quicquid agas, semper ventriculi robori consulendum est; si enim dissolvatur, clades maxima est; omnibus itaque remedijs adstringentia roborantiáque convenient; & nullus affectus est in quo non sit intendendum robori ventriculi; tametsi ipsa affectio contrariam indicationem insinuet: quidam tamen objiciunt singultum: Objicies, omne astringens esse frigidum, at frigus inimicum ventriculo? Respondeo, non est necesse omnia adstringentia esse frigida, quanquam Galen. cap. 33. 1. de simpl. dicat omne exquisitè adstringens frigidum se perpetuò comperisse; tamen est ubi quædam calida adstrictionis vim habeant, cum tamen ratione terrenæ partis frigida esse videantur: vnde contra Metrodorum misy & chalcanthon objicit, quæ cùm calida sint, maxima tamen adstringendi facultate polleant: *lib. de virg. & mul. morbis cap.* 7. *pag.* 129. & 130. Adstringendum in affectibus ventriculi, sed nimia adstrictio parit siccitatem, quemadmodum & humectatio dissolutionem. *Ibidem. in margine.*

Cautè adstringendũ. 4. In Imbecillitate ejus, usus adstringentium commendatur, cautè tamen id faciendum; quod attinet ad austera, acerba & acida, quæ eandem naturam habent, commemorabilis locus apud Galenum. *Austeris*, ait, *utimur, cùm calidam ob intemperiem vel nimiam humiditatem ventriculus est imbecillus: Acerbis (quæ maximè adstringunt) cùm intemperies & humiditas erunt plurimùm auctæ: Acidis (quæ succum habent frigidum ac tenuium partium) cum erit succus crassus & non multum frigidus*, nam succus frigidus non acida sed acria postulat: *Ann.* 20. *in id caput.*

5. Quæ

5. Quæ actu sunt frigida lædunt ventriculum, est enim membranosa substantia; accedit quod coctionis officina sit, eóque servandus est calor coctionis author: in quo errarunt Arabes, frigida actu usurpantes si quando corrigenda esset calida intemperies; debuerunt potiùs ad id quod scribit Hippocr. lib. de liquid. usu advertere, *Meritò thorax & ventriculus à frigida superatus molestè fert & mortem minatur, quia maximè desuetus est*: Nisi quis objiciat experientiam quotidianam; videmus enim ventriculum tantopere frigidæ usu delectari, imò & aquę potores etiamnum bene coquere cùm multùm cibi sumunt, secundùm illud Hippoc. 6. Epid. Aquæ vorax; quæ & Hipp. loc. cit. superiùs explicavit obscuriùs: *Plurimùm abest ab eo ut patiatur ventriculus, propinquissima autem sunt inter se agere & pati, meritò igitur frigidæ potu delectatur*: Quod nos ita explicamus, frigidum quidem alvo ipsi ac thoraci inimicum est, quamvis tamen ab usu frigidæ magnam capiat oblectationem, sed aliud est ventriculo adhiberi frigidum propter indigentiam & usum, aliud excluso usu adhiberi, idque immodicè: si propter indigentiam, patitur quodammodo dum indiget, sed dum fruitur, delectatur dum passionis ob desiderium ortæ occasio tollitur, tunc enim non offenditur nisi magno excessu, ac propriè non dicitur παχέον: itaque cùm ventriculus humidi ac frigidi est indigus, propriè dicitur egere, pati autem impropriè: si offenditur usu nimio, non dicitur simpliciter παχέον sed κρατεῖσθαι, i.e. vinci ac superari: *Cap.* 7. *ejusdem lib. pag.* 130. *&* 131. *Actu frigida inimica.*

6. De Ventriculo unum moneri debet, quod plurimùm caloris sicci usu offendatur, nisi suspicio sit colluviei multæque humiditatis: sed frequenti usu dissolvitur arentiorque fit: itaque errant qui pannis plurimum ac sæpe ad ignem appositis ventriculum fovent, nam augent intemperiem hepatis, & ventriculum solvunt arefaciuntque, at hic usu tepidi caloris delectatur: de quo calore dictum ab Hippocr. in Aphor. quod sit φιλὸν καὶ κρίνον, ita enim vernaculus ejus calor conservatur: quanquam si quis eo paulò plus utatur, dissoluit, laxat & ἐκθήλυνσιν affert, ut idem Hippocr. scribit, quod autem calor acer, aridus squalidusque obsit ventriculo, satis inde patet, quod febricitantium biliosorúmque ventriculus oblangueat inappetensque fiat: *cap.* 7. *ejusdem lib. pag.* 131. Sequendum est consilium Arculani cap. de dolore ventric. *Cavendum est*, ait, *ne dum calefacimus, inducamus majorem calorem febrilem, ita enim in gradu augetur calor: sed in humiditate & quantitate minuitur*: *Consil.* 8. *ejusdem lib. annot.* 3. *Caloris sicci usu offenditur.*

7. Oleorum Arte Chymica extractorum, quibus foris ventriculi regio illinitur, tutus usus non est, nam ob empyreuma contractum facilè lædunt, *cap.* 7. *eiusd. lib. pag.* 132. *Inunctio ex oleis chymicis suspecta.*

Remedia postica etiam parti admoveri possunt.

8. In Imbecillitate ventriculi, subversione, crebro vomitu, aliisque consimilibus affectibus, remedia non anticæ tantum parti admoveri debent, sed & posticæ: quod ratione anatomica & exemplo obstetricum ostendit Langius Epist. 42. lib. 2. *Hæ*, ait, *Obstetrices pueros, quos crebro vomitu & stomachi τῷ ἀνασπασμῷ gulam & ventriculi os convellisse putant, supra ventrem collocant, & cutim circa duodecimam spinæ vertebram complicatam, digitisque apprehensam, in sublime trahunt, aut id in cucurbitulâ urceolóve accensa stupâ moliuntur, Lib. de virg. & mul. morb. cap.* 7.

Hiera quando locum habet.

9. Hieræ usus commendatur, præsertim cum humor est imbibitus tunicis ventriculi; eluit enim facile ac deterget, & id plurimùm commendat Galenus; tamen, ut ex eodem colligere est, non tam laudatur ista confectio ratione Aloës, quam ob cinnamomium & alia aromatica ex quibus constat; hæc enim valde ventriculo prosunt, ideo vituperandi sunt qui in cruditatibus ventriculi Aloë sola utuntur, non enim prodest nisi aromatum quoque societatem habeat; quod & Galenus asseverat, nec abs re in libris de simplic. amara dixit ventriculo esse inimica, sed addit quæ sunt μόνον πικρὰ, id est, solo amarore donata, ac præter eam nullas alias facultates habent. *Ibidem. p.* 132. Tametsi Aloë ventriculum juvet maximè si pituita illi multum hæreat, Aloë non eam habet vim ut detergeat, sed aliquando impingit, nisi mixtione Aromatum incidendi vim nanciscatur. *Annotat.* 22. *in id caput.*

Non repurgandus nisi præmisso fotu.

10. Non existimo repurgandum esse ventriculum nisi priùs materia præparetur fotu: nec enim verendum ut fotu, ante purgationem usurpato, fiat attractio in ventriculum; Si enim spongiæ imbutæ decocto conveniente ventriculo applicentur, tutò commodéque id fiet: *Ibid. pag.* 126.

Solidiora sint quæ ad eum purgandum præscribuntur.

11. Si è ventriculo quippiam educendum sit, videndum ne liquidius sit medicamentum, sed moram trahere oportet. *Ibidem.*

12. Folliculorum tutus non est usus, quæ tormina excitant, nec Cassiæ, nec Catholiconis, nec Tripherarum; quoniam flatuosum quid habent & dissolvunt vim ventriculi suo virore: *Ibidem.*

Purgantia quadam ventriculo inimica.

13. Imbecillius præterea medicamen ne sit, alioqui dolores excitabuntur, si humor cieatur & non foras exigatur. *Ibidem.*

Medicamentum ne nimis sit debile.

14. Si Pituitosi, aut alij id genus humores in alvo collecti fuerint, conferet vomitus jejuno ventriculo, Galeni consilio 4. *de san. tuenda* cap. 4. Tamen eodem in loco negat vomitui locum esse cùm ventriculus ita scatet colluvie humorum: sed duabus de causis vomitum non consulit, tametsi ventriculus offarctus esse videatur, priore quidem, si in alijs venis à ventriculo longè dissitis acres humores contineantur; quod ulcerosa quadam lassitudine & observatione tum excremen-

Quando vomitu purgandus.

crementorum corporis, tum coloris ejusdem colliges, quo tempore si vomitus incitatur, metus magnæ agitationis raptusque humorum in partes nobiles, interea dum per os evocare eos frustra conaris: posterior verò ratio est, quòd vomitus quidem confert, si materia in alvo ipsa continetur, non autem si in habitu corporis, nam authore Gal. aph. 12. lib. 4. sola ea vomitu secundùm naturam excluduntur, quæ in alvo ipsa includuntur, cùm nihil eorum quæ in Intestinis aut fluitant aut inhærescunt, per vomitum exigi excludíque possit, &c. *Ibidem. pag.* 123. *&* 124.

15. Ubi quis de ventriculo queritur, statim ad usum vini absynthitis confugitur; unde in Cœnobijs magno apparatu precariò multis distribuitur; sed de absynthio hoc sciendum, ventriculo quidem operam dicat, sed aliàs atque aliàs: Pontico Absynthio, (quod & Romanum Mesuæus vocat, authore Sylvio) vis inest adstringendi plurima, amara autem exigua; in cæteris amaror est maximus, adstrictio autem obscura, ideo sunt inimicissima ventriculo: Ponticum terget sordes ventriculi, si modò altius contumaciusque imbibitæ non sunt; ac dicunt, absynthium vulgare, ob amarorem insignem, vim habere tergendi, ideo ad contumaces humores valere; si verò non adsit ea cruditas, obest plurimùm: at Pontico, cùm adstrictio multa insit, detersio exigua, si eo utamur, valet quidem ad subducendos humores in ventriculo hærentes, sed si contumaciùs inhęreant, nocet, quia impingit magis tunicis ventriculi: vinum autem Absynthites ex vulgari Absynthio comparari solet. *Ibidem. pag.* 132 *&* 133. *Vinum Absynthites non semper conducit.*

16. Si ventriculus humidior fuerit, valet Pulvis ex Ambrâ citrina, pulvere mastiches & Ireos cum pulvere rosar. siccarum: dabitur autem cum vino granatorum, si frigiditas jungatur addentur aromata. *Ibidem.* *Humiditas nimia quibus emendetur.*

17. Vnum maximè observandum est; usu rerum liquidarum ventriculi vires maximè dissolvuntur, & facultas Retentrix ipsius ventriculi exsolvitur: sic & ad facultatem Retentricem & Attractricem moderata desiderari debet siccitas. *Epid. lib.* 2. *pag.* 188. *Annot.* 7. *Rerum liquidarum usus noxius.*

18. Sunt qui medentes Ventriculo assumendis, aut electuarijs, aut conditis addunt myrrham; hanc damnat Sylvius, quod nostra myrrha sit κακοστόμαχος *Lib. de Virg. morb. pag.* 126. *in margine.* *Myrrha ei inimica.*

Septalius.

19. In puelli bonæ constitutionis, aut catelli perpinguis applicatione regioni ventriculi prima hæc sit animadversio, quòd cùm in tardâ coctione ex frigidâ intemperie nihil sit quod magis coctionem adjuvet, quàm longus, & non interruptus somnus, animadvertant patientes, *Puelli ventriculo applicandi, ne somnum interrumpant.*

tientes, ne ex inquietis sit puer, qui ex assiduo motu somnum patientis interrumpat: majus enim inde damnum ex impedito somno sequeretur, quàm utilitas ex blando illo calore; quod etiam ex catellis magis verendum; potissimùm, si patientes ex iis sint qui & facilè expergiscantur, & difficillimè in somnum relabantur.

Puelli in applicatione cavendus sudor.

20. Secundò illud etiam animadvertendum est, sæpenumerò ex hoc complexu sudorem excitari, qui nisi assiduè detergatur, noxam affert magni momenti: quare vel ab eo desistendum erit, vel intermedio subtilissimo linteolo in eo perseverandum.

Item, pollutio nocturna.

21. Sunt etiam aliqui adeò in Venerem proni, ut ex eo amplexu in somno polluantur, aut ad Venereos congressus concitentur; in quibus omnino ab hujusmodi remedio est abstinendum.

In Inflammatione Ventriculi, Dolore, Cardialgia.

Ballonius.

Adstringentia laxantibus addenda ad robur.

22. Galenus passim duas partes recenset quarum virtus servanda sit, tametsi αὐτένδειξις aliqua sit, Ventriculum & Hepar: pote si, utramque partem vel alteram inflammatio obsederit; affectus quidem relaxantia postulat ad tollendum ichorem, sed pars adstringentia ad conservationem sui postulat: *cap. 7. lib. de virg. & mul. morb. pag.* 129.

Accuratissimus sit victus.

23. Accuratior victus esse debet in ventriculo inflammato ac jecore, quàm in pulmonis Inflammatione: ac tenuissimo victu utendum, quod pars sit officialis & naturalis: etsi enim penu est & promptuarium omnis alimenti, & quo, nisi agente, & alimentum cæteris partibus subministrante, animal brevi concidat, atque ea ratione pleniùs alendum sit, ne aliæ partes, quæ mutuas ad opus curationis tradunt operas, fatiscant ac labantur, Sed cùm morbi omnium sint acutissimi, proptereàque extremos labores habeant, ideò tenuissimè hic alendum, vigor enim in propinquo est; & hic plus occupatos nos esse oportet in oppugnatione morbi, qui plurimi est momenti, quàm naturæ corroborationi, tametsi magna virium jactura sequatur: præterea ex eventu tenuissimæ diætæ occasio sese profert, cùm enim partes illæ extremè laborent, dubium non est, quin in eis alimentum corrumpatur, corruptio autem illa ægris damnum est magis auctura, quàm si in totum alimento abstineatur. *Consil.* 2. *lib.* 1. *pag.* 186. *&* 187.

Aliquando est per condensum thoracis.

24. Ob difficilem respirationem, causa ipsa thoracem non egrediente, sæpe dolor oboritur in partibus ventris, aut in ventriculo ipso, Et tunc malè Medici partibus dolentibus manum applicant, cùm dolor oriatur ex eventu; quia nimirum pendentes aut agna-

tæ

tæ partes ventris inferioris instrumentis respiratorijs, trahuntur in consortium partium: Sic in validis tussibus, præsertim cùm inanes sunt, dolorem audivimus tantùm in ventriculo natum, ut necessariò opitulandum ventriculo ipsi fuerit. *Histor.* 1. *lib.* 2. *cons. pag.* 48.

25. Dolorem Hypochondrij ementiri potest stomachi inflatio & dolor; unde sæpe conqueruntur de alterutro latere ægrotante, cùm aut nulla aut exigui doloris causa sit in alterutro viscere, sed affectus ventriculus tumefactusque affecti hypochondrij opinionem facit. *Consilio* 16. *lib.* 1. *Hypochondriorũ dolorem ementitur.*

26. In stomachi dolore cavendum, ex Arculano, ne, dum calefacimus, inducamus majorem calorem febrilem, ita enim in gradu augetur calor, sed in humiditate & quantitate minuitur: *lib. de virg. & mul. morb. cap.* 8. *Annot.* 3. *Nimis calfacientia admota nocent.*

27. Duabus mulieribus in febre longa futura, opinione nostra, dolor ingens ventriculi: inopinatò utraque brevissimè convaluit usu Pilularum stomachicarum; & revera tollunt quandam causam conjunctam mali; & idem in contumacibus doloribus stomachi faciendum: *Epid. lib.* 2. *pag.* 215. *Stomachicorum usu sanatus.*

28. Mirum id de quo conqueritur quidam, ait enim sibi dolorem esse in ventriculo penè intolerabilem, & is dolor exacerbatur maximè cùm bibit vinum, & illud sumptum aliquot post horis vomitu cogitur excludere, à cæteris non ita offenditur, unde hoc? hypochondriacum illud esse videtur, & phlogosis est & dispositio inexplicabilis in ea parte: Idem contingebat mulieri splenicæ & melancholicæ, Si enim hauriebat vinum album, dolor in sinistro hypochondrio erat intolerabilis. *Epid. lib.* 2. *pag.* 183. Idem narrat se, fretum consilio quorundam, qui consuluerunt ut quotidie manè manderet salviam, magnam pituitæ copiam educebat, ac credibile a frigidissima quadam pituita eos dolores excitatos, adjuvante quodam calore & phlogosi interna; Item fimum equinum vino maceravit albo, Vinum macerationis magno profectu se sumpsisse fatetur, *Epid. l.* 2. *pag.* 187. *Vini usus cuidam dolorem pariebat.*

29. Plerosque dolores ad stomachum variè fatigant, quos nescias an attineant ad ventriculum ipsum, an verò ad partes vicinas: ratione enim membranarum, tum quæ investiunt thoracem, tum quæ diaphragmati vicinæ sunt, oriuntur sæpe dolores continuitate quadam affligentes, & ea ratione alios, aliterque quam sint, mentientes: vt sæpe malè ab ægris, species doloris ignorantibus, intelligentes Medici decipiantur plerumque, nec vllum dolori solatium afferant. *Consil.* 26. *libr.* 1. *pag.* 60. Si non solùm intra ventriculum dolores consistant, sed infra supráve, id per consensum fit: vnde Archigenes apud Aëtium dicebat Medicos sæpe decipi, ratos dolo- *Ventriculi doloris causa obscura.*

ris causam aut in præcordiis esse, aut in pectore, cùm eorum causa à ventriculo repetenda sit. *Ibid. pag. 62.* Plerosque vidimus de orificio ventriculi conquerentes, An vbi dolor ibi morbus? Nequaquam, i. e. Non est existimandum in illa tantùm parte latere humorem, sed cùm humoris pars in eam partem sese insinuet, alia hæreat in vicinia, in illa maximè parte sensus tristis percipitur, in qua exquisitior sensus est: Nam ferè fit vt eadem causa partem vnam occupante, ejus partis non tota moles patiatur, sed in ea maximè particula dolor viget, in qua exactius sensus judicium. *Consilio 34. lib. 1. pag. 128.*

Ventriculi dolor circa orificium, à causa alibi subsistente.

30. Miratus sum sæpe ægros conqueri de dolore ad orificium stomachi, cujus doloris circumscriptio brevis admodum est, nec explet latitudinem duorum digitorum: purgationibus non juvantur multum, vomituriunt, pulsum habent languidum, corpus pigrum ac iners, noctes insomnes ducunt, ventre plurimum sunt adstricto, imo præ dolore superior pars hiat, inferior adstringitur: Piscator post ærumnas aliquot & labores incidit in febrem fere typi expertem: sæpe leipothymia prehendebatur: 40. pene dies laboravit, summa virium ruina, partium extimarum refrigeratio: hinc alvus subducta est excrementis modo liquidis, modo chylosis, & mucilaginosis: Incredibile dictu, tribus aut quatuor diebus, tres & quinque pelves satis capaces implebat, non allevabatur: perpetuo alvus sive ventriculus laborabat: profluvium hoc alvinum nobis videbatur leientericum, à mucilaginosis humoribus, corrupto chylo, ac forte totum corpus exonerabatur: modo roborato ventriculo, modo rhei usu allevabatur, & cùm cogeretur ad prima munia redire ob egestatem, agebat quidem sine decumbendi necessitate, tamen & pallor, & sitis: & partium imbecillitas remanebat, imo & dejecta appetentia: quæ omnia morbi relapsum ob reliquias designant, percipiebatur dolor ad eam ventriculi regionem quam prædiximus: tandem provocato vomitu, & alias sponte naturæ excitato, excreta sunt biliosa, viridia, glutinosa admodum, & quæ in longum ducerentur facile, sic allevatus est: Vbi locorum tanta materiæ copia continebatur? an in ventriculo? fieri non potuit, sed in partibus vicinis ventriculo, à quibus tandem à natura victus, cum alioqui coerceretur in angustiis, ad eam capacitatem raptus est humor, hinc doloris sedatio aliqua contigit &c. Plerosque alios pari modo affectos vidimus, præsertim de orificio ventriculi conquerentes: An ubi dolor ibi morbus? Nequaquam, i. e. non est existimandum in illa tantum parte latere humorem: sed cum humoris pars in eam partem sese insinuet, alia hæreat in vicinia, in illa maxime parte sensus tristis percipitur, in qua exquisitior sensus est: nam fere fit vt eadem causa partem vnam occupante, eius partis non tota moles

moles patiatur, sed in ea maxime particula dolor viget in qua exactius sensus judicium: Ac (vt *curationis* earum rerum momenta attingamus) in ejusmodi morbis duo maxime videntur præstanda, vt leniter & blande cum ægris agamus, & per intervalla tantum: quoniam quanto magis annitimur eam materiam amoliri, tanto contumacior redditur materia, imo id consequimur quod doctè admodum Hippocr. 4. de diæta acut. scribit, Qui inflammationem medicamentis nititur demoliri, tantum abest vt aliquid agat, vt & partem inflammatam irritet magis & partibus sanis vicinis colliquationem concilıet: Quid agas igitur? Sequendum est Hippocr. & Galeni consilium, *Illius quidem*, Concocta non cruda movere oportet, *Huius* vero, cum natura causis morbificis obruitur, estque humorum cruditas, non potis est quicquam salutariter excerni: Quod utrumque consilium hodie nihili penditur, quia ne nihil agere videamur, remediorum inutilium, id præsertim temporis, copia misere ægros torquemus: Sensim atque sensim progrediendum: Et tametsi in illis morbis fixis magnam vim demolientem requirat, *Hippocr.* id docte dictum est, sed bifariam intelligi debet: magna vis demoliens requiritur, tempore & loco, nimirum præparato & tentato prius corpore, & meatuum libertate comparata: Quod consulit vbique Galenus: Imo in calidis etiam morbis non videtur omittere decoctum hyssopi & origani: Vel alio modo id per comparationem intelligi debet; Nam illo loco loquitur de illis morbis qui eadem hora sæpe repetunt; quorum cum certa sit sedes, & fixa in illa materies, non est dubium quin validioribus medicamentis utendum sit, supple, quam in illis morbis in quibus orgasmo incitatur materies, & nondum loco se confirmavit: Ita nimirum melancholicos ἁδροτέρως, id est, valida manu expurgandos incitandósque consulit Hippocr. Fit tamen in febribus quartanis, & aliis morbis, quos nemo negaverit esse melancholicos, consulit idem Galenus mitissime agendum initio, ne si irritetur materia efferetur magis & morbus augeatur: Quod nos sæpe experientia observavimus: *Alia ratio medendi est*, vt vomitu excludatur, si fieri possit, materia, Nam quoniam ventriculus afficitur, & materia tenet obsessas modo indicibili partes ventriculo vicinas & lieni, non est dubium quin vomitus multum conferat: Et sensim atque sensim parandus est humor vt excludatur vomitione: vt non sit mirum si veteres sæpe vomitiones præscripserunt ad primæ regionis evacuationem, cum illarum magna sit opportunitas, nec tam commode materia, angustiis viarum conclusa, per intestina referatur *Cons.* 34. *lib.*1.

31. Hippoc. 5. Epid. *loquens de Androphane, inter cætera ait*, Dolor erat ad cor, quem venæ sectio solvit, i.e. cùm simæ partis sunt obstructæ aut inflammatæ (in illis enim, vt & in ore ventriculi, sedes est

Cardialgiam aliquando sanat vena sectio.

est febrium ardentium, ait Galen. comm. in prim. Epidem.) tunc dolor cor petit, i. e. os ventriculi, Et eum dolorem phlebotomia minuit. (*lib.2. Epidem. & Ephem. pag.136. annot. 21.*)

Purgationi cedit sæpius quàm alexipharmacis cardialgia.

32. Vna ventriculi oris superioris obsidio, propter contumaciter adhærens aliquid pituitosum, inæqualitatem aut intermissionem pulsus inducit, quod juniores & inexpertos Medicos perterrefacit, & ad θεῖόν τι recurrunt: Sed hic humor potius exclusione eget quàm alteratione per alexipharmaca. (*Consil.59. libr.1. pag. 321. & annot. 5.*)

Septalius.

Dolente ventriculo ob inflammationem, purgantia fugienda.

33. In inflammatorio dolore, inflammationem partis, aut erysipelatosum affectum insequente, genus omne medicamenti purgantis fugiendum erit, nisi simul affluxam ad ventriculum bilem cognoverimus; in quo casu purgantia omnia evitabimus, ob innatam caliditatem, & ne novæ fluxioni ad partem, jam dolore laborantem, detur occasio; concedemus tamen lenientia, abstergentia cum refrigeratione aliquâ: tamarindi, serum, syrupus violatus, & similia concedi poterunt.

Quæ evacuantia in usũ ducenda.

Rhabarbarũ in dolore ventriculi inflãmatorio fugiendũ.

34. Rhabarbarum multis in hoc familiare, omnino fugiendum: nam & igneis qualitatibus nocet, & biliosi humoris affluxum solet concitare.

Opiata in dolore ventriculi inflãmatorio quando concedenda.

35. Opium, & opiata, licet in omnibus ventriculi affectibus fugienda sint, urgente tamen dolore inflammatorio, cum lenientibus ea admisceri in paucâ quantitate possunt; sic enim neque actionem impedient, dolori succurrent, & intemperiem imminuent: etenim sic Gal. *de compos. med. secundum loc. circa medium*, examinans medicamentum quoddam Asclepiadis ad stomaticos, quod recipit plura medicamenta, & inter hæc aloën & opium, reddénsque utriusque rationem, inquit, *aloën vitiatos humores expurgare, & infernè per alvum evacuare: opium verò sensum obstupefaciendo mitigare molestiam, ortam ex acrimoniâ humorum*; erat tamen opii ad reliqua medicamenta dosis unius ad viginti quatuor, quam etiam non improbat.

Ventriculo dolente ob inflãmatione, frigida potus & extrà appositio quando conveniat.

36. In inflammatorio dolore ventriculi, aut incipiente erysipelate, aquæ frigidæ potum, aut frigidi applicationem ut convenire aliquando concedimus; ita id faciendum ab initio maximè censemus; affluxâ enim materiâ, si frigida exhiberetur, morbus curatu difficilior redderetur.

Ventriculi in dolore ex frigidâ, &c.

37. In doloribus autem ventriculi, & intestinorum à frigidâ materiâ, aut à flatu, ex eâ genito, si contumaces fuerint, & multa subsit materia,

ria Hiera licet à Gal. commendetur, & à plerisque Medicis, quoniam tamen tardissimè operatur, ac sæpe, dum ob viscidam materiam tunicis ventriculi adhæret, attenuata, & in halitus conversa materia, ventrem distendit, & dolorem auget, necessarium esse censeo medicamentum aliquando purgans admiscere, quod & materiam adjuvet subducere, atque Hieræ vim intendat, ut diaphœnicum, electuarium Elescoph., & similia; neque multùm dubitandum est, ne ad partem laborantem fiat multus materiæ affluxus; cum enim tam multa adsit crassa & viscida materia, vim omnium medicamentorum hebetat, & impedit ne a longinquis trahat; materiam autem etiam, in eo existentem & attractam quamprimum subducat, ita ut minima ventriculo noxa inferatur ex affluxu materiæ, vtilitas vero maxima ex causæ morbificæ evacuatione, potissimùm sedato dolore. *crassa materia Hiera aliquod medicamentũ purgans miscendum*

38. Quamvis quæ adstringunt, aliquo modo etiam repellant, in *Cardialgia* tamen in principio repellentia convenient, at nullo modo adstringentia: illa enim affluentes ad os ventriculi humores mordicantes, potissimùm in febrium principio affluentes, repellunt; adstringentia autem, licet id præstare possint, affluxos tamen quasi retinent, atque parti impingunt: secùs tamen evenit, si repellens aliquod per os assumatur; repellit enim deorsum, præcipitat advenientem, corrugat, adstringit, & indurat, ut facillimè, munitâ parte internâ, vim affluentis humoris retundere possit, atque repellere. *Cardialgia laborantibus in principio repellentia conveniunt, nõ adstringẽtia.*

39. In vomitu promovendo in hoc morbo hæc adsit cautio; si fluctuet materia, & proinde per intervalla invadat, neque nova affluat, tutò vomitorio, licet blando, uti possumus, ut hydrelæo, aquâ tepidâ, vel solâ, vel cum syrupo acetoso, vel oxymelite: quòd si vel ab hepate, vel aliunde affluat bilis, potiùs revocanda erit à superioribus, & per inferna subducenda. *Cardialgia laborãtibus quando vomitoria, & quando dejectoria conveniant.*

40. In biliosis & acribus subducendis iis humoribus, licet Galenus, & Trallianus aloë, sive Hierâ utantur, ut, si qua tunicis oris ventriculi materia adhæserit, detergi possit; alii autem rhabarbaro: placet tamen magis blandioribus uti, maximè cùm jam leniora commodissima nostro ævo inventa sint; sic decoctum tamarindorum, syrupus rosatus sol. cassia, vel ex prunis paratum medicamentum, aut etiam addito sero lactis, magis convenient. *In subducẽdis acribus, & biliosis humoribus in cardialgia lenioribus utendum.*

41. Placet tamen magis bolo uti, quàm liquido medicamento, quod diutius in ventre moram trahens, non solùm commodiùs sub- *Subducẽtia biliosos humores in-*

 ducet

cardialgiâ quæ magis conveniant, & in qua forma.

ducet tales humores, sed simul contemperabit illorum acrimoniam; in quo genere & cassiam, & pulpam tamarindorum supremum locum obtinere censerem.

Hiera pro cardialgia miscendum semper aliquod medicamentum.

42. Quòd si à pituitâ fiat acidâ, quod rarissimè accidit, etiamsi usus Hieræ à me commendetur, quòd humores illos attenuet, & simul subducat; quoniam tamen & tardissima est in actione, & sæpe à materiæ viscididate evicta etiam magis retardatur, unde sæpe symptoma adaugetur, optimum esse censeo, illi aliquod medicamentum admiscere, quod vim illius acuat, & quamprimùm medicamentum cum infestantibus humoribus deorsum ducat.

In Fame nimia.

Ballonius.

Causa sæpe in Liene, cãcrosa affecto dispositione, latet.

43. Cur melancholici edaces sunt? melancholicos passim edaces esse censuit Galenus: quod a corpore lienis refluat per vas venosum in ventrem ipsum succus melancholicus acidiusculus, proritandæ appetentiæ accommodatus: Sed & alia ratio reddi potest, cancrosa dispositio in Liene, ut quibus lien putris est & corruptus: duabus enim de causis isti sunt & voraces & edaces, tum quod lien laborans & infirmus non defæcet corpus à succo melancholico; tum quod instar cancri depascatur alimentum: Exemplo sit Carolus d'Herville & Io. Formageus, cui vtrique putris erat lien, & edacissimi erant: melancholicos istos, & lienis vitio laborantes, capparum usus juvat, & vini usus cum pane infriato, & oleasarum rerum usus. *Epid. lib. 1. p. 61.*

In Inappetentia.

Ballonius.

Exclusione per vomitum chyli corrupti desinens.

44. Maxima chyli pars non bene mitificata & attracta, & in lactibus ipsis retenta, pituitæ quandam speciem refert, & inter caussas reliquas Appetentiam aut tollit aut minuit: Vnde nos asserere possumus ægros quosdam observasse, qui copiam istius chyli corrupti, non bene attracti, nec in commodum naturæ, καταληφθέντως καὶ μὴ ἐκπεπαμένως, omni opinione majorem excreverunt, vnde in

in maciem inciderint, tandem primæ sanitati fuerint restituti. *Epid. lib. 2. p. 211.*

In Singultu.

Ballonius.

Non omnis ab inanitione & repletione.

45. Iuxta Hippocr. 39. Aphor. sect. 6. *Convulsio nascitur vel à Repletione vel ab Inanitione: eodem etiam modo Singultus.* Cavendum tamen ne temerè persuasi, propositione illa generali, in singultu, in febrem pestilentem incidente, evacuandi consilium captemus; quare Galenus neglectis duabus illis causis tertiam adstruit: Nam exempli gratia, in pressu costæ, in maligna qualitate, in perfrigeratione summa, in descensu Intestini, si, ut ferè fit, singultus contingat, an is à Repletione, an ab Inanitione? Si à repletione est, ecquæ illa repletio? repletio tamen est, cùm nemo tam Medicæ Artis ignarus statuat inanitionem illius convulsionis causam esse, cùm itaque Repletionem causam sui agnoscat, quâ illi ope succurrendum est? si enim à Repletione causam ducit, huic Inanitio utile est remedium; nemo tamen auræ pestilenti, aut frigidæ intemperiei, & illius usu malum imminutum fuisse, aut singultui à prolapsu intestini nato, evacuans remedium instituat; ut necesse fuerit Galeno ad peculiarem remediorum institutionem tertiam aliquam singultus causam inducere, scilicet, Auram; Possumus & quartam & quintam causam agnoscere, quàm ægrè aut ad Inanitionem aut ad Repletionem referemus: aut si referantur, nihilo magis proficitur, sed tantùm res involvitur, & nescitur sæpe quid opis afferendum &c. *Conf. 59. lib. 1. p. 307. & 308.* Dum omnis Singultus causam ad Repletionem & Inanitionem referimus, nimis fortasse generaliter pronuntiamus: Hoc autem sæpe erroris occasionem in medendo prætexuit: ubi enim Medicus putat ab inanitione affectum non oboriri (non enim sæpe & convulsio & singultus ab Inanitione est, quanquam fieri non negamus) statim ad Repletionem tollendam se convertit: unde ut evacuationem moliatur, nullum non medicamenti genus experitur, indéque ægris periculum non rarò intentatur: una enim cum humoribus, quos frustra medicamentum exagitat (ut pote qui morbi causæ non sint) anima ipsa evolat; ut cum singultus à pressu costarum, à maligna aurâ, à perfrigeratione, à prolapsu Intestini oritur, is ab Inanitione quidem non est, An à Repletione? Si Repletio, quænam? Et quod remedium adhibendum? &c. *lib. de Convulsionibus pag. 15.*

Adstringĕtia quando cōveniunt, quādo non. 46. Etsi omnibus remediis ventriculi adstringentia addenda sint, Quidam tamen obiiciunt Singultum, in quo ab adstringentibus est temperandum, quod audiendum est si singultus à materiâ frigidâ sit, nam impingeretur magis adstringentium vsu, *lib. de Virg. & mul. morbis cap. 7. pag. 129.*

Vino hippocratico sanatur. 47. Singultiendi non faciebat finem quidam, & nonnisi vsu vini Hippocratici allevatus, credibile est hunc ventriculi os superius præfrigidum habuisse. *Paradigm. 92.*

Cucurbitulis admotis. 48. Puella perpetuò singultiebat, dolor in Oesophago erat: ante Pulmonibus bubulis largiter vsa fuerat; hinc gravitas in stomacho, nausea, vomitus, frustulum Pulmonis, quem ederat, in Oesophago restiterat: Cucurbitulis rejectum est frustulum & aliis adhibitis remediis, convaluit, *Paradigm. 9.*

Singultui attenuantia & calefacientia sæpe nocent. 49. Cùm & Singultus & convulsio ab inanitione fiat, malè, cùm aliquis talis affectus contingit, statim recurrunt Medici ad attenuantia & calefacientia; in quo aberratur; talem errorem couvincit Galenus lib. 11. simpl. cap. de castoreo. *Lib. 1. consil. 58. annot. 2. pag. 317.*

In Vomitu. Nausea.

Ballonius.

Non illico sistendus. 50. In Vomitionibus sistendis aut sinendis, multùm à plerisque laboratur: videtur enim eodem modo conari natura in evacuatione materiæ regionem ventriculi occupantis, quo & in ventre inferiore evacuando, aut in Cerebro repurgando, & quoniam molestus est vomitus, inclamatur post Medicos vt omni arte sistant vomitum: at nonnisi vitæ dispendio de vomitum compescente remedio decernitur, vt enim alvum liquidam & diarrhoeam sistere sæpe exitiale est, ita quoque & vomitum; Et prudenter Medici faciunt qui vomitum vomitu, secundùm Hippocr. curant. *Epid. lib. 2. pag. 230.* Cùm conclusa materia aliqua æruginosa, aut ejusmodi alia dolores colicos excitat, & inanes vomitiones, prudenter adstringentibus vtendum est, quia eorum vsu coercetur magis & obstructionis occasio major est: *Cons. 34. lib. 1. ann. 2. p. 132.* Nobili mulieri cachecticæ, post horatiorum fructuum vsum immodicum, vomitiones biliosæ, æruginosæ, dolor ad stomachi regionem: cautum erat à Medico ne vomitus sisteretur, tamen præter consilium repressus est, virulenta materia repressa atrocissimum dolorem cum tumore accersiuit in prima corporis regione: supervenit, recurrente humore ad partem affectam, febris ἀσώδης, algent extima, vrun-

tur

tur interna: post duodecim horas à Lypyria interiit; ac nocet plurimùm diarrhœas & vomitiones sistere, præsertim si quæ excernantur, excerni debent. *Epid. lib. 1. pag. 37.*

51. In magnis vomitionibus Clysterum usus frequens, & boli ex rheo valent: nam potiones facilè excluduntur: cùm autem vomitiones frequentes sunt, nec ulla ferè arte compescuntur, & alvus adstricta est, valde à volvulo metuendum, *Epid. lib. 1. pag. 17.* *Clysteres valent & boli ex Rheo.*

52. Multis scatens excrementis mulier Nobilis, propinata medicamenta quinque evomit: concinnant illi syrupum solutivum, de eo uno die cochlear unum dant, sequenti duo, deinde tria, tandem natura retinet medicamenta, nunquid hoc tenendum est? *Ibidem.* *Vt medicamenta contineat ventriculus nec vomitu excludat.*

53. Multi vomituriunt, intumentem valde aqualiculum habent: imò laxatis velut fibris aquea eiiciuntur: sed talis non est excretio qualis esse debet; In iis nil priùs comperimus pil. ex Rheo cum aliis roborantibus, addito aloës pulvere: nam cùm tales non transcendant hepar, dum commodè ventriculum roborant, vacuando non obsunt ut ea quæ foris admoventur, *Epid. lib. 2. pag. 132.* *Inanis Rheo & aliis sanatus.*

Septalius.

54. Etsi quàm plurima, ad Vomitum attinentia, superiùs proposita sint, hoc tamen loco aliqua non sunt omittenda magni momenti, quæ in vomitu exercendo pro nauseæ, & vomitus curatione maximè sunt & animadvertenda, & cavenda. Primùm igitur sit, quòd, licet in aliquibus, quibus aut ob ventriculi imbecillitatem, aut ob affluxum aliunde humorum, colligitur materia in ventriculo, concedendus sit vomitus, frequentiùs tamen id non erit præstandum, sed semel, aut bis in mense, ne & in malam consuetudinem deducamus naturam, partem imbecilliorem reddamus, & membrum, coctioni ciborum, & nutritioni inserviens, sentina excrementorum efficiatur. *Vomitus fugiendus frequentior, sed, urgente necessitate, fiat semel in mense.*

55. Cùm vomitu materia expellitur, sive sponte, sive levi vomitorio (nunquam enim forti in hoc casu utendum est) non erit longiori tempore in eo insistendum; cùm alioqui cupiditas evomendi sæpe perseveret, ne ex nixu, seu vomendi impetu, aut vena aliqua in pectore, aut in gulâ disrumpatur, aut affluxus novus materiæ, potissimùm biliosæ concitetur, infrà igitur potiùs subsistendum. *In vomitu non diutius insistendum.*

* 56. Repetitâ etiam potiùs evacuatione, & interpolatâ id fiat, quàm unicâ. ** Vomitus potiùs repetendus, quàm diu in eo insistendum.*

† 57. Quinimò prior magis protrahi potest, posteriores autem breviores sint, licet cum aliquâ vehementiâ majori; illud quidem, ut *† Vomitus*

repetiti quales esse debeant.

multa materia expelli possit, hoc autem, ut crassior pars, & quasi amurca, aut fæx, in fundo ventriculi subsidens, educi quidem possit, sed nullâ alieræ materiæ ad partem attractione.

Vomitus, qui singulo mense fiunt, non habeant diem statutum.

58. Si quis non ex nauseâ, necessitatem vomendi commonstrante, ad vomendum promoveatur, sed quòd se id effugere non posse experimento cognoverit, statutum in mense diem, aut terminum non præfigat, sed nunc plures, nunc pauciores dies interponantur; ne in pravam, & inevitabilem consuetudinem ita deducatur, ne, si statutum terminum aliquâ datâ occasione transcendat, in morbos aliquos incidat.

Vomitu qui abstinendi.

59. Quamvis autem, datâ hac occasione, vomitu evacuandi sint, si tamen ad vomendum inepti fuerint, aut si perpingues fuerint, aut angusto nimiùm pectore, aut si aliàs sputo sanguinis tentati fuerint, aut si cerebro admodum imbecillo, aut oculis debilibus præditi sint, potiùs per inferna purgabimus.

Vomendum quando jejuno ventriculo, & quando à cibo.

60. Ut concedendum, vomitoria, quæ vehementia sunt, quibus humores expellentur à toto corpore, aut saltem à longinquis attrahuntur, jejuno stomacho esse exhibenda: ita in levioribus concedendis, quæ contentos in ventriculo humores evacuant, ea distinctio adhibenda est: quòd siquis ad vomendum non ita facilis est, præstat à cibo vomitum proritare, potissimùm, si crassi fuerint humores: si verò ad movendum fuerit facilis, nec humores multùm rebelles sint, præstabit id jejuno ventriculo tentare, aut leviculo auxilio juvare.

Crassis humoribus in ventriculo existentibus, à cibo vomẽdum.

61. Quinimò, si non solùm crassus fuerit humor è ventriculo evacuandus, sed in paucâ quantitate, licet malus, post cibum erit vomitu ejiciendus; admixtus enim cibo faciliùs expelletur, etiam qui in fundo ventriculi consistit, quòd alioqui non ita facilè ventriculus, in sese contrahens, illum elevare, & propellere poterit.

Vomituri non nimis repleantur.

62. Cavenda tamen magna ventriculi ex cibo repletio ei qui cibum ad movendum assumit; difficilior enim redditur vomitio, quòd ventriculus se ad expellendum, quod illi molestum est, vix tantâ positâ repletione contrahere potest.

Vomitorio assumpto, quamdiu à vomitu abstinendum.

63. At ne statim quidem ab assumpto cibo aut evomendum est, aut vomitorium sumendum; sed tantum temporis interponendum quantum sufficere posse conjeceris, ut humori noxio admisceri possit, agitari, circumvolvi, & versus os ventriculi sublevari; id verò sit spacium unius horæ, aut ad summum duarum: id autem semper intelligendum est de vomitu ad evacuandum ea excrementa quæ in ventriculo continentur, & de levibus vomitoriis; quid enim in vomitu, universum corpus evacuante, & in vehementibus vomitoriis observandum sit, & aliàs dictum est, & ab Avicenna petendum.

64. Multos

64. Multos video in nauseâ omni statim, aut evacuantibus per vomitum, aut per secessum uti, felici aliquando successu, aliquando infelici: quod ut evitemus, observandum erit, an inanis omnino sit nausea, an cum aliquo vomitu: si inanis, conjectandum, an aut infarcti tunicis sint humores, aut admodum adhærescant; tunc enim omnino præstabit illos attenuare, abstergere, & incidere, ut præparati possint educi faciliùs: quòd si in capacitate ventriculi contineantur, & symptoma maximè urgeat, statim aut vomitu educendi, adjuto motu, si ad vomitum faciles sint; aut per secessum erunt abstergentibus evacuandi. *In nausea quando humores vomitu, & quando per secessum sint evacuandi; & an priùs præparandi.*

De Siti immoderatâ.

Septalius.

65. Ut Sitis ex immoderatâ caliditate, & siccitate ventriculi, aut etiam cum præsentiâ humoris calidi & sicci aquæ frigidæ largo sæpe potu curatur, & æstum exstinguendo, & bilem, ob multam aquæ copiam ingestam, subducendo; ita maximè observandum erit, si sitis hæc inexhausta ex salsæ pituitæ adhæsu parietibus ventriculi, vel ejusdem in fundo illius morâ producatur, frigidæ potum non fore utilem, quòd contumacem magis causam reddat, & crassiorem, eam verò etiam facilè potus præterfluat: præstabit igitur uti aquâ calidâ, quæ magis penetrat, attenuat, diutiúsque in ventre commoratur, potissimùm, si quidpiam illi admixtum sit, quod attenuanti facultate præditum sit, sed & in pauca quantitate, & non excedens. *Siti in magnâ quando frigida bibenda, & quando calida.*

In Cholera.

Ballonius.

66. Dum humor est in motu, agitaturque huc & illuc, à medicamentis purgantibus magna infertur noxa, si tum usurpantur: cùm humores efferi sunt ac tumultuosè evagantur &c. *vide lib.3. artic.*11. *Consil.*107.*libr.*1.*pag.* 493. *A purgantibus cavendum.*

67. Enemata ex pinguibus præscribenda, sequendo consilium Hippocr.lib.4.acut.cùm loquitur de cholera arida: in qua flatus seditionem faciunt, estque calor acer & mordax. *consil.*112.*libr.*1. *annot.*6. *pag* 547. *Enemata ex pinguibus conveniunt.*

68. Cholera sicca usu balnei iuvatur, vt patet ex libr.7. Epid.de Pausaniæ filia quæ ex fungi crudi esu incidit in choleram siccam. *Annot.*7.*cons.*54.*lib.*1.*consil pag.*294. *In sicca valet Balneũ.*

 69 Quam-

Septalius.

Cholerâ laborantes quando per superna, & quando per inferna adjuvandi.

69. Quamvis in hoc affectu, & per superna, & per inferna humores excerni soleant, & impetu tali, ut fræno potiùs quàm stimulo opus sit; quoniam tamen aliquando irritationes quidem adsunt, sed pro multitudine materiæ non complentur, ideò adjutricem manum Medicus porrigere debet: at tunc ambigitur, an suprà, an infrà. Primò igitur considerabimus, an naturâ ad movendum ægri sint faciles, & an consueta sit aliquando talis evacuatio: tunc enim per eam partem adjuvari poterunt, hac distinctione adhibitâ: si cibi corrupti talem morbum produxerint, statim vomitu excerni posse; ut etiam si biliosi humores ab hepate, aut universo corpore fuerint transfusi, quòd biliosa per superiora faciliùs excernantur: sin verò aut ad vomendum naturâ ineptus fuerit, aut crassior fuerit materia præstabit abstergentibus subducere.

Vomitoria in cholera sint ex levibus.

70. Sed si vomitoriis agendum, ea omnino evitentur, quæ vel aliunde attrahendo vomitu attractam expellunt.

Vomitoria in cholera varianda pro varietate materiæ.

71. Sed cùm blanda illa multiplicia sint, aqua tepida, hydrelæum, mulsa, oxymel, quæ variâ ratione id præstant, quomodo ea in usum ducemus? Si biliosa sit, & mordax, ut etiam syncopen inducat, aquam tepidam, vel jus pulli simplex, vel hydrelæum potiùs eligemus: Si crassior fuerit materiâ, & pituitæ admixta, præeligenda erit aut mulsa, aut oxymel cum aquâ: Si putrefactus cibus, omnia hæc convenient.

Ex manna, & saccharo parata suspecta in cholera.

72. Per inferna, si opus sit, id est, si moveatur imperfectè, si biliosa fuerit, à mannâ omnino abstinendum, & abstergentibus ex melle, aut saccharo; statim enim in corruptelam trahuntur, & bilescunt: sed serum lactis omnium erit præstantissimum remedium, aut cassiæ succi portio, quæ ardorem cohibet, mordicationem comprimit, & blandè subducit: quòd si pituita putrefacta id excitabit, aut bilis crassa, nihil præstantius erit melle rosato, aut solvente ex sero lactis, aut facto cum infusione rosarum rubrarum.

Vomitoria in cholerâ non sint multa quãtitatis.

73. Vt vomitoria in aliis morbis curandis in multâ quantitate assumi debent, ut etiam mole natura ad movendum proritetur; ita in hoc morbo minor copia sufficiet, vel Aretæo teste: quòd distento nimiùm ventriculo, & difficilior exitus humorum acrium reddatur, & major vis, & dolor stomacho inferatur.

Repellentia in cholera quando, & quomodo in usum ducenda.

74. In repellentium, & roborantium usu hæc adsit cautio, nunquam statim ab initio ea in usum duci posse: si enim ex copiâ ciborum, aut humorum in ventriculo, & vicinis partibus talis morbus provenerit, non priùs ea concedi poterunt, quàm materia illa majori ex parte sit evacuata: quòd si aliunde affluxerit, nisi vires exsolvantur, permittendum etiam erit ut pars illius evacuetur, ne illius impetu represso, aut febris exitialis concitetur, aut ad membrum aliquod.

aliquod princeps repat; sed non dierum numero hæc movenda erunt, quòd morbus acutissimus sit, & aliquando uno, aut altero die ægros interimat; sed horarum solummodó, ut unius quandoque aut duarum horarum spacio viderim tantam humorum copiam evacuatam, vt vires conciderent, & corpus quasi consumptum, & depressum vndequaque apparuerit.

In Colico Dolore.

Ballonius.

75. An in Colicis doloribus sectio venę? Imò præsens remedium si à bile esse videtur: cavendum à medicamentis validis & usu linteorum impensè calidorum: tepore juvantur & therma sinate: syrupus violatus confert, imò & usus lactis recens mulcti aut calidi. *Epid. lib. 1. p. 23.* *Vena sectio aliquando conducit.*

76. In Colicis doloribus seu veris seu nothis graviter peccatur à Medicis, dum occurrere volunt symptomati, vomitui nempe, utuntur enim stypticis foris admotis: interéaque si est contumax aut materia aut obstructio, vnde stimulus iste ad vomendum, ea rerum talium vsu augetur, & sic colici doloris causa fit rebellis magis: *Epid. lib. 1. pag. 5. Annot. 5.* *Vomitus nō cōpescendus*

77. In doloribus Colicis, sive fugacibus sive fixis, carminantium clysterum vsu adiumentum affertur, modò tempore & loco exhibeantur: Nam, vt annotat *Arnaldus*, multi errant Medici, ineuntibus doloribus Colicis, statim subdentes enemata acria validáque, hæc enim fæces jam induratas magis exsiccant, & exsuccas reddunt, & tantam afferunt perturbationem, vt natura sæpe sese colligens omnia retineat, quæ tanto molimine avellere cogitamus. Et clyster blandus mitisque, (quod sæpe observavi) plus aliquando profuit quàm ità validus & acer, *Cons. 57. lib. 1. p. 303.* *Carminantes Clysteres cum judicio infundendi.*

78. Syrupus ex Aqua vitæ paratus cum saccharo, in crudis humoribus tormina excitantibus, mirificè contulit, *Epid. lib. 1. pag. 22.* *Syrupi ex aqua vitæ vis.*

79. In Colico dolore, præsertim circum ventriculum vexante, conferre dicunt jusculum ex succo amygdal. dulcium cum granis aliquot Piperis longi ex vino Hippocr. pauco, *Epid. lib. 1. pag. 70.* *Euporistum.*

80. Vidimus cuidam, acerbitate doloris Colici detento, placatos esse dolores adhibito vmbilico modico emplastro Caustico & veluti escharam faciente & intus foras evocante: Pericula ista nos debent cautiores & scientiores reddere ad excogitanda affinia remedia, sed illis aliquantò tutiora. *Epid. lib. 1. pag. 70.* Quoniam sic educitur sanies quædam tenuis. *Ibid. p. 87.* *Caustico sanatus.*

81. In doloribus Colicis, iisque Biliosis, lactis usum valde contulisse vidimus; Et tametsi Hipp. interdicat lactis usu dum eunt dejectiones biliosæ, tamen, nisi insignis aliqua sit febris quę cor- *In bilioso valet lactis usus.*

 rumpat

rumpat lac,ab eo abstinendum non videtur: Si in ventrem Clysmate injicitur & nulla inde insequitur noxa: cur non in ventriculum injici poterit? Itaque si diu non cunctetur, corruptionem non acquiret. *Epidem. lib. 1. pag. 98.*

Punctio abdominis in dolore à flatu tētanda.

82. Filia N. ventris tormina questa est, vomitiones assiduæ, dolor nulli cessit remedio: dolore victa mortua est: stilo abdomini immisso, exiguo admodum foramine, flatus erupit & totum abdomen resedit; Annon viventi metu repentinæ mortis, ista punctio fieri & potuit & debuit? Audendum hercle desperatis maximè rebus, *Paradigm.* 33

Colicus dolor nothus febribus succedens.

83. In Colicis doloribus Nothis cavendum ne decipiamur: nam sæpe in fine febrium contingit à centro materiam regeri in abdomen, ibique dolores excitari Colicis similes, cùm in intestinis nulli aut exigui flatus contineantur: sæpe humor biliosus ferit & distendit, doloremque excitat qui Colicum mentiatur, Interdum continentur abscessus, à quibus dolores Colicis non absimiles excitantur, quod obseruauit Fernelius & nos post illum. *Paradigm.* 82

Quidam calidis & acribus irritatur.

84. Ex Galen. cap. 4. lib. 1. de loc. aff. Quidam Colico dolore divexatus ab omnibus calidis & acribus offendebatur: idem & calorificis irritabatur: alimentis benignis iuvabatur, dolorem acrem percipere se æger narrabat: dato medicamento ex Aloë convaluit: sic decipi non oportet in Colicis doloribus. *Paradigmate* 147.

Adstringentibus quidā curatus.

85. Ex eodem. Cùm alius dolorem excitari putaret ab acribus humoribus, sumpsit medicamentum acre: ab hoc medicamento læsum intestinum, quovis etiam benigno cibo offendebatur: conjecit Gal. intestinum venisse ad διάθεσιν ῥευματικὴν, & ideo facilè Iecoris recrementa recipere; Adstringentibus cibis allevatus, *Paradigmate* 148.

De Colicis doloribus nothis vide Titulo de Hypochondriacis Affectionibus.

Septalius.

Initio valēter discutientia noxia.

86. In vsu anodynorum in hoc morbo, illud primo animadvertendum est, in initio, si in vsum ducantur, antequam evacuata sit materia, non esse admiscenda valenter discutientia flatus, vt *rutaceum oleum* aut olea quibus *ruta*, *baccæ lauri*, & similia incocta sint, etiam ex *Galeni* præcepto xij meth. cum enim ob copiam materiæ assidue flatus generentur, non valentia illos discutere sæpe dolores augent.

Clysteres ab initio cum vino vel sape noxii.

87. Errant multo magis qui iis oleis vinum potens aut sapam, statim ab initio admiscent, & clysteribus infundunt: cruciatus enim sæpe augentur, excalefactis & attenuatis nimium crassis & frigidis humoribus, & in halitus elevatis.

87. Et

88. Et quemadmodum calidiora hæc potentia, sive intra sive extra, in principio non laudamus, ita actu etiam nimis calida concedenda esse negamus. *Valde calida actu mala.*

89. Animadvertendum etiam ne clysteres indantur repleto adhuc ventriculo, sic enim cibus attraheretur ante tempus, magisque impingerentur crudi humores, in intestinis augerentur dolores, & curatio redderetur difficilior. *Clysteres ne indantur repleto ventriculo.*

90. Stupefacientia quamvis in omni dolore colico convenire possint, frequentiùs tamen in usum duci possunt, ubi materia, morbum faciens, calidior sit, & acris: non solùm enim sic sensum obtundimus, sed etiam causæ, morbum facientis, rationem habemus. *Stupefacientia in colicis optima, potissimùm si à materia calida.*

91. Si quando tamen iis utendum est, eò usq; non sunt differenda, donec vires vitales jam collabascant, ægérque non longè absit ab interitu: solet enim sæpenumerò sine dolore dormiendo vita terminari. *Opiata in colicis, viribus valentibus dētur.*

92. In colico dolore ex pituita si quis, recentiorum dogmata secutus, lenientibus solis, aut ad summum stercorariis, admixtis aloë, aut Hierâ Galeni contentus, à purgantibus veris abstinuerit, tandem honoris jacturâ factâ, aut ægros mori cum maximis cruciatibus finet, aut alterius Medici accessione, qui cum Græcis omnibus, & Mauritanis, validiori medicamento purgante, & abstergente propinato, materiam ab intestinis deturbabit, ac eá ratione dolores aut imminuet, aut tollet, existimationis non parvam jacturam faciet: non valente enim leniente medicamento viscidam & crassam pituitam deturbare, & Hierâ ob tarditatem actionis diutius in intestinis commorante, & sæpissime non valente pertransire, sed materiæ illi crassæ adhærente, elevatis flatibus, validissimi dolores excitantur, & augentur. Quare præstaret urgenti dolori, quamprimùm eductâ materiâ, succurrere, & iis uti, quæ cum attenuantibus mixta citò materiam subducere possent. Neque impedit, ut ad locum affectum materiam deducamus: nam neque verè locus affectus ita læsus est, ut hunc transitum non admittat, quòd ad hoc à naturâ sint instituta intestina; & si qua materia ad eas partes ducitur, simul etiam cum præexistente evacuatur; si affecta esset pars, si inflammatione tentaretur, tunc maximè peccaremus, si talem in eo casu evacuationem procuraremus. Neque cruda hæc materia dicenda est eâ cruditate, quæ ab initio præcepto Hippocratis evacuari non debet; de eâ enim ea sententia intelligenda est, quæ ex putredine factâ coctionem requirit, quæ putridis debetur humoribus, quales sunt humores in febribus putrescentes. Hæc *Coliris in doloribus purgantibus in initio utendum.*

extra

extra venas est in locis, ad evacuationem institutis sine genere illo putredinis, ita ut solis attenuantibus aliquibus, & abstergentibus, tam per os sumptis, quàm infusis, præparari ad evacuationem possit; quinimò infusis per clysmata paratâ viâ, & attenuantibus mediocribus dispositâ materiâ, si etiam purgantibus attenuantia admiscuerimus, qualis est Hiera, integrè omnibus satisfacere poterimus; sic enim subductâ materiâ, & discussis, quin & expulsis flatibus, aut dolores solventur, aut certè mitiores fient.

Vsus olei in colicis, non evacuata prius materia, inutilis.

93. Olei vel ex amygdalis, vel ex semine lini usus, ubi multa adfuerit materia crassa, inutilis sæpenumerò esse solet; retinetur enim aliquando, & viscidiorem materiam reddit: & licèt tanquam anodynum quandoque mitiores reddat dolores, quoniam tamen materiam peccantem subducere non valet, solent non curari dolores, sed sæpe denuò insurgere.

Oleum in colicis quãdo optimum præsidium.

94. Apertâ igitur viâ, & subductâ parte materiæ, aut enematibus, aut medicamentis purgantibus, si adhuc urgeant dolores, oleum superius præstantissimum esse solet præsidium.

Olea in colicis adjuvãda cum abstergẽtibus aut purgantibus.

95. Sed si vereamur, aut ob crassitiem materiæ, aut ob ejusdem quantitatem, ne possit præterfluere, admiscendum illi erit nonnihil abstergentium, ut mellis rosati solutivi, aut etiam purgantium, ut diaphœnici, vel electuarii Elescoph, dissolutorum cum aquâ, aut glandium Persicorum, aut anisorum, aut similium.

In colicis à flatu olea lata etiam ab initio, utilia.

96. Quòd si à flatibus dolores provenerint sine multâ copiâ materiæ, nihil est, quod magis ex usu esse soleat eodem oleo, etiam ab initio aut per se sumpto, aut, quod melius esse sæpius expertus sum, cum prædictis.

Vomitoriorum in colica usus, & abusus.

97. In usu vomitoriorum cauti sint maximè: si enim ventriculus & supernæ partes intestinorum repletæ nimiùm fuerint, ex usu maximè erunt, ut medicamentis, ad dejiciendum ingestis, locus detur pertranseundi: quòd si totus dolor, ejúsque causa infernas partes obsideat, non solùm frustra tentatur vomitus, sed aliquando fit cum ægrotantium certâ pernicie; volvulosi enim sæpe fiunt, ac cum certo mortis periculo, etiam stercora per eam partem evomunt.

Cucurbitulæ magnæ in colicis applicandæ, cautio.

98. In cucurbitulæ magnæ appositione regioni umbilici ea adhibenda est cautio, ut ea ex illis sit, quæ sunt in medio perforatæ: fit enim sæpenumerò, ut cùm pars subjecta mollis sit ac pinguis, multa illius moles intrò trahatur, quæ subtractionem cucurbitulæ impedire solet: unde vel diutius retenta in sphacelum subjectam partem deducit, aut si frangatur, ut hoc incommodum evitemus, aliquando ex vitrorum fragmentis cutis vulneratur.

Umbilicus muniendus in applicatione cucurbitulæ.

198. Cùm pluribus, potiſſimùm mollibus, & perpinguibus, hiantes ferè ſint umbilici, & ex vi ſuperpoſitæ cum igne cucurbitulæ pinguedinis aliqua portio aliquando trahatur per eam partem, conſulo, orificio illi ut priùs ſuperponant parvum ceratum, puta, ex cerusâ coctâ, ut tale incommodum evitent.

Colicis ex flatu valenter diſcutientia noxia.

199. Ut in Colicis doloribus ex flatu anodyna ſtatim, & interna & externa concedenda ſunt, ut cruciatus illi mitigentur, etiamſi nondum materia, unde elevantur, ſit evacuata; ita ea fugienda eſſe cenſeo cum Gal. 12. *Meth.* quę inſigniter calefaciendo diſcutere quàm maximè valent: attenuata enim materia, majorem locum occupans, inteſtina magis, diſtendit, ac flatibus adauctis dolores auget.

Colicis ex flatu laborantes ante cucurbitulæ uſum purgandi.

100. Cucurbitulâ etiam in iis doloribus ex flatibus, ubi urgeat ſymptoma, uti poſſumus; ſed ceſſante dolore, vel mitiore reddito, materia, unde elevantur, ſubducenda eſt, alioqui redeunt, ut optimè docuit Gal. 12. *Meth. cap.* 8. Si tamen non adeò urgeat dolor, ut omnem ad ſe trahat indicationem curativam, præſtabit evacuationem præmittere, præſertim ſi multa ſubſit materia, aut adhuc nova affluat, *ex* 13. *Meth.* 19.

Colicis in doloribus frigida aqua quandoque utendum.

101. Contingit aliquando, ut colici dolores adeò vehementes ſint, ut omnem Medicorum operam eludant, ac quocunque auxilio adhibito potiùs augeantur, in quo caſu ad contraria erit tranſeundum; Cùm enim colici dolores majori ex parte à materiâ frigidâ fiant, aut à flatibus diſtendentibus, fit aliquando, ut aut ratione dolorum, aut vigiliarum, aut mœroris, aut ob contumaciam, aut incaleſcant nimiùm inteſtina, accedentibus etiam calidis, & intrà, & foris appoſitis remediis, aut phlogoſi quâdam tententur, aut etiam verâ inflammatione incipiant affici, aut multa præexiſtens bilis ibidem transfundatur; unde ad contraria erit tranſeundum, & inſigniter refrigerandum. Quod mihi anno præterito contigit, primò in nobili Hiſpano, peditum duce egregio; pòſt in N. à ſecretis Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Marchionis Caravagii, qui cùm colicis doloribus per aliquot dies fuiſſent acerrimè conflictati, & jamjam mors eſſet præ foribus, nulli perſentirentur arteriarum pulſus, ſudores adeſſent reſolutorii, nulla denique ampliùs ſupereſſet ſpes ſalutis, ne quidem apud Medicos, etiam præſtantiſſimos: accerſitus & ego, cùm ſitim inexſtinguibilem, linguæ ſcabriciem, nigrorem ac duritiem, pertactis autem hypochondriis, & ventre inferiori, calorem, in partibus illis æſtuantem adeſſe obſervâſſem, Hiſpano aquam multam, nive etiam refrigeratam, bibendam exhibui, cùm naturâ abſtemius eſſet, & multæ aquæ potator egregius; in ſomnum prolapsus eſt, & quatuor horarum ſpatio cùm dormiviſſet, dolore quodam inferioris ventris, à primo maximè, ut ipſe referebat, diverſo, excitatus à ſomno, miram bilis flavæ copiam evacuavit, & à doloribus liber evaſit. Unde collegi Medicos, qui illius cu-

rationem susceperant, in causâ morbi illius longè deceptos fuisse, cùm calidis remediis curationem instituissent, à frigidâ materiâ factum morbum judicantes. Alterum autem, cùm jam agentem animam invenissem, non aliâ ratione statim curavi, quàm lineo panno, multis plicis in quadrati formam composito, frigidæ immerso, ac mirantibus astantibus, quid facerem, ventri superposito, cúmque, ut dormiret, injunxissem, diutiúsque etiam somno oppressus sine motu cùm conquiesceret, verentes affines, & uxor, ne jam fatis cessisset, cùm expergefecissent, indignabundus, quòd tanto bono eum privâssent, quasi è lecto exiliit, à doloribus omnino liber.

In colicis ex inflammatione purgatio lethalis.

102. Si ex inflammatione intestini dolorem fieri contigerit, caveat Medicus, ne ullo, quantumvis levi, medicamento subducente utatur, ne attractis ad partem, inflammatam ab illæsis partibus, calidis, aut pravis humoribus, aut inflammatio augeatur, aut, impedito transitu, in volvulum desinat.

Cassia in colicis ex inflammatione utilis.

103. Cassiæ tamen solius usum aliquando non respuerem in tali casu, quòd miti illo, blando, & humido calore sæpe inflammationem sedet, dolorem leniat, & suppurationem tumoris adjuvet.

Colico in dolore secta vena in talo aliquando confert.

104. Quamvis venæ sectio ex brachio in colico dolore ex inflammatione, decreto Gal. 12. *Meth med.* commendetur; si tamen eò usque morbus pervenerit, ut urinam supprimat, secta vena in talo maximè, conferet; aut post priorem illam, si multa adfuerit plenitudo, aut etiam, si talis non adfuerit, si ex talo loco sanguis primò mittatur, non erit præter rationem & experimenta.

Colicus dolor calidorum usu Iliacus factus.

105. Quidam Colico cruciatu tentari solitus, post intempestivos labores consueta symptomata experitur. Rustici neglecta alvi subductione ad calefactoria confugiunt: impense calfaciunt: alvus plane resistit; medicamenta assumpta, etiam horas IX. morata, reiiciebantur sine ullo profectu: clysteres irriti, balnea usurpantur, nihil prosunt; quarto post die tympanitis speciem refert abdomen: mors, Iliacum hoc fuit: *Ballonius Paradigm.* 181.

In Ileo.

Ballonius.

Quidam calorificis curandus.

106. Non videtur Galeno Iliaca passio nasci posse à crassis & frigidis humoribus, qui ideo non vult admittere illum Aphor. *Hippocr.* 4.46 germanum esse, Quibus ex stillicidio urinæ Ileos supervenerit, septem diebus pereunt, nisi febre superveniente multa urina profluxerit: sed fieri potest ut stillicidium urinæ contingat à raptu pituitæ salsæ acidæve ad Renes; quæ si fortè (ut ferè fit in morborum successioni-

cessionibus) in intestina regeratur, aut in eisdem resistat, paulò vegetiore calore in flatus conversa, dolores vix tolerabiles excitabit, hinc in gyrum intestinum convolvitur, dissolvitur, intumescit, &, ob acerbitatem doloris, rejectio omnium humorum per os, variato motu peristaltico: at quoniam febris (si modò sit analogos) materiam mitificat, paralyses teranosque solvit, potest quoque materiam in intestinis contentam coquere, mitificare, hinc Ilei levatio: Ex iis colligere licet in Iliacis passionibus aliquando frigida maximè ex usu esse, & Balnea aliquando obesse plurimùm: prodesse verò calida, si humores frigidi, lenti, pituitosi, & si febris immineat, non esse prohibendam. *Conf.31.lib.1.*

107. Cùm quis Iliaca passione cum crebris vomitionibus torquetur, prolapsum Ilei intestini vereri oportet, (nam non raro Iliaca passio inde oritur) cùm autem prolapsum est intestinum, tametsi vires admodum debiles videantur ob infectos spiritus, oportet blandis medicamentis alvum solvere, quia revocati erant humores à partibus inferis ad superiores: Nobil. Mulier id declaravit, quam repurgavimus, postquam repositum Intestinum fuit, tametsi omnes extimæ partes frigescerent, frustra enim ad Cardiaca confugitur. Id quod foras eminebat in hac muliere adeo erat exiguum, ut id omnes negligerent; imò Chirurgus negabat esse intestinum, alioqui, inquiebat, alius foret tumor & maior: Quidam tamen Medicus, rei Anatom. peritissimus, observavit Enterocelen mulierum esse periculosiorem quàm virorum, licèt sit multò minor, & ab ea sæpius interire; Et sanè hoc vidimus, nam in mulieribus id quod tumet, sæpe non superat medietatem annularis digiti; at in viris sæpissimè capitis magnitudinem refert, & non ita periculosè laborant. An quod in mulieribus verè Cœcum intestinum obstruitur & descendit, in viris autem alia intestina & præsertim Ileon? *Epid. lib.1.pag.23.*

In Ileo ab intestini prolapsu alvus solvenda sed leniter.

108. Præ cæteris in prolapsu intestini laudat *Celsus cap.20.lib.7.* inediam & phlebotomiam. *Epid.lib.1.pag.25.*

Confert inedia & S. M.

109. Restituto intestino æger nondum periculo liberatus est, ideo danda opera est vt saluti falso creditæ non acquiescat: Alvus non est supprimenda, nam per aliquot dies multa colluvies debet per inferiorem alvum excerni, & os superius ventriculi confirmari, irritatum, & symptomaticæ excretioni malè assuefactum, *Epidem. lib.1. pag. 25. Annot.5. ad Consil.24.lib.2.p.244. Ioh.* le *Charron* volvulosus factus à prolapsu intestinorum in scrotum, manus adhibita, reposita intestina, restitutus: sed postea excreta est à medicamento innumera humorum colluvies, priùs mota sed non promota, & id in volvulosis notandum est, licet periculum præsens vitatum sit, metuendum, nisi sequatur multa excretio, & revocetur omnino motus humorum deorsum, qui sursum ferebantur motu peristaltico inte-

Etiam reducto intestino agri summa ratio habenda.

ſtinorum vitiato aut impedito: maximè verò dandum rhabarbarum, ut os ventriculi prius læſum ac infectum roboretur: Meſueus obſervavit multa ſymptomata comitari ſolita eos qui à volvulo liberati ſunt, qui tamen à futuris malis omnino liberi non ſunt: Nec enim in iſto morbo cani debet triumphus ante victoriam, unde mortui ſunt, incuria iſta, de quibus Medicus ſecurus jam erat. *Ibid. pag.* 244. Rheum aut pilul. forma, aut potu datum confert: Sed & aliud aliquando deterius contingit, nam in lactibus & circum glandulas meſenterii inflammatio contingit, hinc chyloſa excretio, hepate non attrahente nec exſugente ob inflammatas meſaraiti & meſenterii venas: Et tum alvus quidem fluit, & tamen venter intumeſcit: Ideo danda quæ inflammationem compeſcunt, Id in multis à nobis obſervatum: *Epid.l.1.p.25.*

Clyſteres aliquando augent affectum.

110. *Meſueus,* capite de inteſtinorum morbis, vult Colicam ac Iliacam paſſionem ſæpe eodem modo fieri. dum ſc. materia collecta eſt in Monoculo; ac dum agitatur, nec excernitur, augentur dolores, hinc colica, aut Iliaca paſſio: imò, ait, Clyſter quia non pervenit ſecundùm ſubſtantiam ad ſuperiora inteſtina, ſed ſecundùm vim tantùm, agitat tantùm materiam in ſuperioribus, inteſtinis contentam, ſed non excernit, vnde grandi conatu naturæ, quia per inferiora materia ſecedere non poteſt, & ſtercus & clyſter per os rejicitur: *Conſ.* 31. *p.* 78. *lib.* 1. Sic mirum cur Volvulus ſit tantùm affectio tenuium Inteſtinorum, vt vult Gal. aph. 44. lib. 6. cùm obſervatum ſit rectum Inteſtinum volvuli aliquando cauſam eſſe, aut ſaltem malum in eo eſſe, *vnde hiſt. 9. ſect. 2. lib. 3. Epid.* meminit craſſorum inteſtinorum etiam volvulum eſſe affectum. *Annot.* 4. *in id conſ.p.* 81. *conſ.* 24. *lib.* 2. *p.* 143.

A vermibus quãdoque excitatur.

111. Annotat Meſueus Iliacam paſſionem à Vermibus excitari, dum illi ſcilicet loco fixi ſunt ac pungunt; cuniculos agunt, imò perforant Inteſtinum: *Conſ.* 31. *lib.* 1.

Vomitus non ſemper exitialis.

112. Gal. comm. in Aphor. 10. lib. 7. ſcribit vomitum non ſemper adeſſe in Ileis, ſed quando exitiales ſunt: Ego tamen vidi quibus adeſſet vomitus, & liberati ſunt; imò facillimè omnium ſuccedit vomitus, ut cùm prolapſum eſt inteſtinum in Scrotum; niſi quis dicat vomitus in eo Ileo ſupervenientes non ita lethales eſſe, vt ſunt in alijs ſpeciebus: Aut per vomitus eos præſertim intelligit qui cum fæculenta materia ſunt, aut cum chyloſa; nam ſimplices vomitus non ita mali ſunt, niſi frequentes admodum ſint. *Annot.* 1. *in id. conſ.*

Confectio Hieræ eximia.

113. Obſervat Dom. Magnus in Volvuloſis affectionibus nil meliùs eſſe quàm dare confectionem Hieræ, hæc enim ſubverſiones ventriculi ſedat; item induratas fæces aliquando emollit, & è recto inteſtino extrahit. *Annot.* 5. *in id conſil. p.* 81. Si humor ſit obſtruens, ſique-

sique non sit inflammatio magna, Hieræ primæ debentur, aut in potu, aut in forma boli. *Conf.* 24. *lib.* 2.

114. Volvulosis à prolapsu Intestini, inutilia medicamenta laxativa per os sumpta, augent potiùs malum & obstruunt, *Ibidem.*

Laxativa assumpta periculosa in eo qui est à prolapsu intestini.

115. Aqua theriacalis & vinum conferet, quia inficiuntur spiritus, unde animi defectiones & sudores exolventes. *Ibidem.*

†Roborandũ in ea specie.

116. Induratæ fæces hamo aliquando extrahendæ: injiciantur per longam fistulam olea chalastica, frequentes clysmi, & acres, & exigua quantitate, *Conf.* 24. *lib.* 2.

Hamo fæces aliquãdo extrahendæ.

117. Hippocr. lib. de Affect. cùm non admittuntur clysteres, vult fistulam ad utriculi extremitatem applicari, & ita intestina inflari, post dari clysteres, quod forte non negligendum in tam periculoso morbo, *Annot.* 5. *in conf.* 31. *lib.* 1. *p.* 81. *Consil.* 24. *lib.* 2. *p.* 245.

Follis insufflandus in desperatis ante clysteris infusionem.

118. Volvulo defunctos, & jam convalescentes, tanquam Puerperas curabis, post vitatum periculum; ne sese exponant aëri, néve in victu peccent; & in locum vacuum, post vomitiones chylosas & stercoraceas, subat ambiens torminum magnorum author, *Conf.* 24. *lib.* 2.

Volvulosorum à periculo liberatorum regimen.

In Alvo Adstricta.

Ballonius.

119. Vulgata est multorum querela quod ijs alvus nimium adstricta sit, nec nisi tertio quartóve die dejiciat, aut tardiùs multò: multæ solent assignari tardioris alvi causæ; una vulgaris est, & quam oppido pauci animadverterunt, aut ciborum parcitas, aut pastuum intercapedo longa; interest enim multùm inter cœnam præcedentis, & prandium sequentis diei, tempus enim medium est horarum sexdecim plus minusve, quod tempus plus æquo satisfacit ciborum coctioni & distributioni alimenti: Nisi forte quædam corpora objicias, quibus calor naturalis imbecillior, non tam facilè suum facit officium: sed generaliùs nos id totum pronuntiamus, atque dum tantùm temporis interest, præsertim si vitæ ratio satis moderata, & calor naturalis fortis est, siccantur fæces, calor naturalis augetur, destitutus aliqua ex parte pabulo, ut jam contra naturam evadat: id quod multis argumentis potest deprehendi: Meliùs cum alijs agitur quibus alvus quotidie aut bis die

Plenior diæta sæpe remedio est.

solvitur, hinc enim multi arcentur ac fugantur morbi, & qui cibis potúque frequenti utuntur, non ad necessitatem sed ad voluptatem, ijs crebrò magis ac profusiùs alvus descendit, ut videatur magis è re naturæ esse temperantiæ limites parùm egrediendo, paulo crebriore potulentorum & esculentorum usu alvi libertatem procurare, quàm strictiore ac religiosiore victus ratione densitatem adstrictionemque alvi causari, dolorum juxta ac morborum parentem; *Epid. lib. 2. pag.* 228. Nec tam ipsius necessitatis legibus obediendum quin aliquando voluptatibus ipsis inservias: Quod enim summus vir scripsit, *Corpora cum purgare volueris fluida facito*, id non solum in solennibus purgationibus tenendum sanciendumque est, verum in quotidianis & à natura institutis excrementorum evacuationibus: E cerebro mucus plerisque non exit quotidie mane, nisi aut præsumpto cibo aut potu, aut aëre præhumectante, aut narium affusione aquæ humectatione: Pituita non facile extunditur priusquam arteriam re aliqua liquida præhumectaris: unde plebeii & proletarii homines, quibus non tam curæ est quomodo vitam in posterum sustentent, in diesque vivant, quam vt quotidie mane lagenam aut suum poculum vitreum vino impleant, in diemque vivant, vini albi aut alterius drachmis aliquot ebibitis (verbum enim eorum politicum est) multam pituitam è pectore extussiunt, adeo facile ut id eis sit magnum ad fugandos morbos remedium: Ita enim se facile putant adversus omnia incommoda aëris θωρήσσεσθαι: Quod cum ita sit, quemadmodum in procuranda quarundam partium exoneratione aliquid sumi debet, quod fluidam lubricamque partem reddat; ita, vt alvus quotidie, aut non ita tarde dejiciat, cibo frequentiore corpus, atque adeo alvus ipsa proluenda est atque humida servanda: Aut desinant lassas medicorum aures ita crebris querelis infestare. *Epid lib. 2. p.* 228.}

Vehementia remedia noxia. 120. Alvus pigra est admodum, an ideo vehementioribus pugnandum remediis? Nequaquam, sic fœdè ac turpiter à Medicis judicatur, qui quum alvum pigram admodum vident, nilque etiam valido medicamento dejicientem, temerè corpuscula sicca & emaciata graviter medicamentis fatigant: nesciunt enim, nesciunt siccitatem corporis retentricem confirmare admodũ, & dejectiones non posse fieri faciles & liberas, nisi humiditas quædam radicalis sit quæ actionem adjuvet; sic enim magna illa siccitas omnem actionem impedit ac intervertit: Interea affatim sæpéque medicamenta valida damus, & dum majorem siccitatem afferimus, nihilominus nostro voto satisfit: *Cons.* 16. *lib.* 1. *p.* 29. Hippocr. *lib. de Aëre, aq. & locis, Quorum, inquit, ventres duri sunt, & ad hoc idonei ut amburantur,*

tur, his dulcissimæ, lenissimæ, ac splendidissimæ aqua ex usu sunt: Non nitro aut alumine imbutas & medicatas aquas præscribit, quæ tamen alvum magis solicitare viderentur, contra molles, dulces, liquidas laudat: Par quoque debet esse ratio medicamentorum, cùm assumptorum, tum clysteribus injectorum: nam ut ad ventres ardentes ciendos aquæ molles & dulces, sic & medicamenta lenientia, leniendo solventia & eccoprotica conferunt; contra verò obsunt calidiora & validiora ut scammoniata, metu Ilei & incrementi caliditatis, siccitatis & firmitatis intestinorum retentricis, quæ causæ sunt præcipuæ adstrictioris alvi; sive quod ægriùs, nec nisi *πρὸς ἀνάγκην*, alvus egerat reddatque: Itaque corporibus duritie alvi præditis, aut siccis & squalidis, lenientia potiùs quàm valde attrahentia conferunt medicamenta: *Epid. lib.* 1. *pag.* 19. Imò ea corpora præhumectare oportet eo modo quo & consulit Hippocr. in Aphorismis, loquens de usu helleborismi: Ideo quidam ex nostratibus Medicis sic illa corpora purgabat, ut per tres dies continuos & bolis Cassiæ, tanquam alimento sumptis, & jusculis vitulinis præhumectaret et ac præpararet, *Consilio* 65. *libr.* 1.

121. Cùm Alvus admodum adstricta, cavendum ab enematis valde acribus; nam dum eorum vis intruditur, & transcendit rectum intestinum; dum alia irritat vellicatque validè, & præ obturante fæce, in recto intestino, nequeunt se exonerare, sæpe adiguntur ad contrarium motum, & mutant suum motum *περισταλτικὸν*, vnde frequentes provocantur Ilei: *Epid. lib.* 1. *pag.* 17. & 44. *Et acria enemata.*

122. Ego observavi in operibus Artis medicamentum, etiam blandum, horis pomeridianis tribus à prandio exhibitum magnum habere effectum: hinc discere possumus in his quibus alvus admodum adstricta est, ex usu esse si quatuor horis à prandio exhibeamus Pharmacum. *Consil.* 65. *lib.* 1. *Annot.* 5. *Lenientia qua hora assumenda.*

In Alvi Fluore.

Ballonius.

123. Longi cùm perseverant Alvi fluores, rarò id fit citra catarrhosam Cerebri dispositionem: veteres autem Medici eò discernunt fluxum hepaticum & cerebralem à stomachico & intestinali, quod hepaticus & cerebralis sit periodicus & nocturnus; stomachicus autem diurnus ferè & non periodicus, Ratio hæc esse censetur, ideo illi sunt *Diuturni causa sæpe à cerebro, cui consulendũ.*

sunt periodici & nocturni, quod per fluxionem fiunt, & præterea, eadem de causa, multis fiunt de nocte, ob revocationem caloris intro & pororum occlusionem, citantur enim tunc catarrhi: huc accedit motus materiei phlegmaticæ de nocte: Quod autem caput adiuvet maximè hujusmodi fluores, & propterea illi consulendum sit, primus observavit Hippocr. lib. περὶ παθῶν. *Dysenteria, Lienteria, Diarrhoea, morbi consimiles sunt: hi sic sunt sanandi ut defluxum à capite impedias & à ventre superiore: morbi enim natura hinc est, Annot. 2. in cons. 11. lib. 1.*

Διάθεσις ῥευματική. 126. Galenus primus meo judicio (quod à nullis hactenus annotatum est) fluorum alvi causam unam agnoscit quandam, ῥευματικὴν διάθεσιν intestinorum, ut vocat, quam in quodam animadvertit *cap. 4. lib. 1. de locis affect.* qui excernebat cum sensu mordacitatis in superioribus intestinis (quod colligebat ex eo quod post mordicationem paulò longiore tempore desideret) idque ob læsum à pravo medicamento intestinum, ac conjecit læsum esse ab eo medicamento intestinum, ac jam in ῥευματικὴν διάθεσιν pervenisse, proptereáque facilè Iecoris excrementa recipere, eáque corrumpere. *Cons. 53. lib. 1.* Ea dispositio Rheumatica duo facit, excrementa à jecore facilè recipit, & ea magis corrumpit ob vetus vitium: parti sanæ suum alimentum est solatium, ægræ tanquam onus est: Galenus dum lib. de loc. aff. medetur ῥευματικῇ διαθέσει tria statuit, ut alimenta sumantur, non facile corrumpantur, ut adstringant, ut roborent: *Consilio 75. lib. iij. pag. 193.*

Temerè non sistendus 127. Profluvia alvi temerè sistenda non sunt, alioqui gravis periculi metus est, ut sæpe experientia deprehensum est: Et in his sequendum omnino consilium Hippocrat. *In ventris perturbatione fabas coctas dabis, nisi parte superna valde biliosa fuerint*: id est, si suppressionis multæ materiej biliosæ argumenta fuerint, veritus ne aut transferatur aliò materia, aut partes in quibus restagnat, labefactet, non statim de suppressione cogitare oportet, sed fluxus fluxu juvandus est. E*pid. lib. 2. pag.* 128. & 230. Septennis Puella Diarrhoea correpta, plures dies gravem olidamque materiam alvo reddidit, Consilium cum mulieribus ceptum est, in eam rem largè cydoniatum exhibetur, alvus inde omnino restitit, ea suppressa sæva tormina excitantur, adeoque intumescit venter ut repente hydropica facta videretur; invalescunt dolores, stercus per os rejicitur: aperto cadavere, cœcum Intestinum adeo cyloniato obturatum deprehenditur, ut illac nil pertransire posset; imò accidere potest ut illa putris acrisque materia, pereso perforatóque intestino, aliàm sibi viam quærat. *Paradigm. 42.*

126. Obser-

126. Observavi, quod affirmare ausim, in fluoribus pessimis alvi Asininum lac præscribi, repressa humorum malignitate, lactis bonitate, alvus magno commodo substitit; aliis quibus alvus adstricta, leve profluvium usu lactis contigit & profuit; Nec terreri initio debet si obsit, non prosit, nam perseverandum experientiâ docet, fit enim (ut quidam ex veteribus annotavit) ut assiduitate, tandem lac sua bonitate temperet ac refrænet cacoëthiam & pravitatem humorum in corpore turgentium. *Asinini lactis usu repressus.*

127. *Aphorismus est Hippocr. 31 7. Quibus in alvi profluviis excrementa spumant, iis à capite pituita est*: falsus tamen videtur in plerisque: nam in doloribus colicis excernuntur spumantia & bubulo excremento similia, natantiaque, præ contento spiritu, in aqua: non propterea tamen colligere licet caput hæc suppeditare: Sed dicet aliquis, Hippocr. loqui de alvi profluviis, in quibus cùm spumat aliquid, excretæ à capite pituitæ argumentum est: In comment. Galen. non videtur hunc aphorism. omnino probare: Sic visum est recentioribus rectè quidem in dysenteriis, materia commota, calore æstuante agitata, spumantia deiici: Sic aliis signis colligendum caput malè habere, si grave caput, salivatio, ac præsertim mane & vesperi: maximè si eam molestiam sentiant in ventriculo: quanquam caput per se constituitur pituitæ sedes, quæ in ventriculum illabens, profluvia longiora reddit: In spumantibus itaque dejectionibus falli non oportet. *Consilio* 53. *lib.1. pag.*260. *Spumantes dejectiones cerebrorum affectum non semper arguunt.*

Septalius.

128. In alvi profluvio illud maxime cavendum; ne dum virium maxime habere rationem voluerimus, consumptis carnium & juribus pingubius laxitatem ventriculi & intestinorum nimium procuremus, aut fluorem adaugeamus. *Pinguia suspecta.*

129. Sunt sæpenumero nostrates Medici in frigido potu concedendo restricti, vt malint cum manifesto detrimento tepentes aquâ alvi fluxum, laxitate introductâ, augere, eo consilio, quòd frigidum naturæ inimicum censeant, quàm justo ægri desiderio satisfacere, quod tamen naturâ etiam bene operante fit, vt & adstrictioni per frigiditatem satisfiat. *Frigida potus sæpe convenit.*

130. Inflammatione tamen verâ tentatis intestinis, frigidæ potus vitandus est. *Frigida fugienda in inflammatione intestinorum.*

131. † Cavendum in diarrhœâ, quod plerisque video consuetum, ne semper, aut in plerisque, statim abstersorium aliquod exhibeant, ut mel, aut syrupum rosatum, aut simplicem, aut solutivum cum sero lactis, aut manna; cùm enim aliquando bene operante naturâ *† Quando absterson-*

tibus in diarrhœa utendum. id fiat, non erit aut irritanda, aut promovenda, sed totum negotium naturæ erit relinquendum: sin verò malâ quantitate irritata etiam id natura præstiterit, non etiam erit adjuvanda, ne, calcaribus naturæ currenti additis, præcipites in mortem ægros agamus: spectatores igitur potiùs hujus motûs naturæ aliquandiu erimus, & morbi morbificæque causæ potissimùm rationem habebimus. Quod si naturam hiscere, aut succumbere viderimus, neque materiam posse pro ratione evacuare, irritari tamen partes, sæpiúsque ad excretionem ferè inaniter provocari, tentiginem in ano, & inane desiderium egerendi subesse: tunc manus adjutrices porrigere conveniet, atque abstergentibus uti, quin aliquando solventibus blandioribus, ut mannâ, & syrupo, aut melle rosato solutivo; ut, quod pluribus egestionibus cum dolore, & naturæ labore evacuari tentatur, breviori tempore, & minori molestiâ educi possit.

In Cœliaco fluore & Chyloso.

Ballonius.

Non est sistendus. 132. Serva quædam Cœliaca visa mihi est, ex ijs signis quæ proponit Fernelius, & hic locus siccè non est prætereundus: Medici frustra nituntur supprimere, falsa opinione febris ducuntur, & ad phlebotomiam veniunt: denique non satis accuratè distinguunt τὸ κοιλιακὸν καὶ λειεντερικόν: Ista autem serva ita erat affecta, primùm dolor insignis ad os ventriculi: putabant illam ea in parte percussam, sed frustra, jactatio erat assidua, dormiendi impotentia: quotidie excernebatur copia ingens materiei albicantis, veluti pulticulam referentis, Non Lienteria erat sed excretio Cœliaca; etenim ventriculus suo satisfecerat officio, sed ἀνάδοσις erat impedita: Et in hoc jacet discrimen inter utramque affectionem: febris repente oboritur, tùm ob vigilias perpetuas & labores, tum ob motum materiei tam fœtentis, cujus vapor cor feriens, non potest non febriculam quandam excitare, & in hoc affectu, si maximè aliàs, oportet cunctari & vires sustinere, ut tanto morbo sufficiant: Talis affectio sæpe observatur, ac sæpe Medici quid facto opus sit ignorant: *Epid. lib. 2. pag. 218.*

Prudenter purgandũ. 133. Cachectici Pueri, ut ij quibus venæ mesaraicæ sunt obstructæ, vel Hepar imbecillum, laborant sæpe fluxu alvi Chyloso; non fit enim suctio, nec exugitur eliciturque pars purior chyli, devehi solita ad Hepar, hæmatoseos officinam; & dum Medici albicantes & chylosas dejectiones observant, & trepidè purgant & cunctanter, cùm tamen hic audendum sit, & diligenter purgandum! donec enim obstructio sublata fuerit, non est spes ægrum convaliturum: procuranda enim omni-

omni studio est αἰδέσεις ipsius Chyli, non subeuntis anfractus viarum Mesaraicarum, & eas tantum salutantis. *Epid.lib.1.pag.13.*

134. In Lactibus aliquando & circum glandulas Mesenterij inflammatio contingit, hinc chylosa excretio, Hepate non attrahente nec exugente ob inflammatas mesaræi & mesenterij venas, Et tum alvus quidem fluit & tamen venter intumescit: ideo danda quæ Inflammationem compescunt, id quod in multis à nobis est observatum. *Epid. lib.1.pag.27.Annot.5.* *Qui est ab inflammatione hac sedate cessat.*

135. In Cœliaca excretione febris adest cum Pulsus frequentia; oritur ob contumacem obstructionem venatum mesaraïcarum, & ea symptomatica est, ideo oppugnanda iis quæ contumaciam obstructionis tollant: Nec te moveat quod alvus fluidior sit, chylus enim non suctus, nec elicitur, nec rejectatur ob vias interceptas, quarum libertas causam morbi tollet, ut corpori supersit libertas sui reficiundi, attracto benigno alimento. *Epid.lib.1.pag.13.* *Aperientia sint in usu.*

136. Plerasque vidimus mulieres & viros, qui certò affrmarent adeo se experientia didicisse quod ventriculum haberent valde imbecillum & lædi facilem, quoniam minima occasione ijs alvus solveretur, & talia redderentur qualia assumpta essent, qui affectus, non leienteria, sed propriè ϖατίλη dicitur ab Hipp.2. Acut. At errant, nam lactium & venarum mesenterij angustia hoc sæpe facit: nam cum multis sese obruant cibis, aut sine ordine, aut liquidioribus; facilè effluunt, & ob lævitatem intestinorum, seri copiam, mesaraïcarum conniventiam, non ita difficulter alvus omnia quæ assumta sunt reddit, præterea horariorum fructuum usus & acetariorum ad id plurimùm facit: præterquam quod cùm abundent, maxima ex parte, calore acri, major alimenti pars corrumpitur, cum enim coctio elixationi similis fit, ea non fit à calore sicco & squalido, sed à temperato, ait Galen. *Epid. lib 2.pag.133.* *Oritur sæpe à mesenterii angustia, non ventriculi debilitate.*

137. Sorbitiones liquidæ valent in alvi fluxu mesenterico ab obstructione nato, sed non succulentæ & glutinosæ, quod limosas dejectiones fovent & augent, & hoc notandum est. *Conf 35.lib. 1.pag. 135.* *In mesenterico ab obstructione nocent sorbitiones succulentæ.*

138. * Quidam veterum cùm perfectè confectum in ventriculo cremorem animadverterent, & talem ferè deiici, nec à mesaraïcis suctum devectumque, ut fieri solet, sic laborantes mesaraïcos appellabant: Hos *Galenus* redarguit: nam cum facultas Hepatis attractrix languet, nil per venas mesaraïcas attrahitur ab hepate, propterea non accusari debet mesenterium, sed hepar ipsum: Idem enim contingit quod iis quibus læsa spinalis medulla, & aut brachia aut manus in iis suum officium non præstant: non accusandæ manus, sed ad spinam recurrendum: Item cùm quis syncope prehensus, non movet manum, an ei manus in vitio est? Hæ rationes *Galeni* sunt, contra tamen afferri hoc potest: cùm chylus mitificatus excernitur, ** Mesaraicus alvi fluor datur illæso hepate aut liene.*

 nec

nec ad hepar devehitur, an ideo attractricis hepatis vitio id fit? nunquid sæpe fluorem alvi videmus obstructo mesaræo, facultatibus hepatis integris? Non sequitur ergo ideo convinci posse hepar laborare, cùm chylosa deficiuntur: verùm quidem illud, cum facultas trahendi hepatis læsa est, attractionem per mesaraïcas tanquam per manus officiales non fieri, non obstructæ viæ ratione, sed partis principis, mesaræj ministerio utentis: Et veteres qui mesaraicos appellabant illos, non abs re fecerunt: Sic & *Galenus*, & illi veteres culpa non vacant, siquidem & chylosa deiici possunt solo vitio mesaræi non deducentis: aliquando ipsius hepatis vitio, cùm mesaræum incolume sit: Præterea adversus *Galenum* hoc stare potest, mesaræon pars est naturalis, omni parti naturali suæ actionis vis est, & per protopathiam laborat, non per consensum, ut partes animales, quæ aliquando cum per se incolumes sint, suæ affectionis causam in se non continent: hinc fieri potest ut etiam laborante jecore mesaræum officium faciat: & contra incolume potest esse hepar, læso mesaræo: Nec est quod quis parùm interesse dicat sit-ne affectum mesaræum, an hepar, cùm chylosa deiiciuntur, nam magna est partium affinitas, & unius affectio facilè in aliud redundat: Nos autem contra sentimus; siquidem si in mesenterio, aut tumor & obstructio fit, cujus occasione chylus ad portas non devehatur, alia ratione curandum erit quam si hepatis sola attractricis infirmitas in causa sit: Et nos vidimus chylosas dejectiones non affecto hepate insigni aliquo vitio, sed sublatis multis, quæ mesaræon occupabant, obstructionibus, tandem cessavit chylosa dejectio. *Consil.53. libr.1. pag. 263.*

In Dysenteria.

Ballonius.

Varie medendum pro varietate causa.

139. Dysenteriæ aut sunt intestinales & mesentericæ, aut hepaticæ: absurdum enim est omnem dysenteriam attribuere intestinis, ex eo quod τῆς δυσεντερίας nomen ἀπὸ τῶν ἐντέρων derivetur; Tormina enim melius dixeris quàm difficultatem intestinorum: Intestinales & mesentericæ fiunt ex eo quod illæso hepate, & in Intestinis & in Mesenterio prima mali labes, sive cœlitus impressa, sive à vitio ipsus excrementi manet: Hepaticæ aut sunt Criticæ, aut fiunt κατὰ τὴν λύσιν aut κατὰ τὸν ἐκπιεσμόν: si sunt Criticæ, prohibendæ non sunt, sed humorum cursus frænandus est & moderandus, si fiunt κατὰ τὴν λύσιν, fatiscentis facultatis sunt signum; & hæ sunt lethales, nisi legitima remedia adhibeantur; Cùm verò fiunt κατὰ τὸν ἐκπιεσμόν, id est, per expressionem quandam & excussionem

id

id eo modo contingit, Cava hepatis sæpe abundant multo humore, eóque heterogeneo, & dum natura id nititur excutere, fiunt vomitiones, nauseæ, ἀλυσμοὶ, τριπτασμοὶ, ἄσσαι, febres, & cacochymia communicatur venis & partibus alijs: Ergo si ut sunt morborum ideæ, ita & morborum remedia varia sunt, prout variæ sunt dysenteriæ, ita variare remedia oportet: Nec, quemadmodum multi faciunt, quasi eundem soccum & cothurnum omnibus aptantes, oportet eodem modo curare omnes Dysenterias quacunque causa ortæ sint, sive ad Hepar sive ad Intestina solum pertineat: Ergo si intestinalis Dysenteria est, cùm afflicto non sit danda afflictio: in usu solo fortassis enematum, & lactis per os sumpti, consistendum est: Si Hepar mali author est, & τῷ ἐκπιεσμῷ in intestina sese exoneret, febrisque absit aut adsit, tunc alia captanda est, ineundáque est medendi ratio. *Conf.* 23. *lib.* 2. *p.* 241. Hippocr. 2. Prorrhet. narrat duas esse Dysenterias, unam cum febre, varijs excrementis, Hepatis inflammatione aut Præcordiorum, aut Ventris, cum ciborum aversione: Aliæ quidem sunt sine his signis, cum ramentis quidem & sanguine, sed breviores sunt, & eas vocat λυσιτελέας, fructuosas commodasqúe ægris, quod aut à diuturnis aut brevibus morbis ægros afferant: De his posterioribus loquens, ait, *Quæ uterum gestant, ab hujusmodi Dysenteriis & ad partum & ex partu evadunt, fœtus sanos habent, etiam per multos menses & sanguine & ramentis excretis*: Observatum est in quadam Domina, per majorem gravitatis partem, sævam satis Dysenteriam affuisse, hinc tamen salva evasit & incolumis, vitalem fœtum edidit: est enim ubi Dysenteriæ malæ sunt, cùm præsente partium naturalium pravâ dispositione perennis fit graveolentium excrementorum proventus: est ubi tantùm congeries facta excrementorum, quorum evacuatio, & fœtum & fœtam in melioris valetudinis bonam spem adducit: Quæ distinctio & ad prognosin & ad curandi occasionem præbendam accommodata. *Conf.* 57. *lib.* 1.

140. Cavendum ne nos in eorum erroribus implicemus, quibus irretitos veteres *Galenus cap.* 33. *lib.* 1. *de simpl.* scribit: illi enim omnem Dysenteriam per sola adstringentia, idque initio morbi, curabant, quod pessimum est, cùm Dysenteria intempestivè suppressa sit calamitosa Hippocrati: *Conf.* 53. *lib.* 1. *p.* 275. dysenteria quidam detinebatur, repente suppressa est, & paulò post Insanus redditus est; & Galenus suppressione hæmorrhoidum & dysenteriæ nephritin & atrabilarios morbos consequi author est: Nobilis Pictor in fœdam scabiem suppressa Dysenteriâ incidit, *Paradigm.* 52. Tametsi dysenteria pessimus sit morbus, quia tamen sæpe est fluor quidam, ratione autem fluoris multa è corpore evacuantur, múltaque qualitate prava, nullum tamen negotium naturæ, quia quie-

Non illico sistenda, præsertim initio.

tem habent, imoque delitent corpore) facessentia, continuata serie ad motum incitantur, fit vt si illa repente, commota jam tamen, supprimantur, corpori periculum creent: Ita enim scripsit summus præceptor, 4. de dat. acut. part. 80. *Dysenteria quæ cessavit, abscessum vel tuberculum aliquod faciet, nisi vel in febres, vel in sudores desierit*, Et in *Coacis*: Dysenteria intempestivè suppressa abscessum in costis, aut visceribus, aut articulis facit. *Consil.* 53. *lib.* 1. *pag.* 267.

Cur alvus sicca sit ab ea suppressa. 141. Causa cur suppressa semel Dysenteria alvus ita restringatur, est quia siccatur Intestinum humore furibundo suppresso, & tum Pus in Intestinis manet, quod tandem interficit: Quod in pleiisque observatum. *Conf.* 53. *lib.* 1.

Vacuandum ante usum adstringentium præsente multâ cacochymia. 142. Circa usum adstringentium initio, Nota, Si magna est cacochymia, & certis colligas argumentis exonerari partes in ventrem, hic potius sensim atque sensim moliri debes evacuationem quàm cogitare de adstrictione, alioqui Æthiopem laveris; & id causa est cur in multos dies morbus producatur, & exulceratio sordidior reddatur, nam tertiâ aut quartâ purgatione multùm educes bilis, & seri, & pituitæ, quam vix quindecim diebus natura dejiciat, dum sæpe & parum è ventre excernitur, ut Dysentericis in more est, *Conf.* 23. *lib.* 2. *p.* 242. Cùm in Dysent. excretio parva & frequens, ideoque sit symptomatica, faciendum est ut contra sit rara & magna; id quod medicamentum Purgans ritè institutum præstabit. *Annot.* 10. *p.* 244.

An supprimenda in prægnãte febricitante. 143. Quædam pravis scatens excrementis in utero conceperat, toto graviditatis tempore nonnullos dolores ad umbilicum sentiebat, præterea tempestate austrina, post immoderatum usum fructuum fugacium, alvi fluore tentata est, qui dies aliquot neglectus; tandem decumbere coacta est, excernebantur cruenta, viridia, ὑποχλωρά, interjecto tempore pici simillima, mox ramenta intestinorum prodibant, febris successit, dubitabatur an fluor is esset symptomaticus, proptereáque potiùs in febrem esset incumbendum quàm alvi fluorem, vomitus fuit planè æruginosus, vomebat ante cibum & præsertim à somno: dolitabat regio Hepatis, in hoc phlogosis conjiciebatur: venæ sectio celebrata die octavo febris, tardiùs & nullo profectu: sexto & septimo die excreta quæ cadaverosum olerent: ab Hepate inflammato resudabat inutilis & serosus humor, qui in ventriculum refluens illum perturbabat, & vomitum promovebat, unde frequenter desidendi desiderium, cujus causam revocabant ad serosum humorem qui continenter ab inflammato Hepate resudabat, juvante ad id uteri pondere, unde conatus & inane desiderium sæpe potest contingere: A partibus internis facile resudat humor qui fluorem alvi citare potest, tandem

dem Hepaticæ dejectiones apparuerunt, decimo tertio die peperit vitalem, lochia suppressa sunt: alvus non reddidit ut ante, omnia visa sunt tranquilliora, sed calor sensim intro revocabatur; sequente nocte profusè ridebat, delirabat, repente omnes partes refrixerunt, interijt, ab omnibus clamatum est, & tantæ cladis causa relata est in prætermissam reprimendi fluoris alvi occasionem; quod perperam & imperitè factum fuisset, nam ubi primùm repressa est, mortis periculum creavit: Ac tanta excrementorum varietas, etiam pravissimorum, satis abundè docuit summam fuisse in partibus imis διαφθορὰν: at & tempus, & corporis constitutio, & graviditas, & affectus ipse omnem salutis occasionem præripuerunt: Si alvus suppressa fuisset, non est dubitandum quin febris & alia symptomata increvissent. *Consilio* 15. *lib.* 1.

Intempestive suppressa vena sect. sanata.

144. Nobili viro suppressa Rhei usu alvus tumorem phlegmonoden totius abdominis attulit, iterata phlebotomia tumenti alvo occursum est, sanguis erat ἰκτεριώδης: *Epid. lib.* 1. *pag.* 16.

Assiduus clysmatum anodynorũ usu, noxius.

145. In fluoribus Dysentericis assiduus clysmatum anodynorum usus parùm tutus: & in hoc valde Medici decipiuntur: cùm intestina abluendi lacte finem non faciunt: dum enim intestina sic proluuntur & diluuntur, effœminatio & mollitudo affertur ipsis, unde fit διάθεσις quam Galenus ῥευματικὴν vocat, *Epid. lib.* 1. *pag.* 16.

Clysteres ex oleis sæpe noxii.

146. In eo etiam sæpe graviter peccatur, quod intestinis admodum cacochymis oleum sæpe infunditur: hoc enim malum esse Galen. 12. l. 2. de simpl. multis demonstrat: & acria salsuginosáque aliquando demorsis ab humorum acrimonia intestinis conferre, & dulcia, ut oleum, acrimoniam inducere; Priora quidem, dum adimunt humores qui sua qualitate molestiam inferrent: butyrum autem, & oleum, & omne genus τῶν ἐπικεραστικῶν, dum suam συνήθειαν facilè deponunt, & alienam naturam facilè induunt, si in ventrem cacochymum inducuntur, conversa immutatáque in alienam naturam, cacochymiam ex eventu augent, *lib. de virg. & mul. morbis cap.* 7. *pag.* 121. Galeni locus superiùs adductus sic habet, *Επικεραστικὰ cùm in ventrem infunduntur subtus, ut in Dysentericis, aliàs demulcent, aliàs irritant: Si valentiora sint humoribus acribus, eorum humorum vim retundunt: contra si medicamenta contemperantia valentioribus facultatibus, aut multis pauca admista sint, unà & ipsa corrumpuntur aluntque cacochymiam: itaque eos vacuare statim oportet, quia mitigantibus & contemperantibus medicamentis irritantur, cùm sint repleti multa nec facilè mobili corruptione*: unde videmus plerosque injecto blando lacte graviùs habuisse: quod accidere videtur, vel quod lac superatum est ab humoribus acribus & malignis, & sic natum

est:

est augere cacochymiam; vel quod jam ulcus conceptum est, quod, dum perfundit subjectus Clyster, irritat: quod Galenus animadvertere debuit: irritatio enim & exasperatio aliquando contingere potest ob superficiariam intestinorum exulcerationem. *Cons.* 23. *lib.* 2.

Purgandum aliquando cassia & tamarindis. 147. Cùm caloris ingentis opinio est, cùm humor qui defertur est valde acer & mordax, potiùs confert cassia cum tamarindis quàm quodvis aliud medicamentum, lenit, mitigat, & si parum laxaverit intestina, facilè postmodum robur eorum conciliabitur. *Histor.* 7. *lib.* 2. *cons. p.* 174. Cuidam Dysenteria cum multa Cacochymia & Tenasmo laboranti ea exhibita: incredibile est quantum bolus ex ea, frequenter repetitus, profuit: nullum penè clysterem admittebat, ne quadrantem quidem horæ in lecto continebatur, id tamen est contra communem usum: eam Hollerius frequenter usurpavit; & nos sæpe idem fœlici successu usurpavimus. *Annot.* 1. *in eam Histor. p.* 175. Alteri etiam Cassia exhibita est, & valde profuit, quod forte mirum sit; nam intestinis ita irritatis, bilioso ichore plenis, imò & veluti effœminatis, lenientium medicamentorum usus non est tutus: tamen plus visa est contulisse quàm quodvis aliud. *Eadem. histor. pag.* 174.

Diuretica quando conferunt. 148. De usu Diureticorum controverti potest, Si Serum malignum, indomitum & salsum: aut bilis tenuis, dum proluit intestina, ulcerat, pungit & stimulat, si aliò derivaveris, fortè operam non luseris, contra magnum allevamentum aderit; at exulcerationis sæpe causa est humor lentus, tenax medijs hærens vijs, qui dum per anfractus intestinorum pigro transmittit gressu, profundiùs exulcerat; id quod ex Gal. c. 12 lib. 2. de simpl. loco supra adducto colligere est, *Pituita*, ait, *ob suam viscididatem dum exit & transmittit, moram trahens & consistens, perpetuò autem ob suam qualitatem abradens, Dysenteriam parit.* Quod si hic diuretica præscripseris, dum materia contumacior reddetur, majores dolores excitatura est: At, dices, tenuior est pars quæ id faciat, id est, pungat? Contra hic Galen. ob suam, ait, qualitatem abradit, ergo tollenda est aut mitiganda ista qualitas, alioqui frustra laboraveris: *Cons.* 23. *lib.* 2. *p.* 243. Ideo qui diuretica dant, partem humorum tenuiorem ad Renes avertentes, illam viscididatem & lentorem videntur adaugere, *Annot.* 2. *in id cons.*

Liquidorũ usus non sẽ per noxius. 149. Galenus explicans cur mictio noctu plurima parvam significet dejectionem, ait ex eo Aphor. nos curationem petere posse alvi humidioris & siccioris: Si humidior, exigua potio sit, & multa ad Renes derivatio: Si sicca alvus, major potio & distributio ad Renes prohibeatur: Si itaque ex eo alvum lubricam esse existimes quod quis Dysentericus sit, fortasse falli possis: nec propterea

& à liquidis est abstinendum, nec derivandum ad renes: In hoc errant plerique, imò si dejectionis materia posset reddi meabilior & liquidior, non tot tormina excitarentur: *Annot.* II. *in id consil.*

150. In Dysentericis fluxionibus pravis non alienum, contra Hippocr. præceptum, Lac dare, etsi enim concrescat, tamen diuturnitate vincetur; & domabitur corruptio humorum: & id ex præscripto Hippocrat fieri potest; quanquam ijs, in quibus dejectiones sunt biliosæ, vetat lac dari, & experientia compertum est quosdam quibus Dysentericæ & Mesentericæ erant dejectiones, diu fatigantes, non alia arte cessavisse, quàm usu lactis diuturno, & Hippocr. 2. de *morb. mulier.* In fluore muliebri bilioso lac commendat, quia, ait, fluxus à lacte obtunditur: quod idem de dejectionibus dici potest; 7. Epidem. init. Filio Eratolai lac per os dat in vehementi Dysenteria. *Annot.* 1.*in conf.* 50. *lib.* 1. *p.*239. Vide plura de Alvi fluore Artic. 64. *Lac quando concedendum.*

151. Medicus narravit de quodam fluore dysenterico laborante, qui post multa remedia, consilio Medicorum, ad usum lactis bubuli recens mulcti adactus est: coagulatum in ventriculo: incredibile dictu quanta inde symptomata, defectiones animi & similia, Vnde lac coagulatum in ventriculo aut Intestinis instar veneni esse Dioscorides tradit; tamen cùm necessitas ad usum lactis inclinaret, acutior Medicus jussit ut lac coqueretur, chalybearetur, deinde aqua iniiceretur in hac dum coqueretur; vsus est, profuit valde; & illud est de consilio *Aëtij cap. de coctura lactis*, Et admirabile id est, quomodo Lac ita paratum conferat. *Epidem. lib.* 2.*p.* 211. *Si nocet, quomodo emendandum.*

152. Notandum illud quod scribit *Galenus cap. vltim. lib* 5. *de loc. aff.* & quod nos experientia sæpe deprehendimus, aliquando liquidam tenuemque sanguinis esse excretionem, quam melancholica postea, fæculenta, nigra, & atra consequatur: An atra, nigraque & adusta quodammodo intemperie frigida affecto hepate excernitur? nequaquam: Sed cum alioqui præcessit frigida intemperies, temporis progressu putrescit in imbecillo hepate humor, à putredine febris lenta oritur: hinc adustio recoctioque humoris, quod notandum: nam sæpe hæc febris negligitur, hinc dejecta appetentia, proventus pravorum humorum: Et cum vident illi Medici dejectam appetentiam, non moventur, quod malè fit: Illud enim notum esse debet, si perseveraret intemperies illa frigida quæ initio fuit, non ita deiici appetentiam, imò cibi augeri desiderium: quia autem ita deperditur appetētia, calidioris intemperiei, quæ successit, debet esse argumentum: nam calidas intemperies nunquam comitatur ciborum appetitus, sed ingens cibi fastidium, febris, vitiosorum humorum vomitus: Itaque non falsa debet esse opinio prioris intemperiei frigidæ, sed si- *Dysenteriam hepaticam cùm sequuntur crassa & atra deiectiones, transitus fit intemperiei frigidæ iecoris in calidam.*

gnis est venanda aucupandaque cognitio succedentis alius intemperiei. *Consilio 53. libr. 1. pag. 266.*

Septalius.

In dysenteria quando purgandum & quando abstinendum à purgatione.

153. Cum in curandâ dysenteriâ adeò diffidentes sint etiam doctissimorum virorum sententiæ, An referto corpore pravis & acribus humoribus, laborante dysenteriâ verâ, ulceratis, aut abrasis intestinis, conveniat medicamento aliquo, saltem blando, puta, rhabarbaro, myrobalanis, tamarindis, mannâ, syrupo rosato solutivo, & similibus, humores evacuare; an potiùs omnino ab iis sit semper abstinendum, quæ in Medicinâ faciendâ maximi momenti esse constat. Ego non aliam hac in re sententiam in medium proferre tentavi, quàm eam quam nobis tradidit doctissimus Vallesius 4. *Epid. cap.* 96. qui, ab utrâque sententiâ extremè diffidens, aliquando purgandum censuit, aliquando omnino abstinendum esse voluit. Verba ejus sunt: *Aut in dysenterico est cum cacochymiâ magnâ exulceratio nondum magna; aut cum exulceratione magnâ cacochymia exigua; aut utraque exigua; aut utraque magna: Si primum, expurgari debet: Si secundum, minimè; sed ad sudores, ad urinam, aut vomitus veniendum, & instandum localibus interiùs, & exteriùs pro ulcere curando: Si tertium, ne tunc quidem localibus admodum, neque purgatione opus est, sed bono victu, & facili ad alias evacuationes derivatione: Si quartum, insanabilis est, facies aut nihil, aut omnia tentandi gratiâ, velut in re desperatâ.* Tales enim etiam curationes aliquando profuerant; neque mihi semper displicet illud Celsi: *Sæpe quos ratio non juvit, temeritas adjuvat.*

In dysenteria ubi purgandum, quamprimùm id præstandum.

154. Debet igitur quamprimùm hujusmodi humor pravus & acris evacuari aliquo ex prædictis medicamentis, si illius magnam copiam ex oris amarore, ventris turbatione, aut aliis signis subesse cognoverimus, antequàm ex frequenti, sed paucâ excretione ulcera adaugeantur, aut vires dejiciantur.

In dysenteria humore atrabilario exuberãte, priùs ferocia illius temperanda, quàm purgãdum.

155. Animadvertendum tamen, si subesse copiam atrabilarii humoris cognoverimus, etiamsi exulceratio adhuc magna in intestinis facta non sit, non statim purgante medicamento esse educendam, cancerosa enim vlcera, & pessima excitaret; sed attemperari, ejúsque ferocia deliniri priùs debet: quod ubi factum esse cognouerimus, omnino evacuari debebit, sed blandissimo medicamento, decoctione tamarindorum, vel myrobalanorum, cum syrupo, vel melle violato solutivo, iísque similibus.

Rhabarbarum in dy-

156. Rhabarbarum in dysenteriâ ab iis, qui Mauritanorum dogmata sectantur, quique purgandum sæpe in eâ censuerunt, quanquam videam.

videam passim ad hunc finem in usum duci, potissimùm ubi biliosi & acres humores abundaverint; cum tamen & ipsum igneas partes habeat, quòd in substantiâ assumptum, ut in hoc affectu plerumque fit, tunicis intestinorum, & ulceribus adhærescens dolores pariat implacabiles, ut sæpius observavi, omnino fugiendum censeo: & quamvis syrupus de cichoreâ Gulielmi, cum eo paratus, adstrictione carere fatendum sit, cùm tamen à cichoreaceis igneæ illius partes retundantur, si cum decocto tamarindorum, aut myrobalanorum concedatur, non ita rejiciendum censerem.

Senteria suspectum.

Syrup. de cichorea cum Rhabarb. Gulielmi in eadem admitti potest.

157. Sed magis etiam recentiores communi errore decipiuntur, torrefactum Rhabarbarum in dysenteriâ exhibentes, adstrictionem & exsiccationem augere volentes, ut, utrâque facultate, purgatoriâ & adstrictoriâ adauctâ, meliùs intentioni satisfacere possint, quod innocentiùs fieri torrendo putant; cùm experientiâ constet, mediocriter torrefactum vehementiùs, & minori dosi purgare, quam integrum: igneas tamen partes adhuc magis vigere: & si majorem adustionem adhibuerimus, purgatoriâ facultate penitùs destituitur.

Rhabarb. torrefactum in dysenteria rejiciendum.

158. De mittendo sanguine per sectam venam, cùm gravissimo rum virorum sententiæ è diametro omnino inter se sint contrariæ, aliis majori ex parte sanguinem mittentibus, aliis nunquam: Ego hujus sum sententiæ, si simpliciter dysenteriam consideremus, aut ejus causam, aut multa ex adjunctis, dolores, febres, inflammationes, omnino convenire missionem sanguinis, quâ & fluentes humores ad partem laborantem possint retrahi, & plenitudo tolli, & jecur refrigerari: sed cùm sæpissimè à diarrhœâ producatur, illiúsque etiam perpetuò sit socia, in quâ, etiamsi non sit pro multitudine sufficiens, nunquam mittendum esse sanguinem censuit Hipp. & Gal. 4. *de rat. vict. in acut.* 116. *&* 1. *ad Glauc. cap.* 14. quòd aut vires vitales sint imbecillæ redditæ, aut periculum immineat ne prosternantur, rarò censendum est occasionem dari sanguinis mittendi, potissimùm, cùm majori ex parte in hujusmodi casu sciamus peccare humores, à sanguine distinctos, & tales ægros cacochymiâ laborare, facilliméque tum ob evacuationem, tum ob vehementissimos dolores, vigiliásque quasi perpetuas in summam vitalium virium debilitatem incidere.

Dysentericis rarò convenit sanguinis missio, & cur.

159. Si tamen aliquando mittendus erit sanguis, alvi fluore non magno præsente, inflammatâ parte, urgentibus doloribus, hepate, & toto corpore, aut ob febrem æstuante, aut ob calefactos humores in venis, viribus præsentibus consentientibus, imminentis virium collapsûs periculi habitâ ratione, nec multùm, neque confertim, & semel, sed parùm, per intervalla, & sæpiùs evacuabimus, Aëtii, & Alexandri etiam sententiâ: idque non eâ solùm ratione, quòd vires non ita dissolvantur, sed etiam quòd iteratâ evacuatione sanguinis meliùs

Dysentericis quando, & quomodo sanguis mittendus.

revulsio perficiatur, quæ maximè in hoc affectu expetitur, ut Galenus auctor est *lib. de cur. rat. per sectam venam, cap.* 12. siquidem natura toties irritata majori cum impetu & facilitate assuescit materiam, ad affectas partes confluentem, in contrarios locos depellere, & quasi per alios rivos transferre.

Lactis usus in dysenteria qualis.

160. De lactis usu in dysenteriâ cùm videam doctissimos aliquos viros adeò dubitâsse ob Hippocratis, & Galeni auctoritatem 5.*Aphor.* 64. & Celsi, *lib.*3.*cap.*23. ut rarissimè in tali morbo ipsum in usum ducant, quòd dejectiones ferè semper in eâ sint biliosæ, & febres non leves majori ex parte conjungantur; cùm alioqui sciam maximè laudari à Gal.10. *de simpl.med.facul. & 3. de alim.facul.cap.*15. ubi non solùm dysenteriæ, sed omnium ventris fluxionum acrium optimum dixit esse remedium; censerem nullo modo, febre præsente, & acribus fluentibus humoribus, lac convenire simplex, & sine præparatione, at paratum, ut faciebant antiqui, & ut docet Alex. Trallianus, lapidibus, ferro, aut chalybe in eo extinctis frequenter, ut & serosa absumatur substantia, & pinguis, butyrosáque corrigatur, igneis assumptis, certum est, non nisi maximas in hoc affectu afferre posse utilitates, quòd non accendi, & in bilem verti hoc modo paratum certò sciamus, alvum autem sistere posse certum sit, tum ob caseosam materiam incrassantem, & frigidam; tum quòd ex candentibus lapillis, aut chalybe adstringentem nanciscatur facultatem.

In dysentericis clysterii abstergentium usus sit cum cautione.

161. Cùm in principio difficultatis intestinorum, sæpenumerò mucositatibus quibusdam apparentibus, passim Medici ad abstergentia enemata deveniant, ne, adhærescente diutius tunicis intestinorum hujusmodi humore falso, ut ipsi putant, exulcerentur intestina; sæpenumerò etiam maximo in errore versantur: mucositas enim hujusmodi non adventitia est, neque præter naturam, sed naturalis, quæ à naturâ intestinis indita est, ut muniantur, ne à bile, quæ cum fæcibus in dies evacuatur, interna intestinorum pars abradatur; quæ cùm in diarrhœâ ab acribus humoribus commota, & abrasa, exire incipiat, si clysmatibus magis abstergatur, denudata tunica eo, quo munitur, faciliùs exulcerari poterit: diligens igitur cura adhibenda est, ut mucosi & vitiosi humores, aut à capite, aut à ventriculo defluxi ad intestina, à naturali mucositate intestinorum discernantur; quod licet difficile sit, hæc tamen frequentiùs cum pingue dine juncta esse solet, & cum aliquâ rasurâ internæ tunicæ, & tunc non solùm non est abstergenda, sed potiùs incrassanda, pinguioribus & viscidioribus injectis tentandum erit munire loca illa, & acrimoniam fluentium humorum reprimere, quod oleo rosato omphacino, aut unguento rosato commodè præstari poterit.

Clysterium.

162. At in eodem errore versantur ii, qui fluore materiarum cessante

fante, dysenteriâ tamen perseverante, & ulcere in intestinis, iisdem abstergentibus clysteribus utuntur, ex aquâ hordei, vitellis ovorum & saccharo: impedientes hoc modo agglutinationem, quòd sæpenumerò naturâ viscidam in fine materiam, nutrire aptam, ut reponatur, quæ naturalis erat jam abrasa, cò mittat. *abstergentium in fine dysenteria abusus.*

163. Tanta est doloris in hoc morbo vehementia, ut, nullo tentato alio remedio, narcoticis sit statim utendum, non solùm per os assumptis, sed etiam per inferna injectis. *Narcotica etiam in principio quando conveniant*

164. In iis tamen diutius non est perseverandum, quoniam sæpe imponunt: cùm enim somnum conciliarint, proinde fluxiones stiterint, & refrigerando, & incrassando, humorum & acrimoniam & fluxilitatem imminuerint, dolore imminuto morbus curatus videbitur, nisi tamen glutinantibus, & siccantibus ulcus sanemus, recrudescet morbus, &, novo dolore superveniente, nova fluxio excitabitur, &, ulcere non curato, difficultas intestinorum denuò fiet. *Narcoticis in dysenteria parcè utendum.*

165. Pinguia etiam illa, & viscidâ substantiâ prædita, ut in acerrimi humoris fluxione necessaria sunt ad internam intestinorum tunicam vestiendam, ne magis abradatur, & ad muniendas ulceratas partes, ne morbus augeatur, & dolores exacerbentur; ita in iis non multùm est insistendum, quòd sordidum ulcus efficiant, & progressu temporis curatu difficilius; abstergentia igitur sunt interserenda. *Dysentericis pinguia immittere quando utile, & quando noxium.*

166. Quæ adeò exsiccantia sunt, ut arsenicum & trochiscos recipiant corrodentes, & carnem, in ulceribus subcrescentem, absumere possint, ut passim à Rhase & Mauritanis proponuntur, nunquam in usum duci debere consulo; tum quòd adeò quandoque valenter carnem consumant, ut reliquam intestini substantiam consumentes perforare soleant: quamvis enim pastilli Pasionis, Andronis ex minio, & quæ ex arsenico etiam sæpius loto parantur, externis ulceribus pravis & callosis applicentur; si tamen sentienti multùm particulæ, aut nudæ, & non sordidæ, nônve callosæ, aut sanæ applicentur, noxas afferunt inemendabiles. Et erit, qui in abrasis, cruentis, nudis intestinis, etiam si ulcere laborent sordido, audeat clysmate infundere acria hujusmodi, & corrodentia medicamenta, quibus & acerrimi dolores excitantur, & intestina dilacerantur, & sæpe perforantur? *Clysteres nimium exsiccantes in dysenteriâ omnino rejiciendi.*

167. Si qua tamen acria, & valenter siccantia infundenda sunt, ut muria olivarum, aquæ naturales salmacidæ, lixivium cum sapone, & similia, statim superindendus erit alius clyster ex oleo rosato, aut ptissanâ, aut decocto furfuris cum syrupo de portulacâ, & ovis, vt & dolor leniatur, & tunica vestiatur. *Acribus infusis in dysenteriâ quid statim faciendum.*

168. Quoniam autem evenit, ut injectus clyster statim aut exeat, aut propellatur statim, atque injectus est, fovendus erit anus lineo *Clyster ut retineatur, quid præstandum.*

 panno

panno, intincto in decocto rerum adſtringentium, atque etiam aliquo conatu manu pars erit comprimenda.

Hepatitis ſingulare remedium.

169. Quamvis hepatis ſub morbis Hepatitis collocari deberet, quia tamen à Practicis ſub dyſenteriâ curatur, volui præſtantiſſimum remedium hoc loco docere, quo, ſi alio ullo, Hepaticos curari poſſe experientiâ multiplici cognovi; eóque libentiùs, quòd euporiſton eſt medicamentum, & rationi conveniens. Sumitur uva rubra, quam Pignolam noſtri dicunt, acinis eſt non magnis, racemis adſtrictis, ut tardiùs matureſcat, & vinum nobile, rubellum, & quod *Picante* vocant, facit: colligi debet, dum media eſt inter acerbitatem & maturitatem, quod ſolet apud nos eſſe verſus diem feſtum Nativitatis S. Virginis Mariæ, menſe Septembri; Soli per quatuor dies primò exponitur, mox in furno ſemicalefacto exſiccatur, & ſervatur ad uſum: & veniente occaſione, quoniam emolleſcit, in vaſe vitreato, aut ad ignem, aut in furno iterum exſiccatur, adeò ut in pulverem reduci poſſit. Hujus drach.ij. per duodecim, aut quindecim dies, ex vini rubri potentis unc. iiij. ſingulo die per quatuor horas ante prandium exhibeo, & cum hoc ſolo præſidio non paucos ad priſtinam ſanitatem deduxi. Nec mirum, ſi ſemper non ſuccedat, cùm, ubi radices egerit, difficillimè curetur. Ex vino autem concedemus, ſi ægri careant febre; quæ ſi conjuncta ſit, loco vini ſumet decoctionem radicum cichorij craſſarum, longâ ebullitione cum expreſſione, in quâ ſi chalybs ignitus ſæpius exſtinguatur, meliorem effectum producet.

In Vermibus.

Ballonius.

Hydrargyrum ſuſpectum.

170. Matthiolus cap.7.lib.5. Argentum vivum commendat, quod ℥ j. pondere exhibet; quod licet in caſibus deſperatis contuliſſe, atque aliquando utile fuiſſe, dicat, tamen ubi neceſſitas non urget, & aliis mitioribus medicamentis res peragi poteſt, hoc præſidio non eſt utendum, cum pravam corpori diatheſin tactu imprimere, contráque ſtuporem & paralyſim inducere poſſit: ſed multò tutius alij, ſi quid graviter urget, dulcificatum Mercurium exhibent, ex quo, cum aloë ac rheo, ſpica & cinnamomo, Pilulas formant, lumbricis enecandis apprimè utiles. *Ann. ad conſ.* III. *lib.* 3.

Diagnoſis difficilis.

171. Quidam febre continua laborabat, apparuerunt ſymptomata terrifica, præter rationem & morem febris, manebat velut caroticus aut comatoſus, deſperata omnia, Medici neſciebant quò referrent cauſam tam ſævorum ſymptomatum: Vocatus Gorrhæus, quo

quo judicio valebat, præsensit id à vermibus fieri: contra Vermes pugnatum, cessaverunt ea symptomata: Etiam in viris suspicari oportet de vermibus, ut in Pueris. *Epid. lib. 2. pag. 246. & 247.*

172. Notat Mesueus vermes aliquando generari ab obstructione cysteos cholidocæ, quia enim non interfluit humor biliosus, purgandis intestinis accommodatus, ideo succrescit pituita multa quæ in vermes animatur. *Annot. 1. in consil. 30. libr. 1. pag. 76.* *Vermes geniti ab obstructione cystis.*

Septalius.

173. In medicinis, & per os assumendis, & per inferna infundendis, semper hæc adsit cautio, ut, antequàm ea in usum ducamus, dulcia aliqua, aut pinguia concedamus, ut iis allecti vermes faciliùs ea comedere tentent, quæ propriè, & verè, & necare, & expellere è corpore eos possunt. Melle igitur, saccharo, lacte, aut pinguibus præmissis succedent quæ enecandi vermes facultatem habent. *In vermes enecantibus exhibendis quid præstandum.*

174. Quin ne hæc sola tunc danda erunt, ne à dulcibus ad amara, aut acria accedentes, factâ mutatione in contraria, potissimùm à gratis ad ingrata, ab eis abstineant; cum dulcibus igitur admiscenda sunt, aut pinguibus, ut aliquâ similitudine ducti, ac grato sapore allecti, iis etiam nutriantur, quæ occidere eos solent. *Vermes enecantibus dulcia, vel pinguia admiscenda.*

175. Ob hanc autem etiam causam observandum erit, ut, cùm unguentis, aut emplastris ad eos occidendos utendum erit, priùs indantur clysteres ex dulcibus, aut pinguibus, ut iis allecti ad intestina inferiora alliciantur, ut ventri inferiori illis applicitis, & enecari, & expelli faciliùs possint. *Ante emplastra enecantia vermes, clysteres dulces indendi.*

176. In iis autem externis applicandis, ut quæ ex farinâ lupinorum, aloë, myrrhâ, ex succo rutæ, aut rutæ caprariæ, sive galegæ, vel aceto parantur, cavendum ne regioni ventriculi applicentur, sed circa regionem umbilici & ventris inferioris: illa enim sæpe ventriculo infesta sunt; & cavendum etiam ne, si ad ventriculum ascendissent, in eo loco enecentur, solent enim ex tali occasione quàm plurima & gravissima symptomata produci: præstabit igitur ventriculum fovere adstringentibus, & acidis, ut, roboratâ parte, deorsum pulsis vermibus, applicatis ventri inferiori remediis, illos evincere & enecare possimus. *In vermibus enecandis emplastra ubi applicanda.*

177 In iis, quæ per os assumuntur, illud omnino observandum est, ut si ex iis fuerint, quæ & enecare, & è corpore propellere possunt, ut est aloë, colocynthis, & similia, ea satis esse, solúmque indigere aut re aliquâ abstergente, aut etiam refrigerante ebibitâ: at si ex iis fuerint quæ enecante facultate solâ prædita sunt, aliqua pòst superbibenda *Vermes enecantibus per os sumptis, quid faciendum.*

perbibenda sunt, quæ abstergendo eos, jam enecatos, expellere possunt.

In Hæmorrhoidibus.

Ballonius.

Quando sistenda

178. Earum fluorem Celsus vocat Purgationem, non morbum, scilicet in iis, in quibus vitium non est internum, sed tantum σιωαθρισμὸς In aliis contra, Si vitium internum, si symptomaticè omnino fluit sanguis, est morbus: Vel dic fieri vi morbi, vel naturæ: Qui sunt cacochymi, & laborant hepatis intemperie, quique vitiosum sanguinem congerunt, ij fluxus immodicos patiuntur, atque sanguis peccat duobus modis, & κατὰ τὸ πλῆθος, & κατὰ τὸ πάθος, maximè verò in mulieribus; Si enim fluxus muliebris, à Galeno συγγενὲς βοήθημα vocatus, non sufficit naturæ ad expurgandum, & fluxus hæmorrhoidum requiritur, malum id est, & ut signum & ut causa; Et revera quotquot mulieres fluori hæmorrhoidum obnoxias vidi, eæ valetudinariæ vixerunt. *Ann.2.in Cons. 98. lib.1.*

Exacta purgatio convenit in nimio fluore.

179. Quibus immodicè fluunt Hæmorrhoides, exactè purgari debent, corpore enim legitimè repurgato, promptiùs, & tutiùs, & desinunt & supprimuntur, cacochymia quæ extra vasa est, foras exigitur, corpus temperatur & refrigeratur: hinc sanguis gignitur temperatior, ideoque minùs ad naturam irritandam idoneus, quæ non potest frui sanguine fervidiore & naturam μελαγχολικωτέραν sapiente. *Ibidem.*

Septalius.

Hæmorrhoidibus superfluè evacuantibus, an omnes occludendæ, an una relinquenda; sententia Auctoris.

180. In Hæmorrhoidum curatione, quia ubi superfluè sanguinem emiserint, Medicos in contrarias sententias abire cum maxima ægrotantium calamitate quotidie observamus; asserentibus plerisque cum Hipp. 6. *Aphor.* 12. non omnes occludendas esse, sed unam saltem esse apertam relinquendam; sic enim & immoderati fluxûs sanguinis rationem habebimus, casum virtutis vitalis impediemus, & morbis, ex immodicâ hæmorrhagiâ imminentibus, contrà ibimus; neque tamen morbis illis occasionem dabimus, qui ex fæculento, & atro humore oriuntur, qui per illas partes evacuari solet: Aliis è contrà cum Aëtio defendentibus, ubi, superfluus sit sanguinis fluxus, omnes omnino occludendas esse; & rectâ victûs ratione institutâ, statisque temporibus & expurgandum esse corpus, & sanguinem per sectam venam evacuandum

evacuandum. Ego verò hujus sum sententiæ, ubi sanguis per eas venas immodicè effluit, ita ut & vires vitales dejiciantur, pallor sequatur magnus, subtumida conspiciatur facies, ad malum habitum tendat corpus, omnes omnino esse, si fieri possit, occludendas; quia virtutis supra omnia habenda est ratio; neque ullam apertam relinquendam ullo modo esse, cùm in curativis indicationibus ab eo, quod magis urget, semper sit inchoandum. Ne verò res hæc Hippocrati adversari, & communi ferè omnium Medicorum sententiæ videatur, primò observandum est, sanguinis per has venas effusionem aliquando esse consuetam, ut statis quibusdam temporibus, puta, singulo mense, aut etiam frequentiùs, vel bis, vel ter in anno, fieri consueverit; aut certè vi morbi, puta, in magnâ febre, cum summâ plenitudine semel aut iterum acciderit; aut denique, quòd cùm statis temporibus moderatè effunderetur sanguis, vi morbi, aut aliâ occasione superflua tunc fuerit. Secundò observandum est, antiquos in immoderatâ ex venis sedis effusione venas illas aut ligâsse, aut suisse, aut ussisse, ita ut nunquam per ligatam, assutam, aut ustam venam ampliùs sanguis evacuari posset, ut apud Græcos, Arabes, & Latinos, & antiquos, & recentes constat; quæ tamen curandi ratio nostris his temporibus exolevit, pulvisculis emplasticis, & adstringentibus contentis, aut ad summum ustione. His sic stantibus, si excessus is hæmorrhagiæ insolitus sit, & vi morbi, & plenitudinis supervenerit, censeo omnino esse supprimendum, nullâ apertâ venâ relictâ: ne, venâ sanguinem emovente, in proposita incommoda incidamus. Quòd si statis temporibus, aut quantitate excedens, aut qualitate infestans, aut utraque ratione molestus, à naturâ per eas venas expurgari solitus, aliquando modum excesserit, ut & vitales vires prosternantur, & alia incommoda inducantur, aut etiam singulis evacuationis temporibus, puta, per duos, aut tres illos dies solitæ evacuationis superfluat, aut si frequentiùs exiens, quàm soleret, aut oporteret, illa inducat incommoda, si, ut illis obsistamus, occludere venas illas velimus, si causticis medicamentis, ligaturis, abscissione, aut ferro candente id præstare quis tentaverit, cùm ex illâ curandi ratione non solùm transitus præsenti tempore sanguini interclusus sit: sed omnis via etiã impediatur in posterum, per quã transire possit; ne in ea incõmoda incurrant, de quibus *Hippocrates 6. Epid.* & *Galenus Epid.* & *6. aph.* 12. & 13. *in 3. lib. de Humor.* necessarium est etiam aliis vstis, assutis, abscissis, ligatis, vnam relinquere apertam, vt per eam excrementitius sanguis, qui in corpore indies aggregatus statis temporibus evacuari solet, expurgari ex more possit, ne affectus illos melancholicos, maniam, melancholiam, vlcera, cutis defœdationes & alia producere valeat; Sed si solum pulvisculis adstringentibus, emplasticis, aut & vrentibus res agenda sit, & eum curationis modum se-

quamur, qui & facilior eſt, & ſecurior, licet aliquando recidivas admittat, ſi ad eum terminum evacuatio ſanguinis pervenerit, qui jam deſcriptus eſt, omnino via omnis intercludenda erit, vt præſentibus incommodis occurramus; cum per hanc curandi rationem non ita obſignentur venæ, vt humore denuo exuberante, iterum natura viam ſibi invenire & ſtruere non poſſit, aut ope medici, aut perfricatione cum rebus aſperis, aut ſcalpello, hirudinibus aperiri denuo venæ nequeant.

In Hypochondriacis affectibus.

Ballonius.

Hypochondriacæ affectionis fomes potius eſt in prava partium diatheſi quã humorum vitio.

181. Recurrere ad ſolam intemperiem, id minus cùm Hippocr. cohæret, qui in veteribus reprehendit, quod in morborum cauſis aſſignandis primis qualitatibus nimis tribuiſſent: nam ea intemperies facilè corrigitur; imo ſenectus, temperamentum adhibens, remedio foret; vt de hemicraniis à cauſa calida obortis cenſet Galenus, quas ipſa ſenectute ſedari putavit: ergo abſtruſior cauſa eſt, & diatheſis, quæ in humores virulentam vim inducit. *Conſil.* 48. *lib.* 2. *p.* 303. Cùm cauſa ſit fixa, ſymptomatum perpetua ſit propagatio, non tam in humorum quantitate, quàm moleſta qualitate cauſa conſiſtit, quam diatheſis quædam fovet: hujus quidem veſtigia novimus, & effectus, ſed ea obtutum oculorum effugit, quin & vix ab animo comprehendi poteſt: hanc veteres adumbrarunt, hanc proſequuti ſunt, ſed non aſſequuti. *Conſ.* 49. *lib.* 2. *pag.* 302

Quædam pendet a baduſtione humorum.

182. Hypochondriaci nomen habet aliquid latentis energiæ quæ opinione major eſt, & plura ſe affectu promunt & efferunt quam nomen & affectionis ratio promittat: In intemperie calida ſicca primarum venarum, unde alimenti non fit elixatio halituoſa, ſed aſſatio fuliginoſa & ʼλιγνυώδης: & in phlogoſi Dioclea conſiſtere videtur; quaſi vero tot ſymptomatum, quæ hypochondriacos querulos & ærumnoſos reddunt, fibræ, ſoboles, propagines ab iſta tantula intemperie, tanquam ab antiqua matrice & radice pullulent & oriantur: adeo obſcura eius affectionis reconditior eſt cognitio, manifeſti tamen effectus, licet origine noti: quia diſpoſitio hypochondriaca fautrix & alumna, hæc tamen non facile agnoſcitur: In hypochondriacis ſanguis eſt acriuſculus, nitroſior, alendo ineptus, quem & carnes repudiant & nervis moleſtus eſt, vnde punctiones, ſtupores quaſi paralyſeos minaces, mille querelæ, mille

le tædia, dolores animi & corporis, mille cruciamenta, fixi, vagi dolores, quasi maligno spiritu errabundo, & ab incerto fomite nascente, per omnia penetrabundo, tanquam lupus est qui patrem non vidit, hinc dolendi & querendi non est intermissio: Tabescunt & indies macrescunt: tantisper dum εὐεξίαν habent atque ἐυσαρκίαν ab iis tædiis immunes sunt, maxime dum calor in humido radicali nutritur & fovetur, dum halituosus est: sed dum ἔκλαμψιν facit, & acriusculus fit, non amplius irriguo humore radicali fotus, tepefactus ac mansuefactus, hypochondriacus affectus, vt latens anguis sese prodit, & sensim nitor faciei deperit, & εὐεξία tollitur, dilabitur corpus ac extenuatur, nec prius hypochondriaci meliuscule sunt quam cum pinguescunt, licet primus nitor atque εὐσαρκία sit irrevocabilis: unde Aristoteles & physici dicunt melancholicos medicinam appetere, quia eorum corpus pungit ac dolet, ac infelicibus plantis conferunt, quæ in arido loco sæpe marcescunt: *Conf. 64. lib. 3.*

183. Existimo & cruditates primam Hypochondriacæ affectioni occasionem dare, & Phlogosin quandam: sed id alia atque alia ratione, nam cùm homines ἐξερυθεῖς, hirsuti, squallidi ac atrabilarij in eam incidant sæpe affectionem, & Virgines quibus obstruuntur venæ, tum ob immoderatam vitæ rationem, tum ob refluxum menstrui sanguinis, potest & cruditas, & obstructio, ob phlogosin, illius affectus causa esse: Itaque quibus magnus est proventus humoris atri per adustionem geniti, ij Hypochondriaci fiunt per calorem, & febris lenta comes est: At in Virginibus Hypochondriacam affectionem parit potiùs cruditas & cacochymia, iuvante refluxu sanguinis impurioris quæ natura lubens, excerneret: Atque hic non vtendum est illis remediis quæ ad hypochondriacum affectum per phlogosin aliquam natum, sed cruditates dicuntur pertinere, *lib. de virg. & mul. morb. cap. 7. pag. 133. & 134.* *Hypochondriacam affect. contraria causa pariunt quæ contraria remedia poscunt.*

184. Plerique ex iis quibus præcipua cura est de contrectandis Hypochondriis, cùm nec inæqualitatẽ, nec tumorem, nec renitens quid tactu deprehendunt, proptereа iubent securos esse ægros, vnde sæpe in vulgi mentem venit propinato veneno ita languere hominem, cùm recitat Medicus nil deprehendisse vitii in hypochondriis: tametsi enim Hippocr. in Coacis, in omni morbo Hypochondrij æqualitatem in qualitate & substantia, in eoque doloris vacuitatem laudarit, non propterea latere nos debet subesse substantiæ totius vitium in viscere contento in Hypochondriis; hoc autem Gal. cap. 7. l. 5. de loc. aff. literis tradidit apertè, quod ad medendum & investigandum confert plurimùm, ne temerè inveterato contrectandi *Contrectatio hypochõdriorum fallax.*

di hypochondria mori assentiamur : declarat enim quomodo superficies corporis sæpe colore æruginoso infecta deturpatáque sit, cùm nulla existat obstructio, aut inflammatio, aut schirrus in Hepate: sed, ait, secundùm substantiam temperiei ipsius partis mutatur, vt sit temperamenti quædam alienatio : sed sit ita sanè (jam enim accedo ad eos qui quod forte iuvenum virginum nitore, &, vt ita dicam, polito marmore alliciantur, jam sibi persuasere officio suo non se defuturos, si vt morbi sedem investigent, manum ad Hypochondria adjiciant, vt hic plus voluptatis ad illos redeat quàm ad ægros vtilitatis) sit ita, inquam aliqua obstructione aut tumore laboret hepar, an propterea tactus fidem faciet? Quod si neges, habebis Galenum tibi contradicentem , cap. 7. lib. 5. loc. aff. qui non ita stolidè voluptuoséque ægrarum mulierum inverecundo tactu delectabatur, *Constat,* inquit, *hepar intra musculos positum esse, quod cùm tribus contegatur musculis, fieri non potest vt tactus aliquam illius notitiam præstet, nisi vel magna in eo oriatur inflammatio, vel incumbentes ei musculi valde extenuati sint. Consf. 53. lib. 1. p. 260. & 261.*

Epicerastica & acria æque nocent. 185. In Hypochondriacis, qui sunt tormenta Medicorum, ob acres humores qui eos pungunt (partim naturâ, partim victus ratione, partim curis & solicitudinibus fieri possunt, maximè verò fiunt quibus viscerum est intemperies) si temperantia tantùm adhibemus, malum non tollimus sed lenimus tantùm; si acria, & quæ humorem tollunt, irritamus : Idem contingit quod & in herpetibus & serpigine , glutinosa, mollia remedia malum fovent, imò deteriùs faciunt; acria, causam evocando, non statim sanant sed irritant; sanitatem enim ratione evacuationis, succum mordacem abluendo & detergendo, non τῆς ἐπικεράσεως, efficiunt; imò contemperantia aliquando mordicationem majorem efficiunt ex accidenti, vt si corrumpuntur, & vnà alunt foventque cacochymiam, *Annot. 1. ad consf. 78. lib. 3.*

Humectantia & refrigerantia conferunt. 186. Rondeletius ex Dioclis opinione putat diathesin τὴν ὑποχονδριακὴν pendere à calida intemperie primarum venarum mesaræi: & etiam mesenterii, declarant volæ manuum siccitas & squalor, at cutis squalida labem vitiumque ventris significat; declarat curatio, medicamenta humectantia, refrigerandoque purgantia, syrupus de pomis, violaceus, lac asinæ aut capræ, balneorum frequens vsus à cibo, aquæ αὐτοφυέις, Spadenses &c. imò iis vlcera oriuntur & καρκινώδεις tumores, qui nonnisi pompholyge, plumbo, cerusa, & mercurio leniuntur & mitigantur; & quod fit foris; idem domi & in visceribus fieri debet, Sed impediunt flatus multi qui in Hypochondriacis scaturiunt, & indicatione quadam contraria avertunt ab vsu rerum humectantium & refrigerantium, quæ causam oppu-

oppugnarent : sic quod est primæ & radicalis affectionis remedium, auget symptoma, vt fit in hydrope & squalore, & hectica viscerum intemperie: cum enim quæ flatum discutiunt, calidiora tenuiorumque partium esse debeant, siccitatem squaloremque partium adaugent. *Conf. 73. lib. 3. p. 196. & 197.*

187. Prosunt ex intervallis vomitus, præsertim à cibo : Sed vomitoria valida (quæ tum à nonnullis malè præscribuntur) obsunt plurimum, ærumnamque ventriculo afferunt: imò, ait Aëtius, sub finem cap. 10. sem. 2. tetrab. 2. Quidam vehementioribus vomitoriis melancholia correpti sunt, vt mirum non sit si multi curati non sint: *lib. de virg. & mul. morb. cap. 7. pag. 135.* *A vomitoriis validis cavendum.*

188. Etsi pituita abundare videatur quod in os saliva proliciatur ac vt concedam nescio quem crudum succum redundare, partes solidæ ferè sunt siccæ quæ sudorificis magis exsuccæ redduntur. *Consil. 48. lib. 2. pag. 304.* *Sudorifica nocent.*

189. Licet hypochondriaci de ipso conquerantur ventriculo, id per sympathiam fit viscerum & hypochondriorum vicinorum: & in his chylus non modò aduritur, sed corrumpitur ab externo calore, & propria putredinis specie terrifica symptomata edere consuevit. *Consil. 48. lib. 2. pag. 303.* In hypochondriacis sæpe accusatur ventriculus, cùm sit innocens, sed aut in pyloro, aut jejuno intestino mali labes delitescit, ut, Diocles annotavit. *Consilio 55. libr. 3.* *Hypochondriacis ventriculus laborat per consensum.*

190. Item peccatur in Hypochondriacorum morbis, nam fere ad Lienem opera dirigitur; & dum incidentia, ῥυπτικὰ, attenuantia, cappares, tamarix, cassutha, chamædrys, chamæpitys, imò radices calidiores præscribuntur, hepar siccatur primùm, quia integris viribus traducitur ab iis medicamentis simplicibus; & dum vulgus & Medicorum & hominum intendit per corticem tamaricis & asplenium lienem minuere, minuit, imò fortè fit ut perexiguus fit splen, quod malo est, nam satis amplum & validum oportet esse splenem ut hepatis sanguinem purget, alioqui mille incommoda sequentur. *Conf. 78. lib. 3. pag. 198.* Præterea eorum usu minuitur hepar, siccatur, augetur intemperies sicca, educitur serum liquato sanguine, & defectu seri sanguis aduritur, & cùm Lien minor est justo, non ritè defœcat sanguinem humore melancholico, quo fit ut in venis & arterijs ardeat, unde pici aut gagatæ lapidi simillimus existit. *Annot. 2. in id conf.* *Lien sæpe culpa vacat*

191. Hypochondriacæ affectionis cùm ὑπαρξις consistat in intemperie sicca partium in Hypochondrijs contentarum, cum nonnulla caliditate, sine affluxu, sed cum obstructione potius, a sanguinis & aliorum humorum crassitie (quamobrem limaturam chalybis in Hypochondriacis & decoloribus virginibus commendant) ideo *Validè non purgandum.*

illis ut plurimùm sunt φαρμακείαι ἐργώδεες, nam in ista siccitate partium naturalium, non purgandum ἀδεστέρως vehementer; enimverò hypochondriaci ferè æstuantia habent viscera, calida & sicca sunt temperie, bilis acris genitrice. *Conf.* 78. *lib.* 3.

In hypochondriorum Phlogosi noxia Purgatio.

192. Hippocr. 4. Acut. in Hypochondrijs inflammatis, sive sit quædam φλόγωσις sine tumore, sive sint συστροφαὶ, Purgationem reformidat ab initio, verba illius sunt parte 21. lib. 4. Acut. *Hepatis dolores, & Splenis gravitate, & alia inflammationes ac morborum collectiones* (id est, ait Galenus, *cum vitiosi aliqui humores in partem quampiam confluunt & in ea coacervantur, quod à fine συστροφὴ dicitur*) *solvi non possunt si quis prius medicamentis purgantibus purgare aggrediatur. Nam vena sectio in talibus principalis est, deinde infusa per clysteres, & post venæ sectionem purgans medicamentum securitate ac moderatione opus habet: quicunque ea quæ inflammata sunt, statim in principio morborum medicamento solvere volunt, ii non solum ab intensa & inflammata parte nil adimunt, cùm non cedat quæ cruda est affectio, verùm & quæ morbo resistunt, & sana sunt, colliquant absumunt, ductòque ad imbecillitatem corpore morbus superior evadit, qui ubi corpus vicerit, remedium non habet*: Et quicunque, ait Galen. comm. in part. 22. lib. 1. *multa cruditate laborant, vel qui tenaces ac crassos cibos assumpserunt, quibus itidem Hypochondria intenta atque inflata sunt, aut supra modum calida atque ignea sunt, & si hoc ipso loco aliqua inflammatio est, omnes hi haudquaquam ad Purgationes apti sunt. Conf.* 112. *lib.* 1. *p.* 42.

Et inflãmationis & humorum turgentium simul ratio habenda.

193. Sed hæc si adsunt; præsertim inflammatio ilium; si adest συστροφὴ præsertim calida, morbus acutus est: Si acutus, initio agendum est aliquid, nec valet tum Aphor. πέπονα φαρμακεύειν, quid facias, sines ægrum sine ullo remedio interire? In omni febre ardente φλόγωσις est, ideo non valet agitatio, & tamen, si quid agendum, maximè, initio morbi, dum materia turget. Revera aliud est materiam ὀργᾷν, aliud φλεγμαίνειν ὑποχόνδριον, καὶ συστροφὴν aliquam esse: &, ut patet ex comm. in aphor 22. lib. 1. hinc sumitur omnis distinctio & definitio tantæ difficultatis: nisi dicas sæpe inflammationem esse, & συστροφὰς & orgasmum esse, ob serosos & acres humores attractos à venulis arefactis: Si purgas, consules orgasmo, sed augebis inflammationem: & revera si habetur ratio ipsius materiei impactæ, & quæ velut radices in parte egerit, à valido medicamento abstinebis; quomodo intelligi debet illud Hippocr. quod à parte inflammata nil conaberis avellere, sed si junctus sit orgasmus, ob serosos ichores à partibus inflammatis manantes, & gravia symptomata excitantes, aut ob materiam aliquam non ita sequestratam & συστροφὴν facientem, sed per mesenterium sparsam, & quæ facilè

cilè arte noſtra educi queat, non erit alienum tunc moliri evacuationem. *Ibidem.*

194. Cum pleroſque videamus derepente ſuſpenſa intentáque Hypochondria, nec non ſatis liquidam habere alvum, An ſtatim aut ad ſectionem venæ veniendum eſt, quod exiſtimemus diſtenſionem illam ab inflammatione eſſe, An verò ille fluor alvi nos à ſectione venæ debet revocare, quod videmus omnes in eam venire opinionem ut credant locum eſſe nuſquam venæ ſectioni dum alvus lubrica eſt? Audiamus Hippoc. parte 21. l. 4. Acut. *Obſeſſa inflammatione Hypochondria, non ſpirituum interceptione, ſepti tranſverſi intentio, vel ſpirituum protenſiones, ſed à ſpirituum interceptione, pathemata hæc ſupervenient: hæc, inquam, ſectione venæ ſolvuntur:* Cùm ſecat venam in Hypochondrij inflammatione, excipit, Si non ſit ἐκ τῆς ἀπολήψεως πνευμάτων, ubi ſcilicet Hypochondria ſunt in tumorem elevata, non ſpirituum interceptione, id eſt, ut iſta elevatio non ſit à ſpiritu, ſed ab inflammatione, ut, ex Galen. nihil aliud ſit hoc loco apud Hipp. τὰ ὑποχόνδρια φλεγμαίνοντα quàm ὑποχόνδρια εἰς τὸν ὄγκον ἠρμένα: Nam inflatio vel fit à flatibus, vel à mucore aut thrombo, aut ab inflammatione: Et talis ſenſus eſt Hippcr. Si Hypochondria eleventur, (cùm enim φλογώσεως meminit, tacitè audit tumorem aliquem excitari) ſectio confert venæ, ſed hoc verum ſi elevatio ſit inflammatoria, non πνευματώδης, id eſt, à flatu excitata: Non quin non eadem ſit ratio medendi ſi inflammatio Hypochondrij ſit cum flatu aut ſine flatu, ſed oportet ſignis ſyllogiſticis aſſequi an flatus interceptio non cauſetur iſtam elevationem. *Ibidem. pag.* 543. & 544. Ad curationem hujus mali, vt & ad Tympanitem ortum ob phlogoſin lactium, valet illud Hippocr. 2. Epid. ſect. 5. *Ventoſitatem flatuoſam* (Græcè αἰσμίω) *phlebotomia ſolvit,* Nam præ calore ſpiritus multus excitatur qui diſtendit & vexat. *Annot.* 3. *in id conſil. p.* 547. Sed an inflammatis Hypochondrijs, & fluente alvo, poteſt tutò vena ſecari? nam contra docet Hippoc. parte 116. lib. 4. Acut. *Si cui ſanguinem auferre confert, ventrem confirmabis,* Gal. in comment. Si poſt detractionem perſeverat fluor, virtutem proſternet: Sed cùm Phlogoſis eſt, aut calor adurens & colliquans, non alienum eſt demere ſanguinem ut ardorem extinguas. *Eodem conſ.*

Fluor alvi vena ſectionem non impedit.

195. Innumeris dolores ventris inferioris à diſpoſitione inflammatoria, ut potiùs ad Phlebotomiam recurrendum eſſet quàm ad catharticum: adeo præſentis abſceſſus erat metus: multis venam ſecuimus & profuit. *Epid. lib.* 2. *pag.* 150.

In dolore à diſpoſitione inflammatoria neceſſaria S. M.

196. Cuidam poſt ſpeciem doloris Colici in regione Hepatis, dolor oboritur ſine febre, ſaltem non manifeſta, forte videbatur conſen-

Dolor in regione hepatis phleboto-

mia & purgatione sanatus.

sentaneum quod dolor levaretur si febris superveniret, per Hippocr. aphor. de dolore Hypochondrij sine febre; Et peccatur contra eum aphor. sæpe, secta bis vena & pharmaco dato sæpiùs, convaluit: Credo quod ab orgasmo materiei biliosæ circum concavum & gibbum hepatis dolor obortus est: Idem vetulæ contigit, dolorem colicum esse credebant, pro desperata erat, secta vena bis, & provocata alvo convaluit: Audendum est aliquid, præsertim arte dictante & ratione. *Epid. lib. 2. pag.* 245.

Hypochondriaci falsa pleuritide sæpe detinentur.

197. Novi plerisque hypochondriacis sectam esse venam ob dolorem lateris, cùm is tantum esset ratione cuiusdam flatus ab hypochondrio surgentis. *Vide artic.* 4. *lib.* 7. *Histor.* 1. *lib. pag.* 54.

Hypochondriaca affectio in virginibus quomodo curanda.

198 In virginibus hypocondriacam affectionem parit potius cruditas & cacochymia, juvante refluxu sanguinis impurioris, quæ natura lubens excerneret: Quod si verum hoc est, non erit utendum illis remediis quæ ad hypochondriacum affectum, per phlogosin aliquam natum, sed cruditates dicuntur pertinere: Aëtius cap. 10. serm. 2. tetrab. 2. primùm censet habendam esse rationem coctionis, quoniam ea aut imminuitur, aut pervertitnr, unde symptomatum accretio: Deinde ad aloen & epithymum recurrit, pauca quantitate exhibens, ut sensim atque sensim alvus educatur: si mensium suppressio sit, venam poplitis incidit: In clysteribus incoquit polypodium & epithymum cum furfuribus & pauco nitro: urinas provocat decocto dauci, petroselini, asari, phu, mei, nardi, fœniculi & similibus: vtitur quoque decocto absynthij, tribus de causis, quod flatus generari non permittat, secessum non prohibeat: urinam ejeat, coctionemq; adjuvet; imò solo isto decocto plurimos se sanavisse confirmat: Serum exhibet cum melle & sale, etsi lac non conferat quibus inflata sunt præcordia aut obmurmurant, tamen prodest potiùs his quàm illis: & Galen. comm. in aphor. 64. lib. 5. etiamnum inflatis hypochondriis serum lactis exhibet, quia alvum subducit, quod notandum, sed non conferet virginibus: hypochondriacis per adustionem proficiet magis: prosunt ex intervallis vomitus, præsertim à cibo, cavendo à validioribus: *Lib. de virg. & mul. morbis capit. 7. pag.* 134.

Lacti asinino quando locus.

199. Lacti asinino locus erit post diligenter, blande tamen, repurgatum corpus: Etenim licet melancholicum sit propptereaque vehementioribus utendum sit medicamentis, ex Hippocr. tamen illud sine consilio & ratione non est usurpandum: etenim cum in melancholicis humoris potius atri ac contumacis copia in promptu est quam vitium substantia, ac prava, quædam viscerum diathesis & imbecillitas, illic tum ad vehementiora remedia converti debet consilium: præsente scil. viscerum ipsorum robore, quod ab Hippocr. intellectum putari debet: Sed cum cachexia quædam est ob alimenti corruptelam, vitiatamque nutritionem, ac viscera vitiata sunt ac

vieta

victa, illic ex intervallis blando medicamento vtendum est, ut sensim ac sensim potius therapia consistat in epicrasi quadam, cum frequenti catharsi, quæ vim visceribus alioqui effœtis illatura est. *Consil. 9.lib.1.*

200. In eo omnino versandum est, ut quacunque id ratione fieri possit corpori prima moles restituatur, tollaturque tum alimentis tum medicamentis squalor & marcor totius corporis: Nam ut dicebat *Mesueus*, cap.de melanch.hypoch. ea laborantes tum demum curati dicuntur cum pinguescunt: *Ibidem.* *Ευεξία procuranda.*

201. Capita aliquot conservandæ sanitatis perstringemus, hæc non homini sed Calliæ scribentur. *Hypochondriacorum cum φλογώσει Diæta.*

Primum est, ut intestino & gentilitio lactium incendio occurratur; id enim morborum iliadem afferre solet.

Inedia omnis vitanda est: & ut satietas fraudi est, ita quoque abstinentia & inedia impense nocet; frugalitas media esto; illa morbos à repletione parit, hæc humores adurit, & corpori squalorem inducit: id autem naturæ tuæ adversum.

Vino omnino abstinendus non es, quoniam coctioni & humorum distributioni operam dicat: jucundiorem vitam facit, sed breviorem. Frigidæ potus solus non convenit, vias enim obstruit, obstructio alimenti distributionem impedit: hoc autem tabem ac marcorem corpori conciliat.

Alimenta humidiuscula convenient, assa non ita erunt ex usu, bilem enim ingenerant: Acetaria omnia obsunt, etsi enim lentam cibi cupidinem acetum solicitat, dum humores subigit & fermentat, noxium est valde: In usu capparum, qui frequens proderit, perexigua aceti affusio esto.

Interdum clysteribus blandis uteris, apagesis frequentiorem medicamentorum usum.

Detractio sanguinis, nisi quando res urgeat, spiritus exhaurit, vires exsolvit, corpus siccat, maturam senectutem accersit.

Crudus non dormias, nec immoderatæ exercitationi te dedas.

Piperatis, salsis & acidiusculis carebis, alterant enim hæc sanguinem.

Et quoniam aliquando ipsæ voluptates & veneres videntur illiquefactæ ad animos nostros perfundendos, ἐν τοῖς ἀφροδισίοις restrictus esto: hinc corporis tabes & animi ἀτονία.

Somnus statim à cibo fugiendus, diturnior quoque; ut enim moderatus corpus exhilarat, ita immodicus idem exolvit: *Consilio 5. lib.2. pag 202.*

202. In Hypochondriorum tumoribus neque mollientia nimis, neque siccantia valent. *Annot.5.ad cons.112. lib.1.p.157.* *Quæ topica in illorum tumoribus.*

203. Ad perpetuam memoriam hoc est menti infigendum, quoties *Hypochon-*

driorum dolores profundi suspecti. ties quis, etiam dum rectus agit, de dolore hypochondriorum, præsertim profundo, conqueritur, oportet non temerè securum esse, sed verendum est de re aliqua latente: declarat Apollonius in Epidemiis, cui consuetus dolor erat ad dextrum hypochondrium; & hic mortis causa tandem fuit, cùm levi alia de causa laborasset: nam mirantur aliqui sæpe nos levi de causa in morbos incidere, ac hæc per se non est causa sufficiens. *Etenim*, ait Galenus comm. in *part 5. sect.1.lib 3 Epid. sunt quædam quæ per se ipsa committere morbum nequeunt, quæ si ad corpus morbo opportunum accesserint, totius* causam morbi creduntur sustinere. *Consil.107.lib.1 pag.*

Hypocondrij sinistri dolor terna purgatione sanatus. 204. Iosserius Procurator, magno metu territus, aliquot post diebus hypochondrium sinistrum doluit: A vetere cacochymia serum putre subierat partes istas, & vis erat atrabilaris humoris: secta statim vena; neutrum in latus decumbere poterat, ἀπνούστ@ fere: Si biberet vinum: illud dolorem afferebat, & sensum cuiusdam acrimoniæ: ter repurgatus, & materia fœculenta valde exclusa convaluit. (*Epid. & Ephem. libr. ij pag. 177.*

Topicorum usus suspectus in hypochondriorum affectibus. 205. Locus *Aetii* sicce non est prætereundus, *vidisti tu eodem tempore cùm fomentum cuidam adhiberetur, eum difficulter spirasse, omni superfluitate ad præcordia per calorem attracta; hic itaque mortuus est, cùm cataplasmata instar cucurbitæ superfluitates ad partes attrahant: Quidam etiam ipsa cucurbita vsi sunt in præcordiis: hoc vnum ipsi cogitantes vt aliquid circa ægros agere viderentur.* Consilio 107. libr.1. pag.505.

Colicis doloribus nothis confert V.S. 206. Imum sæpe ventrem dolores exercent, quos frustra multis adhibitis remediis, sive ea assumantur, sive adhibeantur, solvere aut lenire cogitabis, Injectis clysteribus non solvuntur, medicamentis paulo vehementioribus irritantur. Ob similitudinem Colici nuncupantur quibus tamen non in Colo intestino sedes est, sed vel in Peritonæo, vel in membranis quæ abdomini ventrisque partibus obtenduntur: eorum materia aut flatus est, aut acer æruginosusque humor, qui cùm diu restagnans in visceribus restitisset, tandem insolitam viam in abdominis spatium aut in Peritonæum sibi patefacit: & hæc in diuturnis febribus contingunt, quippe natura depulsionem materiæ crisimque in alvum molitur, & cùm nusquam expeditam viam nanciscatur, humorem illum è venis ac visceribus in membranas avertit ac derivat: In 4. aut 5. id deprehendi, qui cùm dies aliquot febre conflictati fuissent, aut quod ejus diuturnitatis eos tæderet, aut quod cum primum natam febrem jugulare cogitarent, inito cum mulieribus aut præstigiatoribus consilio, impetum materiæ impedivevrunt. Hic sectio venæ utilis; etsi nullus penè à secanda vena non abhorreat, cùm dejectæ sint vires admodum: præsentissimum tamen remedium, quod materia à centro per metastasin ad habitum corporis viam affectat: Et cùm illic restitet, potest educi sectione venæ: *Consilio*

lio. 5. lib 1. Hippocr. lib. de Affection. pag. 9. & 10. eos dolores adumbrasse videtur dum explicat quotuplex sit Volvulus, unus Hyemalis, alter Æstivus, & Ictericus, tertius Hæmatites & Autumnalis; nam ij dolores ad volvulum accedere videntur. *Annot. 2. in id consilium pag. 11.*

207. Fernelius in talibus Balnea usurpabat viribus nondum lapsis, ac in balneo ipso medicamentum purgans propinabat; quod dum agere incipiebat, educi ægrum jubebat è balneo. *Annot. 3. Ibid.* *Balneum in tali dolore valet.*

208. Quidam dolore intolerabili cruciabatur, colicam falso putabant, erat materia conclusa eo modo quo in superioribus, æruginosa, acris, præsertim ærumnas & mœstitiam sequuta, dolores repetebant ex intervallis, non eos ferendo: Medici rati Colicos esse dolores, calidissimis illum frustra exercebant, & quoniam vomebat perpetuò, styptica foris admovebant; alij postea mitiùs egerunt, & materiam illam efferam sibi aliquam cystim machinatam fuisse crediderunt; ita blandis ac temperatis utentes medicamentis, educta vomitione est bilis vitellina, putris, allevatus est & sanitati restitutus. *Consf. 34. lib. 1. p. 127. De iis doloribus adi Fernelium.* Cum conclusa materia æruginosa, aut ejusmodi alia dolores Colicos excitat & inanes vomitiones, prudenter adstringentibus utendum est, quia eorum usu coercetur magis, & obstructionis occasio major est. *Annot. 2. in id cons.* *Cautè adstringentibus utendum.*

In Mesentetij affectibus.

Ballonius.

209. D. de Longueil, ad mensem Maïum tormina, abundat & humore bilioso & succo crudo: utriusque humoris mores inæquales, motus inæqualis: dolor ad imum ventrem, inclinans ad partem potiùs dextram: Turgebant adeo humores ut ferè oppressus fuerit, toto aqualiculo in tumorem elevato: febris successit, partim periodica, partim non: Tandem excrevit Puris materiam, facto in mesenterij parte, aut Intestino aliquo abscessu, meliùs habuit: post longum tempus, & longas adeo Purgationes convaluit, Horrebat aliquando & rigebat, sed Rigor erat à suppurato, &c. *Epid. lib. 2. pag. 272. & 273.* *Mesenterii abscessus symptomata & signa.*

In Affectibus Hepatis-

Ballonius.

210. In omnibus Iecorariis, id est, quibus grandius Hepar, amplius, tumentius & calidius, cum febribus magnis prehenduntur, *Quibus grandius hepar ij*

 maxima

Sæpe dolore pleuitidem mentiente vexantur cùm febricitant.

maxima ex parte, tempore urgentis febris, dolores in claviculis & secundum homoplatas sentiunt satis vehementes: In Pleuritide quidem, cum uno loco inflammatio consistat, tamen in parte longè remota, ob communicationem & continuitatem membranarum, dolor intolerabilis sæpe sentitur, qui majores sæpe molestias exhibet quàm ipsa Pleuritis, & signa Diagnostica Pleuritidis aut superiores aut inferiores partes occupantis Hippocr. l. 2. Acut. desumit ex dolore aut claviculas aut ileon regionem occupante: Hepate accenso aut inflammato, aut per insignem febrem æstuante, dolor potest ad jugulum pervenire: bifariam enim dolor tensivus ratione iecoris surgit, aut enim Hepar nothis costis alligatur, & tunc dolor ad claviculam percipitur, ratione distentæ membranæ quibus hoc adligatur, à vasorum ipsorum potiùs quàm membranarum distensione dolor surgit; & ut ait Gal. proprius venæ arteriæque dolor veluti in longitudinem extensæ chordæ speciem refert: Quod est notandum, ne cùm hos dolores in febribus aut inflammationibus Hepatis ortos videris, frustra de Catarrho comminiscaris; probabile enim est dolores pro partium affectarum situ esse aut ἀναῤῥόπως aut καταῤῥόπως: *Consil.* 75. *lib.* 1. *p.* 407. Quemadmodum ineuntibus Paroxysmis intumescit & expanditur Hepar contingens Diaphragma, unde difficilis spiratio contingit, ita quoque dum æstuat jecur intumescentia est quædam, hinc tractui similis contentio, quo fit ut per communicationem vasa superiora afficiantur. *Annot.* 7. *in id consl. pag.* 408. Quia tamen corpus Hepatis unum est & continuum, sæpe signa inflammatarum gibbarum & simarum exquisitè dignosci non possunt: *Annot.* 8. Membranarum dolor est punctorius sensimque expanditur, punctorius sensus, tanquam in centro laborantis loci, in parte est: tensionis sensus circumcirca musculum est: Sic unum & idem potest punctorium sensum inferre & tensivum, sed diversa ratione: *Annotat.* 9. *in id cons.*

Ζύμωσις hepatis venæ sectione præsertim curatur.

III. Cuidam febricitanti tumor & durities quędã ad tactũ apparebat; alij Scirrhũ dicebãt, alij nõ à flatu, quia fugax fuisset: initio Paroxysmorũ regio Hepatis apparet tensa & inflata, sed id residit calore febrili aucto: Nos putabamus id esse quod Hippocr. in Epidem. vocat Hepatis fermentationem quandam, nam in Febribus aliquando & cystis fellis intumescit & totum Hepar, fervente & bulliente in capillaribus venis sanguine & turgentibus humoribus; & ij Medici, quibus sine experientia ratio quædam suffragatur, nec morbum istum norunt, nec medicari possunt: In tali affectu non est parcendum sanguinis detractioni, hæc enim largior opitulatur; malactica & foris admota ferè sunt inefficacia: Profluvium quoque biliosum juvat, sed illud non solet oportunè evenire, nisi detracto luculenter sanguine, ardor mitescat & tumor duritiesque minuantur. *Cons.* 76. *lib.* 3. *pag.* 193.

Quidam.

Quidam calidis & ficcis visceribus non longe postquam vxorem duxisset decumbit: dolor ingens ad ventriculum, vomitiones assiduæ, inappetentia, febris sepulta: cibum nullum, imò ne aquam ferre potest, jactatur; pulsus ἀνώμαλος, imò in quibusdam pulsationibus intercalaris intermissio, ut morientis pulsus videretur, & nisi coitum frequentem causati essemus, nonnisi de funere egissemus: Ex intervallis circum hepar & os ventriculi, quod jecoris simas contingit, tantum calorem se sentire dicebat, ac si flamma ibi concepta foret; Spiritus adeo erant dispersi & vim passi, ut qua ratione ei occurrendum foret, dubitaretur: hypochondrium dextrum ex intervallis, ob caloris sepulti ἀνάλαμψιν, apparens Φλέγμαιον & φλόγωσιν patiens, phlebotomiam hortabatur: Nos revocabat pulsus, Tamen, ut audaces fortuna juvat, quoniam ad istam pulsus immutationem, formidabilem certè, concurrebat, præter spirituum quandam affectionem & phlogosis & cacochymia (unde spiritibus, qui apte τὰ ἐνορμῶντα dicuntur, quoniam corpus sursum deorsumque non potest illustrari, nisi vi quadam ad partes affluant, via & ingrediundi regrediundique potestas denegabatur) aderat: hac subacta usu medicamenti, & aperta vena, pulsus cœpit melior & ordinatior esse: Sic Medicos sæpe præcipitanter timidos esse turpe est. *lib. 2. Epidem. & Ephemer. pag 132.* Verè is erat affectus qui ab *Hippocr.* in 4. Epidem. ζύμωσις appellatur: locus est præclarus 5. Epidem de Androphane. De eo idem ferè dicitur quod & de eo ægro quem hoc in loco describimus, Sed inter cætera ait, *dolor erat ad cor quem vena sectio solvit. Ibidem annotat. 21. pag. 136.*

212. Non perpetuò suspicari nos oportet aut obstructionem in alterutro viscere, aut inflammationem, aut Scirrhum, cum corpus pravo colore infectum est, quod plerique faciunt, ad id dirigentes suum consilium sed perperam: Galenus autem in Hepate κακοχροιγίαν ἄνευ ὄγκε agnovit, pote cùm in sua substantia affectum est & paavo etiam tinctum colore, Sic 7. lib. 5. de locis aff. inquit; In corpore & viridis color est & plumbeus & alij colores ineffabiles cernuntur, Iecore suum probè officium non faciente, sine tumore ullo. *Lib. de virg. & mulier. morbis, cap. 7. pag. 80.* *Fœdus faciei color non semper obstructionis index.*

213. Siccitas & calor Hepatis impediunt quominus tutò Rheum usurpemus: præterea cùm viarum libertas est, visque medicamenti pervenit ad Hepar, tutum non est Rheum: sed si obstructio sit mediocris, eo uti debemus; & tantò audaciores esse debemus quantò obstructio est major: quod diligenter notandum cùm de medicamentis calidis mentio injicitur. *Conf. 35 lib. 1. p. 135.* *Rheum aliquando noxium illi.*

214. Ita dicimus aloën non calefacere hepar, licet impensè calida sit, quod priùs intestina pertranseat quam ad hepar rapiatur, *Ibidem.* An tutus aloës usus in ijs in quibus hepar calidum est? he- *Aloë non semper calefacit.*

 par.

par ipsa aloë non transcendit ac superat, nisi in majori sit quantitate, ait Galen. *cap. 2. lib. de compos. medic. S. l.* itaque vix ullum incommodum sequitur in talibus ab aloë: At eodem in loco ait Gal. *nisi multa obstructiones sint pravia in quas aloë agat, si Hepar calidius sicciusque fuerit, magna inde clades sequitur. Epidem. libro 1, pag. 59.*

In ejus dolore tad. hederæ vis.

215. Quendam dolor ad gibbas Hepatis vexabat: irrita fuerunt omnia remedia ex arte comparata; Et cùm naturæ totum negotium relinqueretur, rusticus advocatus est, hic similem affectum se aliquando curasse asseveravit: æger confidenter ei sese credit: accipit radicis hederæ pulversatæ ʒ j, aut ʒ ij, potui dat cum decocto capi aut pulli; non longè post juvatur plurimùm;& ejusmodi remedia à veteribus sunt præscripta, à nobis neglecta, & eadem magno nostro vituperio cum summa laude vsurpant rustici, Aëtius caput scripsit de iis quæ purgant cavas & gibbas partes Iecoris. *Epid. lib.1. pag. 41.*

Hepatis phlogosi iterata s.m. conuenit

216. Quidam febre acuta corripitur, dolor ad Hypochondrium dextrum, satis colligebamus non esse pleuritim, tamen summa erat difficultas ducendæ animæ, & quæ in horas incresceret: Spes erat sedatum iri vno medicamento, contra aucta est, metus suffocationis: revera phlogosis erat pituitosa circum eas partes; & nisi terna venæ sectione provisum fuisset, metus erat abscessus: Hippocrat. scripsit, *Quibus dolor ad Hypochondrium sine Inflammatione, his febris supervenient, solutio*: Si morsus est & dolor, hoc inflammationem aut quid simile significat; si talis dispositio non adfuerit, & morsus abfuerit, dolor fit tum, aut propter obstructionem, aut flatum, aut inæqualem aliquam intemperiem, quæ omnia calor febrilis tollit, sed cùm febris in isto ægro sæviret magis, nec de flatu nec de sola obstructione verebamur, sed de inflammatione potiùs aut simili aliqua affectione; Et verò ex Gal. ità ratiocinabamur, Carnosa parte Hepatis inflammata, gravis fit dolor, tunica circumducta, vel vasis inflammatis, Acutus: sed biliosus humor & acutus dolorem auget, item spiritus flatuosus exitum non habens, remittit autem pituitosus: si mediocris dolor est & non pungit, vt qui in membrana succingente est, nec ad claviculam aut Ilia pertingit, continget ipsum dolorem fieri carnosis costarum partibus affectis, ideo non est periculosum nec magno eget auxilio: cæterùm cum Hepate inflammato dolor ad Iugulum pervenit, potiùs sequitur venæ cavæ aut arteriæ distensionem quàm membranæ, nam proprius dolor venæ & Arteriæ est tanquam extensæ in longum chordæ: nil priùs fuit quàm, & ad antevertendam inflammationem, quam futuram suspicabamur, & ad febrem iugulandam, qua forte consump-

Aph. 40. 6.

tus esset, ter venam ferire & largiter sanguinem detrahere, *conf.* 91. *lib.* 1 *p.* 442.

217. Etsi in aliarum partium inflammationibus initio quidem adstringentia & repellentia vsurpamus, sed Hepati inflammato, vt & ventriculo, omni tempore adstringentium vsu providemus: Nisi quis obiiciat quod à Gal. scriptum est, *Novimus* ait, *dulcibus Iecur ac lienem intumescere: supersunt in cibis ptissana, in pharmacis oxymeli aqua mixtum, nam quæ adstringunt omnia, dum eos bilis meatus obstruunt, bilem supprimunt; atque inde iecoris phlegmonis sunt incommoda, maximè quæ in cavis consistunt*: Responde, Galenum illo loco maximè de cavæ partis jecoris inflammatione loqui, in qua reuera ob inflammationem mesaræi minùs tutus adstringentium vsus: secundò de cibis mentio potissimùm injicitur.; nemo dubitat in cavæ partis inflammatione adstringentes cibos & crassos officere. 3. loquitur de adstringentibus non mixtis: sed cùm gibba Hepatis inflammantur, tutiùs vsurpantur adstringentia, quod longo anfractu eorum vis retundatur. *lib. de virg. & mul. morb. cap.* 7. *pag.* 130. *Omnibus remediis adstringentia addanda. 3. meth.*

218. Plenissimè hic alendum, quod morbus omnium sit acutissimus propter eáque extremos habeat labores, vigor item in propinquo est: Et hic plus occupatos nos esse oportet in oppugnatione morbi, qui plurimi est momenti, quàm naturæ corroboratione, tametsi magna virium jactura sequatur: adde quod alimentum in illo corrumpatur, corruptio autem illa ægris damnum magis est auctura, quàm si in totum alimento abstineatur, *conf.* 42. *lib.* 1. p. 187. *Victus debet esse tenuissimus.*

Septalius.

219. In Calidâ Hepatis intemperie, neque semper ab initio medicamento purgante universum corpus & jecur expurgandum est, quod doctissimi quidam viri ex Archigene, & Galeno 8. *de compos. med. secundum loc. ad finem* colligunt; Neque semper ab hoc abstinendum, victûs solâ ratione, & alterantibus ad frigidum contentis, quod ex Tralliano, & Avicennâ alii censent; sed distinctione utendum: si ex procatarcticâ aliquâ causâ subitò talis intemperies introducta sit in corpore alioqui sano, detracto sanguine, venâ sectâ, & refrigerandi totius, ac hepatis causâ, & revellendi ejusdem à parte laborante, statim ad alterantia veniendum erit: quòd si corpus bile priùs refertum fuerit, & paulatim intemperies sit introducta, altiùsque radices egerit, & quasi habitum contraxerit, non solùm sanguinis missione erit utendum, sed medicamento aliquo blando *Hepatis in calida intemperie quando purgandum, & quando non.*

do

do calidi humores, jam inde geniti, erunt priùs expurgandi, mox refrigerantibus erit agendum.

Hepatis in intemperie calida manna non noxia.

220. Neque verò in hoc casu fugiendus est usus mannæ cum sero, aut syrupi rosati solutivi, quod doctissimo Massariæ visum est: ob eam rationem, quòd, cùm dulcia sint, periculum sit, ne bilescant; valet enim argumentum in iis, quæ alterando diutius in corpore moram trahunt, non autem in subductoriis, quæ & magis evincunt, quàm evincantur, & bilem subducendo potiùs refrigerant.

Hepatis in intemperie calida Rhabarbarum suspectum.

221. Rhabarbarum potiùs mihi suspectum est in hoc casu: cùm enim tardiùs operetur, igneas autem multas partes habeat, quibus penitiores partes facilè adire potest, & jecur magis excalefacere poterit; ut ex lotio, quod statim ab assumpto medicamento flavitiem assumit, & ruffum conspicitur, quilibet cognoscere potest.

Hepatis in intemperie calida refrigerantia & adstringentia impensè suspecta.

222 In externis applicandis ea adsit cautio, ut refrigerantia, & adstringentia sint moderata, tum actu, tum potentiâ, ne viscus scirrhum contrahat, néve calor, & vapores, qui inde exhalant, retineantur, ne etiam claudatur via sanguini, aut denique putredini detur occasio.

In hepatis intemperie frigida calida & sicca suspecta.

223. In calidis & siccis externis applicandis ea sit animadversio, ne nimiùm in iis excedant: fit enim sæpenumerò, ut, humidioribus partibus absumptis, aut exsiccatis, scirrhi in parte concitentur.

Hepatis in obstructione attenuantia cur ante prandium applicanda.

224. In topicis, in usum ducendis, primò hæc adsit cautio; ne attenuantibus unquam utamur, nisi longo intervallo post cibum assumptum, ut non modò in ventriculo cibus in chylum mutatus sit, sed in hepate etiam jam mutationem in sanguinem nactus sit. Quapropter cùm à cœnâ ad prandium multò majus temporis intervallum intercurrat, quàm à prandio ad cœnam, commodissimum tempus judicamus esse, si fiat per horam ante prandium.

Linimentis fotus calidi cum spongia præmittẽdi.

225. Animadvertemus præstereà, antequàm linimentis, aut inunctionibus utamur, semper viscus esse fovendum decoctis attenuantibus & discutientibus cum spongiâ, ut & inunctiones altiùs penetrare possint, & materia, ab actuali, & potentiali calore attenuata, aut per se dissipari possit, aut medicamentis è corpore duci.

Hepatis dolor vena sectione facta manante sudore, & hæmorrhagia sanatus

126. Mulier ad insigne cygni albi dolore ad regionem hepatis tenebatur, ab expressione mali seri & ichoris infernè sursum manantis: respirare non poterat; Sudore totum corpus penè diffluebat: Tamen post tempus aliquod in eo sudore venam secuimus, quod res vrgeret: ad diem criticum hæmorragia ex nare opposita, nam

nam dolor ad hypochondrium dextrum erat, fluxit copiosè, non repressimus, convaluit. Nunquid profuit ista hæmorrhagia? & tamen erat oppositi lateris. 2.

Ballonius.

227. Licet repercutientia extrinsecùs apposita medicamenta in inflammationum principio adhiberi soleant, in hepatis tamen phlegmone non priùs applicanda erunt, quàm sectione venæ evacuatum sit corpus, & pars materiæ revulsa: si enim secùs fiat, vel si ob abundantiam repellere non poterunt, rebellis magis reddetur tumor, & contumax; crassior reddetur materia, & duritie contractâ scirrhum excitabit, vel repulsa ad cor, & in spiritalia membra impeturuens, mortem statim inducet.

Hepaco inflammato repellentia in principio ante sectionem venæ non conveniunt.

228. Laborante concavâ hepatis parte, licet faciliùs sit medicamento purgante materiam evacuare, id tamen, crudâ existente materiâ, & in principio fieri non debet, sed concoctâ, & in declinatione. Quamvis autem in phrenitide aliquando ab initio ad revellendum evacuandum sit medicamento purgante; sicut docet in pleuritide, descendente ad hypochondria dolore, Hipp. 2. *acut.* quia, ut aliàs docuimus, nondum cruda est materia, sanguis nempe biliosus; in hepatis tamen inflammatione nullo modo id præstandum est: quòd, cùm pars illa laboret, humores, qui à venis undequaque evomuntur ad jecur, etiamsi aliquâ ex parte evacuentur, per partem tamen laborantem feruntur ad ventriculum, sicque & imbecilliorem reddunt, & reduviæ crassiores remanent, magísque impinguntur.

In inflammatione hepatis in cava parte purgandum, sed in declinatione.

In Inflammatione hepatis in principio non purgandum.

229. Quæ in gibbâ hepatis parte fit inflammatio, & quæ ad eam partem affluxa est materia, licet per lotium commodiùs expurgari communi omnium Doctorum sententiâ posse constitutum sit; antequàm tamen diuretica hæc in usum ducamus, optimum censemus, leniente aliquo medicamento, aut etiam abstergente, materias in primis viis contentas, evacuare, ne usu ducentium per urinam, quæ in primâ illâ corporis regione continentur, ad penitiora deducta, inflammationem adaugeant.

Hepatis gibba inflammata, ante diuretica lenienda alvus.

230. Licet autem in principio inflammationum aliarum partium simplicia repellentia in usum venire debeant, in hujus tamen visceris phlegmone aliqua etiam attenuantia calida admisceri possunt, & debent, non eam solùm ob causam, quòd frigida & adstringentia ad penitiores partes faciliùs devehant; sed etiam, quòd, cùm viscus illud undequaque angustissimis venis sit refertum, & illius substantia ex illis ferè solis sit composita, ut proinde parenchyma optimè dicatur, si frigida sola, & adstringentia, aut exhiberentur, aut applicarentur, facillimè adstrictis venulis, & crassatâ materiâ, scirrhus in parte concitaretur, aut sanè tumor per se incurabilis fieret.

In hepatis inflammatione repellentibus attenuantia in principio miscenda.

Hepate inflammato, actu frigida fugiēda.

231. Ut proinde etiam hæc eadem hepati valde frigida actu non applicari debent ob easdem causas; tum etiam, ne naturalis facultas noxam aliquam contrahat, nativo calore quasi exstincto.

† Hepate inflammato sine materia repellētia sola cōveniunt.

232. † Si tamen nulla adhuc affluxerit materia, sed affluxus certò impendeat, ut in casu, ictu, aut externâ aliquâ causâ, pura repellentia, etiam cum aliquâ adstrictione, concedi poterunt.

** In erysipelate hepatis repellentia sola conveniunt.*

233. * Quinimò, in Erysipelate vero eadem pura concedi possunt, cùm & materia sit tenuissima, & calidissima, ut periculum non sit ne nimis crassescat, & obstruat venulas.

234. In erysipelate hepatis frigida actu applicanda.

234. Unde etiam frigida actu repellentia ea applicari regioni hepatis poterunt; cùm & intensissima sit ibi caliditas, quæ etiam medicamenti intensionem refringere facilè poterit. In quo etiam casu pauxillum aceti indendum erit, ut frigidissimi medicamenti penetratio adjuvari possit.

235. In hepatis inflāmatione in declinatione puris resolventibus nō utendum.

235. Et quemadmodum ratione partis ab initio dictum est non puris repellentibus utendum esse, sed attenuantia aliqua esse admiscenda; ita in declinatione non puris resolventibus utendum docuit Galenus 13. *Meth.* sed nonnilhil adstringentium admiscendum erit, ne, laxatâ nimiùm parte, tonus illius destruatur.

In Atrophia.

Ballonius.

Non solis analepticis sed & vacuantibus curanda.

236. Cum pueri & adultiores Cachectici sunt, fere pro conclamatis relinquuntur; Et quod ad summum maciei ventum sit, nec medicamento quidem locum relictum putant, sed soli prognostico; At longe fecius res habet; nec laude fraudari debet *Fernelius* qui meo quidem judicio aliquod de Atrophia memorabile consignavit. ‘*Bilis flava & atra circa Iecur perfusio, Atrophia causa sæpius est, vix ‘enim vera atrophia observatur, in qua viscera præter intemperiem non ‘multorum biliosorum humorum colluvie scaterent & eorum copia distenderentur*: Et cum hæc causa naturalem spiritum & calorem proterat, vix laudabilis sanguis gigni potest; ac in Cachexia quidem medicamento locum relictum putant, quod vitiosa sit nutritio, in Atrophia autem ad solam analepsim confugiunt: at si circum viscera colluvies est istius bilis quæ fouet intemperiem, frustra alimentis eam tollere nitaris: *Epid. lib. 1. pag. 2. annot. 2.*

In

In Cachexia.

Ballonius.

237. Mercatoris vxor cùm instaret pariendi tempus, febre prehenditur quæ duplicem Tertianam imitaretur : suberat magna cacochymia, quod ex olidis excrementis apparebat : intumebant pedes & brachia, item facies, ac si leucophlegmatia tentaretur : at mirum fuit (dicebat senior Medicus) quomodo non discuteretur morbus hic à febre, cùm Hippocr. febrem aquas ac crudos humores concoquere ac digerere affirmet : sed illud verum est præsertim de febre superveniente, aut de ea quæ esset copiæ humoris analoga, quod in hac muliere non constabat, hic febris corrumpebat sanguinem; sanguinem corruptum aversantur partes, & facultas alteratrix quodammodo vitiata, non ratione sui sed alimenti, in probum sanguinem, affixos humores non convertebat : accedit quod inflatio ista morbos istos sequi soleat, minúsque propterea terrifica esse soleat, præsertim cùm in neutro hypochondrio tumor aut inæqualitas appareret: tandem de purgatione vna atque altera tertiáque cogitatum est, quon hyposarcidio habitum liberari alvi profluvio testatum Hippocr. riliquisset : tamen non erat ὑποσαρκίδιος, nec tam frequentibus locus fuit purgationibus : imò decipiuntur sæpe Medici rerum similitudine; & ea tempestate multis pedes, manus & brachia intumuere, & qui venæ sectione educebatur sanguis, planè putris erat, *Consil.* 17. *lib.* 1. *p.*31. *Cachexia à sanguinis corruptione.*

238. Insufflatis, turgidulis, vt iis qui à morbis conualescunt, & iis quibus flatibus hypochondria distenduntur, missos facere oportet clysteres, videntur enim nocere plurimùm, quia intrudunt flatus, *Epid. lib.* 1. *pag.* 22. *Clysteres noxij.*

239. Nocet quoque frequens iusculorum vsus, quia ἐφθότητα quandam & dissolutionem afferunt, *ibid.* Et quia ab eorum vsu serum augescit : *Ibid. p.*28. *Et iusculorum vsus.*

240. In longis febribus sæpe hyposarcidios & tumor, aut totiùs corporis aut quarundam partium, nascitur manente febre. An hic tutus vini vsus? Non hercle ob febrem; An tutus iusculorum usus? Non : quia serum augescit, In ista ἀντιπράξει quid agendum? Difficillimum hoc, & Medicos varias in partes trahit, tamen vrgentioris habenda ratio secundum *Galenum. Ibidem.* *Cura difficilis si febris sit cõjuncta.*

In Hydrope.

Ballonius.

Hepar in hydrope nõ semper in vitio est, nec medicamentis vexandum.

241. Etsi *Galen. cap. 7. lib. 5.* afferat nunquam hydropem generari quin affectum sit hepar, tamen duo genera ejus constituere videtur, vnum quod ad splenem pertinet, alterum quod ad hepar. *Et quoniam*, ait Galenus, *in* Prognosticis *cœptum est agi de acutis morbis, non autem de splenicis morbis ideo de hydrope per affectionem ventriculi agitur* : vt *Galenus* videatur inducere alium hydropem per vitium ipsius splenis, non affecto hepate : Nam si omnis hydrops fit affecto hepate, omnis hydrops ad acutorum morborum classem pertinet, vt quoties de hydrope agatur, toties de hepate, si modò vera est Galeni opinio : At commemorabilior est locus lib. 3. de symptom. causis, Illic Gal. docet Tympanitem vitio proprio ipsius ventriculi generari : Imò & ibidem hydropis generationem venarum ipsarum vitio tribuit. Quod si ita est, non accusandum hepar perpetuò, nec temerè remediis exercendum cum sæpe in vitio non sit : frustra enim adhibentur remedia nisi primam mali sedem oppugnemus. *Consil. 39. libr. 1. pag.* 148.

Qui in morbis purgationem recusant, hydropici fiunt.

242. Datur hydropis species diligentissimè obseruanda, & de qua nemo veterum vnquam scripsit, potè cum quis diuturno morbo confectus fuerit, atque interea temporis medicamentorum vsum neglexerit, tunc enim diuturnitate ista carnes corrumpuntur ac liquantur, hinc Hydropis occasio : *lib. de virg. & mul. morbis cap. 7. pag. 71. cons. 88. lib. 3. p. 230. cons. 70. lib. 1. p.* 388. Hippocrates obseruat quod qui purgati non sunt in morbis, per succrescentem cacochymiam in Hydropem incidunt; An verò cacochymia Hydropis causa? Ita hercle, ita enim Galenus partic. 15. sect. 3. lib. Epid. explicans illud Hippocr. quod tempore pestifero quidam in Hydropem inciderint, hydrops ex abundantia prauorum succorum quosdam inuasit: *Annot. 1. in cons. 70. lib. 1.*

Hydropici inebriandi ex Hypocr. & cibo replendi.

243. Hippocr. sect 5. lib. 2. Epid. *Si Hydropicum tussis corripiat, si quidem omnino animo linquitur, calidis omnibus vtatur, sin minus inebriato ac cibis impleto* : Quæ curatio omnino à ratione aliena est: nam si hydropicus tussit, jam translatio à ventre in thoracem est, sed vino & cibo repletus suffocaretur potiùs : sed admirabili eoque interiore sensu duo explicari & intelligi vult ista obscura & parùm probabili enuntiatione : Dum fomentis calidis vtitur, hyparxim morbi audit, quæ in refrigeratione consistit, & cum frigus naturæ hostis

hostis sit, fomentis calidis aliqua ex parte intrinseco hydropis frigori occurritur: Vinum autem dat ob ἀψυχίαν, quoniam facilè deliquium tollet calfaciendo & penitissimè subeundo: Sed quid hoc sibi vult, inebriare & cibo replere? hoc dixit, vt te cautiorem reddat, nec enim adeo jejunus & parùm prudens Hippocr. ut hominem jamjam moribundum cibo & potu obruere velit, sed ut occurrat fortasse quorumdam opinioni, qui in tanta oppressione hydropici, à qua interit, etiam exactissima diæta vtendum existiment, contrarium contrario opponendo; si enim repletio aquæ est, humoris evacuatione opus est: Quod verum quidem est, quantùm pertinet ad morbum, sed non quatenus ad symptoma præsens pertinet, nam adjectione opus est; novit enim Hippocr. omnes ferè hydropicos ἀποσίτους esse, & præ impotentia nutritionis sæpe interire ac deficere; cui rei ut occurrat, vinum & cibum offert, non magna quantitate (quanquam vtitur verbo θωρῆξαι & σιτίων ἐμπλῆσαι) malè vertit interpres θωρῆξαι inebriare, potiùs verterem, vinum potui dare, & quasi vini potu munire ob metum syncopes & mortis, sed potiùs quoniam parva cibi & potus quantitas magnam in homine hydropico repletionis opinionem & suspicionem affert: Et ut non terrearis ista nimiæ repletionis opinione, monet ægrum θωρῆξαι καὶ ἐμπλῆσαι. *Epid. lib. 2. pag. 125.*

244. Trallianus in curando Anasarca venam reserat, non ratione quidem frigiditatis, sed quoniam detractio copiæ confert, ut cùm ignis suffocatur à lignis viridibus, ligna detrahuntur: sic detractio sanguinis leuat naturam parte oneris detracta: tamen, ut ingenuè dicam, ista ratio Tralliani, & similitudo, inutilis est, non enim animadvertit in cruditate opus esse multo calore & spiritu, at per phlebotomiam ejus fit evacuatio; vnde quibus in ista cruditate mittitur sanguis, omnibus corporis lentitudo & immobilitas quædam advenit, *conf. 8. lib. 2.* *In Anasarca venæ sectio noxia.*

245. In Anasarca sectio venæ commoda videtur si sit à mensium recenti suppressione: sed cùm morbus ab ea suppressione natus jam affectus est, imbecilla ea est quæ à suppressione ista sumitur indicatio, nam est contaminata sanguinis moli sque corporis œconomia, succrevitque cacochymia quæ ex se catharsin indicabit. *conf. 24. lib. 1.* *Locum habet in recenti mensium suppressione.*

246. Mercatoris vxor (de qua artic. 111.) febris & tumoris, quò detinebatur, curationem non recipiebat; Medici rerum humidarum vsum suadebant, vsum quoque vini: Hi neglecta febre ab humidis rebus ægram avocabant, ut & cruditatem humoris in Præcordiis contentam corrigerent, & tumorem omnium partium extimarum & abdominis minuerent: item vino interdicebant illi, hi eam ad ejus vsum hortabantur, Nec abs re dubitatum est vtri *Vbi febris juncta cujus potior ratio habenda.*

 potiùs

potiùs esset consulendum, nam & à febre metuendum est, quæ dum humores corrumpit, majorem semper tumoris occasionem affert, & tumor iste curationem postulabat, ne, si incremento non prohiberetur tandem hyposarcidion immedicabilem adduceret; ac revera tumor ille morbi rationem habebat, à febre quidem primò originem ducens, quod & cruditatem ejus causam corpus contineret & actionem læderet: Coacto Medicorum concilio visum est omnibus, febri & tumori, consulendum; ita tamen ut potiùs febris, quàm tumor ejúsque causa, negligeretur; Humorum congeries & cruditas visa est totius morbi causa, & febris ipsius & tumoris: in iis humoribus sepultus calor visus est sese recreare nequiens, ut nisi provideretur brevi, leucophlegmatias verus sequeretur, à quo vix evaderet: Vrinæ ardebant, sed id nihilominus febris habendam rationem indicabat, quod & leucophlegmaticis esset familiare; in quibus sectio venæ metuenda, licet febris eam exposcere videretur: ac erratum ab iis qui jam quartò venam secuissent, falsò inducti sanguinis detracti pravitate, cùm hæc iterata venæ sectio jacturam caloris naturalis attulerit, cùm incumbendum esset in coctionem tam contumacis materiæ morbum longum efficientis: in tanta enim cacochymia incidebat occasio nulla secandæ venæ: Quod attinet ad veram curandi methodum, hæc adducta sunt quæ Gal. 12. meth. proposita febre cum syncope & cruditate conjuncta pertractavit: nam eò loci, nec purgationi, nec venæ sectioni quicquam concedi debere explicauit, quod & vires in ea humorum corruptela, & veluti hyposarcidio, habitúsque tumore, elanguescant, & cruditatis ipsa ratio omnem occasionem purgandi præripiat: ita in ejusmodi affectu sola frictione corpus exercet, , paulùm admodum majoribus artis medicæ remediis attribuens: Ad summum revocari debet ejus morbi curatio ad duos canones, quos Hippocr. Interpres pro hypothesi proposuit, nam in 1. aph. sectione, febrem hydropi humido junctam constituit, ut vtri tribuendum sit in iis, & similiter complicatis affectibus, doceatur æquè studendum vtrique tandem concludit, ita tamen ut ejus quod magis vrget potior ratio habeatur; Posterior hypothesis est de febre quotidiana, in qua habenda febris ratio, quæ contraria: & materiæ, quæ siccantia & calfacientia postulat: Galenus neglecta ad tempus febre, materiei præparationi incumbit: Alij ideo commodam venæ sectionem dicebant, quod ex lochiis & mensibus nonnihil superesset: Tandem dictum est id verum in recenti suppressione, non cùm morbus ab ea suppressione natus jam affectus est: nec febris ipsa per se sectionem indicat, præsertim quæ à cruditate orta est & cum caloris inopia conjuncta: Placuit eis vt vino etiam generoso vteretur, ad excitandum calorem naturalem, vires recreandas, cruditatem coquendam

quendam vt idonea reddatur ad excretionem & tumorem minuendum: vinum Abſynthites probatum, apozema præſcriptum &c. *conſ.* 24. *lib.* 1.

247. Etſi in leucophlegmatijs ardeant urinæ, ſectio tamen venæ metuenda, licet febris præſens eam expoſcere videtur: nec eò adducere debet ſanguinis educti pravitas, quia talis in iis redundare conſuevit: præterea jacturam caloris naturalis affert, qui neceſſarius ad coctionem contumacis materiæ: *Conſ.* 24. *lib.* 1. *p.* 54. *In leucophlegmatia urina ardor venæ ſectionem nō indicat.*

248. Nunquid in vulgata Hydropicorum curatione plurimùm vbique aberratur? Nam cùm paſſim Hepar hydropicorum vitiatum ſit, exuccum, & per quendam maraſmum περιφρυγία arefactum, tamen ſæpe & confertim dantur ſcammoniata, antimonium, ſuccus ebulorum, ſambuci, thymelææ, chamæleæ, tithymalorum, nunquid adaugetur hepatis intemperies? nunquid malum malo cumulatur, & augetur perpetua generatio? unde nullo profectu hæc omnia propinata vidimus, Imò ab his multos interiiſſe teſtamur, quod ſerum utile traxiſſent, & majorem ſitim, febrem, ſqualorem corpori attuliſſent, nil de materiâ morbificâ dempſiſſent: Num potiùs paracenteſis confert, quàm nullo profectu, & cum auctione cauſæ, iſta medicamenta præſcribantur? *Epid. lib.* 1. *pag.* 43. *Valida purgantia nocent.*

249. Hydropem an alvi fluor tollit? Si συναθροισμῷ verum, aliàs apud Hipp. fluor alvi necat, aliàs juvat. *Epid. lib.* 1. *pag.* 6. *Alvi fluor quando ſalutaris.*

250. Qui curant hydropicos, eos aſſis iiſque paucis uti jubent, & potum valde circumcidunt, & ut concedam ratione ipſius ſymptomatis id quadrare, ratione morbi & cauſæ ipſius id omnino reijciendum: non maraſmus περιφρυγὴ & intemperies ſicca, cum inopia caloris naturalis, appulſum veri alimenti, & actu & poteſtate humectantis requirit, ſiccitas verò ipſa tantam potus abſtinentiam dehortatur: itaque prudenter ſe hic gerere oportet: *Epid. lib.* 2. *pag.* 136. *Annot.* 16. *Diæta ſiccans non ſemper utilis.*

251. Nunquid, ut vulgò fit, julepi & apozemata conferunt? annon ſua vi diuretica id quod tenue eſt per renes deducunt, craſſiorem partem relinquunt: at hoc morbum auget? nunquid radicum vis coctione exoleſcit, & plus humiditate aquea decoctionis officitur, quàm vi qualicunque hydragoga incluſa proſit: ut convaleſcas omnino potu temperandum, & liquor apozematum conferet? *Epidem. lib.* 1. *pag.* 10. *Iulepi & apozemata nocent.*

252. Paracenteſis poteſt facilè adminiſtrari, ſed audio à viris fide dignis, qui id genus, ad miſeris mortalibus opitulandum, remedij non repudiarunt, periculum ex eo non ſequi quod fiat ſectio, nec quod evacuetur aqua ſanioſa, aut quod rurſus ſuccreſcat novus humor: ſed quod, qua parte ſectio facta eſt, eryſipelas facilè & frequenter conſequatur oboriatúrque, deinde è veſtigio ſequitur gangrena *Paracenteſis ſæpe inutilis.*

græna & sphacelus: cur ita hoc malum gliscat & adhærescat, nequeunt rationem reddere, nisi quod loco vacuatæ aquæ, flatus nescio quis malignus surgat, & quod occursu frigidi intestina, vetere colluvie delectari solita, facilè nigrescant, *Epid.lib.2.pag.203.*

Abdomē in punćto eius tumor subsedit. 253. Puellæ febris continua, elatum Abdomen in tumorem; mirum quomodo tam subitò hic tumor natus, præ dolore interiit, acu abdomen mortuæ punctum, magno edito sono venter totus subsedit. *Paradigm.141.pag.320.*

Hydrops sudore sanatus. 254. Cuidam hydropico sudores toto corpore manarunt, & aqua totum corpus diffusum erat, hinc curatio, *Paradigm.88.*

Curatus sectione unguium. 256. Cuidam ad vivum secti sunt ungues, Addomen intumuerat, exercuit corpus, per extimas partes aqua defluxit, convaluit *Paradigmate* 50.

Lemophlegmatia urinæ profluvia curata. 255. Vxor N. prægnans veluti, φλεγματίας & hydropica facta est; valde catarrhosa erat, sicca & inanis tussis: pedes inflati & in brachiis stupor quidam: paralysis metuebatur: Bifariam inflatio evenire potuit, tum catarrhi ratione, tum quia refrigeratus est corporis habitus, tum revocatione caloris ad uterum, hinc enim decolores redduntur gravidæ: Tum ob quater repetitam phlebotomiam: Profluvio urinæ magna ex parte liberata est. *Epid.l.2.p.138.*

Septalius.

In hydrope serosi humores ab initio purgari possūt sed à levioribus inchoandum. 257. Quamvis illud & verissimum sit, & Galeni auctoritate confirmatum, *lib. Quos, & quando purgare oportet*; serosos humores ab initio purgari posse, quòd nulla in eis exspectari debeat coctio, quòd nullam coctionem admittant; cavendum tamen erit validis uti hydragogis statim ab initio, sed leviori aliquo medicamento erunt prima excrementa educenda, & sic viæ ad validiores evacuationes præparabuntur.

Post hydragoga valentia ventriculus roborandus. 258. In valentiorum hydragogorum usu semper maxima ventriculi habenda est ratio: cùm enim majori ex parte tonum illius labefactent, si frequentiùs, ut à multis solet, exhibeantur, nisique ab illorum exhibitione ventriculi habeatur ratio, imminutâ aquâ flatus augebitur, & in deteriorem speciem hydropis & curatu difficiliorem, si Averroi credimus, ægrum nostrum inducemus.

In hydropicis attenuantibus utendum, ut humores per 259. Ut verissimum est, serosos hos, & aqueos humores nullâ coctione esse præparandos; ita cùm potissimùm per lotium sint evacuandi, viæ, per quas permeare debent, infarctu sunt liberandæ: in quem usum & decocta, & syrupi attenuantes, & abstergentes, & incidentes maximè conveniunt ut crassiores, & limosi humores, vias obstruentes,

obstruentes, & effluxum urinæ ad renes & vesicam impedientes, præparentur, vt facilè educi possint. *vias urinæ duci possint.*

260. Nec tamen in horum usu diutius insistendum est, ne, dum id tentamus, morbificam causam adaugeamus. *In hydropicis in attenuantibus diu non insistendum.*

261. * Hoc autem maximè in usu urinam promoventium est animadvertendum, & cavendum: vidimus enim quàm plurimos, dum obstinatè nimis per lotium humores hos serosos deducere potionibus iis tentarent, nec observarent an copia urinæ augeretur, mortem ægrotis suis accelerasse, potulentâ illâ materiâ in corpore retentâ, & in morbificam causam mutatâ. ** In diureticis non insistẽdum, & quando.*

262. Præstat igitur per tres, quatuórve dies periculum facere, & potionibus rem hanc, tanquam aptioribus, aggredi: quòd si pro voto hæc non succedant, aridis res erit transigenda, succis concretis, pulvisculis lotium promoventibus, trochiscis & similibus. *Potulenta in hydrope ascite sæpe suspecta.*

263. Rhabarbarum, quod in hydrope laborantibus à plerisque commendari video, ut fortè aliis pro roborando hepate admixtum concedi potest; ita si frequentiùs in usum ducatur, aut commansum, aut in pulveris formam assumptum, ad evacuandum nunquam probari à me potuit; quod talia aptum non sit evacuare, qualia opus esset, quódque docuerit Gal. *lib. de purg. med. facul. cap. 2.* quæ flavam, vel nigram bilem purgant, importuna esse, & inutilia hydropicis. *Rhabarbarum hydropicis inutile.*

264. Non omittenda est Galeni animadversio ex Asclepiade *de compos. med. secundum loc.* & à Tralliano repetita, Cavendum esse à frequentioribus & iteratis vacuationibus, quòd hydragoga hæc per se noceant hepati, corpúsque universum reddant debilius, & plùs obsint quàm prosint: itaque satiùs est, testante Alex. *lib. 9. cap. 2.* paulatim, & tutò evacuare, quàm festinando perturbandóque unà cum morbo ægrum de medio tollere: præstabit igitur, evacuatâ parte materiæ per secessum, hepar per aliquot dies roborare; móxque evacuationem repetere. *9. Hydropicis repetita sæpius hydragoga noxia.*

265. Quamvis duos, hydrope laborantes, sanatos viderim, vesicis in cruribus per se excitatis, & disruptis, & multâ aquâ per eam partem evacuatâ, exhibitis posteà multis hepar roborantibus; nullos tamen unquam spacio hoc quadraginta annorum, quo in magnâ hac urbe medicinam facio, curatos vidi quibus à Medico vesicantia cruribus admota fuêre, sed ferè semper gangrænæ subsecutæ sunt, curatu impossibiles; ut optimè etiam doctissimus Massarias longâ experientiâ observavit. *Vesicantia, hydropicis cruribus applicata, periculosa.*

Hhh In

In Ictero.

Ballonius.

Chalogoga nocent.

266. *Hippocr.* l.de loc.in Hom. *medicamenta cholagoga*, ait, *ne exhibeantur, quia corpus conturbatur: ubi autem siccum fuerit corpus quod conturbatum est, corpus nutrito; nec medicamine deiice alvum: Sin homo viridis & luteus fuerit, purgato, nequaquam siccato, ut is color stabilis non sit*, Vbi monet *Hippocrates* Ictericum humectandum, deinde purgandum; & cum corpus reficcatum fuerit, non esse pharmaco turbandum; non sit luteus & viridis, (χλωρός) audacter purgandum, Id est, Si superstes sit cacochymia, cujus soboles sit coloris defœdatio, a purgatione temperare nefas est. *Lib. de virg. & m.m. cap.* 7. *pag.* 79.

Icterus purgatione sanatus in febre continua.

267. Episcopi N. servo, febre continua cum Ictero laboranti, cum coctionis signa aliquot ederentur, juvit dare decoctum folliculorum cum *tabella Elect. de succo rosar.* Revera multa puls biliosa, crassa & mesenterica excreta est, Inde magna allevatio est sequuta. *Epid. lib.* 2. *p.* 132.

Septalius.

In initio non purgandi sed præparandi humores.

268. Licet *Galenus lib. Quos & Qu. &c.* docuerit tenues & serosos humores, nulla expectata coctione, ab initio esse evacuandos, non propterea tamen in Icteritia biliosi succi sunt statim evacuandi; neque enim semper tenues sunt, neque serosi dici possunt; Præparandi igitur ante evacuationem, &, si putrefacti, omnino concoquendi; vel ex *Rufi* sententia apud *Aetium.*

Quando valencioribus purgandi.

269. At vero cum bilis quam minima copia, aut nulla, ad intestina transmissa, ex obstructione vesicæ felleæ, torpida remaneat expultrix facultas intestinorum, valentioribus semper medicamnetis erit utendum.

Quando valentiora purgantia vitanda.

270, Cavenda tamen valentiora hæc medicamenta erunt, si aut ex hepatis inflammatione symptoma hoc supervenerit, aut motu critico, undiquaque bile dispersa evenerit.

In Lienis affectibus.

Ballonius.

Errat in

271. Vt in hepate Galen. cap. 7. lib. 5. locor. aff. κακοπραγίαν ἄνευ ὄγκου agnovit.

agnovit, pote cum in sua substantia affectum est, & pravo etiam tin-ctum colore, ita & in liene: *Sic*, inquit, *in corpore & viridis color est, & plumbeus & alii colores ineffabiles cernuntur, Iecore probè suum officium non faciente, sine tumore ullo*. Et ut inflammatio in hepate, & obstructio, & totius substantiæ vitium, quod ad διαφθορὰν revocari potest, reperitur, idem de liene censendum est, *lib. de virg. & mul. morb. cap. 7. pag. 80.* *opere sæpe sine tumore.*

272. Ren potest quadruplò major esse, etiam consumpta carne, & facere opinionem tumentis splenis, id quod observavimus, *cons. 82. lib. 3. p. 218.* *Ren tumēs mentitur splenem.*

273. Sæpe falsa lienis affecti opinione dantur medicamenta splenica, ut in hypochondriacis calidis & siccis, quibus minuitur hepar, siccatur, augetur intemperies sicca, educitur serum; liquato sanguine & defectu seri sanguis aduritur: & cùm lien minor est justo, non ritè defœcat sanguinem humore melancholico, quò fit ut in venis & arteriis ardeat, unde pici aut gagatæ lapidi simillimus existit. *Annot. 1. in Cons. 78. lib. 3. p. 202.* *Deobstruentia sæpe illi noxia.*

274. Hippocr. part. 115. 4. Acut. ἀχέυς, raucos, lienosos, τὲς λειφαίμες, quibus contenta hypochondria, morbo regio laborantes, quorum venter cruda egerit, purgatione interdicit: Quod Lienosos medicamenti usu prohibeat, id non probatur Galeno; imò ob nigrorum melancholicorumque excrementorum proventum, eos præ cæteris medicamentis agitari vult, idque ἀδεςτίρως, id est validè vehementérque, ut loquitur in aphor. Hippocrates: sed est ubi Lienosi medicandi sunt, est ubi non: non adeo imprudens est Hippocrates ut eos lienosos purgare prohibeat, quorum in lienis venis plurimùm humoris fœculenti conclusum coacervatúmque est, cum medicatio eis plurimùm ex usu futura sit: sed de iis maximè mihi videtur intelligere quibus imbecillus lien, aut præ imbecillitate nequit corpus, præsertimque hepar, defœcare, ut inde totum abdomen intumeat, præcipuè flatibus malis ibidem coërcitis, necnon corpus emacietur ac deflorescat: quis enim eos medicamento, præsertim valido agitabit? itaque non erit alienum duas has voces conjungere λειφαίμες ἢ σπληνώδεις, ut de lienosis emaciatis & extenuatis locus intelligatur, quibus nimirùm imbecillus est lien, & corpus pene exangue. *lib. de virg. & mul. morbis cap. 7. pag. 86.* Hippocr. 1. de morbis monet splenicis alvum turbatam conferre, sed addit, splenicis à pituita alba detentis: *Annot. 9. in id caput.* *Qui lienosi non purgādi ex Hippocrate.*

275. Medicus naturæ imitatorem sese præbeat, lienem aliquando commodè per renes & vesicam repurgando: quanquam nulla communis via est, & per varios anfractus oportet ad hepar sanguinem refluere, tamen illud experientia docuit: lienem autem per urinæ excretionem, præsertim nigrioris, juvari declarant melancholici & mulieres non menstruæ, quibus ad lienem congeritur multus humor *Diuretica conferunt in eius affectibus.*

niger, cujus pars in cerebrum lata mentem percellit, altera subsistens dolores & tumores lienis excitat; quod & apud Hippocr. legere est, nam ait mulierem in Thaso fuisse δυσκόλον, id est *morosam*; illi urinæ erant nigræ, non tamen pestiferæ, quoniam συναθροισμὸν humoris melancholici ob suppressos menses sequebatur: Et ut nephriticis per fluentes hæmorrhoides salus obvenit, tametsi viam quâ id fiat nulla ratio demonstret, ita & lienosis per renes: non erit itaque alienum in lienosis affectibus diuretica aliquando præscribere, non ut materia in renes retrahatur sed ut spleni vsu attenuantium & incidentium consulatur: *lib. de virg. & mul. morb. cap.* 7. *pag.* 146. & 147.

Cineritia hypostasis in vrinis familiaris spleniticis. 276. Quibus lien laborat, iis vrinæ cineritiam hypostasin habere solent, at hypostasis non est, tamen juvat tales excerni vrinas, alioqui res deteriori loco sunt, & id fit ob congestionem & exonerationem partium vicinarum: Quibus color subviridis est, eos talis vrinæ excretio initio juvat, testatur id Galenus loco allato sub finem. *Iecore aut liene, ait, malè affectis, deiectiones serosæ, & tales vrinæ excernuntur, idque commodè*: Quod non ab affecta parte defluere sine ratiocinatione rudis tantùm experientia significat, alioqui foret magnæ cruditatis argumentum, cacochymiæ & humoris superflui. *Epid. lib.* 1 *pag.* 6.

Noxia sunt remedia valentia. 277. Galenus lib. 3. de natur fac. sub finem, legitimæ Lieni medendi rationis summa capita attingens: si incidere, tenuare, reseraréque consilium est, ita temperatos nos esse vult, ut iis vtamur quæ vim tenuandi citra manifestam qualitatem habent, ne vehementiùs succus calefactus incrassetur obturétque magis: *lib. de virg. & mul. morb. cap.* 7. *pag.* 112.

Medicamẽtis addenda roborantia 278. Quoniam verò pars spongiosa est lien, cujus attrahendi facultas (quam tamen validam esse oportet, ut coloris suavitas concilietur, heparque defæcetur) facilè hebescit ac mollescit, ita nativi temperamenti ratio gerenda est, ut quicquid moliamur, robur concilietur, alioqui, humore nigro non prolecto, color malus fœdusque corpori inuritur: *lib. de virg. & mul. morb. cap.* 7. *pag.* 112.

Aceti vsus suspectus. 279. Mirum totam antiquitatem in affectibus lienis perpetuò commendasse vsum aceti, sive foris sive intus quid agendum foret, vnde aut radices in aceto macerant, si quando apozematon vsus inciderit, aut pulueres radicum siccatarum cum oxymelite exhibent, imò nil perinde familiare ac oxymeli, vnde & paulò ante nostram ætatem omnium Pharmacopolarum officinæ oxymeli recipiebant, nullúmque vel medicamentulum exhibebatur in quo non aliquid oxymelitis remisceretur, sed nunc, quomodo id factum sit, nescio, planè videtur exolevisse: miror autem veteres in vsu oxymelitis tam liberales fuisse, præsertim cùm de lienis affectionibus ageretur,

ageretur, cùm tamen planè Hippocrati repugnet, cujus tamen se assertores esse volunt: nam præter alias offensas, melancholicis nocet plurimùm, nam μέλαινα χολὴ est acida, præsertim cùm corpore præter naturam habente est κατάκορης ἢ ἄκρητος id est, sincera meracáque, vtpote suo naturali sero destituta, quod humorem contemperat dominantémque qualitatem micare non sinit; quod si verum est, acetum majorem humori acredinem comparat, atque ita lædit: Obiter autem quæram, cur dixerit μέλαιναν χολὴν acidam esse, cùm est sincera, corpúsque malè habet, nunquid perpetuò est ejusmodi? id audies κατ' ἧττον ἢ μᾶλλον, nobis enim sanis acuties humori non ita est exquisita ob seri mixtionem: ideo diligenter hoc notandum est, siquidem cùm ægrotamus, & de splene querimur, tum ad oxymeli confugimus, & tamen humor ater jam acuit plurimùm, ut mirum non sit si ferociat magis vsu aceti, si quidem, ut scribit Hippocr. parte 39. lib. 3. acut. ὄξος ἀναγωγὸν μελαινῶν ἐστι acetum ita est affectum ad humores nigros & atrabilarios, ut eos moveat, incitet, impellat ac cieat: quod si suo sero (quod Galeno est ὄχημα non solùm πρὸς τὴν τροφὴν sed πρὸς ἀναγωγὴν, non ad nutricatum sed ad exclusionem) destituti fuerint, rebelles sunt ac obstinati, & dum subit acetum, subigit, sic humor ater ζυμοῦται, μετεωρίζεται, πολλαπλασιοῦται, id est, aceti subigentis vi, fermentatur, aut fermenti modo subigitur, intumescit, attollitur, necnon multiplicatur: imò id aliquando observatum est melancholiæ morbo detentam mulierem cum dolore sinistri hypochondrij, vsu vini albi, quod subigendi tenuandivè vim habet, ita afflictam, ut nullo penè loco consisteret: *Ibidem. pag.* 142.

280. In remediis externis, ut & in internis, cautos esse oportet, nam cùm primùm quis de lienis tumore aliquo conqueritur, statim ad emplastra solennia ex gummi ammoniaco in aceto forti soluto, gummi elemi, opopanace, bdellio confugitur: nam his cùm digerendi, imò & ex alto attrahendi, vis insit, dum quod in liene tenuius est, proliciunt, materiam contumaciorem reddunt: si itaque emollias & non digeras, cancri metus esse debet: scirrhus in parte spongiosa emollitus & non digestus, facilè carcinomatis naturam induit: si digeras, tenuiorémque humoris partem elicias, scirrhum contumaciorem reddes: sic par vtriusque studium esse debet, & aliàs remolliendum, aliàs digerendum. *Ibidem. pag.* 143. *Nimia resolventia nocent.*

281. Errant quoque Medici qui ἀδιορίστως ad hypochondrium sinistrum & regionem splenis olea calida, fotus calidos, semper adhibent, apud Hippocr. 5. Epidem. locus est de Polycrate, cui fomenta ad splenem calfacientia oberant, refrigerantia proderant, *Lycino Grammatico ex febre biliosa ex splene, capitis gravitas &c. & alibi,* *Frigida admota aliquando prosunt.*

post Pleiadas biliosi, splenes magni, duri, dolorosi, sanguinis eruptiones, aliis sanguis biliosus ob splenes. Et libro de internis affect. meminit cujusdam morbi splenis à copia sanguinis orti, in eo secat venam internam cubiti sinistri, alioqui in eos incidit excretio sanguinis fœculenti multi, à qua intereunt. *Annot.* 1. *in cons.* 32. *lib.* 2.

Vinum convenit. 282. Sunt qui negant conferre vinum album lienosis & melancholicis, quod id subigat instar fermenti succum melancholicum, sive restagnantem, An illud verum? contra substantiæ tenuitate vrinas & sudores movet. *Epid. l.* 1. *pag.* 10.

Septalius.

Splene obstructo, non validis attenuantibus agendum. 283. In splenis obstructione non statim resolventibus, quin ne quidem attenuantibus validis medicamentis est agendum: cùm enim viscus hoc semper fæculentis, & crassis succis refertum sit, periculum impendet, ne, subtilioribus & liquidioribus partibus assumptis, crassiores, quæ remanent, per ea quasi lapidescant, & verum scirrhum inducant.

Splene obstructo, & duro, molliendum primò, pòst resolvendum. 284. Principio igitur emollientia adhibenda sunt, & fluxilem materiam reddentia; pòst autem discutientia tutò adhibere poterimus.

285. Sed cautione hic opus est, non esse utrumque hoc officium semel tantùm præstandum; sed repetitis vicibus, nunc emolliendum, nunc, quod emollitum est & fusum, discutiendum, iterúmq;, quod jam emollito subest, emolliendum, & mox resolvendum, donec tota moles dissipetur.

In spleneticis mollientibus attenuantia nõ miscenda. 286. Nec placet, quod plerisque usitatum scimus, ab initio emollientibus attenuantia admiscere, ut illa incommoda evitemus: cùm enim eodem tempore duorum illorum operationes perfici nequeant, sed attenuantium & discutientium, ob caloris efficaciam, actio multò citiùs absolvatur, in illud semper incommodum incidemus, quòd, discussis subtilioribus partibus, quæ supersunt, sicciores evadent, ac difficiliùs superari poterunt.

Splenicis laxantibus aliqua adstringentia miscenda. 287. Nullo modo Hier. Mercurialis sententia in obstructionis liënis curatione, *lib.* 3. *de cogn. & curandis humani corporis affectibus, cap.* 21. recipienda est, cùm in liënis affectibus curandis nunquam necessarium esse censuit, ut medicamentis laxantibus commisceantur adstringentia, ob eam rationem, quòd, cùm viscus illud admodum sit ignobile, suâ naturâ debet esse laxum & latum, ut facilè recipere

cipere possit humores melancholicos; cùm sententia hæc è directo repugnet 13. *Meth. cap.* 17. sed maximè 2. *ad Glauc. cap.* 5. & ratio id docet; cùm enim viscus sit non parvi momenti, multùm refert nimiùmne sit laxatum; sic enim illius tono perfracto, facultatibúsque naturalibus redditis imbecillibus, minùs rectè sanguinem defæcare poterit, & hepar, corpúsque universum expurgare: minùs tamen quàm in hepate curando hac in re erimus solliciti, & in minori copiâ emollientibus adstringentia admiscebimus.

288. Frustra obstructum, aut duritie tentatum liënem curare conantur ii, qui diureticis id aggrediuntur; cùm enim nullus ab hoc viscere ad vias vrinæ sit transitus, Galeno etiam teste, 13. *Meth.* 17. id frustra tentare censendum est, in quo Medicum frustrari fine contingit: per secessum igitur ea materia ducenda est. Quòd si quando aliqui per lotium copiosum curati visi sunt, ut de Bione scriptum est, 2. *Sect.* 2. *Epid.* id, vel tanquam rarum, & per vias occultas factum, recenset Hippocrates; vel sanè aliis adhibitis remediis emollientibus, & dissipantibus, & per alvum subducentibus, cùm multa fæculenta per venas superesset materia, quâ foveri, aut renovari tumor ille poterat, per urinas eâ subductâ, præservatio potiùs, quàm curatio facta est: quod imitari Medicus poterit, ubi nigras aut crassas, fæculentásve urinas adesse cognoverit: diureticis enim tutò tunc uti poterit ad antecedentem materiam per eam partem evacuandam. *Liën vix per lotium expurgari potest.*

In Renum inflammatione.

Septalius.

289. Cum in curandis renum affectibus evacuatione sanguinis per sectam venam opus est, à quâ parte mittendus sit sanguis, non una est omnium Medicorum sententia; quòd Galenus *lib. de cur. rat. per sectam venam*, partibus supra renes laborantibus, è partibus superioribus, nempe brachiis, mittendum esse sanguinem docuerit; Infernis autem affectis, puta, utero, vesicâ, & coxis, è venâ vel sub poplite, vel in talo; cùm renes laborant, penè ambigat: *libro* autem 13. *Meth. med.* in renum affectibus secandam venam esse doceat in poplite, aut talo; aliis majori ex parte suprà, aliis infrà, aliis sine distinctione alterutram partem eligentibus. Ego cum doctissimo Trincavellio, habitâ ratione communicationis venarum, majori ex parte ex infernis mittendum censerem, cùm & evacuatio- *Laborantibus renibus quæ vena secanda.*

evacuationis gratiâ, nisi fortè plenitudo ad vasa præsens fuerit, & derivationis, certissimum sit à partibus laborantibus, & vicinis sectis illis venis, sanguinem evacuari posse. At cùm in inflammatione renum, cùm revulsione opus sit, potissimùm in principio, in contraria retrahi sanguis debeat, & ex parte à fonte sanguinis versus superna retrahendo, potissimùm, si sanguinis multâ copiâ refertum sit corpus, à jecorariâ brachii dextri, aut sinistri sanguinem extrahemus: quinimò, si etiam in principio inflammationis non versemur, sed jam affluxerit sanguis, sed magna tamen adsit plenitudo, ab iis locis sanguinem extrahemus; ne, si ab infernis evacuetur, cùm ex motu sanguinis in venis, qui in fonte est, & in supernis confertis, versus locum incisum affatim affluens: per locum affectum, & vicinas partes transiens, & dolores augeat, & inflammationem. Quòd si imflammatio non fuerit, sed aliquis ex aliis affectibus, aut renum, aut aliarum illarum partium, nec plenitudo magna adsit, indicatio tamen mittendi sanguinis concurrat, ab infernis ob venarum conjunctionem & rectitudinem mittendum esse sanguinem judicamus.

In renũ inflãmatione post sectam venam in brachio secãda etiam est alia in talo.

290. At in renum inflammatione in principio, potissimùm si multa subsit plenitudo, licet, ut dictum est, mitti debeat sanguis ex brachio, progressu tamen temporis ex talo mitti etiam poterit, ut, qui in vicinis, aut in parte consistit, evacuari, & derivari commodè possit.

Renibus laboranteibus, clysteres sint in pauca quãtitate.

291. Qui clysteres indi solent ad refrigerandum & emolliendas fæces, ex ptissanâ, violariâ, malvâ, oleo rosato, aut violato, syrupo violato, & similibus, quantitate mediocres sint, ne per repletionem subjecti intestini renes comprimant.

In renum inflãmatione in principio non purgandũ, sed blandè leniendum.

292. Quamvis in principio aliarum inflammationum materiam fluentem medicamento purgante evacuari posse aliàs docuerimus, quòd adhuc cruda non sit materia, & dum fluit, revulsione evacuativâ à parte, quæ statim eam susceptura erat, retrahatur, ut in pleuritide docuit faciendum, dolore descendente, Hipp. 2. *de rat. vict. in acut.* & in inflammatione linguæ Galenus 13. *Meth. med.* in renum inflammatione, si aliqua jam ad partem fluxerit, omnino abstinendum, ne per intestina fluente materiâ cum medicamento, magis renes exardescant; quare cassiâ fistulari contenti, aut syrupo violato solutivo, aut solis, aut mixtis, aut sero lactis ex malvâ, violariâ, endiviâ, vel jujubis, si evacuatione opus sit, ad alias complendas indicationes descendemus; eorum enim etiamsi pars aliqua, intestina subterfugiens, ad renes pervenerit, utilitatem afferet non mediocrem.

Inflãmatis renibus rhabarbari usus suspectus.

293. Rhabarbari usus in hoc morbo, ut & in urinæ ardore, semper mihi fuit suspectus; & si quando ab aliquibus in usum ductus est,

est, semper malè cessisse vidi: quamvis enim aptissimum sit medicamentum ad bilem evacuandam, quæ duos hos affectus plerumque producit; quoniam tamen ob igneas partes, quibus pollet, per venas diffundi videmus, & subsequenter ad renes, quod lotia crocea post illius assumptionem ostendunt, meritò fugiendus videtur.

294. In morbo hoc inchoante licet usus repellentium, externè applicandorum, conveniat, ab iis tamen, quæ nimiùm impensè refrigerant, abstinendum est, Alexandri etiam monitu: quamvis enim, cùm ex parte repellatur materia affluens, & calor partis æstuans retundatur, videatur affectus mitescere, & omnia symptomata imminui, quæ tamen jam affluxit materia, aut in scirrhum vertitur, vel crassefacta indolentem quasi tumorem producit, qui processu temporis suppuratus ulcus in parte producit, & morbum incurabilem. *Renibus inflammatis, impensè refrigerantiũ usus, & in principio, malus.*

In Renum Vlceribus.

Ballonius.

295. In inveterato Vlcere quidam consulunt vsum Decocti sudorifici, Ita Rondeletius. *Post evacuationes vtile erit promovere sudores, vel ingressu Laconici, vel guaiacino cremore, qui movet sudores, vlcera terget, copiam vrinæ minuit*, Sic in omni vlcere Renum & Vesicæ juvat, Et hæc quæstio de apicibus artis. *Cons.* 566. *l.* 3. *p.* 176. *Conducit ligni decoctum.*

296. Laudo usum aquarum naturaliũm, offendant licet siccatos & emaciatos, tamen si vlcus renis in causa est, ab iis non desistendum; curato vlcere tabes & marcor desinet. *Consil.* 82. *lib.* 3. *Vlceratis renibus aquæ naturales conveniunt.*

Septalius.

297. Ubi autem ulcus sit excitatum in renibus, præcepto Galeni curandum est, & sit maximè sollicitus Medicus ut ulcus quàm citissimè ad cicatricem deducatur. *Vlcus renũ citò cicatricandũ.*

298. Ad id autem præstandum, licet quæ exsiccante facultate prædita sunt, maximè in aliis conveniant, in renum, & vesicæ ulceribus omnino fugienda sunt ob mordacitatem, cujus occasione excitati dolores novam fluxionem concitarent; quæ blandè igitur abstergunt, & doloris mitigatoria sunt, convenient, qualis est mulsa, *In ulcere renum validè exsiccantium usus malus.*

& syrupus de jujubis, vel ex rosis siccis cum portione syrupi de portulacâ.

Lacte in cõcedendo in renum ulceribus quã cau.io.

299. In renum ulceribus curandis cùm & mulsa conveniat, & lac; nisi diligens adhibeatur cura, & in tempore exhibitionis, & in lacte seligendo, & in illius quantitate, aut frustra concedi, aut cum detrimento cognoscemus. In principio enim post disruptam vomicam, aut ulcus, ab acribus humoribus excitatum, cùm ulcus sordidum fuerit, lac conveniet serosum, quòdque abstergere magis valeat, quale est asininum: illud verò ex lotio cognosci potest, si in eo pus subsit copiosum, fœtens, & sordidum. Ubi verò ulcus meliorem acquirit conditionem, ac à sordibus repurgatum fuerit, quod cognoscemus si pus in urinâ contentum, album & æquale fuerit, lac conveniet, quòd minùs abstergat, & magis carnem producere valeat, quale est caprinum. Ubi autem ulcera expurgata ritè fuerint, ut lotium non ampliùs purulentum appareat, tunc potiùs lactis genus conveniet crassius, magis nutriens, carnémque generans, quale est ovillum, aut bubulum; in primis illis pauxillum mellis, aut julépi rosati, aut violati adjiciendum erit: in postremo minimum sacchari, aut julepi rosati cum levi quantitate tragacanthæ.

Lactis quãtitas in renum ulceribus quã

300. Quantitas lactis neque uno in omnibus modo metienda est. Ratione loci laborantis multa conveniret, & potissimùm si ad abstersionem exhibeatur lac asininum, potissimùm, si lacti æger assuetus sit, nec ex ejus usu molestiam sentiat, libram concedemus: sin non assuetus sit, ab unciis quinque vel sex incipientes, paulatim ad majorem quantitatem accedemus. Caprilli minorem semper quantitatem concedemus, neque uncias sex excedemus, quòd, cùm diutius in ventriculo commoretur, si multum illius concedemus, aut acescet, aut in grumos concrescet, ob quam rationem ovilli, & bubuli etiam minorem solemus quantitatem concedere.

In Nephritide.

Ballonius.

Renum dolor. specie splenici fallens.

301. Mercatori dolores implacabiles ad regionem lienis & ferè infra, ad vmbilicum penè, tumor quidam percipiebatur, tandem interiit, non credebant dolorem esse nephriticum, & tamen erat; at situs doloris & partis decipiebat: aperto cadavere inventus est Ren insignis, loco dimotus, & ad regionem lienis, aut

naturâ

naturâ aut aliqua alia vi detrusus: sic imposuit valde Medicis: idem contigit Cardinali à Guisia, curabant eum splenicum pro Nephritico: Ren quadrupló major erat quàm à natura esse deberet. *Epid. lib.* 2. *pag.* 220.

302. Galeno ipsi obortus est tantus dolor, vt sibi perforari partem terebra putaret, ac præsertim qua parte vreteres à renibus ad vesicam protenduntur: in calculi opinionem eo loco fixi ventum est: at excretio declaravit vitream pituitam hoc doloris tædium attulisse, quæ omnium frigidissima est: *Paradigmate* 156. Idem alteri contigisse novimus, frustráque ei tanquam calculoso manum auxiliarem adhibebamus: nam post infinita prope remedia, per penem frigidissima pituita, dolorem inferente, excreta, convaluit: quanquam & fortè colica nephriticáque simul aderant, *Ibidem.* *Colicus specie nephritici fallens.*

303. Quidam Orthopnoea laborare videbatur vnde gravissimè haberet; nonnulla erat suspicio affecti pulmonis, non tamen certa erant argumenta quibus appareret vitium in pulmonibus conceptum: tamen cùm anhelosus maneret, quæsitum quæ illius difficultatis causa esset; multis ad vnguem pertractatis, in eam ventum tandem est opinionem, ut nil tale in pulmonibus consistere crederetur quod eam difficultatem inveheret: sed ut plerique sunt aliis oculatiores, dictum est suspicionem magnam esse calculi in renibus: quod cùm contingit, aliqua tum difficultatis spirandi species apparere potest: consultum renibus est, deturbatus remediis convenientibus calculus, libertas respirationis est restituta: Causam autem ejus rei esse volunt, quod nervulus est à sexta conjugatione pervadens diaphragma, & ad renes vsque perreptans, qui oppressus, ut in opposito femore stuporis sensum infert, ita in partibus superis difficultatem nonnullam respirationis afferre potest, nam renes ambigunt inter partes superas & inferas: & nos vidimus mulieres aliquot & viros quibus familiaris renum dolor est, gravis & pungens, qui sæpe conqueruntur de dolore lateris, ac si pleuritis aliqua nothas costas occuparet, cùm tamen nil sit tale; sed ob obsidionem renis à calculo, aut ejusdem oppressionem ab aliqua re obstruente, ratione nerui implantati in renis corpus, idem fit quod & in lienis aut hepatis tumore aut obstructione: nam circum claviculas dolorem sentiunt tensivum: Quæratur quis, cur non id omnibus calculosis contingit, aut quibus præpediti sunt renes? non est necesse, nam sæpe insigniores sunt nervi in aliis atque aliis, ac errore quodam naturæ in eam sedem partis alicujus inseruntur, in qua sensus viget magis, ac consensus major est cum partibus vicinis, sic non omnibus Calculosis femur stu- *Orthopnœa à calculo in renibus.*

per. *Conf. 46. lib. 1 p. 220. & 221. De Dyspnoea à Rene purulente vide lib. 7. art. 68. p. 358.*

Non omnes arenulæ calculi indices.

304. Quibus urina acris & mordax, qui ficci & squalidi sunt, nec non temperamento bilioso, iis maxima ex parte arenulæ in urinis apparent, hæ autem sunt veluti particulæ humoris biliosi & salsi in sabulum conversæ & concretæ, *Epid. lib. 2. pag. 254.*

Nec omnes arenulæ a renibus.

305. Quibus urina acris & mordax, qui sicci squalidique sunt, nec non temperamento bilioso, iis maxima ex parte arenulæ apparent in urinis; hæ autem sunt veluti particulæ humoris biliosi & salsi in sabulum conversæ & concretæ: & tamen ejusmodi acrimoniæ quædam est opportunitas, nam detersio magna fit, & si quid glutinosum est mediis hærens viis; id veluti dèstringitur ac diluitur: contra si urina non ita acris, lentescit facilè ac pituitescit: Et ut concedam non ita facilè in arenulas cogi, faciliùs obducendæ pituitæ & cogendæ dat occasionem. *Ibidem lib. 2. pagin. 254.*

Vrinæ fallaces.

306. Cum curabis ægrotantes qui olim nephriticis doloribus obnoxij fuerint, aut jam etiam oppressos obsessosque renes habeant, cave decipiaris in judicandis urinis, sæpe enim hic fallaces sunt & Medicos decipiunt. *Epidem. lib. 1. pagina 53.* Excretio multiplex affectis renibus esse solet: materia, pus, sanies, tabum, urina tenuis, crassa muscosa, ulcus renis antiquum notant, mucosa bifariam, aut ob pituitam purulentam, vel pus pituitosum; hinc excretio mucosa, & ob quoddam ulcus fit sæpe talis, vel quod partes membranosæ spermaticæ jam dissoluuntur, aut tale proprium excrementum colligunt, & excernunt, id quod *Gal.* docet lib. de Artic. *Consilio 82. lib 3.*

Phlebotomia eximia.

307. Abbatis N. promta solutio doloris nephritici detracto Sanguine, pulsu pleno & magno, declaravit quod ad compescendum motum humorum ad Renes laborantes sese inclinantium, nîl priùs fit phlebotomia; quanquam affectus ipse, quatenus talis est, hoc remedium non exposcit; Sed Galenus *lib. de renum affect.* hoc remedium valde commendat, *Epid. lib. 2 pag. 230.*

Renum dolor hæmorrhoidibus sanatus.

308. Cuidam cùm in gravissimo renum dolore pus, sanguinem & crassam pituitam mejeret, quia tumebat hæmorrhois, & dolor non cedebat remediis, apertione hæmorrhoidum, incredibili celeritate, dolor conquievit. *Paradigm. 71.*

Aliâ remedia ad præcautionem, alia ad curationem conveniũt.

309. In Calculo spectatur Generatio, Transitus, Mora; Græcis γένεσις, διέξοδος, διαμονή: rursus, aut Curatio aut Præcautio: Sæpe cum formatus Lapis irrita sunt remedia, quod dum frustra, aut deturbare aut comminuere lapidem volumus, sæpe malum augemus, fusâ liquatáve nova materia, eáque ad renes devecta: cùm Præcautioni locus est, blandis ac lenientibus agendum, ne, dum materia impetu movetur, dolores qui priùs erant aut exigui aut nulli, excitet ac

ac irritet; cùm Curationi, videtur Hippocr. vehementioribus uti, ut veratro: quanquam dicat quiſpiam, non proinde ſequi ut vehementius medicamentum uſurpemus, quod Hippocr. hujus meminerit, nam 6. Epid. etiam dum de puellis repurgandis agit, meminit elaterij; Sed verba Gal. ſatis indicant etiam intelligi poſſe ſatis validum medicamentum, alioqui rejeciſſet, *Iuvenes*, inquit, *veratro purgandi, conſilio Hippocr. cùm antiquus affectus eſt & quaſi vectibus extrudendus.* Quanquam idem hoc præceptum etiam ad omnes affectu renum laborantes extendit; imò duo momenta curationis omnium morborum renum ſunt, craſſorum humorum extenuatio, & corporum in Renibus contentorum, vicinorúmque ſolidorum mollities & laxitas: *Lib. de Calculo p. 78. & Conſ. 32. lib. 1. pag. 115.*

310. Intereſt ad therapiam ſçire quæ Calculi cauſa efficiens; an plus materiei tribuendum, an calori opifici: Ego credo acrimoniam caloris renum in viris, præſertim ſi cruditas & anguſtia nonnulla concurrit, legitimam concretionis cauſam; nam cùm arefactione, aſſatione & digeſtione rei tenuioris, compactio fiat ex materia cruda & craſſa, cauſa efficiens potentiſſima eſt calor acer, mordax, attenuans & digerens: & quia in adultis magis viget ac dominatur, qua parte plus ejus eſt, in ea cogitur ac compingitur materies, maximè verò ſi ignava ſit vita & cruditatum cumulus: In Pueris halituoſus eſt calor & blandus, materia fuſa à calore blando elabitur, ſic nulla coagmentatio fieret, ſed tum cruditas ob ingluviem, inordinatos motus & diætam, unde urinarum eſt craſſamentum, nullomodo ab opere ceſſans natura, ad veſicam uſque excrementa depellit; & hæc, ſuopte pondere ac nutu conglomerata ac conglobata, principium dant concretioni, calor enim naturalis, coquendo & agendo, in opus ſemper incumbit, itaque quod facit acrimonia caloris in lumbis virorum, materia aliqua præſente, idem facit occaſio multæ materiæ in puerorum veſicâ, hinc renales calculi ſunt friabiles, veſicæ lapis, & quicquid in ea concreſcit, indiſſolubile & minimè friabile exiſtit & apparet: & virorum concretiones magnâ ex parte ſunt parvæ & exiles, & nonniſi diuturno fiunt tempore, puerorum verò ingentes ſunt & brevi fiunt: Sic calor acer & mordax in Viris, anticipat elapſum materiei in veſicam, & ante cogit quàm natura depoſuerit, contra in Pueris eo uſque procedit donec ad veſicam veniatur: & ad coagmentationem in veſica facit frigiditas ipſius materiei & ipſius veſicæ, ut pote partis ſpermaticæ: & cùm pueri ſubligaculis careant, fundus veſicæ facilè refrigeratur, ſpermaticæ autem partes & membranoſæ frigore facilè afficiuntur: Ergo in viris potius habenda ratio cauſæ efficientis, in pueris materialis; licet in utriſque utraque cauſa cernatur, ſed ſecundum magis & minus, in viris acrimonia caloris renum & materiæ quidam ſqualor cernitur, ut certa ipſius con-

In Pueris potius habenda ratio cauſa materialis. In viris Efficientis.

cretionis in renum corpore causa: at in pueris materia non est ita squalida, ideo diluitur ac diffunditur ad vesicam usque, in viris contra: Quod autem in calculosis nephriticis dominetur calor contra naturam, patet, quia perpetuò ferè sunt sitibundi ac nauseabundi, unde apparuit sæpe venas eorum, quibus calor est acer ac mordax, aut quibus multa bilis in gibbo hepatis congeritur, arenulas multas continere, quæ à genere venoso possunt impunè renes transire ad vesicam, & ibi adhæsu pituitæ coagmentari. *Lib. de Calculo pag.75.*

Temperamenti diversitas variat remedia. Generationis diversitas remedia diversa indicat.

311. Magni quoque refert scire quæ corpora Lithiasi apta, nam aliter se habent lapides in biliosis, siccis & sobriis; aliter in gulosis, vino & abdomini deditis: illi arenulas potius cogunt, hi corpus quoddam, ex pituita nullo indissolubilius, & credo quod qui crustis panis utuntur, arenulis possunt esse obnoxij. *Lib. de Calculo pag.79.*

312. Tribus modis fieri potest Calculus, uno per modum Obstructionis, ut in senibus: quia enim multa restant excrementa, ea tempore vel per se vel à calore siccata, non simul & semel, sed progressu temporis callosam acquirunt consistentiam & vias angustas obstruunt: Et parùm probabile quod à Galeno dictum, in senibus non cogi calculos, non quin adsit materia, sed quod calor sufficiens desit; quivis enim calor mediocris id præstare potest, ipso docente commentar. in aphor. 15. lib. 6. Epidem. section. 3. *Vrinarum crassitudo creandorum calculorum in pueris prima potissimáque causa est: caliditas etiam mediocris ad spissandam materiam satis esse potest &c.* 2. Per modum Coctionis, in qua requiritur multus calor & qui tempore cogat, ut materiam non lentam, viscidam efficiat, exhausto sero: quem Galen. in aphor. constituit, dum loquitur de Lithiasi propria puerorum passione: eundem modum agnovit Hipp. lib. *de Aëre aq. & loc.* dum scribit eos calculosos fore quibus alvus exæstuat. 3. Non tam vi Efficientis quàm Materiæ: sic Hipp. & Galen. in pueris solam, vel præcipuam saltem, urinarum crassitudinem lithiaseos causam ponunt; imò Galenus aphor. 15 6. Epidem. sect. 3. exiguum tempus ad coagmentationem requirit, præsertim cùm materia præsto est. *Crassities eiusmodi urinarum collecta, & in unum coiens (supple in vesica) cùm semel aliquando non apto tempore excreta, intus diutius remanserit, concrescendi initium capit: principio facto, facilè quicquid crassi in vesicam illabitur, priori agglutinatur, ut in sponte natis aquis cernitur, & in vasis in quibus aqua quotidie calefit*: Vt non sit requirendus tantus calor, non diathesis aliqua parentum; quis enim dubitat usu casei primo quoque tempore non posse cogi calculum? *Cors 2. lib.1.* Aliter se habent lapides in biliosis, siccis & sobriis, aliter in gulosis, vino & abdomini deditis: Illi arenulas potius cogunt: hi corpus quoddam ex pituita, nullo indissolubilius: Et credo quod qui crustis

ſtis panis utuntur, arenulis poſſint eſſe obnoxij. *Lib. de Calculo, pag. 79. in margine.*)

313. Illud dolendum ita ſæpe contingere uſu auxiliorum noſtrorum, ut cum fruſtra pollicemur exturbationem calculi uſu calidiorum medicamentorum, arenulas multas excernentes, hac inutili fortuitáque excretione ægros recreantes, contumaciorem multò Calculum reddamus, carè enim emitur tantula hæc excretio, quam natura per ſe moliri poſſet, *conſ.*32. *lib.*1. *pag.* 119. atque aberrant qui omnibus calculoſis omni tempore diuretica præſcribunt, ſanguinem fundentia & liquantia, omnibus corporibus, omnibus ætatibus, omni tempore, nulla facta obſervatione & diſtinctione: ac primùm, ſententia Galen. cap. 11. lib. 6. ſanit. tuendæ, graviter peccant pleríque, qui promiſcuè omnibus calculoſis calida acriáque præſcribunt; ac, contra omnium opinionem, cenſet nihil eorum quæ valde calfaciunt calculoſis ullomodo conferre, exemplo cujuſdam bilioſi calculo laborantis, qui ex calidorum aſſumptione in maraſmum conjectus, ac præ ſiccitate motus digitorum & manuum impeditus, ut oſſa cavum ſonarent, ac poſtmodum ab imperitioribus Medicis pro Paralytico habitus: Galenus in craſſis & pinguibus attenuantem victus rationem quidem admittit, ſed quibus contrario modo affectum corpus, in iis contrariæ ſunt indicationes, una à corpore ſqualido ſiccoque, altera à calculo, hic attenuans & incidens requirit: illud, tum ratione totius corporis, tum ratione intemperiei renum, contrariam rationem demonſtrat, at maximam partem θερμόκοιλοι & bilioſi, calculoſi ſunt in renibus, ut demonſtrat Galen. lib. 1. de alimentis. Quam ergo utilitatem afferent τὰ διουρητικὰ? itaque & affectui & corpori ſtudere oportet; affectui, non præſcribendo ea quæ viſcoſum ſuccum generant &c. *Lib. de Calculo p.* 79. & *Conſil.*32. *lib.*1. *pag.*116. Ideo quoque interdici debet uſus eorum quæ movendarum urinarum facultate pollent, nam ea ad renes materiam devehunt, & ita obſtruunt, unde malorum incrementum, ideo perperam, & ignorata rerum naturâ, plerique audito lapidis nomine, aut renum affectus, ſtatim ad vinum album & diuretica concurrunt, ignorantes cautius utendum eſſe vino albo, præſertim cum corpus ſcatet excrementis, hæc enim uſu eorum quæ tenuitate partium prædita ſunt in renem affectum convehunt, natáque inde obſtructio mirum in modum lædit, efficitque ut morbus, quaſi redivivus, capiat incrementum. *Conſ.*3 *lib.*1. *pag.*7. *Diuretica ſæpe noxia.*

314. Galenus cap. 3. 5. ſimpl. dicit nihil eorum quæ vehementer calefaciunt calculoſis conferre; & ibidem diſtinguens medicamenta Arthritica & Diuretica, vult hæc eſſe, quæ & calorem habent plurimum, & acrimoniam cum vi fundendi & ſecernendi, ideo hæc thoraci inimica ſunt, quod craſſiorem reddendo materiam, eam contu- *Vretica aliquando magis conveniunt quàm Diuretica.*

maciorem

maciorem efficiunt: Tres itaque ob causas ea non conferunt, 1. Quia calidiora, & sanguinem fundunt, 2. Quia idem in renibus præstabunt quod & in Pulmonibus, hoc est, dùm serum secernent, id quod remanet contumaciùs reddent, undè paulò ante calculosos usu calidorum & acrium interdixerat, 3. Si Galenus conferens medicamenta menses moventia cum iis quæ lac provocant, censet acriora esse debere & calidiora quæ menses cient, quod non attrahat uterus, sed ad eum sanguis mittatur, contra ad mammas & ducatur sanguis, & ab iis attrahatur, ideóque minus calidis utendum esse, quorsum ad renes aut purgandos aut curandos, adeo calida præscribimus, cum sua ipsi natura attrahant validè? Sed aliud est absolutè dicere aliquid diureticum esse, aliud habere vim movendæ urinæ, aut deterendi lapidis, aut materiei incidendæ? De his ita Galenus, 5. simpl. 12. *Cùm plurimam urinam educere nitimur, acrioribus & calfacientibus magis quàm quæ sunt ἐκφρακτικὰ utendum est, nimirum fundentibus & liquantibus & secernentibus*, An propterea vult hæc Calculosis conferre? Nequaquam, sed ex hypothesi ita loquitur, Si urinam movere consilium est, propterea eadem interdicit Asthmaticis: Item cap. 13. 5. simpl. dum confert acria, tenuis substantiæ, cum iis quæ sunt crassioris, quorum vis perniciosa, ait, *Acria tenuitate substantiæ vim habent movendi urinam, sudores provocandi, exspuitioni conferunt, Non tamen usus eorum confert*, sed vires explicat, cùm aliàs eorum usu interdixerit in asthmaticis: aliud verò est urinam provocare velle, aliud expurgare, aliud calculum frangere & materiam tenuare: Quod & Galen. explicat. 22. 5. simpl. *Nam ut*, ait, *quæ Renes expurgant, ea incidunt, verùm larga humiditate non egent: quæ callosas concretiones incidunt, tametsi incidere dicantur, minimùm caloris habere debent, caliditas enim callum exsiccando contrahit, non incidit, nec dividit: unde quæ non siccant, & modicè excalfaciunt lac generant, quæ plus calefaciunt, non tamen valenter siccant, menses cient, utraque urinas provocant: item quæ calfaciunt & exsiccant, & quæ sunt eiusmodi, diuretica dicuntur, non quia sola moveant urinas, sed quia solas moveant urinas, non autem lac & menses*, quod notandum, Paulò post enim diuretica, quæ calfaciunt & siccant, pulmonum morbis & calculis renum, non conferre scribit, quod nec calculosi nec asthmatici siccitatem illam postulent: itaque cùm movere urinas consilium est, aliquandò diuretica usurpare oportet: Item cùm incidere aut tenuare opus est, aliquando τὰ οὐρητικὰ non διουρητικὰ usurpanda sunt, cum leniendo humectandoque, & compagem calculorum dissolvere consilium est, & nullum tumultum fusionemque humorum afferre; hujus generis sunt semina frigida, malva & bismalva; ea usui maximè esse debent in renibus à calculo occupatis: *Lib. de Calculo sub finem p. 80. Cons 32. lib. 2 p 117 & 118. consil. ad finem consil. Fernelij annexo, quod Ballonij esse testatur stilus.*

315. Si non vbique accusandus calor acer, non semper renibus applicanda refrigerantia, cùm potiùs obsint quàm prosint, ut in pituitosis & præpinguibus, in quibus cócrescunt lapides, in quibus non est verisimile calorem illum acrem abundare: *Consf.32.lib.1.p.*102. Demum, quis dubitat quin quidam in renibus calorem habeant ex eventu, quod carne sint densa compactáque, atqui impedimentum difflationis, caloris est augmentum? an tunc refrigerantium usus tutus est? *Annot. 9. in id. consil. p.* 123. Quin etiam multis densa est caro lumborum, & calor paucus, difflatione prohibitus, vires in renibus acquirit, an tunc quoque refrigerantium usus conferet? *Lib. de Calculo pag.* 64. Ob renum calorem, quem supponimus magnum, foris refrigerantia præscribimus, & malè, nam Aristoteles ideo ait naturam renibus foris adipem multum affixisse, ut renes essent calidiores, destituti carne lumborum qua tegi deberent: calidos autem renes esse oportet, ut & attrahant & secernant, *Ibid. pag.* 77. *in marg.* *Refrigerantia exterius applicata suspecta.*

316. Limatura ligni Sancti non est aliena ab usu in lapide, præsertim ad tenuandam crassam materiam quæ eum committit, ideo olim hic syrup. commodè præscriptus, Rec. limat. ligni S. quart. j. cortic. ejusd. vnc. j. macera per horas xij in aq. fluviat. libr. IV. adde polypod. unc. ij. rad. Enulæ siccæ & contusæ unciam sem. f. decoctio ad medias: in colat. depurata infunde Senn. mund. uncias iv. fructus alkekeng. per noctem in vino albo temperatos numero 20. turbith unciam semis, bulliant. *Conf.* 32. *lib.* 1. *pag.* 121. *Ligni decoctũ quando ex usu.*

317. Non solùm Alimentorum varietas confert ad cruditatem & proinde ad generationem calculi, sed etiam Aquarum: Quod minus probabile videretur, si quidem aquæ nihil corpulentum habent, cujus occasione concretio fieri possit: Tamen eam aquarum varietatem conferre ad generationem calculorum, Hippocr. primus scripsit lib. de Aëre, Aq. & Loc. cùm scribit eos calculo obnoxios fieri qui aquas bibunt de magnis fluviis in quos derivantur alii: *Nam*, inquit, *aqua aquæ similis esse non potest, ac necesse vnam præcellere præ alia*: vnde concludit ex ea varietate magnum sequi incommodum: *Annot.2.in consil.32.lib.2.* *Aquarum debet esse delectus ad præcautionem & ad curationem Calculi.*

318. Ex consilio Galen. cap. 11. lib. 6. tuendæ sanit. victus ratio ambigat inter impinguantem & extenuantem; omni à lacte temperandum, præterquam ab asinino: præterea error committitur, quia plerique defraudant suum genium & alterum pastum omittunt, at contra alimenti benignitas oppugnat istum squalorem qui lithiaseos occasio est: *Lib. de Calculo pag.*80. *Victus ratio.*

319. Exercitationis magnæ sunt opportunitates ad præcautionem & curationem calculi: sed hic consideratos esse oportet, ne, *Exercitatio qualis esse debet.*

aut intermissione exercitationis propriique officij, corpus ignavum reddatur vel exolvatur, unde magna crudorum humorum copia congeratur; aut vehementiore agitatione humores agitentur, unde sursum deorsum, ac in omnem partem impetu facto, tandem exonerentur partes quæ imbecillitate aliqua fatiscant; quomodo affectu Renum tentati, nimia exercitatione, sæpe dolores magnos experiuntur. *Cons.3 lib.1.pag.7.*

Septalius.

Vere purgãtibus aliquãdo locus.

320 Quamvis in calculo renum curando, vbi dolores non adsint acerrimi, ea curandi ratio conveniat, quæ ab Avicenna, & Mauritanis tradita est, quámque recentiores plerique secuti sunt, ut repleto ventriculo vomitus provocetur, mollibus clysteribus fæces subducantur, aliis itidem emollientibus laxatâ parte leniantur dolores, & si qua materia, in intestinis consistens, unde eleventur flatus distendentes, abstergatur, & evacuetur, mox emollientibus, laxantibus, & anodynis, & mitigetur dolor, dilatentur viæ, à calculo distentæ, quod fomentis, inunctionibus, emplastris, & id genus aliis etiam tentari debet; mox conterentibus lapidem, & eundem propellentibus diureticis curatio prosequi debet: quinimò si vomitu evacuari ventriculus non potuit perfectè, per os etiam ad similia præstanda exhibent cassiæ fistularis medullam, aut per se, aut ex levi portione olei amygdalarum dulcium, aut diasebesten non solutivum, aut diaprunum; mox abstergentibus, incidentibus, & attenuantibus antecedentem, & conjunctam materiam ad evacuationem præparant; nunquam autem ab initio solvente, & verè purgante medicamento utendum judicârunt, ne aut cruda materia, ab initio non præparata, evacuetur, aut deorsum lata, laborantem partem magis affligat. Quoniam tamen sæpissime evenit in nostris his regionibus, & potissimùm in magnâ hac urbe, ut & nimiùm Genio indulgeant, multáque assiduè ingerant, & multis tententur à capite distillationibus, ut ventriculus, intestina, & venæ mesaræi refertæ sint multis crudis humoribus, à quibus per venas ad renes delatis, adeò frequentes fiunt dolores renales, & podagræ; qui nisi evacuentur, neque tutò anodynis uti poterimus, neque conterentibus lapidem, neque eundem propellentibus, quin nec diureticis. Cùm præthereà sæpe adeò urgeat dolor, ut longam illam curationem exspectare nec velint ægrotantes, nec possint, nec expediat ob collabentes vires; blandissima verò illa lenientia, vel lubricantia sæpissime muneri illi evacuandi materias multas, crassas, & viscidas satisfacere non valeant, sed retenta & ipsa, & per se

molem

molem augendo, & comprimendo dolorem augeant, aut elevatis & ex se, & ex commotâ; non expulsâ materiâ, multis flatibus, censeo sæpissime expedire medicamento uti solvente, pro varietate materiæ, benedictâ laxativâ, diaphœnico, electuario Elescoph, electuario de succo rosarum, Indo, & similibus, additâ portione cassiæ, vel lenitivi cum melle ro ato solutivo; sic enim & crudas illas materias, in ventriculo, & intestinis consistentes, & si quæ sunt in primis viis tanquam causæ antecedentes, evacuabimus, easdémque, & similes revellemus, molem & fæcum, & humorum, in intestinis renes comprimentem, & dolorem augentem imminuemus, anodynis, mollientibus, laxantibus, diureticis, conterentibus lapidem, & propellentibus viam struemus. Quâ curandi ratione cùm sæpius ad eos acciti essemus, qui nephritico dolore laborantes curabantur, priori illo modo, clysteribus mollibus videlicet, & bolis ex cassiæ medullâ, aut lenitivo, aut solis, aut cum portiunculâ Hieræ, medicamento solvente exhibito, mox anodynis, mollientibus, laxantibus, & lapidem propellentibus adjunctis, citò & feliciter cum magnâ meâ gloriâ ac invidiâ curationem absolvi. Cùm verò curandi hæc ratio rationibus iis nitatur, quæ proximè enarratæ sunt, Hippocratem, & Galenum, duo Medicinæ vera lumina, habet & doctores, & assertores, *6. Epid. Sect. 1. tex. 6.* ubi, postquàm tradidit Hippocrates signa, quibus nephriticus affectus cognosci possit, brevissimis etiam verbis totam curationem absolvit, & juvenes etiam helleboro purgandos docet: & *in Com.* Galenus, dum unamquamque vocem, varia præsidia Medica continentem, sigillatim explicat, dum de purgando corpore agit, medicamento purgante, tanquam vecte, esse propellendum docet. Neque verò cruda tunc evacuare & purgare dicemur, contra præceptum Hipp. 1. *Aphor. Concocta medicari &c.* coctio enim illa, de quâ in Aphorismo, illa est, quæ humori putrido convenit, potissimùm in febribus, cui coctio illa convenit, quæ secundo loco describitur ab Aristotele 4. *Meteor.* quam putridis humoribus & excrementis convenire docebat, secundum quam bilem crudam dicimus, & lotium crudum, tanquam signum in febribus putridis: at cruda, quæ alimentalem coctionem subterfugerunt, aut per inediam ad bonam frugem duci debent, aut si plura sint, quàm superari possint, atque à calore ventriculi evinci, aut concoqui, quamprimùm sunt evacuanda aut lenientibus, & abstergentibus, aut etiam, si in venulis mesaraïcis, & altiùs infarcta sint, purgantibus; qualia hæc esse cruda censemus, quæ in nephriticis exuberant. Neque verò per evacuationem per inferna ad renes materiam trahimus, sed ab illis revellimus, & per intestina subducimus; quamvis enim in transitu adsit vicinia, non adest tamen conjunctio; neque periculum est in transitu, ne noxam renes sentiant,

Lenientia sola in calculo non sufficiunt.

ut in renum inflammatione in transitu bilis, quia neque hîc inflammatio in parte adest, neque calidus est humor, qui movetur, sed laboranti parti etiam succurrimus, inanitis intestinis, quæ ob repletionem comprimebant renes, à lapillo undequaque compressos.

Calculo ureteres occupãte, diuretica mala.

321. In calculo renum curando, ubi acerbissimi fuerint dolores, & ex situ cognoverimus jam lapillum ureteres occupâsse, si quis diureticis tentaverit calculum à loco dimovere, in magnum sæpenumerò periculum ægrotantem deducet, ne scilicet in urinæ suppressionem eum deducat, ingruente affatim ad obstructum locum lotio, & sæpe cum arenulis, sæpius cum crassâ & viscidâ materiâ. Quare præstaret tunc emollientibus & laxantibus decoctis uti, ex caricis, malvâ, althææ & malvæ seminibus, item ex seminibus frigidis majoribus, liquiritiâ, jujubis, sebesten paratis. Quòd si ad penetrationem aliquid diuretici addere voluerint, in paucâ quantitate, non repugnarem. Ad quem usum etiam optimum semper judicavi oleum amygdalinum dulce, ex levi vini albi tenuissimi portione.

Diuretica pro præservatione calculi sæpe noxia.

322. Communi ferè hominum consensu receptum est, pro avertendis & præcavendis doloribus ex calculo, & impediendâ lapidis generatione, expedire bis au ter in mense diureticum aliquid assumere, aut in syrupi longi, aut julepi, decocti, aquarum stillatitiarum, aut electuariorum, aut pulvisculorum formam, quò materiæ, quæ in dies in renibus aggregantur, paulatim expellantur, & abstergantur, ne calore accedente renum indurentur, & lapidescant: quod institutum ut omnino non est improbandum, si cum ratione fiat, ita quàmplurimis perniciosum esse solet: si enim ab homine continente fiat, aut ante illorum assumptionem leniens, aut abstergens medicamentum sumptum sit, utilitatem afferre potest, at si gulæ is deditus sit, aut cruda multa in primis viis aggregare soleat, ut solent majori ex parte podagrosi & calculosi, tantum abest, ut illorum assumptio eos præservet à calculo, ut potiùs frequentiorem illi præbeat occasionem, & sæpe etiam in suppressionem urinæ deducat, & gravissimos alios morbos, & symptomata, deductâ materiâ quæ in ventriculo erat, & in primis viis, ad vias urinæ.

Thermales aquæ curando calculo sæpe suspectæ.

323. Cùm quàmplurimi pro lapillis ex renibus propellendis aquis Thermalibus utantur, ut illarum usum aliquando laudamus, cùm impacti nimiùm in renibus fuerint, nec aliis cedant remediis; sic enim refrigeratis illis aliquando dehiscentes locum cedunt lapidi commoto, quin & quantitate aquæ propulsus aliquando descendit; ita rariùs eædem concedendæ erunt, quòd, deductâ crassâ materiâ ad locum lapilli, sæpe etiam morbus redditur contumacior, & aliquan-

aliquando ad ſuppreſſionem urinæ omnimodam per illas ægrotantes deducuntur.

In Veſicæ Calculo.

Ballonius.

324. Quibus olim ſarcoma fuit in vrethra, aut ad paraſtatas, iis aliquando reſtitat vrina; Quod cum contingit, id quod tenuius & liquidius effluit in mictu ipſo; quod craſſius eſt reſes in veſica manet; Et tandem, quia id quod ſimile eſt facile ſeſe ſimili aſſociat & adiungit, pituita in veſica reſes novo cumulato humore accreſcit, tandem capacitas veſicæ occupatur, & micturiendi deſiderium adeſt, Id quod multis opinionem fecit calculi, ſed longe erraverunt. *Conſ.* 37. *lib.* 2. *Pituita in veſica concreta calculum mentiens*

325. Mercatori Dyſuriam patienti ſigna omnia Calculi, Secto non reperitur lapis, Ad collum veſicæ caro concreverat, Idoneis conſumpta remediis convaluit. *Paradigmate* 61. *Et caro concreta in oſculo veſicæ.*

326. Mercatori omnia calculi ſigna, catheter probare non potuit, mortuo duo magni calculi reperti ſunt, ſinguli ſua membrana incluſi; membrana illa judicium catheteris eludebat, *Paradigm.* 57. *Ibid.* *Catheter in exploratione fallax.*

327. Vidi puerum annos duodecim natum qui calculum in veſica haberet, intolerabili dolore cruciabatur: interiit, vno ante obitum anno adeo putrem olidamque materiam mejebat cum dolore ſtranguriòſo, ut ſic dicam, ut qua parte vrina veſtimento hærebat, in ea vermes naſcerentur: Notandum hic humorem pituitoſum, putrem & purulentum (ſine vlcere tamen) eadem ſymptomata invehere poſſe quæ & calculus ipſe: *Parad.* 58. *Ibid.* *Humor pituitoſus putris in veſica eadem invehit ſymptomata quæ calculus.*

328. Quidam cùm de dyſuria quereretur, necnon vna cum vrinis pituitam veluti in capillos ductam excerneret, imò mictio eſſet ſæpe cruenta, de calculo opinio fuit, catheter immiſſus, lapis non deprehenſus: vſu blandorum medicamentorum & hydromelitis aſſiduo vſu ſanatus eſt: vinum album frequentiſſimè in paſtibus bibebat, quæ cauſa fuit traducti in vias vrinarias phlegmatis. *Epid. lib.* 2. *pag.* 246. *Dyſuria à pituita calculum mentiens.*

329. Multis difficultas fuit vrinæ, quod corpus veſicæ aut craſſius fuerit, aut quod multa pituita corpori veſicæ adhæſerit, vnde aliqua ex parte occupata fuerit capacitas ipſius veſicæ, & ſic pauca vrina contenta fuit; id verò vitij maximè iis contingit quibus carnoſitas aliqua in vrethra fuerit, nam tenuior *Craſſa veſica ſubſtantia calculi ſpeciem exhibens.*

& subtilior pars materiei excreta fuit per penem, crassior verò remansit, quæ obhærescens, id symptoma attulerit, Cujus dysuriæ & brevis mictionis causa ignoratur: id Dom. N. contigit, Medici putabant esse calculum aut resolutionem aliquam; sic, nisi diligenter animadvertitur, datur occasio generationi lapidis, vtendo diureticis; & perperam, falsa calculi opinione, vtimur iis quæ frangunt calculum, cùm dysuria à vetere carnositate fortasse fuerit, *Ibid. pag.* 247.

Humor crassus in vesica eodē modo fallens.

330. Hippocr. Aph. 69. lib. 4. observat in febribus aliquando paucas & grumosas esse vrinas, vnde aut suppressio aut pauca mictio, connivent enim vasa ab oppressione & copia, in quo Medici errant, ad diuretica statim properantes, & comminiscentes falsò aut esse lapidem, aut calculum, aut aliquid simile: at humoris crassities est quæ id præstat. *Consil.* 37. *lib.* 2.

Cassia nocentissima iis quibus extractus lapis.

331. Mirum illud est quod celebres lithotomi Parisienses se observasse dicunt, nocentissimum esse medicamentum, Cassiam, iis quibus sectione detractus est lapis: propterea Laurentius senior, lithotomiæ prudens & peritus, contendebat primùm à Medicis λιθοτομηθεῖσι medicinam facturis, ut ne cassiam præscriberent, observasse enim se asserebat multorum periculo id medicamenti devoratum esse, & omnia in deteriùs versa fuisse: An quia cassia est aliquantùm diuretica, & propterea ex eventu vesicam jam afflictam molestat? An quia κακοστόμαχος & ναυτιώδης, virositatem enim quandam habet & tormina excitat, vnde fieri non potest quin perturbet & turbas excitet in corpore, vnde vesica vim patitur: *Epid. lib.* 2. *pag.* 190. *Annot. in cons.* 50. *lib.* 3.

Clysteres blandi post lithotomiā, inutiles & noxij.

332. De clysteribus, post lithotomiam, vnum notandum est; qui sunt blandiores, sæpe ignavi & inutiles subsistunt, & præter hoc quod inutiles sunt, lædunt sæpe & vulnus efficiunt deteriùs: ideo acriusculi sunt subjiciendi: attemperanda tamen res est pro natura ægri, próque intestinorum sensu pigro vel acuto: *Ibidem.*

Vulneri detergentia non imponenda.

333. Quod ad vulnus attinet, detergentia & mundificantia vlceri non imponunt lithotomi, quia, aiunt, ipsa vrina, quæ sensim per vulnus fluit, detergendi vim habet, & supplet vicem medicamentorum detergentium: *Ibidem.*

Septalius.

Lapidem in vesica concretum frāgentia fictitia & falsa.

334. Scio ego & antiquos & recentes infinita propemodum, & simplicia & composita medicamenta tradidisse ad comminuendum & frangendum lapidem in vesica, at horum authoritate etiam scio

ſcio quam plurimos ægrotantes in perniciem à Medicis nimiùm credulis deductos. Ægrotantes, cùm ex lapidis per inciſionem extractione quàm plurimos mori obſervent, omnia malunt priùs experiri, quàm genus illud carnificinæ etiam periculoſum. Medici, partim experientiâ deſtituti, promiſſis ſcriptorum adducti, & ſpe præmii ob avaritiam allecti, curationem protrahunt, omnia experiuntur, & denique aut ſpe defraudati, aut jam curationi ſuccumbentes, tandem non aliam ſe viam invenire curandi, quàm per ſectionem profitentur: ſed interim æger, crumenâ exhauſtâ, ob dolores, & vigilias conſumptis carnibus, viribus vitalibus etiam ob vigilias conſumptis, exardeſcentibus renibus, veſicâ, & vrinâ ipſâ, tandem, ut experiatur, etiam in hanc curationem conſentit, & eam etiam ob rem majori ex parte moriuntur diſſecti. Quare præſtaret ab initio, dum corpus adhuc carnoſum, & ſucci plenum eſt, dum veſica adhuc mucoſâ materiâ veſtita eſt, nondum aut perfricatione lapidis, aut vi calidorum medicamentorum, & acrium abſterſa, unde adhuc dolores non adeò acerbi ſunt, dum denique calculus nondum ad magnam molem excrevit, curationem hanc tentare, optimo artifice electo, quales hoc tempore aliquos excellentes cognoſcimus; cùm enim primis ætatis meæ annis plerique ex hujuſmodi curandi ratione per ſectionem interirent, triginta abhinc annis eorum major pars ſuperſtes evadit, qui à Joanne Acorombono à Nurciâ patre, jam hoc anno vitâ functo, & Joanne Antonio filio curati fuerunt.

Lapidis in veſica unica curatio exciſio.

Quarum rerum tanquam inſtar omnium hiſtoriam pulcherrimam hoc loco referre utiliſſimum eſſe duxi. Comes Georgius Trivultius, Senator & Eques, bonarum litterarum patronus, cùm ſtranguriâ per aliquot menſes laboraſſet, & in canali vrinario carneum aliquod impedimentum perſenſiſſet, in illud omnis moleſtiæ cauſam referabat, ut lapidis in veſicâ, quantum poſſet, ſuſpicionem declinaret, me ſemper reclamante, & maximam lapidis in veſicâ concreti ſuſpicionem ſubeſſe aſſerente. Cùm autem aliquando ad amœniſſimam Sancti Floriani ſuæ ditionis villam ſeceſſiſſet, in graviſſimos, & acerbiſſimos dolores incidit, qui cùm per quadraginta horarum ſpatium ſine intermiſſione perſeveràſſent, citatis equis ego accitus ſum, & cùm omnes ſubeſſent notæ, quibus perſuaderi poteramus, lapidem eſſe in veſicâ, ſaltem probabiliter, cùm nullum inveniatur ſignum pathognomonicum lapidis in veſicâ; perſuaſi, ut ad urbem remigraret, ut certam rei hujus habere poſſemus, immiſſo cathetere, cognitionem. Advenit, ſed cùm caruncula impedimento eſſet, ne catheter in veſicam immitti poſſet, priùs auferendum fuit impedimentum, & ſtratâ catheteri viâ, cúmque à perito illo artifice immiſſus eſſet, lapis inventus eſt. Quâ re cognitâ, ut aliquando ſe ab acerbiſſimis doloribus eximeret vir clariſſimus, omnia quamprimùm

Lapidum ex veſica.

primùm paranda censuit, ut ad sectionem veniret; expurgaremus nos corpus, dixit, se animum expurgaturum, ac mediis, Christiano homine dignis, firmaturum, & testamento de rebus suis dispositurum: nos diem seligeremus ad placitum, se inscio, die statutâ, rebus omnibus paratis accederemus, se semper paratum fore. Omnibus ritè paratis accedimus, alacri animo nos excipit, & nos ad opus adhortatur, & se omnia intrepidè passurum profitetur: fit sectio, nulla vox querula, nullus ejulatus, adhortationes solùm ad artificem, vt intrepidè negotium perficeret; unus primò forcipe extrahitur lapis magnitudinis magnæ castaneæ; alium adhuc superesse extrahendum artifex profert: ne dubitet, extrahat, iterum adhortatur: secundum extrahit, tertium, quartum, quintum, & denique sextum ejusdem magnitudinis spatio mediæ horæ; nulla unquam querela, nullus ejulatus, celsi animi omnia indicia, sola post actionem Deo gratiarum actio. In lecto repositus, refectus de more, omnia bene cesserunt, nulla febris supervenit, nulla inflammatio, nullus dolor, somnus post tantas vigilias suavis ulcus termino, quindecim dierum pro mediâ parte optimè ad cicatricem deductum; ecce eâ die supervenit febris vehementissima continua, nullâ occasione à vulnere habitâ, quæ adeò ardens fuit, introductâ etiam hecticâ febre, ut brevi tempore ad tabem, & extremam siccitatem corpus deductum sit; in quâ adeò carnea substantia consumpta est, ut etiam cutis exaruerit, ita ut extrema cuticula in corpuscula furfuracea per omnem corporis ambitum dissolveretur, & excideret; cutis autem vera tanquam florea tota, fissuris distincta, conspiceretur, & aspera, dura, & sicca tangeretur, ulcus exaruerat, & labia in calli modum exsiccata conspiciebantur, nulla amplius sanies, nullus ichor promanabat. Ei cùm res ferè esset conclamata, &, respectu ad has res habito, nulla spes salutis ferè superesse videretur, cùm alioqui vitales vires adhuc satis validæ consisterent, egóque humectantibus & refrigerantibus calori febrili contrà irem, & instaurantibus naturalem calorem foverem, tum humidum substantificum optimis cibis reponerem, post triginta septem dies à sectione paulatim acer ille febrilis calor deferbuit, cutis aliquantò mollior reddita est; &, quod majorem parere potest admirationem, majorémque salutis spem nobis adjecit, ulcus jam tanto tempore aridum, & quasi callosum, iterum recruduit, dolere aliquantulum cœpit, mox sanguinem emittere, mox ichorem, pòst aliquando etiam saniem, deinde per se, nullo adhibito præsidio externo, ita convaluit, ut ad perfectam sanitatem sit restitutus anno ætatis suæ sexagesimo tertio, cùm adhuc octuagenario major sanus vivat, adeò litteris deditus hac etiam ætate, ut perpetuò ferè in instructissimâ suâ Bibliothecâ

bliothecâ versetur, perpetuò etiam cum mortuis vivens colluctari videatur. Admirabilem aliam fortasse historiam non erit præter propositum si recenseam. Nobilis vir Henricus Pecchius, octuagenarius, cùm per quindecim annos doloribus ex lapide in vesicâ esset conflictatus, nec unquam curationem per extractionem admisisset, cùm acerbissimis doloribus angeretur, ut satius mori censeret, quàm hujusmodi tormentis perpetuò affligi, cùmque extractum proximè lapidem trium unciarum felicissimè ab Illustri viro Cæsare Pagano sexagenario observasset, à quo ad hanc admittendam curandi rationem proprio experimento erat incitatus; tandem me accivit, qui D. Pagani curationi adstiteram, se omnino experiri fortunam suam etiam in illâ ætate velle, & se aut ab acerbissimis illis doloribus eximere, aut ut fortem virum mori, professus est; cùm undique angustias subesse cernerem, quòd paucissimis diebus cum tot tantisque cruciatibus, vigiliis, & virium vitalium imbecillitate supervicturum observarem; easdem tamen vires imbecillas, ætatem jam effœtam, & magnitudinem lapidis, tanto tempore auctam, illi operationi repugnare, anceps, & animo dubius, quid consulerem, hærebam tanquam in salo, & tandem suæ voluntati totum negotium commisi. Qui tandem, omnibus expensis, decrevit, se huic curationi committere. Excisus, & extractus ab eodem artifice lapis septem unciarum, & drachmarum quinque; & quamvis per longum tempus vulneris curatio, tum ob magnitudinem, & dilacerationem, & sanguinis multi in grumos concreti in vesicam collectionem, tum ob ætatem protracta sit, convaluit tamen post duos menses, & per annum etiam supervixit; felix eo tempore, quòd doloribus careret, cum quibus per tot annos fuerat conflictatus.

In Vesicæ Vlceribus.

Ballonius

335. De Injectionibus in vesicam videndum an sit Vlcus simplex, an cum calculo, indicatio enim alia adest: Rondeletius ad detersionem puris in vesica injicit gaiaci decoctum: Si aquæ refrigerantes aut similia iniiciuntur, iita refrigeratio confert ad coagmentationem lapidis, & ipsius Vesicæ naturam spermaticam lædere potest: Purgato corpore (bolis potius quam potionibus utendum) remedia topica usurpari possunt, quæ leniter ardorem reprimant, pus abstergant & ulcus glutinent, in eum modum: ♃ trochisc. Gordonij sine opio ℥ ij. dissolve vnum in lacte caprino, aut hordei decocto, si vlcus *Iniectiones in vesicam aliæ si calculus solus, altæ si ulcus coniunctum.*

quis purificare malit quam glutinare, & per catheterem in vesicam per aliquot dies iniiciatur: purificato ulcere dissolvatur unus in lacte ovillo, nam glutinat; Si pus crassum admodum, dissolve troc h. unum in aqua mulsa: Hæc magis conducunt quam sumpta, quod ab ore ad vesicam longa sit via: Dolor autem quem patitur meiendo æger, mitigatur fotu pectinis ex malva, rad. alth. nymph. flor. chamom. melil. calam. aromat. *Conf.68.lib.3.*

In Diabete.

Ballonius.

Diabetica affectioni qui maxime obnoxii.

336. Mulieres & homines vinosos, & colore ἐξερυθρὰς, vidimus quadam specie Diabetis affectos: Attulerunt ad nos urinas stillatitiæ rosarum aquæ simillimas: Ad stomachi indigestionem revocant quidam: Nos contra ad caliditatem summam, & siccitatem quandam extremam hepatis & renum. *Epid.lib.2. p.158.* Quibus caloris in hepate excessus est, ii urinas sæpe aqueas habent, ut pote hepate exsugente statim,ob calorem & siccitatem, id quod humidum est, & multùm meiunt, quod falsò catarrhis attribuunt, cùm sit veluti diabetica affectio: eo enim pacto affectum est hepar, quo aliquando renes: imò in renibus non potest non esse talis diathesis qualis in hepate, facile enim consentiunt: Declaravit ille æger qui veluti diabeten habebat, cum certissima essent argumenta sicci squaulidi & calidi hepatis. *Consilio 64. lib. 1.pag.363.*

Imminentis per S.m. & lenientia præcautio.

337. *Ioh. Puthommier* ἰκτεριώδης, pene febre lenta laborabat, plurima mictio eaque pellucida: Diabetes in metu erat, juvit phlebotomia & purgatio ex lenientibus: Annon quia καῦμα intus erat, ut ad extinguendam hepatis & præcordiorum sitim, hepar & renes continenter serum attraherent? *Epidem.l.2.p.196.*

In Vrinæ Suppressione.

Ballonius.

Non omnis diureticis curatur.

338. Duo insignes homines à suppressione urinæ interierunt, Chirurgus qui cadaver secuit, affirmat nil commemoratu dignum repertum esse (nisi quod caruncula in uno adesset) quod urinam suppressisset: & tamen Medici diureticis vehementissimis ægros valde exercuerant: imò uni potui datæ Cantharides, hinc gravissima & valde terrifica symptomata sequuta sunt: ideò nonnisi cum magna cautione

cautione id faciendum: Ista suppressio, meo judicio, à quadam necrosi renum est, aut quia refunditur aliò serum, aut quia facultatis naturalis casus est quidam & imbecillitas; &, pace doctiorum, dicam, in talibus suppressionibus venæ sectioni locus non est, nisi parcè: at dicunt, febris est, unde suspicantur inflammatoriam dispositionem causam istius suppressionis; errant, nam suppressio seri, & refusio in genus venosum, facilè febrem advocat, & aliquantula eductio sanguinis tolerari potest; Hippocr. aphor. dysuriam & stranguriam valde senibus proprios morbos asserit, quòd ad imbecillitatem referre oportet, & ad facilem obstructionem in illis, quia vasa facilè collabuntur & connivent; Et si videmus quosdam, etiam juvenes, cùm ægrotare incipiunt statim imbecilles esse valde & νωθρούς, multò magis id senibus eveniet, quibus fortes non sunt febres, quia paucus calor, & frigiditas & siccitas est magna, unde inepta sunt instrumenta: imò fieri potest, ut in principiis morborum sine calculo, aut renum proprio vitio, sit urinæ suppressio ab oppressione naturæ; & quia cùm multa sit cruditas, dum sese expedire vult, omnia confundit & perturbat: Cuidam urinæ suppressio contigit, prout purgatus est, ita facilè minxit. *Epid. lib. 2. pag.166.*

339. Septuagenario febricitanti urina supprimitur, ad calculum causam revocant falsò: mortuo fibræ vesicæ vim passæ videbantur: ureterum & vasorum spermaticorum magna erat amplitudo: Quomodo suppressio urinæ contigerat? jam senex immoderatiùs coibat, & fortè ob inanem conatum vasa vim passa effœminabantur; sic non satis legitimè serum prolectabant & minimo obice urina supprimebatur; An coitus immoderatus supprimit urinam? Paræus id annotavit; credo authorem & rationem subsidiariam habere. *Epid. lib. 2. pag.156.*
Coitus urinæ suppressa causa.

340. Cuidam subito resolvitur vesica, cum repente dolor incidisset in os sacrum & coccygis, urina supprimitur; Tamen tussiens, aut manum pectini admovens, reddebat: Rectum intestinum ἀναίσθητον redditur, clysma non sentit. Admotis contra Paralysin remediis convaluit. *Paradigm.54.*
Remediis paralysin spectantibus curata.

341. *Carolus N.* Suppressione urinæ laborabat: credibile est id fuisse à phlegmate obstruente, accedente & nonnullo tumore osculi vesicæ: dolor non erat, itaque nec inflammatio: Mirum an tumor derepente fieri potuerit, conabatur excernere: conatus iste in corpore impuro materiam ad vesicam præcipitavit: concursum est ad diuretica: malum auctum est, Vesica implebatur urina, sed aliquid impediebat: diureticorum usu facta est humorum veluti conferta in vesicam prolapsio, testabantur urinæ: nam copioso sedimento erant plenæ, & non erat sedimentum proprie dictum, sed humo-
A tumore circa osculum vesicæ emollientibus curata.

 rum.

rum colluvies: Tandem deprehensus tumor osculi vesicæ misso in anum digito: multis remollientibus adiutus est, convaluit, ante nullomodo excernebat urinam, nisi immisso cathetere: malo desinente successit ingens scroti tumor, Vnde hoc? *Epid.& Eph. lib.2. pag.177.*

In Dysuria.

Ballonius.

Inducta admotione Emplastri vesicatorii.

342. Cordæo Medico dolores implacabiles ad Ischion, admotum vesicatorium ex cantharidibus, ardor urinæ insequutus est intolerabilis: An tutus cantharidum usus? Cavendum ne ardorem urinæ inducat.*Lib.2.Epid.& Ephem.pag.190.*

Diuturna Hydromelitis usu sanata.

343. *Nob.N.* Diu laboravit dysuria,excernebantur materiæ pituitosæ quæ dolorem inferebant: in usu vini albi & equitatione multus fuerat; meiebat aliquando cruentum, credebant lapidem esse: frequentissimo usu hydromelitis sanatus est. *Epid.l.2.p.180.*

In Mictione cruenta.

Ballonius.

Aliquando periculi expers.

344. Mictus cruenti in plerisque perspiciuntur, non tamen magno terrori esse debent; Nam annotat Celsus lib.4. post vehemens exercitium sanguinis mictum contingere, quod lassitudinem à labore contractam levat: hoc autem præsertim iis contingit quibus solennis evacuatio aliqua suppressa est; *Paradigmate.61.*

In Gonorrhœa.

Ballonius.

Intempestivè suppressa noxa.

345. Quidam Gonorrhœam patiebatur, suppressa est: adeo humor cuniculos egit ut peritonæum multis locis perforaverit, & horrendo modo, tanquam per cribrum urina illac permanabat, *Epid.lib.2.pag.217.*

Veteris remedium.

346. Pilulæ ex Rheo, maza pilulæ sine quibus & castorceo, veteres & consummatas ferè Gonorrhœas profligaverunt. *Epid.lib.1. pag 53.*

In Invete-

347. Mulier à marito inita qui cum prostibulo impuro concubuerat,

rat, inquinatur, hinc Gonorrhœa virulenta, malè fluorem muliebrem repræsentans: quæ excernuntur cum virore pallescunt, jam fluxus ille per annos perseveraverat, illam à variis morbis vindicans: tamen propter contagionem, massæque sanguinis labem, valetudinaria est: quoniam, credo, non satis largitér virulentus ille humor decurrit: menses planè subsistunt, atque hinc illincque ingruit metus quidam: nam si supprimatur illud βρωμῶδες, & virulentum, pernities consequetur: sin fluat, tametsi suo exitu commoditatem affert, tamen in maciem ita laborantem conjiciet: quod plerisque usu venit, siquidem non potest non afficere partes per quas traducitur: Ineunte vere, quo præsertim tempore omnia repuerascunt, summam in renibus gravitatem sentit; dejicitur appetentia, languet, munia non obit sua: dolores in ventre excitantur toto: quo medicamento ex rheo & syr. laxat. sæpe adjuta fuerat, eodem occurritur, malum recrudescit, tandem diu noctuque ita vexatur ut ferendo non sit, pulsus languidus & sepultus, facultatum omnium ferè concussio, ac maximè vitalis, sursum deorsum fertur materiâ, quæritur quid sit opus? sensim atque sensim crescunt dolores, pungentes & ferientes divellentésque membranas: dolor turgens est, & qualem Galenus describit 3. de loc. affect. *in partibus quibusdam sentitur dolor veluti à remota alia parte, velut radice, derivatus*: quod notandum est: falsò credunt colicum esse dolorem, proptereáque, ut ferè fit, liberales nos esse debere in usu rerum calidarum, imò tali usu ægrescebat magis: in eam sententiam ventum est, in eo provocando fluore incumbendum esse, alioqui frustra operam daturos: atque ita provisum est, primò clyster injectus, eodem die excitatus vomitus materiei virulentæ & ejus quæ per inferiora olim dejiciebatur, non à ventriculo erat, sed à jecore & regione renum, ut conjecturis deprehendebatur: Quæstio an esset sistendus an juvandus? non placuit juvare, ne materiam, quæ per inferiora moveri debebat, aliorsum revelleremus: urgentibus doloribus coacti fuimus adhibere balneum, uti succo amygdal. dulc. cum vino hippocratico, cessabant statim dolores, è balneo egressæ redibant: secta vena in malleolo, adhibiti pessi ex Hiera diocolocynth. pulvere hieræ & galiopsi, addita styrace liquida & involuti sunt santalo: deinde usu pilularum de Hiera cum agar. & rheo consultum est: repetiti Clysteres primo similes, exhibita Terebint. cum Rhabarb. secta vena in brachio ob turgentem in lumbis dolorem: applicatæ cruribus cucurbitulæ, tandem ad decoctum sarsæpar. ventum est ad proliciendos sudores, provocati sunt, atque ij admodum fœtentes: vtcunque convaluit. *Consil. 68. lib. 1. p. 383. & sequ.*

rata quid agendum.

248. Videndum sedulo ne diuturnum vesicæ cervicis vlcus nobis imponat; Ex hoc enim, curata interdum gonorrhœa, perinde atque

Purulenta illuvies ab

 è prosta-

ulcere vesica stillans Gonorrhœa specie imponit.

è prostatis, purulenta quædam illuvies, aliis in totam vitam, aliis donec justa curatio adhibita fuerit, stillare & ægri indusium commaculare consuevit, quæ gonorrhœam ementitur. *Consil. 60. lib. 3. annot. 1.*

Gonorrhœa Gallica nō aliquando calefacientibus curanda.

349. Unde etiam, cùm ex diuturno seminis effluxu acrimonia, & calor materiæ refrixerit, sæpenumerò decipiuntur Medici, refrigerantibus in eo casu utentes, cùm excalefaciendum sit aliquando, semper autem adstringendum: in quem usum uti sæpe soleo decocto ex ligno lentiscino, aut ex ligno cupressi, aut decoctione mastiches, & aliorum ex aquâ chalybeatâ, aut mineralibus aquis ex ferro.

Gonorrhœa mutatur in fluxum album parilémque curationem desiderat.

350. Decipit verò & sæpe peritos Medicos, quòd cùm ab initio ab externâ aliquâ causâ excalefaciente, & laxante is morbus inceperit, ex longâ autem fluxione spiritibus multis inanitis, & multo semine evacuato, & corporis habitus sit refrigeratus, & multus humor aquosus, & frigidus genitus, multáque pituita producta, cum in primis illis remediis insistant, omnia in deterius ruant, & augeatur fluxio; In quo casu semper ad contraria erit transeundum, & iis utendum quæ excalefaciunt & exsiccant, cum aliqua subadstrictione: In quem usum conveniet decoctum ex *guiaaco*, cum portione *ligni lentiscini*, aut, *iuniperi*, aut *cupressi*, aut mastichis, uno verbo dicam; Ea omnis curatio etiam conveniet quæ præscribitur mulieribus albis purgamentis laborantibus.

Septalius.

Seminis profluvio in curando diversa ratio servanda pro varietate causæ.

351. Adeò sæpe in seminis hoc involuntario fluxu & cognoscendo, & curando Medicos video à rectâ viâ aberrare, ut necessarium sit, aliqua etiam hac in re annotare. Cùm autem morbus is ob varias externas occasiones obvenire soleat, & ex congressu Venereo sæpenumerò communicetur, omni diligentiâ investigandum erit, an ex lue Gallicâ originem duxerit, an potiùs ob excessum in luctâ, an ex congressu cum muliere eo morbo laborante, sine suspicione Gallici morbi: solet enim etiam communicari is morbus sine lue Venereâ; dissimilis enim omnino est curandi ratio si sit sine lue illâ, & si ex morbo Gallico contractus sit. Simplex enim illa affectio, purgato corpore, refrigerantibus & adstringentibus tolli solet: altera verò, quæ ex lue Venereâ pendet, si ita curetur, defluvia capillorum, crustas in capite, dolores in artubus, & gummata producit; & sicut illa curari quamprimùm debet, ita hæc longiori tempore sinenda est: nam, dum evacuatur cum semine virulenta hæc materia aliquandiu, laborantes à gravissimis illis symptomatibus præservantur

Gonorrhœa Gallica nòn statim reprimenda.

vantur. Neque priùs illius rationem habere debemus, quàm virulentia introducta omnino devicta & superata sit; tunc enim, si cum morbo universali devicto non cessaverit, adstringentibus superanda erit, & roboranda vasa seminalia, ut tempore debito semen contineant, ex continuo enim affluxu partes illæ retortæ naturâ adeò laxantur, ut diutius duret fluxio illa ob illam solam causam.

In Venere languida.

Ballonius.

352. Non semper more Medicorum Practicorum, ad excitandam Venerem impense calidis utendum est, nam calidiora extinguunt semen, ut *sabina* & *agnus castus*; Item, quidam temperamento sunt calidiore, & æstuantia habent viscera; Et hi sæpe minus ob δυσκρασίαν istam apti sunt ad explicandam Venerem; Deinde verò, quæ sunt calidiora flatus dissipant, quorum usus aliquis ad arrectionem, Itaque hic iudicio opus. *Consf.6. lib.3. Annotat.* Inutilis sæpe est Medicorum opera qui opiatas excitandæ explicandæque Veneri proprias architectantur & concinnant, quo ægri & corpore & animo dominabus sint gratiores: Nam hic judicio opus est, undeque frigidiores ineptique & insulsi, ingrati sunt salacissimo mulierum generi: *Consf.6. lib.3.* *Abusus calidorum ad tardos excitandos.*

353 Obiter unum notandum quod is *Tardus* dicatur, qui corpore & membris ineptus est & imbecillis ad Venerem, & ideo minus amabilis apud Dominas: Fatuus facile Venerem non explicat, id quod est meretricibus odiosum: Insulsus qui caret sale, non est salax & cupidus coitus: *Consf.6.lib.3.* Aliud est homo Insulsus, aliud Fatuus, ille caret sale & non excitatur facile ad venerem: Fatuus non potest facile explicare & explere. *Annot.in consf.66.l.3.* *Discrimen Tardi, Fatui, Insulsi.*

354. Aliquando non arrigit Verpus, alias arrigit, sed molliusculus est, sic non subit nec semen ejaculatur: Id fit aut vitio peculiari instrumenti, aut totius corporis morbo, aut seminis defectu, aut ejus inefficacia, vt minus turgeat & penuria spirituum laboret, & minus intentus maneat verpus: Videndum de ætate si congrua: an olim minus vel magis aptus fuerit: an proclivis ad libidinem, vt vetere vbertate quasi arefactus languerit, naturâque infirmior manus quasi dederit: Videndum quoque an naturalia non laborarint: an mercurii litum aut cinabrii suffitum passa fuerint. An vitio diætæ, vt si vinis albis & tenuioribus vsus fuerit, rebus liquidioribus, quæ quasi laxant & effœminant carnes & semen: assa enim carnem solidiorem reddunt: Scire oportet an parcius ederit vt sufficiat ad esse non autem ad robur: Item canones quidam observandi, vt loco & *Varietas causarum perpendenda ad curationem.*

tempore

tempore congrediatur, non crudus; alioqui ineptus erit; præcedente titillatione, vt sit ad Venerem incentivum & calcar: id fit retenta vrina & meiendi desiderio: Minus bona habitudo ineptitudinem istam conciliat, vel quia totum alimentum absumit: & non finit semen esse reliquum, vt succulentæ & εὐσαρκοι nutrices minus sunt aptæ, fiunt enim vasa angustiora & in viris & in mulieribus præ mole & pinguitudine, Denique videndum ne, quæ affertur infœcunditas aut impotentia, vt justa repudii causa, sit imaginariæ, & falsæ & mendacis amicitiæ testis: Sunt enim corpora quædam, quæ simul juncta, quandam habent antipathiam ad justam fœcunditatem & lætam, de qua sic loquitur *Plinius* Est quædam privatim dissociatio corporum, & inter steriles; vbi cum aliis junxere, gignant. *Conf. 6 lib. 1. Et 26. lib. 2.*

Congressus impotentia ob prægressũ nimiam Venerem.

355. Quidam annos natus xxvi ad Venerem ineptus erat explendam: non talis natura, sed quia primis annis pubertatis œstro libidinis excitatus sese exhauserat & confecerat: sic & instrumentorum erat quædam imbecillitas, intempestivo labore contracta, & aut minus aut inefficacius semen: Insulsus non erat, quia satis ad libidinem titillabatur; sed Tardus, quia venerem explicare non poterat, Eviratus erat, Quærit à nobis vt vir fiat. In hoc affectu considerandum, An defectus sit materiæ seminalis, an ejus vitium, An instrumentorum & vasorum spermaticorum, an ejaculantium, Magna hic prudentia adhibenda, nam nec nimis calfaciendus, (vt fit in aliis, quod frigidis convenit) quia ætas & temperamentum reclamat, & febris facile moveretur; Nec ad vulgaria remedia adigendus: nam vsu calidiorum flatus dissiparentur, quorum aliquis vsus est in exercenda Venere: Frigidiora nocerent semen extinguendo & nimium refrigerando: Balneum non conferet, metu effœminationis partium, ni incoquantur adstringentia ad robur partium: Clysteres cum herbis mediocriter siccantibus: Cassia, & quæ emolliunt laxando, non proderunt &c. *Conf. 20. lib. 3.*

Semen gignentia & id provocãtia differũt.

356. Notandum est semen gignere nihil aliud esse, quàm id, quod non est, producere; ad quod etiam pertinent ea quæ seminis multiplicandi vim habent: Provocare autem, est id quod in profundo corporis situm est, promovere, producere & emittere, ut sunt ea quæ ad libidinem excitandam instituuntur, alimenta calida, flatuosa, multùm nutrientia, & tota substantia familiaria, semen generant; item & medicamenta calida & flatuosa: nam ad generationem, aut extinctionem, non est satis si alimenta medicamentáque idoneis ad id instructa sint qualitatibus, sed præterea quandam totius substantiæ consensionem aut ejusdem dissidium adesse oportet: Provocant calida & flatuosa sine desiccatione: supprimunt frigida, non flatuosa & desiccantia. *Lib. de virg. & mul morb. cap. 10.*

In

In Hernia.

Ballonius.

357. Pro Ramice non valde probantur remedia per os sumpta, quicquid obganniant impostores, qui vocem facto sublimiorem habent, Pulvis tamen probari potest post usum topicorum, de quo Fernelius in lib. consil. egit. *Cons.* 27. *lib.* 3. *Interna remedia inutilia.*

358. Ramicosi colicos dolores facilè patiuntur, id fit ob ligaturas & subligacula adstringentia : item aliquod vitium est in conformatione, in mesenterio & intestinis : fit æstus in intestinis, flatus generatio & impetus, alvi durities, vnde caloris incrementum, imò motus περισταλτικὸς intestinorum vitiatur quodammodo, & ob flatus vernatulos calida ventri admoventur, hinc calor, hinc alvi durities, & egestio laboriosa quæ intestinum expellit. *Ibidem.* *Ramicosi cur colica obnoxij.*

359. Cuidam familiaris erat prolapsio intestini in inguen, forte ilii bubo venereus oboritur, suppuratur, aperitur scalpello pars : ita dum cicatrix obducitur, ita firma fit pars, vt via præclusa sit descensuro intestino. *Paradigmate* 25. *Hernia sanata post abscessum in inguine suppuratum & cicatrice obductum.*

360. Ramicosus quidam vomit assiduè, Intestinum reponi nequit, fotus, litus, demum contulisse visus est clyster ex vino malvatico cum hiera:tandem contra spem repositum:nam Chirurgus paulatim, eaque assiduè contrectatione, sensim atque sensim reducendo, spem fefellit : Sic conatus assiduus & perseverantia malum tandem vicit. *Lib.* 2. *Epidem. & Ephemer. pag.* 263. *Hernia desperata continua & pertinaci contrectatione reposita.*

361. Cuidam cultello aperta Hernia aquosa fuit : hinc in gangrænam, dolorem intolerabilem & delirium incidit; mors expectabatur: Excluditur multa aqua per vrethram, concisa magna pars gangrænæ, convaluit. *Parad.* 80. *Hydrocele ferro aperta gangrænam pene lethalem induxit.*

In Genitalium affectibus.

Ballonius

362. Cuidam factus in Scrotum abscessus cum prolapsione intestini, intrepidè moliti sumus suppuratum, etiam in partibus istis quas tam facilè putrere dicimus, sed credibile quod in ijs multus est ca- *Abscessus ad suppurationem innoxiè deductus.*

 lor

lor nativus, qui impedit quominus, juxta omnium opinionem, tam facilè putredo accersatur, nisi fortè materia sit valde cacoëthes. *Epid. lib. 2. pag.* 170.

Phimosis curationem chirurgicã non semper requirit.

363. Filio N. contigit affectus qui Græcis φίμωσις dicitur; à causa procatarctica fuit, nam cum pruritui satisfacere volens partem defricaret, vlcusculum contigit: neglectum verò diuturnitate cicatricem callumque contraxit: hinc restricta coactáque cuti glans detegi non potest, fit & ex carnis incremento, vnde coalitus sequutus fuerit: In hoc adolescente suspicio magna fuit vlceris, quanquam & à natura visa est hæc pars aliquantum imminuta: Ad finem glandis vlcus erat ἰχωρῶδες, detersum est & curatum: Tandem spongiolæ sunt inditæ angusto meatui vt is magis pateret: parum profectum est: cogitabatur de amputatione aut incisione recta præputii flaccidioris & oblongioris: Res in aliud tempus dilata est: nil molestiarum afferebat, at metus erat ne non corrumpere virginem posset: nec id abs re, angustus enim valde meatus est: Dum hæc agitarentur, occurrerunt duo eandem φίμωσιν gestantes, qui in eadem palæstra venerea se non minus strenuos & aptos quam reliquos affirmarent: & alter jam quinos liberos ex uxore susceperat. *Consf. 9. lib. 2.*

CAU-



CAVTIONVM, ANIMADVERSIONVM ET OBSERVATIONVM PRACTICARVM

LIBER IX.

Continens eas quæ Affectus Muliebres & Infantium spectant.

Ballonius.

Mulieres cur morbis sunt magis obnoxiæ quam viri.

1. Ulieres vino deditæ maxima ex parte à cibis abhorrent, & morbis detineri solent curatu difficillimis: Arthritidi sunt obnoxiæ, contra *Hippocr.* séntentiam: Catarrhodees sunt, doloribus capitis opportunæ: An quia corpus earum est δυσδιαφορητόν? & idem non contingit viris, præsertim quibus cutis spiracula patent: Admirabile enim est illud quod scripsit Hippocr. lib. de Alim. Raritas cutis ad perspirationem; quibus amplius aufertur, saniores sunt: Densitas cutis ad perspirationem, quibus minus aufertur, morbidiores: Qui probe perspirant, debiliores & saniores sunt, & à morbis facile reconvalescunt: Qui male perspirant, priusquam ægrotant fortiores sunt: ubi autem ægrotarunt, difficilius à morbis reconvalescunt: *Epidem. l. 2. p* 221.

Morbi muliebres ali-

2. Errant Medici curantes morbos Viriles ut Muliebres, mulierum

ter ac viriles curandi. rum genus veretur suos morbos detegere præ inscitia & pudore: initia & progressus ignorantur, hinc morbi obstinati & versipelles. *Conf.* 40. *lib.* 3. *p.* 131. Laborant mulieres, laborant & viri: sed hos acutiores morbi affligunt, illas diuturniores: huc enim facit & proventus excrementorum & temperamentum frigidius, excrementa facilè superfluunt ac congeruntur, tum ob sedentariam desidemque vitam, tum difflatus prohibitionem, unde exuviæ facilè retardantur ac resistunt: Est autem & illis densa cutis, & internum corpus obstructionibus intestinis facilè patens, quod morbis & fovendis & producendis occasionem porrigit: Sed ut facilè in morbos incidunt & diu fovent, ita non æque facilè fato defunguntur ac viri; est enim consentaneum occasionem non esse præcipitem in morbis mulierum ut in virorum morbis, cùm corpus virile faciliùs inaniatur liquescatque quàm muliebre: occasionis autem celeritas in arte medendi, ex perenni illo effluvio & dissolutione pendet, &c. *Lib. de virg. & mul. morb. cap.* 3. *p.* 18. & 19. Huc accedit quod diutiùs foveantur ob vernaculam earum infirmitatem, & sæpiùs advocentur ob nativam ingenij imbecillitatem, quæ illas ad arcendas morborum tempestates minùs tutas reddere consuevit, &c. *Cap.* 4. & 5. *ejusdem libri. p.* 129. *Annot.* 1. *in hist.* 2. *lib.* 2. *p.* 107. *Eadem histor. pag.* 88. *conf.* 79. *lib.* 3. Non sufficit nosse mulierem esse frigidam temperie sua, sed ἰδιοσυγκρασίᾳ quadam venanda fuit, ob quam tot tantisque morbis genus muliebre implicetur, quærendo an id peculiari temperamento dandum esset, annon etiam moribus, vitæ instituto & animi perturbationibus, quæ ad proclivitatem in morbos maximè conferre solent. *Lib. de morb. virgin. & mulier. cap.* 3. *pag.* 24. Hippocr. l. de morb. mul. docet mulieres ob mollitiem, raritatem & fluxilitatem morbis obnoxias: Nam spongiarum instar facilè partes molles aliquid admittunt. *Ibidem, annot.* 10.

Vterus an omnium morborum muliebriũ author.

3. *Hippocrates L. de Loc. in Hom. Est* inquit, *fœmineo generi pars vna, vterus, omnium morborum virgineorum ac muliebrium seminarium ac radix,* Quod fortassis indistinctè & minùs plausibiliter, præsertim apud eruditos, pronuntiatum est: mulierculis id placere potest, & ignaris medicis; ex quibus illæ quicquid obvenerit, quicunque sit affectus, vel etiam si in minimo digito sectio sit aliqua, mali authorem uterum contendunt, sylvamque remediorum paratam habent, tanquam πολύχρηστον, sed utero soli dicatorum: Hi verò ignari loci, non longè ab istis fallacibus mulierculis divertentes, quicquid mali contigerit, hujus remedium ab uno coitu frequenti repetunt, quod uteri languor & neglectus cultus, omnium in virginibus aut viduis morborum causa esse videatur: Itaque Vteri ipsius ratione varias ægrotationum species & imagines animo fingunt

fingunt, quarum nulla in viris conſpici ſoleat, cùm ij utero careant, affectuum iſtorum penu ac ſeminario: Quod autem uterus ſuas affectiones proprias & vernaculas habeat, id nemo negaverit, cùm nulla ſit in corpore pars quæ à morbo libera ac immunis eſſe poſſit: ſed tot morborum ideas utero uni affingere, hoc φανταστικὸν & portento ſimile eſt: Si enim mas & fœmina nullo diſcrimine diſtinguuntur, Galeni ſententia cap. 6. lib. 14. de uſu part. niſi quod in fœminis illud lateat includatur que quod in viris promitur ac editur, cur non ab illa parte quæ in viris prodiit foras, quæque voluptatis, ut & uterus in illis, promptuarium quoddam eſt, tot morborum genera derivabuntur? &c. *lib. de virg. & mul. morb. cap. 3. p. 19 & 20.* Sed per ἐξοχήν τινά uterus omnium morborum author dicitur, *Ibid. cap. 6. p. 50.* Quod Hippocr. dicat uterum morborum muliebrium cauſam, id intelligi debet quatenus eſt ἰδιοσυγκρασία muliebris per ſympathiam aut συμπάθειαν vteri. *Conſilio* 55. *lib.* 3. *pag.* 159.

4. Corpus totum utero omnino ſimile eſt, ait Gal. Aphor. 62. lib. 5. Quæ ſimilitudo in duobus intelligitur, in vaſorum conſtructione & excrementorum proventu: Si enim corpus reliquum temperamento frigidum ſit, vaſa anguſtiora eſſe conſentaneum eſt, & proinde obſtructionibus patere, nec non excrementorum proventui: Idem quoque utero contingit, nam & frigidiuſculus eſt & venarum anguſtiam habet, ſubindéque excrementis & obſtructionibus pervius eſt; nam totum corpus utero ſimile eſt; Alij eam ſimilitudinem intellexere de conſenſu cum alijs partibus: cùm omnibus ferè cum corporis partibus uterus conſentiat, quod ex magnitudine vaſorum Galenus collegit; hæc ſimilitudo à nobis explicata, nunquam alijs partibus reliquis tribuitur: nam ſæpe corpus capiti non eſt ſimile nec caput corpori, utero autem peculiari modo hoc conceſſum eſt: *lib. de virg. & mul. morb. cap. 6. p* 51 *Similitudo totius cum utero qualis.*

5. Mulieres decolores (quibus etiam bonus ſanguis trahitur è vena) & cacochymæ, malè habent à detractione ſanguinis, ratio eſt, quia capillares venæ ſunt plenæ virulento & feroſo ſanguine; & eſt morbus in habitu corporis, eo modo quo in Elephanticis: & incumbendum videtur in habitum ipſum, nam cùm peſtifera morbi vis in habitum ipſum ſit rejecta, toties demere ſanguinem è majoribus vaſis, calorem ipſum nativum eſt imminuere. *Epid. lib.* 1. *pag.* 111. *annot.* 14. *Mulieres decolores malè habent à detractione ſanguinis.*

6. In mulieribus fertilibus, quas Hipp μνησιτόκους vocat, audacter ſanguinem mittimus cùm definunt utero geſtare. *Conſ.* 91. *lib.* 3. *p.* 36. Cuidam cùm olim fœcundiſſima foret, utcunque per ætatem geſtare defineret; eſſet tamen reſtibilis fœcunditatis, deſiit eſſe menſtrua, unde aphthæ in ore, ſiccitas, calor thoracis &c. tempera- *Mulieri per ætatem ſterili crebrò vena ſecãda.*

mento erat sanguineo, consultum est ut bis terve anno vena incideretur, eóque frequentius ex Hippocr. lib. de superfœt. quo fœcundior fuit: natura enim solita erat multùm sanguinis absumere in nutritione & formatione fœtus, nam molestior & periculosior erat ei mensium suppressio (licet naturalis) quàm si sterilis fuisset, ob consuetudinem & generandi multi sanguinis & foras in enixu emittendi, & nisi de demenso solitoq́ e cibo detrahatur, ægrotabit, ut ij quibus crus est mutilatum & dysenteriæ cruentæ sunt obnoxij, par enim est propemodum ratio: Solus namque sanguis temporarium sumit incrementum, ait Plinius, cap. 38. lib. 11. & citissimè generatur, siquidem hostiæ abundantiorem fundunt sanguinem si biberint, id etiam & nutrices docent, in quibus tam facilè & lac evanescit & exuberat. *Consil.* 100. *lib.* 3.

Betonica vires in affectibus uterinis.

7. Vires habet opinione majores Betonica, unde natum Italorum proverbium, Tu plus potes quàm ipsa Betonica: ad nullum non potest usum aptari, uterum purgat, corroborat, conceptum retinet, utilis est prægnantibus, quibus alba sordidáque illuvies ex utero manat, menses ciet &c. *Annot.* 25. *in hist.* 2. *lib.* 2. *consil.*

Columella in Sinu Pudoris.

Vteri Gangræna.

Ballonius.

Columella in Sinu Pudoris.

8. Recens nuptæ dolor ad sinum pudoris, ulceratio aliqua, caruncula increverat, accusatur maritus, tandem reperiunt affectum esse eum quem Hippocr. vocat Columellam: sub finem lib. 2. de morb. mul. *Epid. lib.* 2. *pag.* 152.

In vteri Gangræna, vterus potest abscindi, vbi ea sisti nō potest.

9. Si vterus Gangræna corripiatur nec ea sisti possit, sed in sphacelum abeat, vterus abscindendus erit, aut si mulier abscissionem, quæ ferro fit, reformidat, ligatura præscindi & auferri potest, quæ indies nova & arctior fieri debet: contigit enim nobis videre mulierem, cui post octavam ligaturam, sensim sine sensu, per aliquot dies arctiorem factam, vterus excidit: Quod verò sine vitæ periculo abscindi possit, Medicorum observationes docent & authoritates: Si tamen post vteri sectionem & abscissionem, totum quod putruit & gangræna vitiatum fuit, auferri non possit, ne pars sincera trahatur, i. e. ne putredo altius serpat, caustico medicamento, aut ferro candenti, pars quæ putrida vrenda erit, sed magna cum cautione, ne ob vteri cum omnibus corporis partibus consensum, gravissima & formidanda sequantur symptomata, puta convulsiones & hæmorrhagiæ. *Annotat. vltim. in cap. vltim. lib. de virgin. & mul. morbis.*

In

In Chlorosi.

Ballonius.

10. Difficile iudicatur in quo Febris hæc Virginalis consistat; Si est obstructio, cur aliæ febres ab obstructione non habent eadem symptomata, gressum difficilem & alia? cur non color olivalis in aliis febribus? si allegatur virginum ætas (nam à 7. anno & seq. morbus oritur) cur mares juniores, quibus debet esse hæmorrhagia ijs virginalibus symptomatis non prehenduntur? aliqua quidem experiuntur mala, sed quæ cum fœdorum colorum incommodis gravitate & vehementia non ausint contendere: An quia instat tempus menstruum, & natura, quia vellet intendere extretionem istam, nec potest, intestinum quoddam & cœcum quoddam fit bellum, omnium malorum author: An quia marium & mulierum morbi longo distant intervallo? Non videtur iste motus mensium causa, nam & septennes virgines decolores fiunt, celerius virgines quam mares ægrotant isto morbo, vt extra vterum facilius crescunt & adolescunt, vt sanguis non requiratur ad incrementum; cum jam satis idoneum habeant: Quidam morbi sunt nervorum, venarum alii, musculorum alii, carnium alii, alii arteriarum: Sic morbus, i. e. ea febris virginalis, fœdo colore comitata, in arteriis sedem potius habet, & iis, quæ ad splenem pertinent, vnde lienosum cor habere dicuntur, & saliens, & καρδιογμὸν, i. e. celerem motum cordis & palpitationi similem, sæpe ob sanguinis φθορὰν, λύσιν καὶ ἔκστασιν: sic Hipp. in *Coacis* ait decolorem faciem cum gressu difficili spirandique difficultate, & desiderio rerum alienarum, significare sanguinis corruptionem & exolutionem, φθορὰν καὶ λύσιν. *Conf. 7. lib. 3.* *Morbi idea inquo consistat.*

11. In fœdatis virginibus sæpe hypochondriacum aliquid est, nam & ructus, & borborygmi, & sitis, & hypochondriorum tumores inflationesque, ventriculi inappetentia, malaque coctio, repletio facilis, marmarygæ, aurium sonitus &c. satis declarant subesse aliquam affectionem hypochondriacam: Ac, cùm & cruditates primam hypochondriacæ occasionem dent, & phlogosis quædam, in virginibus fœdatis hypochondriacam parit potius cruditas & cacochymia: Quod si hoc verum, non erit vtendum illis remediis quæ phlogosi debentur. *Lib. de virgin. & mul. morb. cap. 7. pag.* 133. *Chlorosi hypochondriaca affectio sæpe iungitur.*

12. Promiscuum est aliquid in virginum coloribus fœdatis, ex melancholia, morbo, ictero, splenitico affectu, atrophia, cachexia & Eroticis: Nam hæc morbum statuunt ab Avicenna *Iliscia* vocatum: *Chloroseos cura difficilis.*

Quid

Quid ergo hic agendum in affectuum, causarum, symptomatumque hac concursione? An curatio promiscua esse debet, vt nihil hic privatim dicatur, sed curationis partes distributæ ad singula affectuum capita revocentur? Ac, me hercules, involuta admodum morbi hujus cognitio, ut verum sit quod scribit Hippocr. corpus nec principium nec finem habere, Quod de morborum causis intelligendum, de quibus sæpe dubitamus an his an illis partibus tribuendæ sint. *lib. de virgin & mulier. morbis pag. 64.*

Præter manifestas causas abdita aliqua latet.

13. Videmus cachecticas & decolores virgines non juvari aut sanguinis detractione aut purgatione (licet vtrumque queat vsurpari, sed curatio non inde pendet) balneæ naturales & crocus martis, miraculo curant: Est enim latens aliquid quod nonnisi medicamento virium latentium exigatur & depellatur: fidem quoque facit quod cachexia ipsa in leucophlegmatiam aut elephantem degenerat ac terminatur. *Consilio 67. lib. 3.*

Multa symptomata comitantur quibus propria cura debetur.

14. Quicunque legitimam fœdorum colorum curationem instituere volet, ei multa consideranda erunt, vt non tam in vnius affectus curam incumbat quàm multa symptomata inspiciat quorum quodque Medici consilium ad sese convertet; nec enim tam symptomatis quàm morbi rationem præ se ferunt. *Cap. 7. lib. de virg. & mul. morb. pag. 111.*

Curatio prudenter instituenda

15. Animadvertant quoque ij qui fœdatis virgunculis operam aliquam sunt navaturi, cautos sese hic gerere oportere, ac fortè sequendum consilium Galeni cap. 3. lib. 12. meth. & cap. 7. lib. de sang. missione, quod in succorum crudorum abundantia proponit, vt nimirum & in frictionibus consistamus & in unctionibus mediocriter calefacientibus & potibus crassitudinem humorum incidentibus; sed ita res sunt temperandæ, ut nec valde calefacientia, nec impensè attenuantia usurpemus. *Ibidem. pag. 95. & 96.*

Agendorum indicationes non in omnibus eadem.

16. Et ut nocet plurimùm in arte medica exactam nimis methodum sequi, quod agendorum cognitio sit valde difficilis: ita in fœdis coloribus, est ubi secanda vena purgandumque est, est ubi negotium naturæ tradendum, & est sæpe locus medicamentis aperientibus, detergentibus, rarefacientibusque, idque pro re nata. *Ibid. p. 98.*

Hypochondriorum palpatio fallax.

17. Ut communitas est consensióque inter fœdos virginum colores & Hypochondriacam Affectionem, item & Icterum, vt vel Hepar vel Lien, vel utrumque in vitio sit, utinam sagacitate qua & Galenus se vsum prædicat in dignoscenda affectuum sede ex solo colore, vti possimus, vt fœditate faciei inspecta de Hepate aut Liene constaret, ut ad tactum non concurratur, quo medici plerumque abutuntur, fatentes se contactu Hypochondriorum vel minimos utriusque visceris tumores & vitia & obstructiones consectari:

ri: hæc enim ludicra & inania sunt, ad deliniendum potiùs medicorum animum, una corporis mollis, lævis delicatique puellarum contrectatione inventa, quàm ut utilitatem aliquam afferre possint: hinc Galenus cap. 7. lib. 5. de loc. affect. aut summè extenuatos esse debere abdominis musculos, aut ingentem admodum inflammationem tumoremque esse debere antequam tactu deprehendatur ac manuum appulsu. *Ibid. pag.* 62.

18. Affectus hic splenicum quid habet, videas enim maximam Virginum fœdis coloribus laborantium partem quippiam in sinistro hypochondrio dolitans habere: cùm ex Galeni sententia cap. 2. lib. 5. S. l. Viscus hoc maximè indurari soleat, sanguine in isto viscere concluso, qui exitum liberum cùm non habeat, facilè duritiem afferat, indéque tumorem, mirúmne sit si de ea potissimum parte virgines querantur, & quæ patiuntur aliquid splenicum resipiant: Sive enim congestio fiat, sive refluxus ab imis ab superas partes, sive affluxus à superis in inferas, splen talia incommoda persentiscit, hinc imbecillitas, hinc durities: quod à nobis dicitur ne temerè affingamus semper splenis tumorem esse aliquem quoties quis de sinistro hypochondrio queritur, quod factitant Erasistratæi quidam nostra ætate medici, qui quum de dolore in alterutro hypochondrio audiunt, malè admodum comminiscuntur duritiem contractam: itaque si infirmitas in Liene contracta est, propter quam nequeat legitimè hepar repurgare, aut si durities est, aliud ineatur consilium; item & aliud cum febris adest, aliud cum eadem abest: ideo Gal. legitimæ Lieni medendi rationis summa attingens capita, primùm, si incidere, tenuare, reseraréque consilium est, ita temperatos nos esse vult ut ijs utamur quæ vim tenuandi citra manifestam qualitatem habent, ne vehementiùs succus calefactus incrassetur obturétque magis: quoniam verò spongiosa pars est Lien, cujus attrahendi facultas (quam tamen validam esse oportet, ut coloris suavitas concilietur heparque defæcetur) facilè hebescit ac mollescit, ita nativi temperamenti ratio tenenda est, ut quicquid moliamur, robur concilietur, alioqui humore nigro non profectò color malus fœdúsque corpori inuritur: *Ibid. pag.* 111. & 112.

Splenis ratio habenda

Sub fine lib. 3. de nat. fac.

19. In fœdis coloribus nescio quæ febris species apparet, non symptomatica, non essentialis, ut ad se medentis curam trahat, & quam non possis nominare: fit autem ob peculiare vitium aut lienis, aut hepatis, aut alius partis internæ; non tamen symptomatica dicenda est, cùm per se symptomatica curanda non sit, & habeat aliquam intermissionem: nulla autem symptomatica propriè dicta intermissionis particeps est: ac veteres quidem practici cùm inflammatio est in parte aliqua, febrem continuam symptomaticam appellaverunt,

Febris comitis natura obscura.

ſed cùm aliud peculiare vitium eſt in parte, quod febrem quandam lentam foveat, eam non dubitarunt lienoſam meſentericamque appellare, ut eo nomine nos invitent ad dicandam illi parti operam, tollendumque vitium quod morbum tamdiu fovet; & hæc febris verè eſſentialis non dicitur, cùm febrium eſſentialium fundamentum in humoribus maximè ſtabiliatur, qui ſi fuſi ſunt per majora vaſa, ſynochos continuáſque febres efficiunt, ſin per minora, ut habitum corporis, ferè contingant periodicæ, *Ibid.pag.*100.

Diæta quàm medicamẽtorum potior ratio habenda.

20. Pharmaciæ Diætam anteponimus, quod illius uſus vix commodus eſſe poſſit, nam cùm vel extenuatio magna cũ virore adeſſe ſoleat, quandam *ἀτροφίαν* exprimens, vel tumor colorq; plũbeus cacochymiã cachexiamque adumbrans, in neutro audacter medicationes uſucapiendæ ſunt: de cacochymia illud Hippocr. aph.36. lib.2. audiendum, qui pravo utuntur cibo per medicamenta evacuati citò exolvuntur, quod paucos bonos habeant ſpiritus & calorem imbecillum: deinde dum pravi humores exagitantur, tetros efferunt ex ſe fumos, à quibus leipopſychiæ inducuntur: 3. dum humores vitioſi per partes ſenſibiles deferuntur, pungunt feriúntque, unde verenda ſequuntur ſymptomata: minus verò extenuatum corpus pharmacis vexandum, impensè enim corpora hujuſmodi à medicamentis calidis divexantur, unde major marcor inducitur & tabes: *Ibidem pag.* 77. & 78.

Purgatio prudenter decernenda.

21. Cùm non minùs ea quæ ſolet adeſſe infirmitas cum quadam extenuatione, à Pharmacis nos debeat avertere, quàm ad eandem adducere tumida quædam moles cum pallore & cacochymiæ, aut potiùs cacoethiæ & cachexiæ, ſignis copulata, videamus, quid ea de re Hippocr. parte 115. lib.4. acut. literis prodiderit, *cognoſcere oportet quam ob cauſam quidam dolore capitis teneantur, item decolores, raucos, lienoſos, exangues: item quibus contenta hypochondria, præterea morbo regio laborantes, quorum venter cruda egerit*, deinde ſubdit, *nulli horum medicamentum propinato*: qui locus ad fœdatas virgines pertinebit, nam & hæ graviſſimis capitis laceſſuntur doloribus, præſertim verò *ἑτεροκρανίῃ*: ſunt lienoſæ, ut ſupra docuimus, decolores ſunt & exangues, diſtenta hypochondria maximè habent, ictero que, cum cruda ventris egeſtione, deturpantur; itaque, decreto Hippocr. purgatione interdici debent, multò magis & venæ ſectione: *lib. de virg. & mul. morbis cap.7.pag.*82. *&* 83.

Si ἄχροια non eſt purgandum, imò ſi κακόχροια.

22. An *ἄχροοι* & *λείφαιμοι* purgandi vide librum 3. *Articulo* 29.

23. An lienoſæ purgandæ vide librum præcedentem *Artic.*134.

Lienis affecti cauſa

24. Vt in melancholicis morbis aliquando purgationes officiunt plurimùm, præſertim cùm in mala partium diatheſi potiùs quàm in copia materiæ morbus conſiſtit, ita in fœdatis utrumque conſiderandum, nam aliquando neſcio quæ diatheſis & prava impreſſio in partibus

partibus spectanda est, aliquando humorum copia; fit enim aliquando ut & alvo sint satis libera & humorum superfluorum nulla sit significatio, cùm tamen gravissimè laborent, hic purgare, movere, agitare nefas est, itaque si lienis malè affecti signa sunt, si alvus adstrictior, de ea solvenda cogitandum est: ferè fit autem ut splenici alvum adstrictiorem habeant, maximè verò si lien ipse, aut vasa ad eum attinentia, cujusmodi est vena quæ à porta in lienem porrigitur, aut quæ à liene in ventriculum tendit, sint inflammata, aut obstructa, aut angustiora reddantur & conniveant. *Lib. de Virg. m. pag.116.*

an purgandum. Potiùs alterandum quàm purgandum.

25. In fœdis coloribus cum febre quadam lenta & obstructione junctis, immedicabiles capitis dolores oriuntur, quibus tollendis medicorum opera nihil planè contulit; illi à vapore elato & à febrili calore suscitato surgunt: Hippocr. loquens de diuturnis doloribus cap.115. ibidem, ait *si caput purgaveris magis affliges*: hoc autem evenit cùm materia adhuc cruda est: nam si dantur pilulæ, aut alia medicamenta valida, & validè humores è capite abducere solita, dum movetur humor, poste crudus, magis ferocit atque irritatur, itaque expectandum donec mansuescat, ita enim medicamento trahenti parebit: de iis Hippocr. lib. de loc. in hom. dixit, *febricitanti caput ne purgato, alioqui furiosus fiet*: quod diligenter notandum est, ne frustra in fœdis coloribus pilularum cephalicarum usu capitis dolorem rebellem profligare tentemus: nos enim asserimus id frustrà sæpe tentatum à medicis, qui non habita ratione doloris capitis, virgines affligere soliti, ad pilulas confugerunt, dolorem auxerunt, nedum sustulerunt, imò ne lenivere quidem: *Ibid. pag.* 83.

Capitis dolor comes purgantibus præsertim pilulis irritatur.

26. Hippocr. 1. de morbis admonet splenicis alvum valde turbatam conferre, sed addit, splenicis à pituita albâ detentis; hinc colligas fœdatas virgines agitandas medicamentis; sed intelligit moderatos alvi fluores utiles esse, ad excretionem pituitæ albæ in venis contentæ, quæ priùs hydropem accerseret quàm coqueretur, *Ibid. Annot.9.p.149.*

Quibus splenicis purgatio præscribenda.

27. Notandum initio morbi non probari usum Sennæ orientalis, quod crassorum humorum proliciendorum vim habeat; at id initio facere non juvat: differatur ergo ejus usus, atque existimo maxima ex parte fœdatas virgines ut incuratas relinqui, quod temerè nullâque methodo morbi curatio suscipiatur, at hic methodicos maximè esse oportet, *Ibidem pag.116.*

Senna usus initio noxius.

28. Nec valde probantur ea quæ majore leniendi facultate pollent, ut sunt cassia & catholicon, hæc enim, præsertim cassia, suo virore ventriculum subvertunt ac molliunt. *Ibidem pag.117.*

Cassia & catholicon noxia.

29. Syrupus rosarum pallidarum in usum venire non debet, nisi constet proventum esse seri, quod ἰχῶρα Græci vocant, quod ut plu-

Syr. rosar. quando locum habeat.

rimùm cutim defœdat & vix gratiam naturæ recipit: *Ibid.pag.*119.

Hiera minè confert.

30. Inter cætera purgantia laudatur pulvis hieræ & confectio ejus, nisi forte febris impediverit; si symptomatica, non impediet: sin essentialis, major causa dubitandi esse debet: confectio autem suspecta esse magis debet si dolores capitis adsunt, recipit enim multa aromata, quæ omnia penè gravitatem capiti afferunt; ex hieris autem ea laudatur quæ Galenum authorem habet, non quæ Nicolaum, *Ibid.pag.*118.

Enemata crebrò infundenda.

31. Præ cæteris juvat frequens usus Enematum, quoniam enim malum contumax est, & nonnisi temporis successu remediis cedit, tum ut ne in malam consuetudinem corpus adducamus, ventriculum lædamus, de cujus dolore querulæ sunt virgines, tum ut ne nimiùm simus ægris molesti, hypoclysmatis locus erit, atque id maximè fiet, quod in vitiis lienis & hypochondriorum eorum usus sit peropportunus. *Ibidem pag.*120.

Vomitus quandoque conducit.

32. Si ventriculus afficitur collectione aut affluxu colluviei humorum, aut consensu lienis, conferet vomitus jejuno stomacho. *Ibidem pag.*123. Aurifabri filia annos duodeviginti nata sexennio ferè fœdos colores patiebatur: nil artis remediis contra contumax malum proficitur: dum peregrè profectura curru succussorio devehitur, nauseabunda tandem vomit incredibilem humorum variegatorum copiam: animam agere videtur: intra quatuor quinquéve dies deperditus faciei color recuperatur, nulla ope medica, sed solo vomitu spontaneo revocatus: ut mirum non sit si tantopere in omni repletionis specie vomitiones Hippocr. commendaverit: *Ibid.pag.* 76. & *Paradigmate* 137.

Vena sectio quando locum habet.

33. An venæ sectio ex usu est? cùm in ea affectione, aut alimenti defectio sit, aut ejusdem, cum mole corporis, crudi aut corrupti & sanguinis limites infra supravè excedentis, excessus aliquis, plenitudinem ad vires potiùs quàm ad vasa inducens, non præter rem ea de re quæritur: pura plethora tutò sectione tollitur; in impurâ cunctantiùs agendum, parciùs verò atque restrictius quò impurior fuerit: nam Galenus, cap.4.lib.4. de tuenda valetud. de lassitudine vlcerosa disputans rem definivit, *videndum, ait, an lassitudo cum sanguinis copia sit, an cum crudis humoribus, an per se solus consistat vitiosus humor lassitudinis author, nam si est cum sanguinis copia, aut secanda vena, aut aliquid suppar agendum, vt provocanda hæmorrhois aut sanguinis fluor, quod si vitiosi tantum succi, hique citra sanguinis copiam, purgatio tentanda est: sin crudi humores, mitificatione domabuntur.* Cæterùm si corpus virginis probè sit constitutum, sed aut interno vitio, aut victus errore cacochymia contracta est, huc vsque tantùm demendus sanguis, dum plenitudinis metus vitetur: calida biliosáque plenitudo, tutò sectione venæ minuenda, ob eam maximè

quæ

quæ inde ſequitur refrigerationem: melancholica parciùs: quod verum quidem ſi refrigerationem ſpectes, quæ tanta non requiritur quanta in ſuperiore biliosa, ſed ratione aut humoris fœculenti multi, calorem obruentis; aut aduſtionis modo geniti ſucci melancholici, ut in iis contingit qui olim fuerunt floridi & prærubri, ſanguine prædominante, temporis autem ſucceſſu, corporis prohibita difflatione, melancholici redduntur: ſed inter cæteras in pituitoſa reſtrictiores eſſe oportet, cùm enim humor ſit frigidus, ſectione duplicatur frigiditas, hinc difficultas coctionis ſequetur: accedit quod huic maxima ex parte comes ſit virium imbecillitas, quæ vacuationem iſtam diſſuadet, & cùm morbus longus ſit, temporéque egeat ad mitificationem, aut ſectionem venæ differimus, aut eam parcè celebramus: quod autem in copia crudorum humorum vires langueant, manifeſtè Galen. cap.9.lib. de S.m. explicat, docens illam impedimento eſſe quominùs ſanguis mittatur, idque ratione virium: non tamen quoties à copia gravantur vires, à phlebotomia deſiſtendum, ſed ſi humores ſunt laudabiles qui gravant, & pulſus inæqualitatem afferunt, neceſſariò ad phlebotomiam eundum, non item ſi oppreſſio ſit à crudis ſuccis: quanquam infirmitas omnis per ſe non diſſuadet phlebotomiam, ſed ea maximè quæ ab exhauſto eſt, quæ à ſuccorum pondere aut copia, nonniſi homonymôs, in quo pulſus maximè ſunt obſervandi, nam ſi inæqualitas eſt, ut modò magnus, modò parvus, modò tardus, modò celer, frequens aut rarus, mollis aut durus, videndum an plures majores, frequentiores, duriores, ordinati, an contra; & his obſervatis de virium non præſentium, ſed potiùs futurarum ſtatu conjectari oportet: atque hic prudentia medicorum elucet: ac de cruditate & ejus ſignis, præſertim cùm redundant crudi ſucci, qui turgentes præ copia periculum fortè tranſlationis crearent, abundè Galen. lib.4. de ſan.tuenda, cap.4. *Sic ubi corpus albidius, pituitoſum humorem arguit: item videas ceu plumbi colorem, vel miſtionem albi lividique, vel lividum ſolum: ergo hi colores crudos dominari ſuccos ſignificant, qui cùm de genere ſint pituitæ, minùs tamen humiditatis habent quàm ea quæ publicè nominatur pituita, plerumque ei nec lentor ineſt: ſanguis autem velut medius eſt inter biliosos & hos crudos: illi & ſanguine nimirùm cocto ſunt, hi ex eo nondum ſatis cocto: itaque de pituitæ natura participat: & quoniam variæ ſpecies ſunt, prout vel ſupra vel infra ſanguinem reſtitutum, vel ultra proceſſum eſt, audacter mittendus ſanguis: ubi plus, conſideratius agendum: ubi plurimùm, in his nullo modo mittendus ſanguis: inſpicies quantitatem; ut ſi bonus ſanguis paucus ſit, reliquus ſuccus multus, à ſectione temperandum: ſin bonus multus, ſuccus paucus, audacter ſecandum:* hinc idem Galenus partic.43.ſect.3. lib.6. Epid. *Quibus copioſus ſanguis & nondum inſigniter in alterius humoris naturam verſus, audacter detrahendus*

trahendus : contra agendum si jam mutatus est : Ibid.pag. 187.

An in cacochymia vena secāda. 34. An ubi paucus sanguis bonus & reliquus succus multus à phlebotomia sit temperandum. *vide lib.*4.*Artic.*6.

An in cruditate sanguinis vena secanda. 35. An in cruditate sanguinis vena sit secanda. *vide eodem lib. Artic.*7.

An vena secanda si cruditas, plenitudo an vires & febris illi iungantur. 36. An si in fœdis coloribus & cruditate plenitudinéque ad vires febris jungitur, ratione febris phlebotomia suscipienda, *vide eodem lib. Artic.*9.

Vena sectio confert in præsentia febris 37. Si febris ægras virgines detineat, cujus occasione humores corrumpuntur magis, ut diffletur calor qui in corpore squalente & minimum perspirabili continetur, non erit sanguinem mittere alienum, ídque partitò, si iterare consilium esse debeat, nec unam evacuationem paulò largiorem sustineat : *L. de Virg. & m. m. pag.* 113. & 114.

Quæ vena secanda. 38. Quibusdam placet venam quæ inter minimum digitum & annularem decurrit, aperire, ut minor virium jactura fiat, nonnullis veterinariorum morem sequentibus, videtur legitima aut apertio aut scarificatio venarum quæ ad lienis regionem sitæ sunt, hæc autem topica potius sunt. *Ibidem* 114.

Valde calfacientia & attenuantia suspecta. 39. Cùm sit crudorum succorum abundantia, ita res sunt temperandæ ut nec valde calefacientia, nec impensè attenuantia usurpemus, nam ab illis febris aut accersitur aut accersita augetur, indéque major vis facultatibus infertur: ab iis verò periculum majoris obstructionis affertur & tumultus violenti, & quod in pituitosorum humorum copia Galenus cap.3.lib.12.meth.& cap.7.lib.de S.M. facit, abstineas à diureticis & iis quæ sanguinem fundunt ac liquant, id ipsum sequendum est, cùm iis quæ coquenda sunt magna & subita agitatio non quadret. &c. *Ibid.pag.* 96. Probamus diuretica, aut uretica potiùs, ne error contingat quem observat Dom. Rondeletius de cachectica & pallida virgine, quæ Paralytica facta est usu diureticorum, non priùs exactè liberatis obstructionibus: *Consil.*35.*lib.*3.

Consulendum vitiis hepatis & lienis. 40. Et quoniam sæpe vitium in gibbis hepatis, sæpe in simis, sæpe in corpore ipsius lienis, studendum ijs partibus, atque sequendum Aëtij consiliū, ubi ad simas hepatis decoctū laudat polypodij, mercurialis, chamæleæ cum absynthio, rad. cyclaminis: galli veter. decoctum: ad Gibbas, decoctum amomi, floris junci odorati, rad. gentianæ, cortic. rad. lauri, absynth. comam, spicam nardi, quinquefol. asarum &c. Ad lienem, veratrum, epithymum, polypod: scolopendr. &c. Et hæc remedia negliguntur à multis, quæ ab empiricis usurpantur magna cum laude, *Eodem capite, l. de v. & m. m. ann.* 25. *p.* 154.

41. De cura febris Epialæ hujus affectus comitis, *vide caput proprium lib. 5. de febribus, artic. 66. 67. 68. & 69.* *Epiala febris ferè comitis curatio.*

42. Crocus martis hoc in affectu primas tenet, unde remedia quæ eum recipiunt peculiarem vim habent ad fœdos colores & viſcerum infarctus contumaces: quidam infundunt certam hujus quantitatem in vino albo cum ſem. coriandri aut ligno aloës, & de eo propinant 4. aut 5. vnc. ſingulis matutinis. *Annot. 1. in conſ. 7. lib. 3. p. 82.* *Croci martis vis.*

43. Miraculo creditur fædos virginum colores tollere radix enulæ camp. in taleolas ſectæ, & vino albo maceratæ, valétque inter cætera in antiquis obſtructionibus, *lib. de virg. morb. cap. 7. pag. 120.* *Enula campana vis.*

44. De vſu juſculorum crebrò quæſtio eſſe poteſt, cùm ſanguis ſit ſeroſus; nam cùm tumeat caro & leucophlegmatiam minetur, frequens juſculorum vſus videtur abſurdus: ſic eſt quædam eo in caſu ἀντένδειξις, nam æſtus internus eſt: *Conſ. 7. lib. 3. ann. 2.* *Iuſculorum vſus aliquando noxius.*

45. Aſſæ carnes ſolidiorem carnem præbent; ſed febris, incendium interius, ſitis, aliter ſuadent; hic judicio opus: tales virgines auriginoſum corpus habentes, ut & ij qui pravis ſcatent humoribus, famem & ſitim ferunt, quod maligno humore abundent qui iis inſtar pabuli eſt: ſic venenata animalia nec fame nec ſiti pereunt, quia in ijs nec calor, nec ſanguis, nec ſudor. *Ibid. Annot. 3. p. 80.* *Diæta qualis.*

46. In ijs omnibus quæ propinabuntur, aromaton debet eſſe paulò crebrior uſus, tum quod naturam roborent ſpiritus, illuſtrent ac recreent, & ventriculo robur addant, *l. de v. & m. m. p. 117.* *Aromatum uſus non noxius.*

47. Maximè verò hic ventriculi cura geri debet, quod ad ejus orificium dolorem ſentiant, ſæpe nauſeent, vomituriant, imò & ijs quodammodo cor fatuum, ventriculuſquè laxus & diſſolutus eſſe videatur. *Ibidem.* Illius quoque diſtributio ſæpe impeditur & coctio labefactatur, imminuitur, imò & corruptio fit chyli: cùm autem vel intemperies ſit, eáque calida aut frigida, aut ſicca aut inæqualis, eóque deterior aut humorum excrementitiorum cumulus, ſive per propriam affectionem ejus, ſive ob venarum lactium obſtructionem, unde diſtributio alimenti prohibetur, quod in hypochondriacis uſu venit, ſive ob refluxum humorum aliunde, (quod ventriculo maximè convenit ob capacitatem, ſed etiam facilè depellit, niſi adhæſus fiat) cauti erit medici hæc diſcernere: magni enim intereſt ſçire an actio ejus læſa ſit per propriam affectionem, aut ex eventu: In fœdis coloribus maxima ex parte ventriculo ſua eſt prima vernaculaque integritas, ſed afficitur aut collectione aut *Ventriculi ratio habenda.*

affluxu colluviei humorum aut consensu Lienis. *Ibid. pag.* 123. *Cautiones in purgando ventriculo vide cap. de imbecillitate ventriculi lib.* 8.

Balneum valet. 48. Ad fœdos colores ex Lienis obstructione summa ortos, Medicus nostras apprimè doctus, balneum instituit in quod recens mactati arietis intestina conjicerentur, *lib. de virg. & mul. morbis, cap.* 7. *pag.* 148.

Scabie liberata quadã à chlorosi. 49. Isto affectu liberata est quædam scabie multa oborta toto corpore, & præsertim in manibus, cum calore penè incredibili & intolerabili. *Eodem cap. Annot.* 27.*pag* 150.

Gravedo & ulcera in illis non curanda. 50. Magna adhiberi debet cautio cum virgines decolores aut gravedine laborant, aut cacoëthea habent in tibiis vlcera: hæc enim etsi mala sunt, juvant tamen, quia educitur materia quæ in aliam partem rapta novum affectum pareret. At optabilius est inveterato uno malo detineri, quàm novam suppeditare occasionem generationi novi affectus: & hoc ex Hipp. desumptum est, qui ait minus aut hoc aut illo modo affici Lienem in ijs quibus gravedo adest; quia, ut demonstrat Galenus, nunquam tam sui dissimile est corpus ut duæ partes æqualiter afficiantur. *Ibid. pag.* 147. & 148.

In Mensium suppressione.

Ballonius.

Quibus colorata facies facilius sanantur. 51. Decoloratio cutisque defœdatio, necnon rubor faciei ab una mensium suppressione potest contingere: quibus enim virginibus partes sunt robustiores, & calore nativo præditæ majore, qui non facilè copia sanguinis strangulatur, in ijs coloris bonitas, vituperanda tamen, visitur, & plenitudinis ad vasa metus est maximus: Sin partium infirmitas sit, caloris paupertas, præsertimque si servitutis jugo sub matribus addictæ vivant, ijs recursu sanguinis calor opprimitur, partes inficiuntur, & plenitudinis ad vires metus adest; Imò cachexia, hydrops, atrophia & lienis tumores alijs oboriuntur: cùm ista coloris suavitas est, suffusa rubore facies, à suppressis mensibus multò minus afficiuntur quàm quibus cutis maculatur: imò & multas jam pubertatis annos egressas, imò & nuptas vidimus, quæ nunquam menstruæ fuerant, incolumes satis vixisse, in solis quippe uteri venis prohibitio evacuationis consistit, quibus cùm consultum fuerit, eruptionis spes est major: has sectio venæ in malleolo juvat, usus apozematum aperientium; uni utero

referando operam suam addicentium, frictiones crurum; Sed antequam ad sectionem venæ in malleolo accedamus, sequendum est Galen lib. de sang. miss. consilium, de secanda venâ gibberi ad plethoram minuendam; nullus verò est qui sic affectis navare operam non possit, *Ibid. l. de v. & m. m. p.* 109.

52. Sed in ijs in quibus fœdata cutis, cautio major est adhibenda, nam si certis colligas argumentis menstruæ Purgationis tempus ingruere, & ob inanem naturæ conatum supprimi sanguinem, & ad superiora vergere, qui tandem & partes à quibus recurrerit, & eas in quas influxerit vitiaturus est & oppressurus, nil debet impedire quominus ad ea recurramus remedia quibus in citandis mensibus vulgò utimur, communis enim est ea curatio. *Ibidem.* *Difficilius quibus fœdata.*

53. Mensium recens suppressio sectionem quidem venæ hortatur, sed cùm morbus etiam ab ea suppressione natus jam affectus est, imbecilla est ea quæ à suppressione ista sumitur indicatio, nam contaminata est sanguinis molisque corporis œconomia, succrévitque cacochymia quæ ex se catharsin indicabit: *Cons.* 24. *lib.* 1. *p.* 155. Evacuatio suppressa & crudos & vitiosos humores potest inducere: Crudos dico, infra sanguinem subsistentes, Vitiosos & incoctos, qui vix naturæ gratiam recipiunt: crudos humores inducit, dum, refluxu humoris vacuandi, calorem nativum aut minuit aut strangulat: quod in mulieribus quibus menses non respondent videre est: nam pinguescunt & crassiores redduntur, copia crudorum humorum, præ caloris paupertate, in corpore succrescentium: Vitiosos item inducit humores, dum qui sanguis humorve supprimitur inficit reliquum corpus atque contaminat: Si Cruditas humorum, propriè dicta, adsit ob caloris inopiam, in coquendo & mitificando incumbere oportet: imò si illam suppressa vacuatio induxerit, initio ut tuta est venæ sectio, ita calore jam obruto strangulatóque cautiores esse oportet: sin vitiosi succi sint ac contaminati, aliqua oneris parte levari potest natura ad reliquum evincendum; nec abs re in muliere extenuata largiùs sanguinem detraxit Galenus, ratus è re futurum si detracta maxima pessimi succi parte, natura in reliquum sese accingeret: quod eum fecisse intrepidè credibile est viribus aliqua ex parte firmis, quanquam vix ac ne vix quidem fieri potest ut vel vitiosis succis redundantibus, vel crudis cum paucitate sanguinis, laudabilis virium aliqua sit firmitas. Credibile est in illa muliere potiùs τῷ συναθροισμῷ peccavisse sanguinem, quamvis qualitatem vulgò terrificam acquisiverat, quàm τῇ φύσει, Quod notandum, nam in hoc consistit distinctio. *Ibid. l. de v. & m. m. p.* 93. *Vena quando secanda.*

54. Si retinentur menses, & febris oboritur, an non sectio venæ in *Si iuncta febris vena poplitis nihilominus secanda.*

poplite aut malleolo facienda? tamen vulgò secatur vena in gibbero, annon id præter rationem est? *Epid.lib.2.pag.248.*

Ventriculi dolor vena sectione potius quàm aliis remediis curatur.

55. Qui fit ut eæ mulieres quibus mensis supprimitur, de dolore (quem vocant) stomachi queruntur, dicántque habere se manifestum cujusdam ponderis ibi incumbentis sensum? An circum os ventriculi sanguis colligitur? nequaquam, sed id fit propter hepatis simas quæ sanguine oppletæ sunt, & ita hepar quodammodo gravius redditur, & propter sanguinis conculcationem, & propter speciem quandam ἐμφράξεως non habent suum motum & impetus naturales τὰ ἐνόρμωντα: Quæ causa est meo judicio cur ponderis gravitatisque sensus tantus in ea parte sit: Sed cur non in partibus reliquis idem contingit? quoniam positis paribus causis doloris, in ea maximè aut dolor aut sensus gravitatis adest quæ exquisitioris sensus est: accedit quod cùm per uterum, pote aut vitiatum aut obstructum, non liber sit exitus, sursum fit refluxus, ut testantur vomitiones cruentæ mulieribus non menstruis consuetæ: mirum itaque non sit si hujus maximæ suppressionis primas notas & damna os ventriculi habeat ac ferat: imò initio febrium, cùm maxima est cacochymia circa ventriculum, dolores sunt maximi, quod circum eam partem primùm tumultus fiant: Hippocr. refert ad ipsius hepatis & vicinarum partium quandam intumescentiam & elevationem. *Epid lib 1.pag.96.*

Eruptione mensium instante nil moliendũ

56. Mensium eruptionem orgasmus quidam præcedit, & multa symptomata quæ perturbationem à motu naturæ, aut potius conatu, in ciendis mensibus significant, unde Hippocr. partic.50. sect.3.lib.3. Prorrhet. *Quibus ex rigore febres laboriosæ, muliebria his decurrunt, & cervix dolens hæmorrhagiam significat*; & paulò post, *Quibus per nares spes est ut per caput quatientia & sonitus sanguinem profundant, profundunt hi & muliebria deducuntur, maximè si circa spinam æstus fuerit, fortè & id dysenterias facit.* Si cum febriunt mulieres, & metus aliquis aut opinio eruptionis est, cave ne quid temerè tentes: imò & in plerisque post ista symptomata eruptionem mensium tempus præstitutum antevertisse vidimus. *Hist.4.lib.2.consil.*

In biliosis vacuatio immodica debet sisti.

57. Apud Hippocr.1. de morb.mul. locus est valdè memorabilis; docet mulieres biliosas non impunè evacuationem sanguinis per uterum ferre: Quia, credo, Arabum opinione, bilem sanguis frænat, à tali evacuatione incidunt in ὀλιγοψυχίαν, cibi fastidio, anxietate & vigiliis occupantur, at si alvus turbetur, bonum: Ex hoc loco collige sanguinis vacuationem in muliere biliosa, si immodicè feratur, statim debere supprimi, nec eam temerè moliendam. *Histor.2.lib.2.cons.*

In febre cum fluore

58. Imbalis virgo insigniter febricitavit, cum fœdis coloribus laboret, in ejus sanguinis massa virus est quoddam: quarto die menses

ſes erumpunt: omnia deteriora fiunt, omittitur phlebotomia: deinde omiſſæ illius nos pœnitet: tandem 5. aut 6. die aperitur vena: proficit detractio ſanguinis: ſçire oportet quod ſi febris non frangitur erumpentibus menſibus, non eſt differenda phlebotomia, ſed ſtatim ea facta danda ſunt apozemata cientia menſes: *Epid.lib.2.pag.245.*

menſium vena ſecāda ſi illi febrem non finiant.

59. Omnis ſuppreſſio aliquid alienius re ſuppreſſa acquirit, præſertim ſi quæ mala diſpoſitio aut intemperies ſit circum partes, aut in partibus in quibus ſuppreſſio fit: nec enim vbivis & ſecundum idem, & eodem modo ſuppreſſio paria affert accidentia; unde pleræque mulieres menſium ſuppreſſionem ſemeſtrem ſine noxa patiuntur; aliæ non patiuntur bimeſtrem ſine graviore damno: præſertim ſi vel facile corruptibilis ſit ſanguis, ut quibuſdam evenit, aut ſi jam à primo ortu aliquid malæ indolis habuerit, aut ſi raptus fiet ad nobiles partes: Eſt enim notandum illud Galeni cap.4. lib.3.de ſympt. cauſ. ſanguinem ſupprimi in muliere aliquando, non ob paucitatem, aut vitium aliquod conformationis in utero, aut aliquid ſimile, ſed quia ſanguis præ ſuo robore ad alias partes defertur, in quibus hercle damnum aliquod afferre poteſt. *Conſ.lib.ij.hiſtor.2.p.*70. Sic iſtum ſanguinem effœminare quodammodo oportet, ut κατάῤῥοπος fieret; unde quibuſdam mulieribus appetit potius partes ſuperiores, & rubent valde genæ, & peripneumoniis ſunt obnoxiæ: Et mirantur Medici cur tales menſtruæ non fiant. *Annot.7.in id conſil.pag.*107.

Non omnis menſium ſuppreſſio aque periculoſa.

60. *D. Guerardi uxor* cùm graviter laboraret, collum & ſcapulas doleret, & laſſitudine oſſea vexaretur, per octo dies anteverterunt menſes, quod in febribus ſæpe evenit: Tunc, valde ſunt ſolliciti Medici, an audeant phlebotomiam celebrare, tum ne in poſterum periodico fluxui vis non inferatur; tum, ne cum fluunt menſes, καταῤῥοπίη impediatur, quæ quidem in omnibus morbis bona: Niſi dicas per menſes laudabilem ſæpe fluere ſanguinem, e brachio illaudabilem, unde plus effectus conſequatur; Tamen non tentavimus phlebotomiam & convaluit, *lib.2.Epidem & Ephem.pag.*141. Ad hunc locum pertinet locus *Galeni.cap.5.lib.9. meth.* Si tempore mittendi ſanguinis menſes moveri contigerit; ſi fluentis impetus inſpectus ſatis fore videbitur, qui ſolus, quod requiris, vacuet, naturæ rem omnem permittes: Sin minus tantùm ipſi detrahes, quò ex conjunctis ambobus perficiatur quod poſtulas. *Ibidem annot.7.*

In febribus &c. ſi anteverterant menſes, vena quando ſecanda.

61. Menſtruales non fiunt ſæpe *quædam*, quia partes ſunt validæ, quæ totum ſanguinem ſibi & retinent & acquirunt, & niſi partes infirmiores reddantur, & ſanguis imbecillior non fluat: Idem fit quod in alienatione ſanguinis à raptu & vi ſanguinis, effœminandus enim eſt æger, & ſanguis, de conſilio Aetii, ad animi deliquium detrahendus: Quod an verum ſit quæſtione dignum videtur: Quod autem ob robur ipſius ſanguinis ipſe aliò transferatur, eoque aut materia

Menſtrualium curatio quibus ſanguis ſupprimitur ob robur partiū.

menſtrui aut pauca ſit aut nulla, patet ex Gal. Et ut è contrario morbi cauſa tollatur, videtur ei robori ſanguinis imminuendo incumbendum eſſe. *Ibidem.*

Non movendi quibus ſanguis non redundat.

62. Notandum eſt ſanguinem aut ad alimentum, aut ad augmentum, aut ad fœtum futurum ſuppetere debere: ubi ſufficit ad alimoniam aut ad augmentum, id quod reſtat ſupervacuum eſt (natura enim eo conſilio mulieres læuiores frigidioréſque effecit, ut corpore minus ſpirabili plus ſanguinis reſtaret) id quod non ſolum in interno ſed & in externo corpore fieri debet: Ideo venæ laxiores eſſe debent ut ad habitum ſanguis deferatur, deinde eæ ſunt laxandæ quæ ad uterum pertinent; fruſtra enim evacuationem per uterum menſtruam cieremus, niſi habitus ipſe plenior foret. *Conſil. 79. lib.3.*

Symptomata eruptionem præcedentia clyſtere ſedata.

63. *Vxori D. N.* repente phlyzacia oborta, delirium, oculi ardentes; matris obitum ægre tulerat: proxima erat menſium eruptio: injecto enemate omnia ſunt ſedata. *Epidem. lib. 2. pag. 226.*

Septalius.

In ſuppreſſione menſium qua vena ſecanda.

64. Ut in ſuppreſſis menſibus, ubi ſanguinis miſſione per ſectam venam opus eſt, ſemper Galeni decreto à venis crurum evacuandus eſt, *lib. de cur. rat. per ſang miſſ. cap. 11. & 18.* ita ubi hæc eadem ſuppreſſio curanda eſt cum magnâ ſanguinis abundantia, in dubium verti video, an hæc eadem curandi ratio ſequenda ſit, afferente Aëtio *lib. 16. cap. 57.* priùs extrahendum eſſe ſanguinem ex cubiti venâ, mox verò ex venâ tali, ne, affatim ad inferna ob copiam irruente ſanguine, magis ac magis venæ uteri repletæ obſtruerentur: quam opinionem, tanquam etiam à Galeno non diſſentientem, ſequuntur Altomarus, Trincavellius, Mercatus, & alii multi. Mercurialis autem & Maſſarias, etiam ſummâ præſente plenitudine, in ſuppreſſis menſibus nunquam cenſuerunt à cubito mittendum eſſe ſanguinem, ſed ſemper ab infernis; quòd etiam per illam ſectionem plenitudinem tolli poſſe cum Galeno crediderint; & ſi qua ſanguinis copia per venas uteri fertur, à ſupernis attracta, etiam per eandem viam ad inferna attracta evacuetur per infernas illas venas. Crediderim tamen ego præſtare, ubi plenitudo ad vaſa in corpore acervata fuerit, illius habitâ ratione, primo antequàm ſuppreſſionis curationem aggrediamur, ſectâ venâ in cubito, illam ſolvere; mox verò interpoſito debito tempore; ſectis venis in talo, conveniet ſuppreſſioni menſium opitulari; & cùm prima illa non ſit facta ad curationem ſuppreſſionis menſium, ſed ad ſolvendam plenitudinem, hac in re non repugnabimus

nabimus Galeno, censenti semper in suppressis mensibus curandis secandas esse venas crurum. Aëtij tamen non placet sententia, quem alij recentiores sequuntur, censentis, primò mittendum esse ex cubito sanguinem, mox statim ex pede, ut per primam solvatur plenitudo: & ut per secundam, si qua ab utero ad superna facta sit per primam evacuationem retractio, iterum ad consuetam viam uteri retrahatur; sic enim & habenas equo retraheremus, & pòst calcaribus stimularemus, cùm fieri possit, ut magis valeat secta vena superior ad impediendum, quàm altera inferior ad promovendum menstruas purgationes.

Aëtii sententia refutata in sectione venæ in mensibus suppressis.

65. Si quis quæ traduntur à Gal. *lib de cur. rat. per sectam venam. cap* 18. ubi in vena secandâ in talo pro curatione suppressarum purgationum menstruarum tempus solitum evacuationis illarum esse observandum docet, atque per tres, aut quatuor dies antè esse evacuandum sanguinem diligenter consideraverit, facilè intelliget, ubi plenitudo talis ad vasa in corpore, in quo suppressi sunt menses, adfuerit, non esse exspectandum tempus purgationis solitum ad evacuationem ex cubito faciendam; tunc enim & avocaretur in contrarium sanguis, & potiùs suppressionem adjuvaremus, & in ea incommoda incideremus quæ à Mercuriali & Massariâ proponuntur; sed illud præstandum erit in medio mense post decem aut quindecim dies à termino: sic enim & plenitudo tolletur, neque consuetus motus, cùm eo tempore nullus sit, avertetur. Quod nisi Paulus Ægineta intellexerit *lib.3. cap.61.* quod tamen intellexisse vix fieri potèst, nescio, quid illi in mentem venerit, cùm in hoc morbo curando dixit, non esse secandam venam ante præfinitum mensium tempus, sed per decem dies post.

Vena sectio in brachio in suppressione mensium quando facienda.

66. In promovendis mensibus diminutis licet præceptum Gal. *lib. de cur. rat. per sang. miss. cap.* 18. maximè mihi probetur, ut per tres aut quatuor dies ante tempus statutum ex talo sanguinem mittamus; sæpius tamen expertus sum, magis proficere, si statutum tempus purgationis sinamus adventare, & ubi diminutè operari viderimus naturam, impetúque eo cognoverimus defectuosam fore talem evacuationem, versus finem motûs manus adjutrices porrigemus naturæ, & motum illius promovebimus, ut simul cum naturâ deficiente totum opus perficiamus iuxta Galeni decretum *9. Meth. med.*5. quidquid hac de re alij sentiant; aliàs enim eorum opinio fuit à me refutata.

Mensibus diminutis in promovendis secari potest vena in talo ante tẽpus motus, & in fine.

67. Observandum tamen aliquas esse mulieres quæ ex missione sanguinis animo delinquunt, aut maximo timore ex sectione venæ tentantur, quas præstat evacuare per sectam venam in talo per tres, aut quatuor dies ante definitum illud tempus cum Galeno; si enim, fluente sanguine sanguis mittatur, non solùm non promovetur sanguis

Quibus mulieribus non est mittendus sanguis.

guis menstruus, sed ex animi deliquio, aut timore ita sistitur, ut amplius per illum terminum effluere non soleat.

Mensibus in promovendis praestat repetere sanguinis missionem.

68. In promovendis mensibus sectâ venâ in talo, semper praestabit repetitis vicibus, bis, ter, aut etiam quater sanguinem evacuare, quàm unâ evacuatione solâ totum negotium absolvere: sic enim meliùs sanguis ad motum incitatur, & saepius motus faciliùs ad fluxum invitatur.

Sectio venae ex talo melius fit sub noctem.

69. Placet magis sub noctem ex pede sanguinen detrahere, ut ex assiduo motu, aut statione, & humores faciliùs descendant, & ex motu attenuati faciliùs profluant.

Crura abluenda, & perfricanda ante sectionem venae.

70. Per duos tamen, aut tres dies antè, abluantur crura ex decoctis attenuantibus & aromatibus aspersis, & mox longâ fricatione deorsum trahendo invitetur sanguis ad fluxionem ad inferna, & attenuentur humores mixti sanguini.

Missionem sanguinis ex talo praecedere debet exercitium.

71. Faciliùs etiam fiet voti compos, si ante haec omnia, aut diebus praeparationis exercitiis utatur, aut universi corporis, aut saltem partium infernarum, maximè autem lumborum.

Ante missionem sanguinis ex talo fovenda regio uteri.

72. Praestabit autem etiam ante sanguinis missionem, si crassum & viscidum humorem, aut sanguinem ejusdem conditionis obstructionem in vtero facere cognoverimus, priùs fomentis & emplastris regionem uteri fovere; quorum materiam, cùm provectioribus haec scribamus, sylva autem praesidiorum apud scriptores reperiatur passim, & sit extra nostrum propositum, apponere non opportunum esse censuimus.

Menses promoventia per os sint in multa quantitate.

73 In decoctis menses promoventibus exhibendis haec adsit animadversio, ut illorum magnam quantitatem concedamus, ut integris viribus ad uterum pervenire possint; atque non solùm sanguinem, in venis existentem crassiorem attenuare, sed & eum, qui in utero impactus & obstruens impedimento est fluxui, secernere, & subtilem reddere.

In Mensium Fluore nimio.

Ballonius.

Adstringentia & frigida admota noxia.

74. Errant qui adstringentibus & refrigerantibus abundè utuntur & applicant ventri; nam primùm non pervenit eorum vis ad interiora: calorem pellendo intro eum cogunt, sic calidior sanguis fluxui paratior est. *Epid. lib. 2. pag. 204.*

Digerentia iuvant.

75. Hic interdum valent digerentia & metasyncritica. *Ibidem.*

76. Mutas

76. Multas mulieres obſervavimus quibus immodicus ſanguinis fluor per uterum contigit aut nares : incredibile dictu qualia eis contingant, quorum tenenda ratio, ut eis accommodatè medicina fiat : nam in earum morbis depellendis alia ſequenda via eſt quàm quæ vulgo teritur. Iſtæ mulieres catarrhis & refrigerationibus cerebri ſunt obnoxiæ : ſi quos patiuntur morbos, ij ſunt longiſſimi, & ſi calidiuſculo erant hepate, ferè hemitritæis morbis tenentur; nam à prima conformatione calor iſte immodicus eſt progenitor & procreator bilis acris : frigiditate cerebri & aliarum partium quarundam, præſertim ventriculi, qui eſt pars exanguis, pituitoſus humor gignitur, & , à confuſione vtriuſque, hemitritæi naſcuntur : & quæ eas moleſtant febres calorem habent acerrimum, quia non retunditur calor nec regitur ab illa humiditate nativa, quæ jacturam damnumque paſſa eſt ob immodicum fluorem ſanguinis, in quo caloris ſedes eſt : vnde enim contingeret laxitas alvi ob immodicum fluorem ſanguinis, authoritate Hippocr. niſi vis calori naturali inferretur ? Denique hoc verum eſt, vbi ſemel calor alienus inductus eſt, is verè imprimitur hepati, quia nativo humido maximè deſtituitur, denique in iſta corpora inducitur quoddam frigus poſitivum : & notandum eſt illud in talibus corporibus; ſi rigores aut horrores contingant periodici aut ſimiles, durant diu valde, imò etiam dum febriunt, ignorant an plus caleant an frigeant : quædam perpetuò queruntur de capite, narrantque ſe ſenſum glaciei ſimilem in ſutura coronariâ percipere, de ventriculi infirmitate & refrigeratione ſunt ſolicitæ : quod cur eveniat mirum non eſt; denique horrores perpetuos ferè in rachitide percipiunt : his ſecare venam ſæpe tutum non eſt, ut nec mulieribus ſiccis & ſqualidis, quas in leipothymias videmus incidere, exigua etiam ſanguinis detractione : *Epid. lib.1.pag.71.*

Quæ immodico fluori obnoxia vixerunt, valetudinaria vivunt & cautè tractanda.

77. Vbi mulier immodico ſanguinis fluori obnoxia eſt, Agarico abſtinendum. *Conſil.103.lib.3.*

Menſium fluorem immodicum auget Agaricus.

Septalius.

78. Quemadmodum in ſuppreſſis menſibus, dum repetitâ utimur ſanguinis miſſione, dictum eſt præſtare non eâdem die illam repetere, ut modico illo temporis ſpatio imminutâ materiâ, & aliis interpoſitis & attenuantibus, & attrahentibus, natura meliùs aſſueſcere poſſet ad materiam per illam partem de more evacuandam : ita è contrà in revulſione hac ab utero per ſupernas partes, bis & ter eâdem die repetendam cenſerem; quòd & evacuatio ſanguinis urgeat, & retractâ quamprimùm materiâ, flu-

In fluxu menſium immodico ſanguinis miſſio, repetita eodem die facienda.

xio citiùs ſiſtatur, neque tempus intermedium neceſſarium ſit concedere, ut in ſuppreſſione, ad parandam materiam.

Inmenſibus immodicis quandoque purgãdum.

79. In hoc affectu video multos vereri uſum medicamentorum ſolventium, quòd deorſum latus humor bilioſus, ac commotus, unde ſæpe is morbus provenit, ad uterum etiam feratur, aut compreſſione, quæ in egerendo humore fit, venæ dehiſcant magis, atque magis profundatur ſanguis: quoniam tamen per eam partem evacuatio aut revulſiva eſt, ſi fluentis ab hepate, aut à liëne, vel à toto materiæ motum conſideraverimus; aut derivativa, ubi aut acri, & calido per admixtionem bilis ſanguine fiat, aut à ſeroſo, aut pituitoſo; optimum ſemper erit, expurgato ab iis excrementis ſanguine, minùs fluxilem reddere, minúſque acrimoniâ irritantem, illúmque revocare à parte, ad quam fluit. Quòd ſi aliquod incommodum ex motu eveniat, aut compreſſione muſculorum ventris inciderit, cùm breviſſimum ſit, reſarcitur & revulſione, & humoris irritantis evacuatione.

Medicamẽta tamen ſint cum adſtrictione.

80. Sint tamen medicamenta hæc aut per ſe cum aliquâ adſtrictione, aut adjectione adſtringentium aliquorum.

Rhabarbarum in menſibus ſuperfluis noxium.

81. Rhabarbarum in hoc caſu fugiant Medici; quia, etſi adſtringentes aliquas partes habeat, potiſſimùm, ſi non multùm maturum fuerit, quoniam tamen, inquam, tota illius ſolvendi vis in igneis & tenuiſſimis partibus poſita eſt, quæ facillimè venas pervadunt, & etiam ſanguinem ſuo colore tingunt, & eâ ratione acutiem illi addunt, & calorem; cùm tot alia, & ſimplicia, & compoſita ſuperſint, ſatius ſemper duxi ab illo abſtinere, potiſſimùm, cùm obſervârim, ab aliis datum, multa in hoc morbo attuliſſe incommoda.

Remedium præſtantiſſimum ad ſuperfluos menſes.

82. Poſt hujuſmodi remedia, eâ ratione facta, cùm ea, quæ aut incraſſanti facultate, aut adſtringenti, maximè conveniant, unum in præſentiâ omittendum nullo modo eſſe cenſui, quo infinitas propemodum mulieres ab hoc morbo liberavi, inter ſecreta aliquando reſervatum, pòſt adoleſcentibus, qui ſub noſtrâ tutelâ ad praxin Medicam addiſcendam exercentur, etiam communicatum, nunc omnibus ad communem utilitatem commune factum, quo ferè nunquam fruſtra uſus ſum, modò exulcerato aliquo vaſe in utero fluxus is menſtruorum aliquam non habeat occaſionem; eſt autem omnino euporiſton, & facillimè parabile. Recipit autem aquæ libras ſeptem, in quâ incoquo cortices trium aurantium acidorum, aliquantò adhuc ſubviridium, & illas in philyras incido, & excoquo ad duarum partium conſumptionem, &, factâ colaturâ, uncias novem, vel octo potandas manè do: quòd ſi valentius medicamentum parare hoc ipſum volo, manipulum herbæ piloſellæ in fine excoquendum addo; validius adhuc redditur, ſi in aquâ Villenſi decoctio

tio fiat, aut si in octo libris aquæ fiat, ubi duæ tertiæ partes per coctionem absumptæ fuerint, & excolatum reliquum, chalybe indito ignito sæpius, adhuc magis roboretur.

In Fluore Muliebri.

Ballonius.

83 Inter cæteras species unus est Fluor mihi valde incognitus, quem Hippocr. 2. de morb. mul. vocat ῥόον αἱματώδη ἐκ τῶν ἄρθρων, Est autem quidam fluor glutinosus & sanguineus à colliquatione partium spermaticarum, & qui tabem Dorsalem tandem infert: *Histor. 2. lib. 2. pag.* 84. *Fluor ex Articulis quis sit Hippoc.*

84. An aliquis usus ejusmodi fluoris? Aristoteles cap. 4. lib. 2. de gener. disputans περὶ τῶν λευκῶν, ait ea in puellis apparere, & alicujus esse usus, ac crudioris sanguinis sobolem hoc esse credit, ut non tam ῥοῦν significet quàm καταμήνιον, de eóque ita sentit, *Excretio τῶν λευκῶν servat corpora integra, item & menstrua Purgatio, præsertim cùm ab excrementis vindicentur; sed si utraque evacuatio vel non fit, vel immodicè fit, damnum evenit, aut enim morbi oriuntur, aut corpus marcescit*: Itaque illa τὰ λευκὰ cùm superant, corporis prohibent incrementum: hæc autem ita fiunt, cùm natura coquere nequit, excrementum fit, non solum alimenti inutilis, sed etiam in venis, vt per tenuissimas venas exundando superet: atque uno loco τὰ λευκὰ significant καταμήνια, ὥμαι ὑφαιμα, ob cruditatem & quandam cacochymiam quæ puellis inest, nam si verus esset ῥόος, non posset non esse malus. *Ibidem.* *Non omnis supprimendus.*

85. Uterus pars est valdè nobilis & momentanea, maxime quod ad propagationem generis humani conferat: Et vt tali dignitate pars prædita est, ita admirabiles habet ῥοπὰς, motus καὶ ἐπιθυμίας, vt ea ratione Platoni ζῶον dicatur: Ratione istius muneris multa vasa ad eum pertinent; venæ, arteriæ, nervi & vasa spermatica: Ratione situs, & quia illac sese natura repurgat quodam excremento, & quia capacitas est, facile illuviem aliarum partium excipit, præsertim à partibus situm superiorem tenentibus: Quid si corpus cacochymum sit, vterus vt pars abdita & pervia facile excrementis scatet: Immo tametsi ex proprio instituto illac sanguinem excernit, eumque purum natura, tamen ob vasorum multitudinem, situm, consensum partium cum partibus, &, vt clarius dicam, ob fluxilitatem, pars ipsa secundario, & veluti secunda intentione, alias sordes excipit, à quibus facile obruitur & inquinatur: Denique acquirit dis- *Vterus variis fluxionibus obnoxius, vari è curandis.*

 positionem

positionem ῥευματικὴν, excipiendo, & opportunitate recipiendi: Per vterum fluit naturali instituto sanguis, isque menstruo circuitu: Si mulier è natura habet, iusta quantitate effluit, & talis est qualis recens è victima jugulata fluit: Sin habet contra naturam, pallidior est excretio, aut pituitosior, vel quod talis in venis fit, vel ob alienæ materiæ admixtionem, & tunc καταμήνιον dicitur νοσῶδες: Fit autem id, vel vitio unius vteri, vel totius corporis, vt sanguis sit laudabilis qui ad vterum fluit, sed contagione inficiatur. Item per vterum fluunt Lochia, quæ pertinent ad menses proprie dictos: Item excernitur humor albus & separatus à sanguine, & dicitur ῥευματισμὸς μητρίων, sive ῥοῦς, sive ῥεῦμα, Barbaris matricis cursus: Ultimo virulenta fit quoque excretio, quæ Gonorrhœa βρωμώδης dicitur, vt distinguatur à muliebri gonorrhæa; in qua mulieri crudum quoddam & aqueum semen excernitur, tum ob imbecillitatem vasorum spermaticorum, tum ratione ipsius materiæ, quæ parum compacta coactáque consistit: Βρωμώδεα γονόρροιαν infligit impurus concubitus: Hæc tametsi communia multa habent, tamen vt curationis scopos evarient, omnium notas atque distinctiones nosse oportet: Ac primum, vt ingenue dicam, tametsi prava & morbosa menstrua à fluore vterino non visi simus distinguere, tamen longe differunt: Quod autem differunt, vel ex ipso Hippocrate notum est: nam lib. 1. de m. m. species innumeras morbosorum καταμηνίων explicavit, nomine τῶν καταμηνίων vsurpato proprie, vt morbosum menstruum sano opponatur. Sed lib. 2. non vtitur nomine καταμηνίων, sed τοῦ ῥοῦ, & ejus varias species enarrat: Sic quemadmodum tractationes horum differunt, sic & nomina & ideæ morborum affectionumqúe: *Hist. 2. lib. 2. cons. p. 76.*

Verus fluor non illico cohibendus.

86 Omnium deterrimus est ῥόος qui & qualitatem malam habet, & perpetuam habet generationem, & sive ea sit in toto corpore, sive in vna parte, Vt causa, quoniam partes afficit per quas & in quas fluit: Tamen si adest, non continuo supprimendus, sive fiat ob solam congeriem (ita enim facilè definit) sive ob generationem: tunc enim prava dispositio significatur, quam prius tollere oportet quàm excrementum quod inde immediatè manat. Testis dysenteria, quæ repente suppressa gravissimos morbos accersit: At si humiditas tantùm quædam simplex circum pudenda appareat; & certò colligas aut ob humiditatem corporis multam, aut ipsius vteri id evenire, aut quandam vteri lævitatem, sine metu vllo ad supprimendas eas superfluitates accedere possumus: Quod notandum ad legitimè administranda remedia. *Consil. lib. 2. histor. 2. pag. 84.*

Biliosus nō nisi tardius sistendus.

87. Mulieribus biliosis ῥόος χολώδης per uterum confert, ex Hippocr. 1. de morb. mul. Sed non per multos dies fieri vult (alioqui ulcerationis uterorum metus esset) nec magna copia, tales non

non impunè evacuationem sanguinis per uterum ferunt, quia bilem sanguis frænat; à tali vacuatione incidunt in ὀλιγοψυχίαν, cibi fastidio, anxietate & vigilijs occupantur, at si alvus turbetur bonum: Hinc colliges fluorem muliebrem biliosum in muliere biliosa (idem de alijs in suo genere audiendum) aliquatenus juvare, nec statim reprimi debere, alioqui gravioris mali metus adest: verendum ne si statim supprimatur, refluxus ad partes nobiles suffocationem afferat: At uterus non est via conveniens? fateor, nec aures etiam, nec cor; at natura sæpe tamen ijs vijs abutitur ut sese onere eximat & liberet: sed videndum ne uterus, pars nobilis, diu vexatus ista fluxione, graviter afficiatur. *Histor. 2. lib pag. 85.* Etsi enim bonum est partes superiores, in situ & dignitate inferiores sese exonerare, videndum tamen ne dum hoc molitur natura, non minore detrimento nobiscum paciscatur, quod eveniet si pars quæ excipit ita graviter afficiatur, vt ejus morbus magnitudine longe superet commodum quod exoneratio partium attulit. Collige 2°. Alvi subductionem & vomitiones impensè biliosis conferre mulieribus, non sanguinis evacuationem. 3. Collige fluorem muliebrem biliosum, in muliere biliosa (idem de aliis in suo genere audiendum) aliquatenus juvare. *Hist. 2. lib. 2. cons. p. 85.*

88. Morbi præsertim idea agnoscenda, cujus notitia apprimè ad medendum confert: aliter enim sese gerere oportet toto corpore affecto, aliter si pars una vel vterus ipse laboret; & dispositionis varietas rem quoque variat: fluxus alius biliosus, pituitosus, melancholicus, item aliàs totius corporis mollities laxitásque in causa est, ac præsertim pituitosi aquosique fluoris: aliàs hepatis pravitas, præsertim ejus qui biliosus & subviridis est, aut alius deterioris coloris: in quibusdam est frigiditas & humiditas multa, calorem nativum obruens, causa hujus rei; In alijs vitium ventriculi & primæ regionis, ut in ijs quæ fœdos quoque colores patiuntur, & in talibus fœtet anhelitus, ructus adsunt, cachexiæ signa, luridi sunt dentes, gravedo, tumor pedum aut corporis, est enim prava chylosis: item, quemadmodum ventriculus & lactes malè suo funguntur officio, ita & hepar & ejus venæ, sic ut cùm fiet mala hæmatosis, necnon ob pravam ejus diathesin extrancúmve calorem aut refrigerationem quandam, chylus in mesaraicis & simis hepatis corrumpatur, unde ocsasio facilè nascitur aut fluoris alvi, aut vteri, prout hic vel ille priùs istam καταῤῥήξιν suscipit: nec enim necesse est pravum fieri sanguinem, sed sæpe medijs vijs impressione ipsius hepatis chylus inficitur, & maleficam accersit qualitatem, unde corpus nihilum proficit: evenit etiam vt in ipso vtero sit infirma facultas concoctrix, vnde vterus humentior frigidiorque

Morbi origo noscenda ut ritè medearis.

factus dum aquosa superfluitate proluitur, fluori vterino occasionem dat & principium : *Ibidem pagina 91.* Vt plerique etiam satis sicci sunt catarrhosi, & ijs multa natat pituita ventriculus & os humescit, quoniam eliquescit cerebrum & facultate retinendi non pollet : Ita pleræque mulieres fiunt ῥοώδεες, quia habitus corporis, & cerebrum ipsum liquescit, vnde macrescunt ac contabescunt; credo quod in ijs naturam corroborare est τοῦ ῥόου γυναικείου materiam præripere : *annot. 15. in id consil. pag.* 108. Fieri potest vt in acetabulis, aut cornibus, aut vasis vteri, peculiari vitio accumuletur sanies quædam, & quoddam πυώδες quod menses inficit, licet sanguis qui affluit ad vterum, menstruam purgationem facturus, floridus sit & laudabilis : Etenim sensim ad partes vteri affluit, & hic moratur donec menstrua periodus adventarit, & ista,quam fecit, mora, inficitur menstruum & exalbescit,Imò Duretus annotavit evenire posse & sine febre & cum febre, sine vllo vlcere vteri, vt circum venas vteri, præsertim fundum ejus, albicans quid & purulentum acervetur (quod fortè fit, aut quia sanguis diutius morans in venis albescit, aut quia est pituitosior, aut veluti quadam imbecillitate vteri) quod dum evacuatur ῥοῦν facit, sed in pauca quantitate excernitur: nec credere oportet tunc in utero vlcus esse : Et fortè ista sunt λευκὰ quæ à partu consequuntur, diuturnitate temporis sanguine alborem acquirente : Galenus enim passim ait, si sanguis tantam in venis moram in arteriis traheret, quantam semen in vasis spermaticis, seminis more alberet : ut non amplius mirum sit, si in corpore ipsius vteri exalbescat humor, & præsertim sanguis. *Ibid. pag.* 76. Quis itaque iisdem agat remedijs si hepatis vitio id contingat, & si ventriculi vitio ? Item si excessus sit caloris corrumpentis in hepate, vnde κακοπραγία consequitur, Aut excessus humiditatis, vnde debilitas consequitur. *Ibid. pag.* 91. Ob vitæ institutum nostrarum mulierum, ob cruditates & intemperantem vitam, præsertim iis in regionibus in quibus corpora sunt molliora & humidiora, facile vterus pars declivis, & ad sentinam corporis collocata, potest ῥεύματα excipere & ῥῷ tentari : Quin etiam pleræque pulmonum morbis à defluxione corripiuntur, vt mirum non sit si eodem modo istis ῥευματισμοῖς corripiantur, descensu illius materiæ, ob consensum partium thoracicarum cum genitalibus : Tamen meo iudicio videtur potiùs à cacochymia corporis totius, & præsertim ventris inferioris ῥοῦς esse : Sed fluoris alvini sistendi facilior est ratio quàm ῥοῦ, quia & assumptorum & admotorum vis in sistendo alvi fluore percipitur. *Ibidem. pag.* 87. Quibus renes sunt purulenti, per inassuetas vias, in vterinas partes humor fluit ῥοῦν provocaturus. *Ibid annot. 18. pag.* 109. Quemadmodum observatum est vlcus & abscessum renum, fluoris mulicbris causam esse, ita quis dubitat

dubitat quominus, aut latens mesenterii abscessus, aut alia in parte vrinarum lactearum causa est, quod si ea materia vteri viam appeteret, vasaque subiret, ῥοῦν γυναικεῖον causaretur. *Consilio 39. lib. 2. pag 277.*

89. Sed, an fluor contingit quod vterus attrahat, an quod humores eò ferantur? controversia enim est de utero an attrahat; nam si vterus attrahit, minùs valida esse debent medicamenta quàm si non attraheret: Galenus docet distinctionem eorum quæ menses, lac & vrinam provocant, quæ tametsi in nonnullis consentiant, tamen in natura specificâ plurimùm distinguuntur, nam lacti provocando conferunt calfacientia non desiccantia: mensibus magis calfacientia, non valenter desiccantia; vrinæ calfacientia & desiccantia: valentiora in mensium provocatione quam lactis vsurpat, 1. quod ait, vterus nil conferat ad delationem sanguinis & attractionem, mammæ verò contra: nam mittitur sanguis menstruus in vteri venas, non attrahitur; in mammas non tantùm mittitur sed attrahitur, ideo leuiore præsidio opus est, adeo ut medicamenta lac in mammas conferentia, menses movere non possint; præterea vteri venæ magis aperiri debent quàm mammarum, propterea calidioribus multò locus esse debet: 3. sanguis qui ad vterum fertur, materiam menstruam suppeditaturus, fluxilior esse debet quàm is qui est ad mammas futura materia lactis: itaque opinione Galeni vterus non attrahit: tamen cùm duplex sit attractio, una particularis, qua unaquæque pars sibi id quod proprium est allectat, altera communior, qua partes quæ commune quoddam officium habent attrahunt quoque tum familiare, tum excrementum, utraque ratione videtur vterus attrahere: nam cur non attraheret ut & reliquæ partes? & si in cerebrum humorum raptus fit & vaporum, cur non potiùs in vterum? propterea Hippocr. *Intra hominem partes alliciunt, vesica, caput, vterus in mulieribus, hæ enim omnes manifestè trahunt & semper plenæ sunt attractæ humiditatis*: quæ Hippocr. authoritas Gal. sententiam planè labefactat, at tanta facultate tractus præditum esse, quantâ & mammæ, non est credibile, cordi enim propinquiora vbera attrahunt magis, uterus verò, cùm in fundo situs sit, potiùs fit humorum deturbatio quàm attractio. *Conf. 62. lib. 1. p. 352.* *An fiat vtero attrahente an suscipiente. Cap. 22. lib. 5. simpl.*

90. An sistendus hic fluor? hoc in negotio animus in dubio vacillat; si perseverat, magna incommoda sequuntur: si supprimitur, majora: maxima, si à toto corpore est: eo suppresso vidimus vterum gangræna affectum, terret & Galeni decretum: totum corpus vtero ferè simile est, quod notandum est in hoc morbo: qui fluor fit per exonerationem partium malè affectarum, robore naturæ, tandem in colliquatiuum fluorem funebrem terminatur, nam, *Quinam debet sisti.*

aut cita mors, aut præ tabe & tabo, vita misera consequitur. *Consil.* 35. *lib.* 3. *p.* 123. Malè de ægris merentur Medici qui indicatione à morbo sumpta, de supprimendis effluviis cogitant, non rati periculosam esse suppressionem ejus fluoris qui multos annos ægrum occupavit: cuidam diutiùs fœtens putrisvè illuvies effluxerat, cùm annos 40. nata foret, vsurpato levi quodam remedio, inopinatè suppressa est nec diu impune tulit, etenim diabetes illius loco multò funestior successit, qui eam 4. menses exercuit & ad mortem comitatus est. *consf.* 56. *lib.* 1. *p.* 299. Non continuò supprimendus fluor, sive fiat ob solam congeriem (ita enim facilè desinit) sive ob generationem, tunc enim prava dispositio significatur, quam prius tollere oportet quàm excrementum quod inde immediatè manat: testis dysenteriâ quæ repente suppressa gravissimos morbos accersit; est ergo vbi fluor vterinus ad tempus juvat: *histor.* 2. *lib.* 2. *Consil. pag.* 85. Galenus in vxore Boëthi ab adstringentibus abstinuit, quoniam usu eorum ventris tumor sequutus est: annotat Altimarus ex Aëtio mulieres nonnullas hoc represso fluxu in hydropem incidisse, aliàs in nervorum affectiones aut capitis dolorem: *Ibid. pag.* 92. At si humiditas tantùm quædam simplex circum pudenda appareat, & certò colligas aut ob humiditatem corporis multam, aut ipsius vteri, id evenire, aut quandam vteri lævitatem esse, sine mora vlla ad supprimendas eas superfluitates accedere possumus: *Ibid. pag.* 85.

Purgantia fluxum augent. 91. Primùm frequentes clysteres conveniunt, ne si forte medicamenta des, idem fiat quod & in arthritide, sæpe enim vi medicamenti solutivi, ob κατάῤῥοπίαν, irritatur fluxus humorum in subditas partes: *Ibid. pag.* 96.

Clysterum vsus. 92. Parentur præsertim ex betonica (quæ vtero valde confert purgando) melissa, agripalma, artemisia, cypero, schœnantho, semin. fœnic. sesceleos, pæon. rubentis, sem. lini, dissoluendo terebinth. diaphoen. Inter cætera mel mercuriale, mercurialis enim magnas habet vires ad proliciendos humores serosos, quos authores ῥοῦν γυναικείων statuimus: convenit quoque dissoluere confectionem hieræ, si eluere velis istas sordes, & magnæ in venis vteri obstructionis subest suspicio: chamæmelum nunquam omitti debet: agaricus in nodulo positus mirificam habet vim: *Ibidem.*

Calid. & humidiorum vsus suspectus. 93. Cavendum ab ijs quæ calidiora sunt & quæ humidiora, ut enim illa aperient plus æquò & fluorem incitabunt, hæc verò locos humectando morbum fovebunt: *Ibidem & conf.* 62. *lib.* 1.

Omni via desicandum 94. Non erit alienum in decoctione ipsa clysterum injicere fasciculum radicis salsæpar. aut ramenta aliquot ligni indici, ut desicca-

tioni

tioni omnino studeatur : Sunt qui decoctiones per os sumendas transcolant per cineres sarmentorum ut major desiccandi vis adsit, cur non & decocta enematon eodem modo parare licebit? *Consil.2. histor.pag.97.*

95. Ideo cavendum ab omnibus oleis præter Nardinum, Cedrinum, de Terebinthina & aliis id genus, *Ibidem.*

Olea Clysteribus nō indenda.

96. Quod si corpus calidius sit & siccius, ut ῥόος ab humore contingat acri, mordaci, unde dolores circum lumbos oriri solent vehementes, & metus exulcerationis est, clysmata parabuntur, ex nymph. aeizoo vtr. portul. polygono, tapso, intybo sylu. parthenio, urtica molli (de cujus vi multa authores asseruerunt) mercuriali, betonica (quæ duo nunquam omittenda) semin. frigid. cydonior. chamæmelum, ut verè hystericum, non omittetur. Betonica verò & mercurialis maximè confert, quoniam albam sordidámque eluviem maximè eluit : æstate incoquentur rosæ pallidæ, & cùm tutiùs adstringere voles, magma earumdem rosar. macerabitur in aquâ, & erit pro clysteris decocto. *Ibid.*

Refrigerantes clysteres aliquando prosunt.

97. Rondeletius, bonus medendi magister, in curando ῥῷ abstinet præsertim à pilulis officinarum, quod constent ex calidioribus & iis quæ tenuitatem partium majorem habent, sed non omnino prohibet eadem remedia cùm fluor à pituita est : sed sic conciliandus : quod attinet ad Pilulas ex aloë & hieris, in materiâ tenui, ichore & bile venas matricis ad ῥοῦν faciendum appetente, temperandum est à Pilulis, quod metus esset ne moveatur magis ῥοῦς : & cùm non facilè avertatur ab utero, licet omnia ex arte egeris, periculum est ne si incitaveris materiam, & uteri vasa reseraveris, facilè non reprimas : item efferatur & acuitur magis materia usu rerum acrium & tenuitate partium præditarum. 3. verendum ne si ad aloen & hieras concurras, menstruam periodum legitimæ Purgationis perturbes, ut & una ῥοῦς & τὸ καταμήνιον confundantur : at si materia crassior est & pituitosior, non tantus adest metus : Ideo in bilioso ῥῷ interdicit, in pituitoso Pilulas istas amplexatur: *Ibid.pag.95.* Quibus tamen solennis & familiaris est pituitæ prolapsio in partes subjectas à capite, & maximè ad uterum, iis tamen non convenit Pilularum fortiorum usus; nam is descensus & διάθεσις ῥευματικὴ καὶ καταῤῥώδης est ob siccitatem partium & proventum excrementi : unde per quandam liquefactionem, aut potiùs diffusionem, continenter pituita à capite fluit : has validis medicamentis agitare, partes, erit colliquefacere. *Ibidem pag.110. Annot.28.* Sed si consilium est represso aliqua ex parte cursu ac impetu, purgare venas ad uterum pertinentes : ad aliquod tempus ea remedia possumus usurpare. *Histor.2.lib.2. cons.p.95.* Si pituita magis in vitio est, & corpus mucosum magis, non erit alienum uti Pilulis officinarum : nam muca-

Pilulæ ex aromatibus conflatæ nonia.

go

go & illuvies corporis impediet quominus noceant. *Ibid pag.*100. Si à capite malum est, pilulæ fortiores imperabuntur; capiti enim consultum omnino esse debet. *Ibid.pag.*102.

In materia acri leniter purgandum.

98. Si materia acris, mordax, si corpus πικρόχολον εἴη, si cacochymia leniter & ἐπικεραστικῶς emendanda, utendum medicamentis leniter purgantibus: inter cætera laudat Trypheram Persicam Rondeletius, quod & corroborando, & leniter evacuando, mirificas vires habeat. *Ibidem pag* 99.

Hydragoga suspecta.

99. Hic in medicamentorum serum & aquas educentium usu moderatiores nos esse oportet, ea enim facilè exolvunt corpus, humiditate educta qua partes erant quodammodo delibutæ; & quod experientia docuit, ventriculus facilè offenditur, *ibid. pag.*100.

Syrupus magistr.

100. Inter cætera valet syrupus solennis ex adstringentibus & uterinis, addita vnc. Rhabarb. commun. aut potiùs, si ejus copia esse potest, Rhapontici: *ibidem annot.*29.*pag.*110.

Pil. de bdellio vis.

101. Rondeletius maximè laudat probátque Pilulas de bdellio sive ladano; earum descriptio graphicè ab eodem facta est; addi potest terebinth. imò ex ea bolus conferet, *Ibid annot.*31. Ac præpurgato corpore mirum in modum conferret, *Ibid annot.*26.

Bolus commodus.

102. Ad sistendum & repurgandum valet hic bolus ℞. Terebinth. Venetæ ʒj. mastiches tritæ ℈ß. sacch. rosat. ʒß. cum syrupo myrtino fiat bolus, capiat bis in hebdomada: valent & pilulæ quæ parantur ex massa pilul. sine quibus, rhabarb. & castoreo. *Ibid. pag.* 110. *Annot.*34.

Non omnia diuretica conveniunt

103. Diuretica instituit Altimarus à quacunque causa fuerit ῥοῦς, ad normam Galeni, at errat, si quidem summa erat in uxore Boëthi humiditas & frigiditas, sic ab usu illorum quæ calore suo fundunt, & tenuitate summa partium sunt prædita, nullum incommodum est insequutum: at si ventriculus imbecillior est; si biliosus & ichorosus & malignus est fluor, si impensè calidum hepar, & calore, acri præsertim, præditum, nunquid dictamnum, cassiâ, carpobalsam. sem. apii balsam. petrosel. macedon. phu, nocebunt? ita hercules: quorsum enim diuretica, cùm humor nimium sit tenuis & subtilis, & ut sanies ichórve? verendum enim ne in diabetem conjicias: Præterea, quid est necesse usu diureticorum incidentium, attenuantium & fundentium, primùm sanguinem fundere & liquare; deinde secernere per vias urinarias, cùm fluor muliebris sæpe à venis non fit? in summa sanguinis humectatione, ob ichoris admixtionem, hoc quidem conferet; sed si fluor muliebris fiat ab humore secreto à massa sanguinis, ut omnis ferè fit, supervacua est sanguinis colliquatio à diureticis, & eorum usu intruditur humor in uterum ipsum jam apertum, imò & is magis aperitur: imò verendum ne diuretica remittant

misceant separatum humorem ῥοῦ authorem ipsi massæ sanguinis: denique læsio sequi posset usu impensè calidorum & colliquantium. Distinguendum enim an humor sit calidus an frigidus: *Ibidem pag.92.*

104. Rondeletius tum demum aperientia diuretica usu venire putat cùm malum declinat & corpus repurgatum est: ac si dicat, cùm magno impetu humor non fluit, ad vias urinarias humorem derivato: ne si dum in motu est id fiat, & uterum moveas, & fluxum magis incites: præterea requirit ut corpus bene purgatum sit, ne diureticorum usu obvias materias in renes intrudas, *Ibid.pag.96.* *Quando præscribenda.*

105. Cùm corpus legitimè erit repurgatum, tum ad adstringendum concurrimus tum sumptis tum admotis; radix bistortæ addetur, quia uterum valde roborat. *l.2.consf.p.*102. Apud Hippocr. summum remedium celebratur, Ebur ustum magna quantitate datum: potest addi sacchar. rosatum, siccat impensè: *pag.* 106. *Filix*, seu osmunda regalis, in senioribus mulieribus ῥοῦ parientibus conveniet, sed in junioribus sterilitatem inducit: maximè conveniet clematites, quam vincam pervincam majorem vocant *ibid.pag.*110. *annot.*27. Valent & ramenta loti arboris, *Gallis* Alisier: *ibid. annot.*4. Vel ℞. *Fimi asinina* m. IV. macerentur aqua rosacea, magma reiiciatur, & cum saccharo fiat syrupus, cujus admirabilis vis est. *Ibidem pag.*102. *Adstringendi tempus.*

106. Dioscorides cap.68.lib.2. ex aceto valde commendat omne coagulum, præsertim leporinum: quod mirum, cùm omne coagulum acris & digerentis potentiæ sit & desiccatoriæ: mirum quomodo acre medicamentum & calidum conferat ad affectum adstringi poscentem: fortè facultate quadam recondita hoc contingit, ut & in urtica. *ibid.pag.* 104. *&* 105. Vrtica sistit sanguinem, crustam ferè inducendo, & postea nescio quomodo ad adstringentium & sistentium classem revocatur: *ibid pag.*110. *annot.*30. *Coagulum quomodo confert.*

107. Pari quoque ratione Tartarum ex vino albo, quod acre est & detergens, præscribitur in eundem scopum; & non abs re fortasse, unde primates medici hunc pulverem ῥοῦ sedare autumarunt, ℞ lapid. hæmat. boli arm. ana. scrup.j. carabes, corall. vtr. ana. drach. sem. sem. agni cast. scrup. 3. antheræ scrup.sem. Tartar.vini alb.præparati drach.j. terræ sigillatæ drach.sem. ambræ gryseę scrup.j gran.12. bistortæ scrup. j. facch. rof. unc. iij. diatragac. fr. vnc. j. f. misce. *Ibid.pag.*105. *Tartarum quomodo conducit.*

108. Nunquam omittentur Cardiaca, quoniam in ista humorum eluvie facilè vapores summittuntur, qui feriunt cor & inquinant, spiritus: *ibid pag.*1. *Cardiaca semper usurpanda.*

109. Et quoniam impuritas magna venosi generis & mesenterij, præsertim verò hepatis & venarum, fovet ῥοῦ muliebrem, postquam *Roborantia à purgatione dentur.*

colluvies expurgata erit, ad robur partibus conciliandum & genus venosum purgandum, conferet decoctum sequens. ℞. rad. cichor. benè mundat. unc. iij. rad. enul. camp. (quæ imprimis commendatur) unc. ij. pimpin. pug. j. macerentur & bulliant in lib. IV. aq. addendo sub finem absynth. rom. pug. ij. aromatizetur totum pauco cinnam. & dulcoretur; dosis vnc. vj. in aurora; addi potest lignum sanctum. *Ibidem pag.* 106. *&* 107.

Pulveres siccantes prosunt. 110. Lubenter quærerem à doctis, an non pauca quantitas pulveris ligni s. aut rad. Chinæ cum ovo sumpti, aut cum aliis pulveribus mixti, addito ut decet sacch. ρῶ conferre possit? *Ibid. p.* 10. *annot.* 33.

Ventriculo consulendum. 111. Cùm alvi quædam laxitas & cruditas, imò & imbecillitas longi illius fluoris causa sit, ideo providendum maximè; imò à quacunque causa ortum malum, quoniam vel primariò vel secundariò læditur ventriculus, ei prospiciendum, hac cautione, ut si hepar incumbens & viscera calidiora videbuntur, à calidioribus abstineamus: *Ibid. pag.* 102. Sic Gal. in vxore Boëthi nardino usus oleo, nec est quod quis objiciat usum ratione præsentis lypothymiæ cum algore partium externarum (quod certè commodè fit, & fortè à nullo unquam observatum:) sed satis patet illius rationem habuisse, cùm videret hypochondriorum summam laxitatem, nec non ab humiditate & refrigeratione ρουῦ istum pendere: itaque si suspicio est ab imbecillitate primæ coctionis malum oriri, in curam ventriculi incumbemus: *Ibid. pag.* 92.

Infusio per metrenchyten non semper inutilis. 112. Placet experientissimis Chirurgis inanem esse operam eorum qui per metrenchyten in uterum infundere aliquid conantur, quod nil subeat corpus ipsius: tamen quoniam per externas, ad collum uteri pertinentes, venas humorem aliquem fluere constat, nos profectum aliquem ab usu injectionum adstringentium expectamus: *Ibidem pag.* 103.

Rasuræ eboris vis. 113. Pro Suffitu plurimùm commendant rasuram eboris carbonibus injectam. *Ibid. pag.* 104.

In fluxione acri quid agendum. 114. Hippocr. 2. de morb. mul. in ῥῶ ab humoribus salsis, acribus & nitrosis, sic ait, *si ea quæ effluunt bilis fuerint & salsugo, & non solùm internas partes, sed & externas exulcerarint, diætam transmutabis, & humectabis, ut fluxiones quàm aquosissimæ fiant & minimè mordaces, Balneis multis calidis uteris &c. Cons.* 114. *lib.* 1.

Curatio Galenica in uxore Boethi à nimia humiditate & refrigeratione. 115. Hic breviter perstringenda est curatio fluxus muliebris quam Galenus 4. de præcogn. ad Posthumum proposuit in uxore Boethi, eo fluxu laborante ob nimiam humiditatem & refrigerationem: Galenus & humiditatē morbi ὑδατώδους ὄντος in malo orto ῥοῦ, qui humidus erat, ut humor esset instar coaguli, & refrigerationem correxit, ventriculi rationem habuit, ab abstringentibus primo quoque tempore abstinuit, quoniam ea nocuerant: Per alvum humorem derivavit,

diuretica

diuretica exhibuit, item & sudorifica: Alvum quidem hydragogo subduxit, & ad proliciendam urinam Decoctum asari & apii propinavit: Frictiones adhibuit, Litum ex melle ad prolectationem sudoris: Avilus montanis & siccante dicita vsus est, & non solum effecit ut quod redundaret evacuaretur, sed ut generatio quoque prohiberetur: Hæc sunt curationis capita illius quam Galenus instituit, quæ sicco pede prætereunda non sunt: Atque primum ab *Adstringentibus* abstinuit, quoniam eorum usu ventris tumor sequutus est, ut falso eam concepisse existimarent: at collectio erat suppressæ humiditatis, declaravit eventus, excrevit enim ingentem aquæ copiam non sine magnis deliquiis, ut ea animam agere videretur: Ergo patet non minimum periculi adesse si fluor iste statim reprimatur, nam hydrops particularis repente est obortus. Secundo *ventriculi* rationem habuit, (*vide artic.supr.*111.) Tertio *Diuretica* instituit, de quibus plerique ambigunt, vt & de iis quæ vim habent aperiendi, ut pilulis de aloe &c. Sed est ubi Diuretica conferunt, est ubi non (*vide artic.* 103. 104.) Paulus dum de curatione ῥῦ agit, ita scribit; Quoniam hæc passio est humida, subveniendum toti corpori iis quæ sine manifesto calore exsiccant: Item frictione corporis, unctione ex melle cocto, danda diutetica, ut decoctum apij & asari, & per ventrem totum corpus purgandum: Hæc quidem ex *Galeno* surripuit, sed in duobus erravit, primum vult ea usurpanda quæ sine manifesto calore exsiccant, & tamen paulo post diuretica, eaque valde calida & siccantia dat, ut azarum; imo omnia diuretica exsiccant: Deinde in hoc errat quod sua remedia sine judicio præscribit, non distinguens an humor sit calidus an frigidus; at distinctio rerum tenenda est: Manardus istam quæstionem dirimit de Diureticis. An quod urinam provocat menstruum provocat? Et si ita est; Cur asarum & apium, quæ movent menses & urinam, dantur ad ῥῦν? incitabunt enim eum potius: De diureticis; (præsertim calidis, nam sunt quædam frigida & contemperantia, urinam promoventia, & ea potius οὐρητικὰ quam διουρητικὰ dicentur, ut in voce διὰ vis quædam insit) ita ex Galeno cap.22.5.simpl. Quæ non desiccant, & modice excalfaciunt, lac generant: quæ plus calfaciunt, non tamen valenter siccant, menses movent. Vtraque urinas provocant, (supple communi quadam facultate) sed proprie quæ calfaciunt & desiccant Diuretica vocentur, non quia sola moveant urinas, sed quia solas: Solas autem dicentur movere, quia non provocant lac & menses, quemadmodum vice versa quæ lac & menses cient, urinas proliciunt: *Et alio loco*, Cum urinam prolicere voles, acrioribus & calidioribus quam quæ sunt ἐκφρακτικὰ, uteris, nimirum fundentibus, liquantibus & secernentibus: Hinc colliges & menstruum provocantia, & diuretica, esse calida & sicca: sed diuretica esseícciora, imo

& acriora : nam & costus, & casia, & cinnamomum menstrua provocant Galeno, cum tamen multa sint actu, i. e. siccandi potestatem habent, quanquam quædam valde exsiccantia menses movent aliquando, ut sabina, quæ Galeno summe sicca, sed omnia audienda secundum magis & minus, Ad rem, Vix eveniet vt aliquid vere diureticon sit, quin idem & menses cieat, vt concludere oporteat an tuto diuretico vti liceat, an non, sive per se omnino vrinam moveat, sive vna menses irritet, & proinde fluoris muliebris materiam propellat: *Manardus* post istud examen, quoniam videt & cassiam, & apium, & asarum, quæ dantur ad provocandum vrinas, posse incitare quoque materiam in vterum, quod malum videretur, quoniam per partem læsam conveniens non videtur purgatio, ait tandem majus sequi commodum ex prolectis diureticorum vsu vrinis, quam sit incommodum si vna & eadem opera ad vterum propulsio fiat : aut nullum enim aut exiguum incommodum vult sequi : non enim fieri potest quin in viis ipsis ad vterum, & in vtero, hæreat illa proluviei materia, quæ, dum pellitur vrinæ vno impulsu, dum particula medicamenti alio traducitur, commode detrudi & detergeri possit per vias vteri : Quod si diutius vteremur illis vreticis, revera noxa afferretur, sed postea ita temperamus remedia vt eorum vis retundatur, deinde ad supprimentia, corroborantia & adstringentia gradimur. Vide plura apud dictum Manardum. De vsu autem catapotiorum ex Hieris, an conveniant, vti & ea quæ tenuitate partium prædita sunt, (*vide artic. supra 92.*) Quoad Diuretica, eodem quoque modo conciliare licet, Docuimus ex Manardo sequi commodum magnum ex vrinarum irritatione, & sudorum, quoniam mollities & humiditas tollitur : Ita enim Hippocr. requirit corporis quandam συστολήν, compactionem, fugata mollitie & effœminatione; ad quam rem humiditatis excretio, & per vrinas & per sudores requiritur : Sed quid attinet sanguinem fundere ad proliciendas vrinas vsu diureticorum, cum ῥοῦς non fit ex venis, sed ex aliis quibusdam vasis, & non fiat per separationem materiei aquosæ è venis ? nam bonum quidem est divertere ad renes serum in morbosis menstruis & aquosis, sed non in ῥῷ : Sed hoc revera facit ad materiam & causam antecedentem : nam totum corpus confluit: Et ita in ijs moderate agendum est, ut habita & corporum ratione, & materiei ῥοῦν committentis distinctione, modo diureticis vtamur, modo pilulis & consimilibus vias reserantibus : Quis enim adeo jejunus, vt eunte per vterum materia & calidissima, & hepate siccissimo calidissimoque existente, ad catapotia concurrat ? Quis eadem vsurparet : si ventriculi oeconomia præ imbecillitate labefactaretur, nisi forte solo hierarum pulvere vtatur ? *hist. 2. lib. 2. cons. p. 94. 95.*

116. *Hippocr.*

116. *Hippocr. lib. de nat. muliebr.* scribit de excretione ab vtero, *Si vteri pituita pleni fuerint, flatus oboritur, & menses albi pituitosi sunt &c. Rogabis an si quod fluit mordeat & vlceret: Si non mordeat, pronuntiabis à cerebro fluxum esse: si mordeat à ventre.* Quod omnino verum esse nequit, Nam si a cerebro est, trifariam potest esse acre & salsum, 1°. si sua generatione pituita est aut salsa aut acida: credibile enim est eam pituitam, quæ à capite manans tot tantasque vias peragrat, antequam ad vterum perveniat, donatam aliqua qualitate qua sibi viam secet atque faciat: 2. dum pertransit, & aliàs moram aliquam trahit, seipsa deterior fit, acquisita nimirum qualitate & stimulo: 3. Hippoc. ipse lib. de loc. dum statuit discrimen inter humorem dolores in oculis facientem, qui vel ab interno capite manat, vel à superficie sub pericranio, ait, Si ab interno capite est, humor acer & mordax est: Si ab externo, non est. Itaque si in vterum ab interno capite humor irrepit, ex illa Hipp. opinione dolorem acrimonia sua est illaturus. *lib. 2. consil. histor. 2. pag. 69.*

Fluor à cerebro non semper mordacitatis expers, vt vult Hippocrates

117. Defectiones animi ignara rerum medicarum turba ad τὸ κακοηθες, aut ad occultum referre solet, scobe unicornis mira expectatione & non exiguo sumptu salutem pollicendo: sed illas inducit adhæsus humoris tenacis, viscosi in parietibus ventriculi, quique obvius est in partibus ventriculo vicinis: hinc actionis imbecillitas ob caloris oppressionem & humoris excessum, qui cùm prius sua quantitate contumaciaque naturam obruerit, successu temporis, dum à natura non vincitur aut regitur, alienam naturam adsciscit, & sic multò deterior existit quàm ante. *lib. de virgin. & mulier. morb. cap. 8. pag. 153.*

Leypothymia comes alexipharmacis non curanda.

118. Ante omnia moderata vitæ lex vtilissima & pernecessaria est, tantique momenti, vt ea sola tam molesti morbi vindex & liberatrix esse possit, alioqui licet salus ipsa ægram servare cupiat, ea non possit. *Consil. 103. lib. 3.*

Diata exquisita necessaria.

119. Videmus multas mulieres excernere vrinas in quarum fundo verè est materia ῥοῦς γυναικεῖυ, sed tamen non per vterum talis materia fluit, sed per vesicam, *hist. 2. lib. 2. consil. annot. 13. pag. 108.*

Fluoris materia aliquãdo cum vrina excernitur.

120. Mulierem sexagenariam vidimus quæ fluore tetro muliebri conflictabatur, diu perseveraverat: Nescio quo remedio repressus est, hinc natus diabetes sævissimus, quò emaciata tabefactáque interiit. Narravit nobis se in renum regione sensum ingentis frigoris persensisse. *Paradigm. 86.*

Repressus Diabetis causa fuit.

Septalius.

Boëthi uxoris, albo profluvio laborantis, historia, explicata à Gal. lib. de præcogn. ad Posthumum

121. Cum illud mihi semper sit persuasum, in hoc morbo uterum non laborare per se, nisi cùm ex longo defluxu etiam pars ea aut laxatur nimiùm, aut refrigeratur, aut etiam aliquando ulceratur, sed vel à toto corpore, aut à ventriculo, aut ab hepate aut etiam à capite materiam illam transfundi, laudare satis non possum, quod Galenus *lib. de præcog. ad Posthumum* maximè necessarium esse duxit, ut aut totius, aut partis laborantis, & transmittentis rationem habeamus; nec sufficere humores divertere, & evacuare & per alvum, & per urinas, ut fecit eo loco Galenus, qui non solùm diureticis, asaro, & apio, & hydragogis usus est, sed longâ & forti fricatione, cùm non ab hepate, aut ventriculo tumor ille ventris inferioris, & fluxus aquosus per uterum originem duxerit, sed ex refrigerato nimiùm, & humente habitu corporis, & potissimùm carnibus partium infernarum, unde per longam, & validam fricationem, & simplicem, & cum melle cocto non solùm revocabatur ab utero serosa illa affluens humiditas, sed incalescebat habitus corporis, & ita siccabantur carnes, ut sanguis, ad appositionem, & renutritionem transmissus, non ampliùs recrudesceret, aut in pituitam, serosúmve humorem abiret, sed nutriret, sícque optimè nobilis illa matrona convaluerit; non igitur oportuit alia etiam adhibuisse, & exhibuisse præter ea, quæ tradidit eo libro ad auferendam intemperiem à toto, aut parte, ut censuit doctissimus Massarias meus, cùm non alia pars laboraret: unde excalefactâ, & siccatâ parte, ne denuò materia generaretur, satis fuit genitam & per alvum, & per urinas ab utero revocare. Quòd si asaro, & apio usus est ad ducendam materiam per vesicam, quæ tamen etiam per menses & uterum solent evacuare; non videtur mihi reprehendendus, qui, novâ generatione humoris inhibitâ, rectâ victûs ratione, potissimùm potûs parsimoniâ, & sublatâ intemperie à parte laborante, non aliud habeat, quod faceret pro eâ curandâ, quàm genitam jam aquam evacuare, & à parte, ad quam tota ferebatur, derivare; nempe hydragogis per alvum, diureticis per vesicam, & iis quidem, quæ simul menses prolicere possunt, qualia esse asarum & apium docuerat 5. & 8. *de simpl. med. facul.* ut etiam, si qua excrementa pituitosa, & serosa in uteri venis & utero ipso residerent, aut ob crassitiem retinerentur, ne aut corrumperentur retenta, aut intemperiem in utero inducerent, tandem etiam quamprimùm expurgarentur.

Album profluviũ sa-

122. Ex quâ curandi ratione illud primò colligendum est, non hac

hac solâ viâ incedendum esse in curando fluxu muliebri; aliâ enim viâ incessisse & alios Medicos Romanos, & Galenum ipsum, ex Hippocrate, & optimis quibusque Medicis antiquis desumptâ, constat ex capite illo: mutâsse autem posteà Galenum sententiam, postquàm inunctâ stomachi regione ex unguento nardino præcordia persensit frigida & humida, ac mollia, non secùs quàm lac coagulatum, nondum tamen in caseum concretum, ut ex historiâ illâ, traditâ *lib. de præcog. ad Posthumum, cap.*8. colligitur.

pe curandâ diversâ ratione à traditâ à Gal. lib. de præcog. ad Posthumum.

123. Hinc etiam erroris arguendi sunt, qui pro curando eo morbo mulieres in calidâ maris arenâ sepeliendas ex Galeni decreto censent; cùm tamen Galenus fateatur apertè, & cæteros omnes Medicos, & seipsum non sine errore hoc remedium attentâsse: ut magis ii sint deridendi, qui etiam in fluviali arenâ Soli æstivo nudas mulieres exponentes, ac demergentes, tentârunt morbum hunc evincere.

In arenâ marinâ laborantes sepelire malum, & contra Gal.

124. Curari igitur poterunt similes morbi derivatâ, & simul evacuatâ materiâ per vias secessûs, hydragogis & diureticis per vias urinæ, eo modo, quem docuit Gal. *cap. illo 9. de præcog. ad Posth.* Inter hydragoga nostro tempore primum sibi locum vendicat mechoacani radix, &, si aliqua admixta sit bilis, zialappa, tum & elaterium cum pilulis aloëphanginis, succus ireos, sylvestris potissimùm, soldanellæ decoctum, & alia, aut ex iis, aut similibus composita. Præstantissimum verò, & præsentaneum remedium sunt aquæ Thermales salsæ, ut Tettuciana, & similes, quòd per vias secessûs humiditates deducant, & per hanc viam naturam assuescant eosdem transmittere. Incassum tamen hæc omnia fient, nisi partis, generantis hos humores, rationem habuerimus, aut, si à toto generentur, totius; propterea in usum ea ducentur, quæ intemperiem partis, aut totius tollere possint, puta, si frigida & humida fuerit, quod sæpius evenit, aut ventriculi, aut hepatis, aut totius, excalefacientibus, & siccantibus conabimur evincere: commodiora autem hæc erunt, si, dum hoc præstamus, avocare ab utero materiam possimus, & in contrarium tractam evacuare, & sudorificis potissimùm, si à toto ad uterum transfundatur; in quem usum maximè commendari solet decoctum Guajaci: aut si intemperies hæc frigida & humida jecur etiam attigerit, quod ex radice, vel ligno Sassafras paratur, ex quorum exemplo quam plurima alia proponi possunt.

Albi profluvii veracurandi ratio.

125. Animadvertendum tamen, non semper aut serosum humorem, aut pituitosum peccare; neque semper hunc esse expurgandum, neque semper calidis corrigendam esse causam efficientem: aliquando enim etiam biliosa esse solet fluxio, & ab intemperie hepatis calidâ fieri, quod suis signis cognoscitur; & tunc & talis intemperies erit

Purgamenta muliebria non semper frigida, neque calidis curanda.

erit corrigenda, & per suas vias genita materia biliosa erit ab utero ad secessum corrivanda.

In albis fluoribus adstringentiũ usus omnino fugiendus.

126. Hinc communis error & muliercularum, & barbi tonsorum, quin & indoctorum Medicorum omnino erit fugiendus, exhibentium adstringentia, quæ nullo tempore, nullâve occasione unquam in usum venire possunt, ut optimè etiam annotavit Aëtius *lib. 6. cap. 66.* adstrictis enim locis, aut nobiliora membra invadent molesta illa excrementa, aut retenta in malum habitum, aut hydropem laborantes ducent.

In Hysterica suffocatione.

Ballonius.

Erysipelas in utero aliquando causa.

127. Præter vulgares causas suffocationis hystericæ, ne decipiamur unum morbum pro alio supponentes, meminisse oportet posse eam contingere ob erysipelas in utero contentum, ut Hippocr. lib. de nat. muliebr. docet: *annot. 20. in cap. 10. lib. de virg. & mul. morbis.*

Flatus aliquando maligni.

128. Flatus qui hystericam inducunt affectionem, aut sunt maligni, ut qui excitantur à semine: aut non sunt maligni, ut cùm post eruptionem mensium immodicam flatus succedunt, distendentes, & hanc affectionem inducentes: *Ibid. annot. 21.*

Fit à pravis humoribus in vetulis.

129. Non autem solùm semen retentum, aut exuberans menstruum, hujus affectionis causa est, sed & collecti pravi humores in vteris ipsis: hinc & sexagenariæ mulieres, annos & seminis & sanguinis egressæ, hystericæ fiunt ob cumulum: *Ibidem pag. 214*

In graviditate aliter agendum.

130. Videndum an mulier gravida sit hysterica, quod alia medendi sit ineunda ratio, ne fœtæ & fœtui officiatur, *Ibidem pag. 216. in marg.* Ac de suffocatione quæ adoritur prægnantem Hippoc. abundè dixit 1. de morb. mul. *Ibid. pag. 214. annot. 17.*

Cucurbitula inguinibus admovenda.

131. Sive uterus loco dimoveatur, sive vapores sursum eleventur, non alienum erit (in Paroxysmo) cucurbitulas applicare, at non eo modo quo solent mulierculæ quæ figulina aut stannea vasa vmbilico adhibent; cohibent enim quominùs in suum locum recedat, & vasa repleta quodammodo sursum trahunt, nam ille situs superior est quàm deceat: præstat itaque Inguinibus affigere, quod uterum attrahant propter uteri ligamenta quæ illuc pertinent; juvat quoque illarum applicatio ad imum ventrem. *Ibid. pag. 117.* In hystericis affectionibus, in quibus aut aboletur omnino respiratio,

tio, aut exigua manet, (quod ad sensum spectat) an usus cucurbitularum tutus in musculis abdominis? nequaquam, nam dum illi intenduntur musculi, augetur difficultas respirationis, & ita exaugetur malum: *Epid. lib. 1. pag.* 44.

132. Statim initio iuvat provocare vomitum, præsertim si mulier plena sit, nam malum auget: & hoc suadet Aëtius cap. de strangulatu uteri: quanquam dissuadet Avic. & alij Arabes, quoniam, ut ajunt, sursum vomitu retrahitur putris materia quæ syncopen adauget *c.110. lib. de virg. & mul. morb. annot.* 10. *Vomitus confert.*

133. Cùm hysterica suffocatio fiat & ob semen, & ob exuperans menstruum, & ob collectos pravos humores in uteris ipsis, peccant qui falsa opinione de ascensu uteri persuasi, ut fugent uterum proliciantque, grata ac ingrata suffiunt; Quod si nulla Hysterica passio foret sine aut perversione uteri, aut ejusdem ascensu, tolerabilius quidem hoc factum foret: sic majus multo incommodum inde consequitur, quod utroque suffitu caput impleatur quàm ex fuga uteri commodum, cùm uterus sæpe suo in loco consistat: at vulgaribus mulierum remedijs fidem facit quod unam aut alteram allevatam viderint: Ego verò suffitum suaueolentem ad os uteri ideo profuisse conjicio, non quod uterum aliorsum raptum attrahat alliciatve, sed quod illuviem in utero contentam prolectet vasis reseratis, aut quod crassam materiam attenuet incidatque &c. *Ibid. pag.* 214. & 215. Ac tandem ægras ipsas, satis tetro malignóque vapore infectas, desinamus suffire rebus ad os admotis quæ fœtoris & nidoris excellentia cætera sunt superatura: hoc enim malè reíque inscitia & simiarum more imitatione tantùm & gestu hactenus est factitatum: quanquam is non sum qui non potiùs experientiæ certa ratione firmatæ assentiar, quàm meæ opinioni præjudicatæ: tamen vix mihi persuadeo, nisi ascensus manifesti argumenta adsint, tam fœdo tetroque suffitu quicquam adiumenti oppressis strangulatisque ægris afferri: Sed omnes hac in re suo utuntur judicio; Nisi fortè dicant ideo res fœtidas naribus adhiberi, quod ingratus earum odor spiritum vitalem & animalem sopitum faciliùs moveat, & naturam ad resurgendum facilius incitet ac impellat: At non animadvertunt oppleri cerebrum id genus vaporibus, qui si sanum replendo feriendoque lædunt, multò magis & ægrum. *Ibid. pag.* 215. Maximè commune remedium & ab antiquis & à recentioribus usurpatum est suffitus fœtidarum rerum ad os, ingesta autem suaveolentium copia ad sinum pudoris, quod eò factum est, quoniam omnibus persuasum in iis affectibus uterum de suo loco moveri, ascendere & comprimere præcordia, qui dum fugit graveolentiam rerum ori adhibitarum, sequitur amplectiturque ea quæ bonum fragrantemque spirant odorem; In quo duo animadverti debent, *Suffitus sæpe noxij.*

1. si in hystericis strangulationibus non sit uteri ascensus, sed sæpe eo in sua sede stanti, id symptoma ob vaporem solum contingat, qui partibus primarijs infensus sit, quorsum pertinet suffitus rei jucundæ aut contrariæ? 2. cum cerebrum obsessum sit & veluti attonitum, minùs quadrare videtur rerum fœtidarum suffumigatio, cum ea caput repleat plurimùm: omnis enim rerum calidarum suffitus καρηβαρίας inducit, ac gravitates capitis ad sopitam jam ejus vim, & veluti sensuum ligationem à vapore maligno & frigido, accedentes plurimùm afferunt damni: imò & hoc Rondeletius annotat usu rei nidorosæ & graveolentis Epilepsiam induci. *Ibidem. pag.* 216. *&* 217.

Imi ventris repletio παθ@ simile suffocationi aliquando inducit.

134. Aliud consilium ineundum si affectio fiat ob ventris repletionem, aut propter viscus aliquod, cùm congeries humorum in ventre inferiore contentorum, præsertim qua parte major cum utero consensus & vicinia est, ob copiam molesta est, vel ob qualitatem infesta, cùm præsertim rerum jucundarum & ingratarum sensum quodammodo uterus habere videatur; maximè verò id fiet si venæ hepatis & splenis, & præsertim quæ ad uterum feruntur vasa, sanguine aut humore turgent, vel, quod probabilius est, id ex vulgi opinione pendet, vulgò enim videmus ancillas & virgines nimium gulæ deditas, præsertim si pinguiori sint aqualiculo, & horariorum fructuum usu delectentur, dolores incredibiles in imo ventre sentire, unde defectiones animi, pulsus inæqualitas, respirandi difficultas, & id totum hystericum esse putant, tamen vere non est, sed quoniam in isto humorum impetu perturbationeque, ob partium cum partibus consensum, vix incolumis uterus esse potest, qui peculiaria quædam inducit symptomata, politico potius loquendi modo quam quod res ita habeat, Vterina affectio nominatur. *Ibid. pag.* 211. *&* 212. Vidua N. præ mœrore in morbum incidit qui medicis admirationem excitavit: expers erat febris: ex intervallis sentiebat aliquam auram venenatam ab infimis partibus tibiarum, deinde stuporem: tum dolores ad ventrem superiorem, à ventriculi regione fere ad vmbilicum, paulum ad lienem declinando: tunc sine voce & respiratione decumbebat, cum sudoribus, defectione pulsus, palpitatione, xii horas paroxysmus perseverabat: morbus plus anno afflixit: à paroxysmo erat satis alacris: sapor & gustus toto morbo aderat quasi æruginem & æs degustaret, quod notandum: Quidam ex Medicis affectionem hystericam putabant: alii relictum esse aliquid ex purgamentis ab aliquo partu; alii contorsionem vteri esse: Antihystericis nihil profectum est, Ex medicis oculatior vnus originem non deducebat ab vtero, sed aut dicebat suspicionem melancholiæ hypochondriacæ, aut conclusam putrem malignam & venenatam materiam in hypochondriis & partibus

bus vicinis ventriculo, quæ non ita cito sed tempore vomitione excludenda foret, Nec aliter contigit, nam cum diuturnitatis morbi omnes pertæderet, consultum tandem est ut recreatis paulum viribus, mane injiceretur clyster acris, tribus post horis cassia daretur: natura irritata sursum deorsumque excrevit: sursum quidem æruginosam, pallidam ac varii coloris bilem, & mixtos alios humores, adeo insigniter corruptos & fœtentes vt nemo odorem ferret, imo locus totus inquinatus est: ab eo tempore allevata: *Cons.* 34. *lib.* 1. Ridendum illud quod vidimus in vxore N. quæ non tam reipsa quam opinione laborabat: Ab vtero malum esse credebat, & vterum superiora appetere: Nos in aliam adduximus opinionem, ventrem emollivimus & subduximus, bellissime habuit: Simile quid patiebatur quoddam scortum: magno alvi profluvio, cum alioqui crederet id quicquid esset vterinum esse, liberata est. *Epid. l.* 2. *p.* 225.

135. Est & aliud ineundum consilium cùm viduæ sic afficiuntur, aliud cùm vetulæ sexagenariæ aut virgines multa humorum colluvie scatentes: *Ibid. pag.* 216. *Non idem remedium viduis virginibus & vetulis convenit.*

136. Si mulier gravida est, cavendum ab ijs quæ tetrum odorem spirant, quod ea aversatus uterus fortè vi ad partes inferas ferretur & abortionis metum minaretur: si ad vulvam adoleant aromata, verendum quoque ne oris uteri apertione aqua efflueret, & una cum ea fœtus, aut exuccus arensque in utero, non sine vitæ discrimine, remaneret, *Ibid. pag.* 223. *In gravidis suffitus graveolentium noxius.*

137. De Lauro, quæ hic commendatur hoc scias, folia & baccæ conferunt in hos scopos, sed si conceperit mulier, caveatur à radicis lauri cortice, conceptum enim enecat, *ib. p.* 233. *Ann.* 15. *Cortex radicis lauri fœtum necat.*

138. *Blattium Byzantium* sive *unguis odoratus* strangulatum uteri, suffitu ad nares, prohibet, At dices, qui hoc fit cùm gratus spiret odor, imò odoriferum *malabathrum* olim redolebat, sic potiùs evocabit uterum sursum? *Dioscorides* ait quodammodo *castoreum* olere, cur ergo suaveolens erit? resp. suavem illum odorem partibus quidem tenuibus onychis inhærere, qui vi ignis facilè exhalat, testa autem quæ remanet grave quid respirat, quò fit ut ea ratione strangulatum arceat: *Ibid. pag.* 218. *Vnguis odoratus an conferat.*

139. Annotat quidam non esse alienum etiam in os immittere, cum urget affectio hysterica, diambram, diamoscum, mithridatium, licet sint aromatica, metu uteri retractus ad superiora, quia hac ratione syncopes vitantur, & plus hinc commodi quàm incommodi: item certum est quod hæc, ut & Alkermes, spiritus recreant ac instaurant, at non est verum certumque uterum ascendere. *Ibid. Annot.* 11. *p.* 23. *Odorata in os aliquando infundenda.*

Pessi non omnibus indendi.

140. In virginibus & monialibus à pessis & priapiscoris temperandum, ne hymen & claustrum pudoris violetur: magna tamen vis est in pessulis, major si vir lacertosus ostiolo pessulum obdiderit: *Ibidem.pag.*216.

Pilul. de Sagapeno vis.

141. Pilulæ de Sagapeno hic non debent omitti, tum in Paroxysmo, si fieri potest ut exhibeantur, tum extra Paroxysmum: *Ibid. pag.* 219.

Pulv. agni casti vis.

142. Ad uterum fugandum dant ʒ. pulv. agni casti cum hydromelite tepente, miraculo prodest. *Ibid.*

Castoreum valet.

143. Castoreum non omittendum, imò frequens ejus usus cum aqua mulsa vel cum artemisiæ decocto fugat hoc malum. *Ibid.pag.*228. *in marg.*

Concubitus remedio est.

144. Veteres gravidas hystericas concubitu mariti à Paroxysmo vindicari asseverant; item & viduas si sese viro commiscuerint, nam ludi venerei intermissio eam calamitatem advehit. *Ibidem pag.*223.

Olea capiti inuncta valent.

145. Probamus ab antiquis usurpatum remedium, ut caput primùm oleo de been, irino, de *majorana*, de *spica* per embrochen foveatur. *Ibid.pag.*223.

Cauterij vis.

146. In summo suffocationis periculo cauterium adhibebis. *Ibidem.*

Flatus ventriculi discutiendi.

147. Ad dissipationem flatus maligni, ventriculi litus & fotus ex iis quæ discutiunt flatus fiant, si prius omni modo tentaveris ut vomitio provocetur. *Ibidem.*

In suffocatione a nimio fluore quid agendum.

148. Si post immodicum mensium fluorem uteri ea refrigeratio contingat, ut inde strangulatus uterini occasio nascatur, fovendus est uterus est iis quæ roborandi vim habent, ne si ea quæ tenuium partium sunt usurpemus, menses moveantur, & ita major perfrictio consequatur. *Ibid.pag.*228.

In gravida hysterica quid agendum.

149. In muliere gravida hysterica possunt quidem foris adhiberi quæ intemperiem minuunt: clysteres acres (fiant ex pauca terebinthina, aut ex theriaca, vino, ol. sesamino & confectione de baccis lauri) & sectio venæ vitanda: In uterum, aut per os, nil infundatur, nisi fortè ad cardiaca confugias. *Ibid annot.*14.

Agendorũ indicationes.

150. Quibus non declinat aut aversus est uterus, pro humiditatis aut siccitatis ratione remedia adhibentur: mollioribus rarioribusque remedia sunto imbecilliora, junioribus leviuscula, provectioribus duriuscula: Si à flatu malum natum suspiceris, flatus discutientia, sin ob humores gravitas adsit, incidentia tenuantiáque usurpentur; Si humorum acrimonia vexat, mollientia laxantiáque in usu sunto. *Ibid.pag.*230.

Si sit Aversus quid agendum.

151. Si Aversio sit uteri, aut Inflammatio, aut Inclinatio, remedia sint minùs efficacia, nam fortiora morbum exacerbant, prohibentque

que seminis excretionem, contra moderata utrumque præstant: *Ibidem.*

152. Si fieri potest distinguas an fit menstruum suppressum, an semen (quanquam in Paroxysmo ambigua est curatio) si menstrua subsint, Euphorbium suppositum peculiarem dicat operam: si semen, radix satyrij & horminum (quod utrumque ciet venerem *Dioscoridi* lib.3.) imposita proliciunt illud, item fol. urticæ, item sal & nitrum; At priùs fricare corpus convenit, *Ibidem. pag.*233. *Annotatione* 13.

Alia curatio debetur menstruo suppresso alia semini.

153. Cùm mulier videt se quodammodo primæ restitui sanitati, ex eo quod minus solito repetant Paroxysmi; non desinat purgari, menses provocare, parum seminis generare, sæpe cucurbitulas femoribus applicet, pectini cataplasmata remollientia; postea vero ea quæ sua acrimonia & calore vesiculas excitent, frequentes sint exercitationes & moderatæ, modulatio & vox clara, conferunt & naturalia balnea, tum calida tum frigida, maximè verò sunt ex usu insessus ex uterinis: potest addi adeps anserinus ad remolliendum uterum, cùm Balnea mulier ingressa fuerit, ut præcaveatur, non erit alienum inungere os Pectinis & perinæum oleo, in quo sub sole maduerit semen rutæ, viticis, cassia, cinnamom. cardam. piper quoque tritum & nigella rom. Hæc ex Aëtio. *Ibid.pag.*229.

Cōtinuanda medicatio, etsi affectus remittat.

154. Vbi à Paroxysmo liberata est mulier, quod fit maximè cùm aquosa quædam excrementa, aut semen, rerum suppositarum vi, fluxerint, cogitandum ne morbus recurrat: Si menses subsistunt, ac inde mali labem conjicis, in id incumbendum ut menses cieas, imò, contra quàm fit in hysterica passione à semine, juvat plurimùm reserare venam malleoli aut poplitis, ac præmittere conveniet fotum crurum & tibiarum ex herbis hystericis, quia in hoc affectu calor ferè obruitur, ideoque sanguis & spiritus amne alveoque libero non fluit: ac nisi fluat, Æthiopem lavas, præterea si qua te occasio ab hoc conatu avertat abducatque, aut sanguisugas aut cucurbitulas, majore cum flamma, cæsurisque punctim factis, adhibebis quod sectionis vicem suppleat. *Ibid.pag.*224.

Venæ sectioni fotus crurum præmittendus.

155. Imò si magna sit plenitudo, & morbus dat inducias, ne malleoli sectio advocans vi copiosum sanguinem tanquam conculcatum, ut sic loquar, majorem obstructionis causam afferat, è re futurum est si largiùs è cubito sanguis ducatur; ut sequenti die, aut maturius, ad malleolum properetur. *Ibidem.*

S. m. è brachio quando facienda.

156. Imò in Paroxysmo tutò id fieri potest, nisi fortè prægnans fuerit mulier: à sectione malleoli abortionis aut partionis metus foret, non tantus ex gibberi sectione: imò ne tentanda quidem in gibbero, licet menstruum suppressum mali author sit, nisi plenitudinis magnæ

In Paroxysmo aliquando vena secanda

affuerint argumenta, ut propter eam magna ſuffocationis occaſio naſcatur. *Ibidem. pag.*225.

In ſuppreſſo ſemine ab ea cavendum. 157. Si ſuppreſſum ſperma ſit, à ſectione venæ temperandum, nec enim juvat, imò refrigerationem majorem adducit quàm ante fuerit. *Ibidem.*

Syr. roſ. pall. vis. 158. Enematis (& Purgantibus) adjiciatur *ſyrupus roſar. pallid.* quod ejus uſus plurimus ſit ad ſeroſos & acres ichores deturbandos, qui ſunt omnis venenatæ qualitatis maximè ſubjecta materies: *Ibid. pag.*243.

Febris ut plurimum abeſt. 159. Hyſterica Paſſio expers fere febris eſt, niſi ſit uteri aliqua phlogoſis, quæ adeſſe poteſt, & cauſa eſſe ſtrangulatus uterini: ſi quidem, authore Galeno, & perverſio uteri, & inflammatio, Purgationem ejus ſiſtere poteſt, & proindè ſtrangulatus cauſam accerſere: *lib. de virg. & mulier. morb. pag.*225.

Purgatio valida confert. 160. Vxor Dom. N. à multis menſibus dolores ſentiebat in ventre: alii uterinum quid, alij Meſaraïcum crediderunt: inſtitutus ſyrupus ex agarico & folliculis, multùm & vehementer repurgata convaluit: In ejuſmodi doloribus audacter purgandum eſt, nec dolores ſunt blandiendi. *Epid. pag.*244.

Septalius.

Præfocatis ex retento ſemine odoratis vulva non inungenda. 161. Uteri præfocatio ut morbus eſt perniciosſus, ita cùm ſolis mulieribus, & ſæpe ex improviſo adveniat, curationem ferè eæ ſolæ ſibi adſciverunt, ut inde quàm plurima errata introducta eſſe non ſit mirum: Inter quæ illud primum locum obtinet, quod in ſuffocatione matricis ex retento ſemine, in maturis virginibus & viduis, internas vulvæ partes inungunt odoratis oleis ex Zibeto, Moſcho, & ſimilibus, aut peſſaria talia imponunt, quibus licet ob ſuavem odorem uterus, ſupernas partes petens, deorſum alliciatur; quoniam tamen & titillatio excitatur, & appetitus Veneris promovetur, quaſi in furorem virgineum concitantur mulieres, & à compreſſione diaphragmatis, retracto utero, in proprio loco extenſus, quaſi turgente materiâ undequaque movetur, ac ſymptomata propemodum indicibilia producit, læſo cerebro, & corde: hinc cordis palpitationes, & ſyncopæ, hinc pulſuum deperditiones, hinc dementiæ, læſo cerebro, concuſſiones omnium partium, convulſiones & ſimilia.

Præfocatis bene olentia coxis applicãda. 162. Quare præſtaret ſuaves illos odores coxis in parte internâ prope pudendâ alligare, quàm intrudere, ſic enim beneficio ſuavis olentiæ fruerentur, nec in illa tam magna incommoda inciderent.

Facies frigidâ nõ aſpergenda. 163. Nunquam faciem frigidâ in tali caſu aſpergant.

164. Minùs

164. Minùs autem odoratis aquis. *Nec aquis odoratis.*

165. † Quinimò, ne vino quidem facies erit abluenda. *† Nec vino.*

166. * Quamvis enim vini nonnihil vi etiam adaperto ore infundi possit; cum Hipp. *lib. de morb. mul.* cùm tamen eodem tempore malè olentia naribus admoveat, vino faciem lavandam non esse docet. ** Pauxillũ vini concedendũ, malè olentibus naribus appositis.*

167. † Titillationes aut digito medio imposito, & perfricante os uteri, aut aliis istrumentis, ut semine excreto sublevetur mulier, à Christiano homine omnino ablegentur. *† In præfocatis ex semine rejiciendæ titillationes.*

168. * Quam etiam ob causam pessi illi, ex aliptâ, ligno aloës, caryophyllis, zibeto, & similibus parati, licet discutere flatus uteri valeant, quin & semen promovere; quoniam tamen tentiginem maximam promovent, & Satyriasin sæpe inducunt, in hac suffocationis specie ex retento semine, non ita tutò in usum duci possunt. **Pessi odorati in præfocatis ex semine rejiciendi.*

169. Cerata ex Tacahamachâ, Caragnâ, Galbano, & similibus, ut in hoc morbo ex retentis mensibus ob crassitiem, aut putrefactis, non refrigeratis excrementis, ac ex flatibus à propriâ sede dimoventibus, proficua sunt; ita vbi ex semine retento, & putrefacto ortum duxerit, non ita secura erunt, nisi cùm exstinguentibus semen, aut refrigerantibus, & siccantibus, ut est agnus castus, & corallium, aliquid adjungamus. *Cerata ex tacahamaca, caragna galbano &c. in præfocatis ex semine non conveniunt.*

170. Scio multas, quòd uterus descendat, ut in loco proprio retineant, ne hysterici affectus excitentur, hujusmodi ceratis ex Tacahamachâ uti, in umbilici autem cavitate imponere duo aut tria grana Moschi: sed quàm felici successu ipsæ viderint: ex calore enim corporis, & lecti, elevatis bene olentibus vaporibus, sæpe in præfocationes incidunt. *Vsus moschi in umbilico præfocationem gignit.*

171. Cucurbitulæ ut infernis partibus, ut suris, & coxis, quin & ipsi pubi appositæ proficiunt; ita regioni umbilici applicitæ majori ex parte obesse solent. *Cucurbitula in præfocatis ubi affigenda.*

172. In eâ vero quæ ex retentis mensibus concitatur, potissimùm si plenitudo subsit, ventri quomodocunque appositæ, noxas afferunt immedicabiles. *Cucurbitulæ, præfocatis appositæ, quando malæ.*

173. In iis, etiam in paroxysmo, modò cor non oppresserit, & vitales vires dejectæ non sint, licet ex talo sanguinem detrahere, sed in minori semper quantitate. *Quando licet in paroxysmo secare venam.*

174. Verùm, cùm sæpenumerò habitus corporis totus refrigeretur, non solùm in paroxysmo, sed etiam pòst, maxima adhibenda est diligentia; nam licet suppressi menses præcesserint, quin & magna plenitudo, vehementia tamen symptomatum efficit ut, refrigerato toto, & viribus debilioribus factis, ab eâ sit abstinendum. *Quando non licet secare venam.*

Præfocatis ex flatu cucurbitula magna utilis. 175. In eâ autem quæ ex flatibus originem ducit, cucurbitula magna, umbilici regioni applicata, vel inter umbilicum & pubem, præstantissimum, si quod aliud, remedium esse solet.

† Cucurbitula magna ventri applicanda cũ pauco igne. 176. † Hac tamen cautione, ut aut ex aquâ calidâ applicetur, aut cum non multo igne, potissimùm in præpinguibus mulieribus.

** Sit ex perforatis.* 177. * Sit ex iis, quæ perforatæ sunt in summitate.

† Diu non adhærescat. 178. † Diutius non permittantur adhærere, ne, impedito transitu spirituum, pars subjacens in gangrænam ducatur; quod aliquando vidi.

In Doloribus Vterinis.

Ballonius.

Pilulæ uterinæ eum excitarunt. 179. In uxore D. N. mirum fuit quod Pilularum uterinarum & blandarum usus, dolores excitavit in utero, inguinibus, suris tibiarum: adeo partium istarum maximus est consensus: & cavendum ne pigra & inefficacia sint medicamenta, alioqui dolores frustra excitantur. *Epid. lib. 2. pag.* 215.

Narcoticis sanatus. 180. Cuidam dolor erat implacabilis ad imum ventrem, isque internus, suppressio mensium erat: uterinus erat morbus, evacuatione multa, encathismatis, clysteribus cum decocto papaverum ei consultum est; Nam in morbis mulierum uterinis, præsertim cum dolores adsunt, maximè utendum stupefacientibus, & id primo quoque tempore facit Hippocrat. 2. de morb. mul. *Epid. lib. 2. pag.* 206. Mulieri à partu dolores circum umbilicum imumque ventrem: convulsiones Epilepticæ veræ adoriuntur: intra horas 12. octies aut decies convellitur, omnia terrore & stupore plena sunt; complicati erant affectus, satyriasis quædam & phlogosis circa vterum. Secta vena in brachio, secta in malleolo magna quantitate: cataplasmata lenientia admota &c. nihil aut parùm proficitur, cùm dolores vrgerent, & pectinis, inguinum, maximeque surarum & plantarum pedis cum caloris sensu, periclitatum est hoc remedium ℞. radic. althææ. & lilior. an. ℥iij. malvæ, senecion. violar. bismalvæ, meliiot. camomill. cressionis *an. m.* iij semin. lini, cidonior. psyllii, fœn. burgund. & alth. *an.* ℥iß. hyosciam. & papav. alb. an. man. iij. fiat decoctio in aqua, & passatura, in qua adde opii Thebaic. & populeon. *an.* ℥ß. f. cataplasma admovendum pubi, poplitibus & inguinibus. Vesicæ suillæ impleantur eo decocto, & admoveantur: Eadem materialia

terialia capiantur & coquantur pro semicupio : per metoenchyten de eo decocto in vterum iniectio fiat : Renibus applicatum Empl. ex philon. Rom. & vngu. comitiss. Hoc remedio convaluit, dormivit, sedati sunt omnes dolores. *Consil.* 75. *lib.* 1. *pag.* 398. Hippocrates, non reformidat usum narcoticorum in doloribus vteri. *Annot.* 5. *in id consil.*

In Furore Vterino.

Ballonius.

181. In eo minus est formidabilis refrigerantium vsus quam in phrenitide, in hac enim, præsertim si hypnoticum quid habent, præsertim cùm applicantur, reprimuntur intro ij tetri vaporesqui mentis arcem magis labefaciunt: & cùm alioqui fluant refluantque, eorum motus sistitur, ut mirum non sit si in partem, in qua sistuntur, tyrannidem exerceant, & pro affectu momentaneo ac fugace, constans fixúsque inducatur, sed in vterino furore nil tale metuimus; eò autem magis immoderatos esse sæpe oportet hîc, medendíque seriem pervertere, quod cum mulierculis res sit quæ negata cupiant. *lib. de virg. & mul. morb. pag.* 195. Vtero foris applicari debent stupæ cannabinæ in aqua frigidissima maceratæ, expressæ, deinde in butyro & oleo violato, aut rosaceo, aut nenupharino madebunt, eóque satiabuntur & toti ventri applicabuntur : *Ibid.* *In eo refrigerandum.*

182. Plurimùm interest ut concilietur somnus, alioqui verendum est ne vigiliarum assiduitate, & consumptione spirituum animalium, partes ab exhausto laborent, unde augeantur cerebri symptomata, imò & phrenitis, aucta calidâ & sicca intemperie, contingat : itaque & caput & pedes humectandi sunt : maximè verò conferent emulsiones quæ ad ardorem vrinæ institui solent, additis herbis vterinis, *Ibidem.* *Hypnotica exhibenda.*

183. Philonium Romanum confert, ut & opiata zazenea, etsi enim utraque antidotus magnos usus habet in doloribus à causa frigidâ obortis; si recens parata sit, propter opium in furiosis affectibus plurimùm est profutura : Sed præsertim Nicolai Requies, quod in acutis febribus, aff ctibusque cum inquietudine agitationéque junctis, mirum afferat fructum. *Ibid. pag.* 196. *Philonium Romanum vis.*

184. At in Narcoticorum usu, sive utero consulamus, sive somnum conciliare studeamus, videndum est ne dum prodesse elaboramus, quid obsimus, Narcotica enim κατ' ἐπιχειρησιν tantum αἰτια dicun- *Narcotica suspecta.*

tur: sedant quidem dolores, sed partium magno incommodo. *Ibid. pag.* 200.

Anacollimata quando admovenda.

185. Notandum in usu τῶν ἀνακολλημάτων quæ fronri applicantur, si affectus calidus est & siccus, utendum esse iis potius quæ humida sint actu: Sin humidus affectus, ijs quæ sicca sunt: in delirio uterino utendum humidioribus. *Ibid. pag.* 197.

Semen extinguentia cal. quomodo conducunt.

186. Semen extinguunt ruta, agnus cast. salvia franca, id præstant & siccandi vi & calore: tamen eruca, satyrium, alioqui calida, semen augent: agnus & ruta, quæ calida sunt, extinguunt, unde? satyrium & eruca non tam semen augent, quàm ad venerem excitant, & illa multáque alia, quod flatuosa sint: ruta & agnus cum calidiora sint, flatus discutiunt, semen extinguunt, proinde veneris ardorem extinguunt aut refrænant; *Ibidem. cap.* 10. *Annot.* 18. *pag.* 234.

Atra bilis in utero.

187. Rhotomago venit mulier à Medicis relicta, hæc appetentibus mensibus angitur, dolet, furit melancholicorum more; Quid rei sit dubitant, Tandem colligunt eum esse affectum quem Hippocrat. in lib. de morb. mulierum vocat, Atram Bilem in uteris. *Epid. lib.* 2. *pag.* 153.

In Vteri Prolapsu & Descensu.

Ballonius.

Vteri perversio Ischiadem mentitur.

188. Perversio uteri potest dolores Coxarios inferre, quos temerè solennibus ad Arthritim remedijs profligare studueris, quod fit ob ejus ἰλιγγοῤῥοπὴν, contorsionem aut perversionem in latus, Nam cùm ita intorquetur, dolores inguinis & coxendicis sæpe acerbissimi oriuntur, crus aliquando obtorpescit, unde sæpe mulieres claudicant ac si Ischiade laborarent: hoc primus Galenus 6. de locis affect. observavit in plerisque, quibus, cum suppressi menses essent, in latus detorquetur inclinatque uterus, hinc dolor coxæ & ingrediundi difficultas: Imò & tumores nascuntur, & uterus ibi putrescit, De quo audiendus Aphor. Si uterus vergat incumbatque in coxam, necesse est linamentum fieri: Mulier quædam Ischiade laborare putabatur, cùm tamen id totum à decubitu uteri in latus nasceretur: huic substiterant menses: ad coxendicis morbum, ut credebatur, tollendum, omnis remediorum sylva adhibebatur, in malleolo secatur vena, nil profectum est; tandem cum elusam omnium remediorum vim medici conjicerent, fortè quæritur num menses suppressi contorsionem uteri attulissent, obstetricibus id muneris déman-

demandatur: comperiunt uterum in dextram magis partem vergere, fluxerunt menses, in locum pristinum vterus restituitur, convalescit: *Ibid. cap.* II.

189. Magni refert an sit Descensus an Procidentia, quod ille à minimis causis fiat, & sæpe libidinis impetum consequatur, & actio quædam sit & τῆς ἐνέργειας aliquid habet: Procidentia autem passio quædam est, causas vehementes sequuta aut magnã resolutionem partis, aut vim ab obstetrice illatam, aut quoniam, cum violenta Secundinarum extractione, eductus quoque est ipse. Dum instituendæ curationis initur consilium, videndum an ad Procidentiam ipsam faciat quædam ipsius uteri ὁρμὴ, καὶ ῥοπὴ, καὶ ἔφοδος, an verò aliqua alia ratione contigerit, quanquam enim prima quasi fronte communis curandi ratio sese offert, tamen ut sunt causæ diversæ, morbíque unius diversæ Ideæ, ita varia debent esse remediorum genera: Si Descensus propriè dictus, ob motum ipsius uteri quo provolvitur in pudendum, ad remedia veniendum erit hystericæ affectionis, nisi quod ὕστερον πρότερον sunt usurpanda: nam quæ naribus admoventur, insuavitate odoris uterum fugantia, ea sinui Pudoris suffienda sunt; in suaveolentibus eodem modo se gerere oportebit: at cùm Prolapsus est uterus ligamentis solutis, videndum an id fiat per se, an per accidens; an cum humore, an sine humore, &c. *Ibidem p.* 141. & 142.

Aliter procedendum in descensu, aliter in procidentia.

190. In uteri Prolapsu cautè, toto curationis progressu, observandum ne medicamentorum astringentium usu, menses statis temporibus fluere soliti, sistantur, *Ibid. pag.* 247.

Astringentia admota removenda tempore fluxus mẽstrui.

191. Duci Lotharingiæ mortuæ, post dolores acerbissimos ad imum ventrem, repertus est omnino revolutus & complicatus uterus, Hunc morbum non omisit Hippocr. quem vocat Complicationem uterorum: *Epid. lib. pag.* 152.

Vteri complicatio.

In Graviditate vera & falsa.

Ballonius.

192. Mulier quædam fluxu sanguinis laborabat: deliquia animi aderant: Medicus imprudens à vacuatione esse putabat, at falsa erat imprægnatio: Quoties repente mulieribus effusiones sanguinis adsunt, suspicari oportet de falso conceptu quem natura abhorret; In talibus frustra laboratur in sistendo sanguine: donec id, quod contra naturam continetur, natura emoliatur ipsa, non is sistitur sanguis, & grumi multi sanguinis excernuntur: annota-

Repentina sanguinis per uterum effusio sisti non debet, cùm sit falsi conceptus nota.

vit autem Hippocrates meliùs esse grumosum sanguinem effundi quàm omnino liquidum ac dissolutum: Ista ægra, tametsi sanguinem supprimentia data essent, tamen non habuit melius, donec excussa fuisset res in utero contenta, id quod notandum, quia hic errari solet, *Epid. lib. 2. pag. 242.*

Sanguinis ex utero fluxus abortum non semper minatur, nec semper sistendus. Narcotica *suspecta.*

193. Cuidam, cum gravida esset, sanguinis ex utero multum fluxit, credebamus aborturam: tamen ad justum pariendi tempus fœtus utero gestatus est: Videndum expectandumque est quid eventurum sit, Obstetrix mihi affirmavit isto profluvio sanguinis conceptum & partum legitimum non fuisse impeditum. *Epid. lib. 2. pag. 167.*

194. In falsa impraegnatione, aliàs mola excernitur tertio aut quarto mense, tardius celeriusque: aliàs semen, quod justam figuram coaptationemque membrorum, vi prolifica evanescente, non est adeptum; Cùm falsum est semen, seu Germen, ut vocant, falsaque & ementita est impraegnatio, secundinas expectare oportet, sed cùm mola adest, secundinæ nullæ sunt: Itaque hoc valde diligenter distinguere oportet, ne aut tardius fluentem sanguinem reprimamus, aut citiùs quàm opus sit: Si de Secundis retentis suspicio est, cave sanguinem sistas; Cùm falsum germen est, id quod excernitur lacteum & veluti innatans esse videtur: Cùm Mola est, corpus informe & indigestum apparet, ut cuidam contigit, quæ cùm largâ sanguinis effluxione quadrimestrem molam exegit: sed miror cur non passa sit Purgationes pelliculosas & cassibus aranearum similes, cùm Hippocrates dicat ijs mulieribus, cùm pepererint, tales fieri excretiones si, dum gestarent, tumidiusculæ fuissent, aliàs atque aliàs febriissent, caput doluissent, Quod huic mulieri maximè contigit: Hippocrates 1. de morbis mulierum, *Epid. lib. 1. pag. 63.*

Sanguis à pelliculis quomodo discernendus, in falsa impraegnatione.

195. In falsa impraegnatione discernendum an sit sanguis solum, an verò Pelliculæ sint, quoniam hic decipi facilè est, Si sanguis est, aqua calida solvitur: si caro, pelliculæ adsunt, restant post affusi sanguinis eliquationem. *Epid. libro 2. pag. 154.*

In conceptus opinione cum sanguinis per uterum profluvio quid agendum.

196. Cuidam, cum conceptus opinio esset, maximum sanguinis per uterum profluvium: Obstetrix narrabat cogitandum esse de expellendo aliquo, quod in utero inutile existens, istius profluvij author esset: medicamentum datum, clyster, dolores cessaverunt: Quod dolores cessavissent querebatur: Expectare debemus donec, una cum tempore, res magis inclarescat, ut vel de perfecto conceptu, vel falsa impraegnatione, certiores simus; Nec dum quicquam statuimus donec quid acciderit intellexerimus; Periclitatio fugienda est valde: Et quemadmodum conceptus, retentio mensium, conformatio, & omne circa σύλληψιν negotium, unum naturæ sit miraculum, ita retentio fœtus & exclusio, imò & rei contra naturam

ram expulsio, unum è Naturæ operibus maximum est: Et quod sæpe ars non facit, nec aggreditur quidem, id natura, magno omnium stupore, perficit: Sic Medicos potiùs spectatores quàm actores esse oportet: cùm fluere desiisset, aliquo post tempore, majore impetu fluere cepit; & nil excretum est formatum: *Epidem.lib.2.pag.210.*

197. Gravidæ mulieri sanguinis fluor ex utero erat continuus, quærebatur an accelerandus esset partus, quod in eo salutis spes posita esse videretur,& ad id medicamentum abortionem facturum daretur? consentaneum erat consilium hoc sequi; contra in ancipiti omnia erant: hoc tutum negabant alij: alij verò danda suadebant oxypora, ita augeretur sanguinis ferocientis impetus; nam usu τῶν ὀξυτόκων auctum iri sanguinis fluorem asseverabant, nulla ratione ægram adjuvando: Præstat quiescere, cùm certiores simus quod partus actio sit fœtæ & fœtus; Si effœtæ vires Gravidæ matris, quid confert medicamentum? hoc controversum maximè est: *Epid.lib.1.pag.7.* Maximè laborant Medici cùm mulieri gravidæ fluor sanguinis contingit: ferè enim adest abortus: Itaque consulendum mulieribus ut sese domi contineant: & omni ratione impediendus est cursus iste; & cùm adventarit pariendi tempus, tum Medici erit prudentis videre an iste sanguinis cursus intercipiendus sit an non. *Ibid. pag.68.* Quædam patiebatur fluxum sanguinis magnum, ante partum, & in ipso pariendi tempore, Quæsitum an Partus accelerandus? Quibusdam videtur æquum, quia tandiu natura molietur symptomaticè istam excretionem, quandiu frustra conabitur fœtum excludere: aliis non videtur; & si non adsunt tormina quæ excretionem juvant, arte excitanda quidam credunt, unde nonnulli argentum vivum deglutiendum dedere: hic prudentiam Medicorum desidero maximam, quoniam nondum de ea re definitum est: Pleræque animam efflarunt non excluso fœtu, ob istam evacuationem præcedentem copiosiorem, *Ibidem.lib.2. pag.141. Vide decisionem in obstetric. Gallicæ obs. cap.5. pag.64.*

An partus promovendus in gravida superveniente sanguinis fluxu.

198. Cum gravida mulier morbo tenetur qui maximè sectionem venæ postulat; An graviditas à crebra sectione & larga profusione sanguinis avocabit? cùm enixæ sunt, ingentem evacuationem sanguinis habent & impune sustinent: imò mulieres crebriores & largiores venæ sectiones ferunt quam viri, hicne restrictiores esse oportet; *Epid.lib.1.pag.23.*

Gravidis aliquando sanguinis liberalis vacuatio confert.

199. Tutiùs gravidis tunditur vena quàm Purgatio instituitur; Et multas observare licet mulieres plethoricas, quibus nisi circiter quartum mensem reseretur vena, abortiunt, fœtusque copia obruitur: Et citra hanc, cùm febris aut inflammatio aliqua vehementius urget, gravidis tutò detrahitur sanguis, sequendúmque ea in re Celsi consilium, qui magnitudinis morbi & virium duntaxat rationem ha-

Sectio venæ Purgatione tutior.

bet : *Firmus puer, inquit, & robustus senex, & gravida mulier valens, tutò curantur hoc præsidii genere* : Sicque uteri gestatio inter quantitatis duntaxat observationes habenda: Non enim perpetuum est quod ab Hipp. scribitur, *Mulierem utero gerentem secta vena abortire, idque magis si auctior est fœtus* : id duntaxat temperandum suadet à magnis vacuationibus tempore Hipp. fieri solitis, ne scilicet fœtus uteri latebris conclusus in lucem prodire, idonei alimenti defectu, cogatur: *Epid.lib.1.pag* 25.

Non omnis alvi fluor periculosus.

194. Hippocr. Aphor.34.lib.5 Si Gravidæ alvus plurimùm profluat, metus est abortionis: Quod verum, quia & ob dolores & defraudationem ipsius fœtus, magnæ corpori fœto mutationes contingunt; sed notandum illud 2. Prorrhet. vbi narrat duas esse dysenterias; unam cum febre, variis excrementis, hepatis inflammatione aut præcordiorum aut ventris, cum ciborum aversione: Aliæ quidem sunt, sine his signis cum ramêtis quidem & sanguine, sed breviores, & quas vocat λυσιτελέας, fructuosas commodásque ægris, quod aut à diuturnis aut brevibus morbis ægros afferant; de his posterioribus loquens ait. *Quæ uterum gestant, ab hujusmodi dysenteriis & ad partum & ex partu evadunt, fœtus sanos habent, etiam per multos menses, & sanguine & ramentis excretis*, Est enim ubi dysenteriæ malæ sunt, cùm præsente partium naturalium prava dispositione perennis fit graveolentium excrementorum proventus, Est vbi tantùm congeries facta est excrementorum, quorum evacuatio & fœtum & fœtam in melioris valetudinis bonam spem adducit : *Consil.* 57. *lib.* 1. *pag.* 305. & 306.

Si ventris & renum adsit dolor, clyster, & topicis caute utendum

201. Gravidas mulieres tormina nephriticosque dolores vexant, An clysmata, fotus & litus conveniunt? Cavendum, ne dum id fit effœminatio partium uterinarum consequatur, unde Abortus fiat, *Epidem.lib.1.p.*11.

Gravidæ pleuriticæ an partus provocandus.

202. In Gravida pleuritide detenta, An partus provocandus, *Vide: lib.*7. §. 49.

In Sterilitate.

Ballonius

Terebinthinæ vis.

203. Pilularum ex terebinthina vsus vere & autumno frequentis satis in vsu Sterilitati medetur : Nob. mulier Medicorum consilium secuta hac arte & ingenio sterilitatem vitasse se affirmavit; Frequenter devorabat Pilulam vnam ex *terebinth.* optimam, præsertim ineunte vere, per três menses: quod creditu non est difficile : maximas.

mas enim dotes & opportunitates *terebinthina* est consequuta : Vt facile in Pilularum formam reformetur, in decocto conveniente elixanda est, vt facilius ducatur, & consistentiam acquirat formandis Pilulis idoneam, *Conf.* 30. *lib.* 5. *ann.* 3. *p.*115.

204. Mirum quod scribit *Matthiolus* de *succo salviæ*, si hujus heminam quarto a secubitu die, adiecto pauco sale hauserit mulier: deinde viro misceatur, concipiet: Aiunt in Ægypto post sævas pestilentias, mulieres ab iis qui superfuerunt coactas fuisse vt eum succum biberent, atque inde plurimi producti sunt fœtus. *Ibidem annot.* 4 *Salviæ vis.*

205. In rebus æstimandis & iudicio ferendo omnia vtrinque ad certam regulam sunt revocanda, ne falsum pro vero supponamus: Atque cum alias, tum maxime cum agitur de Infœcunditate, quæ molesta esse solet, & matrimoniorum perturbatrix : soboles enim eorum est vinculum, fidum pignus & amicitiæ conciliatrix : Et quoniam ad tristiorem partem strenuâ est suspicio, vimque affert veritati, ea suspicio innocenti sæpe nocet, dum spes prolis titillat, sollicitat, lites fovet : In causa infœcunditatis æqua lanx afferenda : In re quæ proponitur maritus culpa non vacat, non vacat & mulier: Mola, quæ est moles indigesta, & naturæ quoddam irritum opus & quasi ludibrium, docet, aut viri semen effœtum, aut vterum, naturæ agrum, vligine plenum, unde semen serescit & vim genitricem amittit : Uir arrigit, emittit, effundit & immittit, bene venerem explicat, id quod viro patrocinatur : Naturalia sunt secundum naturam : Mulier ῥοῦν quendam patitur, & eo tabo irriguus vterus minus est aptus ad concipiendum semen, etiam prolificum, vt sua virili & mascula vi semen muliebre ad texturam & primum exordium, & ad primum opus excitet : Impuritas vteri, quæ hunc quasi indignabundum reddit, maxime causa est Sterilitatis : Ex Hippocr. sect. 4. 2. Epidem. Fluores albi veneri officiunt & nocent; Dicunt mulierem corpus habere ἔνσαρκον & habitius, item & virum: At corpora habitiora sæpe non sunt magis prolifica, imo minus : macra sunt salaciora, libidinosiora & fœcundiora, licet semen prolificum glutinis plus habeat & lentæ substantiæ ad fœcunditatem & diuturnitatem; & plantæ sunt vivaciores quæ plus lenti & glutinosi habent humoris : Salaces aliquando sunt infœcundi, cum habeant salem ad libidinem, sed non ἐνέργειαν prolificam : Id forte huic viro convenit, statim incitatur, statim venerem explicat, statim elanguet, non definit tamen semen esse naturale & fœcundum; In amplexu suo, & congressus aculeo, cunctantior esse debet, vt non tam facile semen emittatur. Iudicium Dominorum consulum & rei æstimatorum esse debet, ut habeatur ratio viri, non negligatur mulier: Sed maxime videndum, ne mulieri sit levis suspicio de impotentia viri, *Cõsultatio de sterilitate, An ex parte viri an mulieris*

vt

vt ne vinculum matrimonii resolvatur: quod spes prolis firmat, & id passim hodie fit; Et cum mulieres non ament viros nisi frigidisculæ, impotentiam facile prætexunt ad dissolvendum matrimonium: Et infœcunditatem afferunt vt iustam repudii causam, sed sæpe imaginariam, & falsæ & mendacis amicitiæ testem. Sunt enim corpora quædam quæ simul iuncta habent quandam antipathiam ad iustam fœcunditatem & lætam: Est quædam privatim dissociatio corporum (ait Plinius) & inter steriles, ubi cum aliis iunxere gignunt: alii aliæque tantum mares, alii fœminas gignunt; alij alternant; alijs semel in vita datur gignere: Uerum cupiditas puerorum coniugali fidei præponi non debet; etsi natura, quemadmodum nascendi ita denascendi legem scribit, & non parentes alendo nepotum nutriendorum debito alligavit: Diximus alias virum non debere esse aut fatuum, aut insulsum, quia aut non excitatur ad venerem, aut eam non explicat: At ex parte mulieris, in congressu non debet nimium se movere, quod mulieres, quæ nolunt concipere, faciunt, & id latine crissare dicitur: id autem faciunt vt concinniorem venerem exhibeant viris, aut vt sibi abigant conceptum semen, quod incidit in vulvam fœminæ in ipso conceptu non se moventis: Sic salacitas in viro, & nimia concussatio, & motus in congressu sterilitatem facit Ea dari debent sterilibus corporibus quæ minuunt corpus, frictio dura & vehemens spissat, mollis lenit, multa corpus adimit, ut ait Plinius, vt mulier concipiat puram esse oportet, quoad fieri potest; nam muco plenæ nec facile concipiunt, nec signa conceptus percipiunt, unde Hippocr. l. de carn. horrorem, calorem, dentium stridorem, convulsionem quandam circa articulos, vteri segnitiem & torporem, Signa conceptus prodit: sed puras mulieres hoc pati asseverat; crassæ & mucosæ non ita percipiunt. *Conf. 28. lib. 3.*

In Partu.

Ballonius.

Moderatus sit vsus vini Hippocrat. ante eum.

207. Dum partus instat, nunquid ante eum per octo aut novem dies, mulier commodè vti potest vino Hippocratico, ut ejus usu sensim vasa aperiantur, sic partus facilior fiat, & à partu purgationes dictæ meliùs eant? fieri hercle id potest, tamen cavendum ne quid peccetur: nam si usus vini Hippocratici sit major, cavendum ne sanguis calfiat & ita febribus post partum occasio detur: imò majus inde incommodum quàm commodum sequatur.

tur unde in quadam vidimus convulſiones epilepticas in partu; ante ſatis liberaliter eo viuo vſa fuerat, hinc ſanguinis & humorum incitatus eſt curſus: *Epid. lib.* 1. *pag.* 45.

207. Viſæ ſunt mulieres molam excreviſſe, & quarto poſt menſe verum excluſiſſe fœtum; & quædam verum habuiſſe partum, deinde longo poſt tempore velut molam excreviſſe, vt contigit Damiſellæ de Bryaco, quæ cùm ferè egiſſet à partu dies 20. molam quandam excluſit: Vidi quid ſimile apud *Hippoc.* 5. *Epid.* cùm falſum germen excuſſum eſt, ne quieſcas donec pro comperto habeas num aliud reſtet, nam tria aliquando excluduntur; In hoc metu obſtetrices ne adſtringentibus vtantur, ſed aquam calidam ſupponant ex decoctione fœni Burgundiani, ut notum ſit num aliquid reſes ſit & ſuperſit. *lib.* 1. *Epidem. & Ephemer. pag.* 57.

Excluſo falſo germine, videat medicus an quid ſit ſuperſtes.

208. Quoniam Tormina juvant partum, ſi quod Medicamentum tormina excitans ex uſu foret, illud ſumus experti abſente febre. ℞. matricar. artemiſ. nepethæ ana. pug. j. hyſſopi p. j. ſ. mercurial. agripalmæ ana. pug. ſem. ſemin. citr. pæon. ana. drach. ſ. cinnam. & rad. biſtortæ ana. ℥j. f. decoctio in qua bulliant fol. Orient. ℥ij. fiat fortis expreſſio, ut terreſtris pars remaneat & tormina excitet, adde vini albi parùm. *Conſ.* 20. *lib.* 2.

Tormina medicamentum excitans.

209. Muliercularum balneum ex fæce vini albi aut rubri, ex alumine & ſimil. vſurpari ſolitum in puerperis, interdici debet; balneo aquæ dulcis recreari poſſunt, & pro omni deterſorio fiat puls ex amygdalis contuſis & hordeo contuſo qua corpus leniter fricetur, ita enim detergebitur corpus & nihil incommodi afferetur; nam balneorum uſu caput vaporibus impletur, & graviter in ijs vſurpandis peccatur, *conſ.* 40. *lib.* 2.

Balneum ex adſtringentibus puerperis noxium.

Septalius.

210. Non is ego ſum, qui populares errores gravidarum, obſtetricum, mulierum, & Medicorum in partu naturali, præter naturam, de mortuo fœtu, ſecundis retentis, & aliis, ad hoc negotium pertinentibus, recenſere velim, quòd & id præter meum inſtitutum ſit, qui exceptiones potiùs Regularum, & ſingularia quædam, à paucis animadverſa, quàm Canones hoc libro comprehendere decrevi. Potiſſimùm, cùm libris, ad hanc rem ſolùm attinentibus, doctiſſimi viri, Joubertus, Gallicâ linguâ libro ſcripto, & Scipio Mercurius, & in libro *Obſtetricis*, & in *Erroribus popularibus* omnia ferè conprehenderint, in quibus circa rem hanc ſæpe peccare ſolent & mulieres & vulgus Medicorum. Canones verò cu-

rationum omnium morborum muliebrium diligentiſſimè proſecuti ſunt, præter antiquos Patres noſtros, Græcos, Arabes, & Latinos, ex recentioribus Mercatus, Mercurialis, & Maſſarias; ſolùm aliqua attingam ad munus ſuſceptum attinentia.

Obſtetricibus non temerè credēdum, ſed Medicus, proprio judicio dicta illarum expendēs agat

211. Primò animadverto, & frequenti experientiâ obſervavi, non eſſe temerè credendum obſtetricibus, aut aſtruentibus graviditatem, aut negantibus, ubi agitur aut de promovendis menſibus, aut de ſecandâ venâ, aut purgando corpore ob urgentem aliquem morbum; ſed Medicus diligentiam ſuam adhibeat, conjecturis agat, has cum dictis obſtetricum conjungat, & ſuſpenſo ſemper pede in re, admodum judicatu difficili, incedat; ne, ſi dicta ſolùm obſtetricum, aut mulierum ſequatur, nimis ſecurè incedens, abortum inducat, aut remediis deſtitutam languentem ſinat.

Obſtetricibus, aſſerentibus fœtum mortuum, non temerè credendum.

212. Si unquam tamen in ſimilibus caſibus aperiendi ſunt oculi, tunc ſanè quàm minimum obſtetricibus eſt credendum, etiam jurejurando aſſerentibus, cùm mortuum eſſe fœtum teſtantur, & valentibus medicamentis excludendum perſuadent; cùm ſæpenumerò multas viderimus, à quibus fœtum, tanquam mortuum, aut excludendum, aut, quòd pejus eſt, ferramentis extrahendum eſſe cenſebant obſtetrices, & ſub ſuâ, ut ajebant, conſcientiâ jurabant, quæ non ita multò pòſt vivum & bene valentem fœtum pepererunt.

Partus non praadjuvandus à Medico ob preces parturientium

213. Ut autem non ita facilè credendum eſt obſtetricibus, ita aures non ſunt præbendæ parturientibus, quæ, difficultate partûs fractæ, & acerbitate dolorum commotæ, precibus inſtanter efflagitant à Medicis, ut manus adjutrices porrigant, pulveres, decocta, aquas ſtillatitias porrigendo; quibus ſæpe fit, ut infans aut occidatur, aut irritata natura tempus debitum antevertat, unde aut acerbus excludatur, aut excluſus ante tempus à naturâ conſtitutum, non ſervet naturalem ſitum in exeundo.

Partu in difficili promoventia fœtum, aut ſecundas ſæpe noxia.

214. Ob hanc ipſam cauſam, cùm hæc tanta difficultas partûs adeſt, laxantibus potiùs, & emollientibus res erit tranſigenda, quàm iis, quibus uti ſolemus ad expellendum fœtum mortuum, aut ſecundas.

Fœtum excludentibus quando utendum.

215. Quòd ſi etiam ad hæc eſt veniendum, placidiora ſemper in uſum duci debebunt; ne, dum parturientem adjuvare velimus, & ipſius infantis excluſionem, ipſum, aut etiam matrem occidamus.

Oleum amygdalinū à partu neque ſemper, neque qui-

216. Oleum amygdalarum, quod à noſtris mulieribus poſt partum paſſim exhiberi video, neque ſemper, neque cuicunque convenit: ubi enim commode menſes fluxerint, neque vehementes adfuerint dolores, aut ſupervenire conſueverint, non ita ex ratio-

ne

ne exhibetur; ſæpe enim ſubſequuntur ſubverſiones ventriculi,& alvus aliquando citatur: primiparis itaque rarò convenit, quòd dolores illis ſupervenire non ſoleant, neque exploratum habeamus quantum fluere velit materia.

buſvis convenit.

217. Si ſupervenerit febris, aut inflammatio aliqua, nunquam à ſuperioribus venis extrahendus erit ſanguis, quidquid alii ſentiant; ne retrahantur purgamenta, ſed ab infernis ſemper erit evacuandus.

Febricitantibus à partu nunquã mittendus ſanguis à ſupernis partibus.

In Lochiorum ſuppreſſione.

Ballonius.

218. Suppreſſio menſtruorum, etiam trium aut quatuor dierum moleſta eſt: in conceptu, ſaltem cùm infans fruitur, non eſt: à partu ſuppreſſio lochiorum ſtatim necat, quid id rei? Quia aliquando humor regitur, aliquando non regitur: idem de corporum noſtrorum humoribus dici poteſt, nam quid eſt quod quibuſdam, ſi ſemel alvus ſupprimatur, aut niſi ſæpe purgentur, tam gravia eveniant ſymptomata, alijs non? quia humores habent aliquid ἄπεπτον & naturæ contrarium: vnde quibus in humore eſt quædam qualitas ſalſa, nitroſa aut ſimilis generis, ij leui de cauſa inhorreſcunt & febricitant, aut deſtillationibus ſunt ferinis obnoxij: contra quibus humores ſunt magis morati & manſueti, ij non tam facilè in morbos incidunt, niſi graviter in victu deliquerint. *Epid. lib.* 2. *pag.* 250.

Lochiorum ſuppreſſio periculoſa etiam paucorum dierum.

219. Quædam pudicitiam ſuam proſtituerat, uteróque conceperat, conceptus ferè trimeſtris aut bimeſtris: cùm ea de re nulli ſuboleret, fortè cum joco multa faceret patereturque, in vicinum lectum conjicitur, in ejus ventrem incidit iuvenis, qui impetu lapſus & ſua ipſe mole opprimens, tantam vtero vim intulit, ut eliſus fuerit fœtus: ingens copia ſanguinis fluit: qui aderant, nil tale de conceptu cogitabant; advocatus medicus de amiſſa pudicitia ne cogitare auſus, totum id ad preſſum iſtum referebat; ideo rogatus ut omni ratione ſanguinem cohiberet, & ſupprimentia & ſectionem venæ recens enixæ adhibuit: ſequenti die Rhabarbarum præſcribit, nil inde alienum conſecutum: an vrgente neceſſitate recens enixas ad ſolennia remedia adigere audebis? *Epid. lib.* 1. *pag.* 53.

Lochia cuidam innoxiè ſuppreſſa.

220. Cuidam lochia non benè reſpondebant: dolor ad lumbos & regionem lienis implacabilis: audaciùs ſecta vena, profuit: *Epid. lib.* 2. *pag.* 208.

Vena ſecta in eorum ſuppreſſione.

CAUTIONES

&c.

IN INFANTIUM AFFECTIBUS.

Ballonius.

Pueri quãdiu lactãdi.

1. OPeræ pretium est ut lactere ſinamus puellos annos duos integros cum dimidio: quod enim alimentum partibus ſolidis fovendis convenientius? *Epid. lib. 1. pag.* 8.

Non ſtatim ab exhibita pulte &c. ſomno tradendi.

2. Error maximus committitur in pueris, quod ſtatim ab uſu pultis & lactis, nutrices eos dormire faciunt: quid enim ad cruditatem generandam facilius? Hinc epilepſiæ & conſimilium occaſio: *Annot. 1. in Hiſtor. 6. lib. 2. conſiliorum.*

Morborum puerilium cura difficilis.

3. Puerorum curam ſuſcipientes tantò diligentiores in eorum morbis nos præſtemus, quantò minùs certos de ſuarum affectionum idea reddere nos ſolent: imò cum pueris tanquam mutis ægris nos rem habere exiſtimemus, ut quoniam ex relatione, quæ tamen in dignoſcendis morbis plurimi facienda eſt, nihil certi, nihilque penſi habemus, alijs conjecturis, ſignis & ſymptomatum obſervationibus nitamur, alioqui puerorum ſalus valde periclitatur: *Conſ. 76. lib.* 1. In medendo valde cautos eſſe Medicos oportet, nec quicquam accelerandum: ac præſertim in puerilibus tractandis corporibus cautos & remiſſos eſſe oportet. *Epid. lib. 1. p.* 210.

Pueri ablactati ut plurimum graviter laborant.

4. Muliercularum crebris ſermonibus vſurpatur, neceſſe eſſe cuique puello ablactato graviter laborare: omnis enim ad contrarium victum converſio, imò & mutatio omnis, licet non ad deteriora, ſuſpecta eſſe debet. *Conſil. 36. lib. 1. pag.* 137.

Vena poteſt illis aperiri.

5. De venæ ſectione in puerorum morbis vide librum 4. *Artic.* 41. *p.* 141.

Nutricibus ut infantes purgentur ſcãmoniata non danda.

6. Hippocrates vult Infantulorum nutrices ſæpe ſumere medicamentum, quale puello conſcriberetur: nocent namque plurimùm ſcammoniata nutricibus, lactique admixta aliquando exhibita puerum convulſerunt. *Epid. lib. 1. pag.* 27. Cùm pueris mulierem, capram, & elaterium ſumentes conveniens eſſe remedium ait Hippocr. non adeo ſui obliviſcitur ut elaterio lactantes pueros exagitandos eſſe cenſeat: ſæpe enim non ad verba Hippocr. ſed ad mentem attendere oportet, *libro de Calculo, pag.* 78.

In

In Variolis & Rubiolis.

7. An commodè præscribi possunt medicamenta antequam morbilli sese prodant? an illa impediunt motum naturæ? imò inopinatò venam secuimus, & medicamentum purgans dedimus, quibus die sequenti, aut postridie, apparerent variolæ, & meliùs multò habuerunt quàm quibus non ausi fuimus idem exhibere: sic parùm probabile quod dicitur minùs affatim erumpere papulas si corpus ante purgaveris, *Epid. lib.* 1. *pag.* 37. Cuidam summa difficultas deglutiendi (quæ erat tantùm morbillorum latentium soboles, nos autem nil tale suspicabamur) insignis febris, eluimus alvum clysmate, venam metu synanches secuimus, sequenti die exanthemata apparent, & brevi tamen conualuit, *Epid. lib.* 1. *pag.* 37. In sævitia symptomatum, quæ erant prænuntia exanthematum (sed hoc ignorabamus) medicamenta & phlebotomiam tentavimus, cùm ea eruptio præsto adesset, & tamen innocuum vtrumque remedium fuit: ut jam sit anile credere nil in exanthematis tentandum: imò ex tribus pueris exanthemata passis, qui purgatus est leviùs habuit: Cùm servæ cuidam exanthemata, eaque densissima, paruissent, necnon lingua intumuisset, flagrante etiam malo secta est vena, copiosus detractus sanguis, & hoc innocuum fuit: *Epid. lib.* 2. *pag.* 141. *&* 142. Imò dato medicamento (nisi fortè validius fuerit) & aperta vena, eruptio citatur & accersitur: quidam primarius Medicus affirmat se sine vllo damno cuidam famulæ, jam apparentibus pustulis larga copia, venam aperuisse, sanguinemque plena manu detraxisse, cùm suffocationis esset periculum, cur non idem in cæteris factitari poterit, præsertim si quid sit quod vrgeat? Pulsus id testabitur; qui si paruus & frequens, cunctantiùs id fiet: si plenus, altus & magnus, audaciùs: Nec imbecillitate pulsus terreri oportet, si ea ab oppressione sit: sæpe enim tanta est oppressio, & ob plenitudinem conculcatio, ut sese pulsus non explicet: *Histor.* 5. *lib.* 2. Exanthemata epidemia fuere anno 1573. cujus hyems algidissima fuit & tota aquilonia: vnum notavimus, insolentia symptomata eorum eruptionem præcedere solebant: nam puellæ intolerabilis erat dolor dextri brachii, adhibita frustra remedia, rara fuerunt exanthemata, si plura & si cito paruissent, non ita doluisset: Per tres menses iste dolor mansit, & nullis vel validissimis remediis cessit: *Beaſaldæ* filio, annos xvj. nato, dolor implacabilis ad spinam dorsi, purgationes, litus, phlebotomiæ: 4°. die erumpunt morbilli, adeo copiosi vt nihil copiosius: diu latebant antequam erumperent:

Purgantia ante eruptionem utilia

 perent:

perent : Duabus filiabus D.N. lentæ febres, dolores implacabiles capitis, purgationes, clysmata, & tamen abunde erumpunt exanthemata. *Epidem. lib. 1. p. 36.*

Quando promovenda, quando sinenda.

8. Si exanthemata apparentia χείρονα sunt, id est, si febris aliquam afferunt imminutionem, quiescere Medicos oportet: si κρίσιμα sunt & apparent ἄξιοι τῆς περιβολῆς, id est, non est digna excretio ea quæ fit ad circumferentiam corporis, quandoquidem natura περιβάλλει, id est, rejicit in habitum corporis, tunc naturam juvabis: juvabis, aut medicamento in cutem pellente, aut medicamento eccoprotico aut phlebotomia: si enim febris magna est, & non sese frangit ac mitescit aliquantula ea excretione, καὶ τῇ περιβολῇ, ad phlebotomiam veniendum est, *Ibid. annot. 11. pag. 165.*

Febris superveniens qualis.

9. Sed cave ne decipiaris quoad febrem, nam aliquando augetur febris, sed id fit ratione suppurati materiei exanthemata facientis, aut ratione ipsius conatus, aut ratione impeditæ difflationis: aliquando ita continua sunt exanthemata, ut videantur corpus incrustare, & tunc impeditur difflatio; Et quod diximus tempore ipsius conatus febrem videri auctiorem, illud vulgò observatur, etiam in sudoribus, pulsus enim elevatur & citatur, natura velut sese ad munus commemorabile accingente; Et quod fit in sudoris excretione, idem fit in exanthematis, ideo diligenter attendes ne decipiare. Item an fiat suppurati ratione, dum enim pus fit, dolor fit, & febris augetur, *Ibidem.* Cùm morbillis vagantibus febres ingravescunt, unum animadvertendum, an febris vrgeat ob morbillorum suppurationem, an aliunde proveniat: si primum, à medicamento abstineto, secus medicamentum juvat, nam in exanthematis locus est cathartico, *Epid lib. 1. pag. 27.*

Vena quando secanda.

10. In Rubiolis & rubentibus pustulis, vbi potius quantitate res peccat quàm qualitate, & sanguinis fervor est, pulsus altus, magnus, plenus & frequens est, tunc phlebotomiæ locus est: sed cùm vitium potius est in qualitate, demissus, languidiusculus & frequentissimus est pulsus; quod notandum, *hist. 5. lib. 2. cons. p. 162.*

Cùm ante febrem apparent nil moliendũ.

11. Itaque in ejusmodi eruptionibus cautos esse oportet, si ante febrem appareant, continere se lecto oportet, ut εὐδιαφόρητον fiat corpus, & nil movere, nisi fortè blandum enema subjiciatur: interea si qua vrgent symptomata, ut vomitiones, tussis & oculorum dolores, ea lenienda sunt, *Ibidem.*

Non solis alexiteriis curandi.

12. An morbilli ἀπὸ τοῦ θείου sunt? Revera abscessus sunt maxima ex parte & sequuntur constitutionem corporis; quanquam temporis conditio vires nescio quas addit, sed revera à corpore est id quicquid est; & si solùm esset hoc ab aëre, solis excretionibus & influxibus malignis id eveniret, & eas solis medicamentis alexiteriis oppugnaremus; at ingentia profluvia alvi quæ sequuntur, & quæ, nisi sequerentur,

querentur, multò deteriùs cum ægris ageretur, declarant cacochymiam corporis ad id maximè conferre, & oportere etiam solennia & vulgaria aliorum morborum remedia præscribere, & hujus cacochymiæ, quæ revera habet aliquid præter communem communis cacochymiæ sortem, virus est id quod in cutem efflorescit; *Epidem. lib.2.pag.169.*

13. Rubiolæ accedunt ad Erisypelatis naturam, morbilli seu variolæ ad Herpetem miliarem. *Ibid.* *Rubiolarũ natura.*

14. Epithemata regioni cordis applicari possunt; non probo ad regionem hepatis, quod impediatur motus naturæ & excretio materiei virulentæ, *Histor.5.lib.2.Cons.* *Epithemata regioni hepatis non admovẽda.*

15. Valde confert sudorem provocare, ut malignæ qualitati humoris via pateat: si sub finem febris exanthemata appareant, & satis legitima quantitate, ut abscessum faciant, Theriacalis aqua remista aliis aquis Cardiacis conferet: si in vigore febrium, à calidioribus cavendum; sed si infra subsistat ea excretio, non alienum quoque erit cardiaca temperata dare, addito decocto chuinæ: *Ibid.* *Hidrotica prosunt.*

16. Dum urgent dolores in variolis, & oboriuntur tumores, si illorum ratione in solis anodynis consistas, opera fortassis ludetur: si dum tumet pars ad suppurantia festines, corruptionis metus major erit: videtur id consilij sequendum quod aliquando eadem in mali specie Medici sequuti sunt: etenim dum quædam tempestas sæviret pustularum & eruptionum ferinarum ferax, oborti sunt tumores & dolores in variolis, qui pueros necabant corruptis partibus solidis: itaque in eam sententiam itum est, ut emplastrum de vigo cum mercurio applicaretur, aliis levis litus ex Hydrargiro fieret, mirum in modum id remedij profuit, id quod negligi non debet, ne tam facilis & ad manum parati remedij contemptus calamitatem ægris afferre videatur *Epid.lib.2.pag.264.* *Dolores quibus sedandi.*

17. Filio N. Dyspnoea erat, & audiebatur strepitus magnus cum raucedine: id ad crudum succum referebatur, aut ad flatum malignum in Pulmone excitatum; at adventantis Rubiolæ id fuit indicium: *Epid.lib.2.pag.200.* *Dyspnoea in pueris aliquando Rubiolarũ indicium.*

18. In Rubiolis, tametsi sitis vrgeat, cavendum ne potus sit frigidus, quia cùm corpus impurgatum est & obstructum, usu frigidæ augetur obstructio, & sic motus venenatæ materiæ impeditur: *Epid. lib.1.pag.57.* *Potus in rubiolis exhiberi debet calidus.*

19. *Filia D. de Champigny* exanthematum eruptio minabatur: datum medicamentum: alvus postea diarrhoeæ modo fluxit: certis temporibus & locis maculæ rubræ sese proferebant: Magna erat suspicio Variolarum: cùm pene desperaretur, præter spem nostram convaluit: pugnatum est multis cardiacis intus & foris. *lib.2. Epid. & Ephemer.pag.258.* *Cardiaca in suspicione variolarũ utilia.*

20. Vidi-

Exanthemata sine febre suspecta.

20. Vidimus multis pueris, imò & matribus, corpus exanthematis rubris infectum: sine febre erant, nec vlla ἀπυρεξία. An de iis nos esse securos oportet? nequaquam, tametsi absit febris: Nam Hippocr. narrat de puero cui sine febre exanthemata paruerant: sequutæ sunt convulsiones & mortuus est. Omnia tuta timenda sunt. *lib.2.Epidem.& Ephemerid.pag.146.anno t.1.* In Dentione.

Quibus promovenda.

21. Nutrix vino abstineat, Aëtij consilio; Gingivæ melle anacardino, aut communi Narbonensi illinantur, aut lacte canino, & conferet cerebrum leporinum, consilio *Aëtii*: item circumlinetur oleum dulce partibus vicinis: item radix colocynthidis in cannula aurea aut argentea inclusa & gestata confert: aut jaspis viridis: nil mandat duriusculum, & omnino non est prohibendus alvi fluor, alioqui metus est translationis ad partes superiores. *conf.116.lib.1.*

Tabescentis & dentientis pueri curatio.

22. Consulis Scaronis pusio sedecimestris, jam per menses sex aut quinque contabescit ac emaciatur: deprehendimus illum febrientem, Dentientem, erumpentibus dentibus molaribus: quæ omnia febres, vigilias, alvi profluvia consequutione quadam afferunt: notandum enim, quod demonstrat Aëtius, turbari ventrem Dentientibus pueris propter evolutionem & inflammationem ventriculo communicatam: nam inflammatis gingivis peculiaris in ore febris esse videtur: Sed quoniam extenuationis rudimenta aliqua, causa quærenda vel in pueri habitu & idiosyncrasia, vel in nutrimento: Puer satus est parentibus biliosis: nutrix emaciata est; sicca, æstuante corpore & squallido, & ob perpetuas pueri vigilias somno non indulget, ut non mirum sit, si in malorum communione & pueri & nutricis, neuter proficiat: Itaque providendum nutrici; puero, tum ratione nutritionis, tum dentitionis, tum inveteratæ jam emaciationis. Adjungenda nutrix alteri, ne, si altera ablegetur, continuò ob insolentiam alterius nutricis, puer ægrius ferat & novi casus occasio adsit: sic interponent operas, & altera alteri vicariam supponet manum: nutrix, præsertim dentitionis tempore, vino abstineat: hordeata aqua utatur & jusculis multis alterantibus, puer nutriatur pane in jusculis infriato, decocto pullorum; & ad facilitatem excretionis dentium, gingivæ melle anacardino, aut communi Narbonensi illinantur, aut lacte canino, & conferet cerebrum leporinum: Item circumlinetur oleum dulce partibus vicinis: Item radix colocynthidis, in cannula aurea aut argentea inclusa & gestata confert: Aut jaspis viridis: nihil mandat duriusculum, & omnino non est prohibendus alvi fluor, alioqui metus est translationis ad partes superiores: consultus est litus ex oleo rosato in toto corpore, ad caloris contemperationem: Sed cum perseverasset alvi fluor, & oborta esset febris continua cum vigiliis, jactationibus, ut inde ἀσώδης foret, nec non interiora arderent, partibus externis parùm refrigescentibus:

deniquè

denique vomituriendi finis non esset, & magna esset suspicio febris lipyriæ, & brevis mortis, hæc imperantur. 1. Epithemata ad regionem cordis & hepatis, additis troch. de caphura, litus ex rosaceo tum in ventre, tum in rachitide: item litus ad totum ventrem ex mucaginibus sem. alth. psyll. cydonior. addito succo lactucæ & oleo rosato cum mastiche. Et cum præter puerorum morem digitum in os immitteret ad ciendum vomitum, hoc suspicionem attulit, aut vermis in os ventriculi reptantis (idem enim paulò ante in puella evenerat, & excretus est vermis) aut oris ventriculi κακοήθειας, quod ἀλυσμοῦ præcipua causa est; ideo visum utile grana aliquot theriaces aqu. card. solverentur & potui darentur, ad vermem, si quis sit sopiendum, & κακοήθειαν, si quæ sit, domandam: non longè post data infusio ex rheo & granis unicornis. Et quia ingens erat sitis & febris, unaque nutrix vix esset, maximè quoniam calor igneus ex ore pueri manans lac extinguit, aut minuit, nutrix jubetur vino abstinere, jusculis multis uti, maximè verò decocto avenæ vbera perfundere, imò & eo decocto in potu uti; bracteolas auri mammarum papillis applicare ad lactis conservandam temperiem: puero somnus conciliatur litu temporum ex oxyrrhodino applicitis foliis lactucæ: In jusculo pulli incoquuntur ℥iij. sem. papav. albi cum lactuca in taleolas secta; miraculo hoc profuit somnum conciliando, & ardorem, mortis aut marcoris authorem futurum, extinguendo: non parcitur potui: imò ætatula usum limonum frustatim incisorum non dissuadet: asinæ lacte dentium acetabula linuntur, Convaluit. *Consil. 116. lib. 1.*

In Oris vlceribus.

23. Puellos dum lactent Aphthæ maxima ex parte exercent, id est ulcuscula igneæ caliditatis, in modum herpetis miliaris: Galenus aph. 24. lib. 3. harum generationem ad mollitiem partium internarum oris refert, quæ tanta est, ut si lac paulò amplius serum habeat, vix istam qualitatem ferre possint quin exulcerentur: sed Aëtius, cap. 4. Tetrab. 1. sem. 4. (quod diligenter notari debet) ideo Aphthas plerumque generari ait, quod nutricibus mammarum papillæ breviores sint justo, & ita puellus ore non potest apprehendere, ideóque affliguntur maxillæ: nec non lac ejaculatum, non autem probè attractum ob papillarum brevitatem, pelliculam toti ori & pharyngi obductam succingentémque ferit, & aphthas vlcerando generat; sic cavere oportet ne ora puellorum imprudenter lædamus medicamentis, cùm curatio consistat potiùs in mutatione nutricis, *Epid. lib. 1. pag. 46.* *Papillarum brevitas sæpe eorum causa.*

In Difficultate deglutiendi.

Quo præsidio ablata. 26. Puello difficultas dehlutiendi & papillæ mammarum apprehendendæ: cornicula circum circa collum applicita, quàm mox restitutus est: *Epid.lib.2.pag.*145.

In Lateris dolore.

Pueri pleuritidi obnoxij. 24. Puella cùm sub dio, partim in sole versata esset, dolere caput cœpit & tussire: febris prehendit acuta, & quæ tamen ex intervallis major esse videretur, tussis & tussiendi cupiditas illam perpetuò infestabat, nil è pulmone educere poterat, tametsi esset stridula; in pulmone humoris concursatio quæ obaudiretur, sitis ingens & implacabilis, frequens & brevis respiratio cum difficultate; postquam tussiverat statim ejulabat, aliquando in partibus extimis febris mitescere videbatur: pugnabatur cum febre & tussi, quod eam partim à capite excitari crederemus, partim à resudatione ichoris à calefacta pituita in Pulmone: Octavo die symptomaticus alvi fluor, nono interiit: aperto cadavere, latus sinistrum purulentum erat, & pars Pulmonis, quæ illud contigerat, imò & pus in capacitatem fusum erat, Pleuritis fuit, nos valde decepti fuimus existimantes tussim à capite esse, sed quod tam frequens esset & sicca, & cum difficultate spirandi juncta, illud aut inflammationem in Pulmone, aut in latere, aut in utroque satis significare poterat: tamen unum desiderabatur, vt ægra de dolore lateris quereretur: hoc expectabamus, interea ignoratione rei, præsidium in inflammationibus Thoracis usurpari solitum, magno incommodo omisimus; & si illud usurpavissemus, certis signis nequeuntes assequi utra pars esset affecta, è latere dextro sanguinem, nullo profectu, detraxissemus: itaque puellæ peruicacia & morositas maximam periculi partem creavit: rubor genarum non erat, tamen ferè perpetuo adest in inflammatione partium Thoracis: item aliquando clauso ore dormiebat, quod nos in eam adduxit opinionem ut crederemus costas non esse obsessas: sed omnis ista ratio nos decepit valde; tamen vix excusari possumus quin sanguinem demere debuerimus, cùm inflammationis in thorace magna esset suspicio: ad sectionem venæ & insignis febris, & inflammationis suspicio, & sitis inextinguibilis: & jactationes ob incendium natæ, & maximè difficultas illa spirandi hortari debuerunt: cùm videremus, ingenti præsente æstu, puellam habere frequentem admodum respirationem & tamen parvum, veluti oppresso & coangustato thorace; de inflammatione aliqua suspicari nos oportebat: tamen

hoc

hoc asserimus sæpe nos observasse in pueris valde febrientibus frequentem paruámque respirationem, licet affectus Thorax non esset, *Conf.76.lib.1.*

26. Puero dolor erat circum latera, detrahebatur audacter sanguis, dolores non concedebant, inopinatò vermes exclusi sunt, dolores quieverunt; An vermes id facere potuerunt? Ita prorsus, imò & innumeras doloris species excitare possunt in omnibus partibus, ac præsertim si ad ventriculum repant &c. *Epid.lib.1.pag.11.* *Lateris dolor à vermibus.*

In Tumore Ventris.

27. In eo, cùm præsertim sitis, symptoma ferè intolerabile, adest, ea maximè methodus sequenda est, ut latentis incendij ratio habeatur: caloris enim alieni dominatu tenentur interna, putredo est, ἀνάδοσις impedita, orificiorum venarum mesaraïcarum lactiumque ipsorum phlogosis, itaque debet sanguis mitti, nec dehortari debet ætatula: deinde purgandum corpus senna & rheo frequenter, vel syrupo regis Saporis cum senna: nec fortè omitti debet agaricus, & qui parcunt his medicamentis, parcunt & vitæ: *Epid. lib.1.pag.6.* *Vena sectio confert.*

In Obstructionibus.

28. Rheum convenit, at non vulgari modo exhibitum, quia sic malum augetur: In magna aquæ copia maceratur (aut Senna) deinde ex ea aqua paratur aut decoctum, instar ptissanæ, aut simile aliquid, deinde mirifico profectu usui datur: *Ibidem. pag.60.* *Rheum quomodo exhibendum.*

29. Cachectici sæpe fiunt obstructionibus laborantes, in eo statu constituti laborant sæpe fluxu alvi chyloso, non enim fit suctio, nec exugitur elicitúrque pars purior chyli, devehi solita ad hepar, hæmatoseos officinam: Dum Medici albicantes & chylosas dejectiones observant, trepidè purgant & cunctanter, cùm tamen hic audendum sit, & diligenter purgandum: donec enim obstructio sublata fuerit, non est spes ægrum convaliturum: procuranda enim omni studio est ἀνάδοσις ipsius chyli non subeuntis anfractus viarum mesaraïcarum, & eas tantùm salutantis: *Epid.lib.1.pag.13. Annot.2.* *Purgandum audacter.*

In Nephritide.

30. Puella XI. febris die interiit, repertus lapis in renibus, vomebat frequenter; Cùm vomunt sæpe & contorquent corpus pueri, loco non consistentes, de nephritide conjectura esse debet; & fomenta ad renes applicabis: quod notandum, ut prudentia Medici in- *Nephritidis in pueris signa.*

fantium imbecillitati & infantię, ut ita dicam, humaniter succurrat. *Epid.lib.2.pag.*245. Filius Chirurgi *Ducis Aumalai* aperto cadavere, nephriticus deprehensus est, lapis cum urina excretus est; in corpore renis alius est deprehensus: alvus fluxerat diu, febris perseveraverat, dolores, clamores, ejulatus, scabies: Et ex hac historia doceri debemus, quod morbi renum in pueris nobis suspecti esse debent, & nonnunquam animo atque cogitatione istas sedes lustrare, diligenter inspectis urinis & manu regione renum contrectata: Quid enim est quo minus rudimentum majoris cujusdam lapidis in vesica concreturi & augendi à renibus manet? Id morbus P. le Venier nephriticus docuit, erat enim vera nephritis: Et quoniam præ ætatis parvitate non possunt nec locum indicare, nec morbi speciem explicare, in Medicorum notitiam hic morbus non venit. *Epid.lib.2.p.*213.

In Hernia.

Hernia gentilitia sponte sanationem recipiens.

31. Familia Dom. N. aliquid habet συγγενὲς: sexdecim liberos ex uxore suscepit, omnibus ferè, aut majori parti, Hernia fuit familiaris recens natis: ad quintum aut septimum annum duntaxat ea infirmitas: exacto anno septimo nil ampliùs tale apparet: an quia relaxatio peritonæi ipsa per se sanatur? sic cùm matres queruntur de Herniis puerorum, non est cur tantopere in hoc curando laboremus, natura enim est Medicus. *Epid.lib.2.pag.*242.

In Tumoribus Vagis.

Pedum tumor medicamentis discussus necis causa.

32. Filiolus D. N. tumorem quendam vagabundum patiebatur, tandem pedes appetivit: nutrix litu discutere voluit, superiora petivit, febris, difficultas spirandi, mors, Hippocr. lib. de A. A. & L. meminit hydropis Testium in pueris recens natis ob usum aquarum crudarum: Hic morbus aliquid affine habet: Annon si flatus iste ad imas erumpit partes, hic cohibendus est. *Epid.l.2.p.*148.

In Vermibus.

Dolor lateris ab eis excitatus.

33. Puero dolor erat circum latera &c. Vide supra. *De lateris dolore.* §. 25.

CAVTIO-



CAVTIONVM, ANIMADVERSIONVM ET OBSERVATIONVM PRACTICARVM LIBER X.

Continens eas quæ Affectus Artum *&* Habitus Corporis *respiciunt.*

In Arthritide.

Ballonius.

1. 
I Arthritis à frigido foret, facillimè calore curaretur, contra ſæpe hoc malum calore irritatur: ſæpe quidem humor generatione & ortu calidus eſt, at ob naturam articuli refrigeſcit, at ſemper caloris empyreuma remanet, irritam faciens calidorum adminiſtrationem: & in cerebrum vapores calidi efferuntur, frigore concreſcunt, & qui inde ſit humor nec perſpicuè calidus nec frigidus, ſed noua qualitas ex vtriuſque pugna ac concurſu conſurgit, ut inde humor ſalſus aut nitroſus fiat, qui manifeſtis qualitatibus non cedat: ideo taxat veteres Medicos, ut nimis Phyſicos, Hippocr. lib. de vet. medic. qui primas qualitates morborum cauſas nimis celebrabant, at ſalſum, acre, mordax, & id genus, conſideranda ſunt, in quibus temperandis & oppugnandis, hoc opus hic labor eſt: ideo cal. & frig. imbecilles qualitates Hippocr. ſtatuit

Humor ejus cauſa alijs qualitatibus quam primis peccat.

tuit contra Philosophorum opinionem; facilè enim mutuò sese domant, ideo sunt imbecilliora; Non sic de amaro & salso: Si in febre sola caliditas aut siccitas spectaretur, facilè curaretur, sed succorum qualitates considerantur, & damnat eos Hippocrat. qui contenti primis qualitatibus Thessali methodum sequuntur, Sed enim secundæ sint qualitates, non mirum si vis nostrorum remediorum tanti mali immanitate eludatur; quod nunc prodest, statim nocet, nec calidum nec frigidum, nec quicquam ferè agens manifestis qualitatibus proficit; id quod pendet aut à natura humoris, aut partium; & si quid remedia ἐπικεραστικὰ conferunt, symptomata potiùs leniendo conferunt quàm causam oppugnando. *lib. de Artbr. pag.* 24.

Humor illius causa non semper frigidus

2. Etsi magna Arthritidum pars, sive per defluxum id fiat, sive per congestionem, ab humore frigido est, tamen errore non vacat asserere omnes ab humore frigido esse, eóque à capite emanante; in quod graviter in ægrorum commoda peccatur, nam est vbi calidis vtendum remedijs, est vbi frigidis, est vbi moderatis: quod si omnis à pituita esset, ad calfacientia perpetuò esset recurrendum: item aliud est agitare medicamentis caput, aliud aliam partem, at si solum caput author existeret, ad id unum dirigendum esset consilium: itaque magni interest, ad curationem morbi, constituere an sola pituita, aut ejus serum in vitio sit, ut vult Fernelius; fortè illi imposuit quod humor, qui actu in articulo continetur, quadantenus frigidus aut frigefactus fit, quod ita comparata sit ratio articulorum, ut quia multas habent partes frigidas & spermaticas, affluentem humorem, etiam natura calidum, & à calido loco derivatum, infrigident ac incrudent, ut ita loquar: sed constat, & experientia, & ratione, & authoritate Hippocr. (qui statuit *lib. de internis aff.* aliquas Arthritides esse à bile) præter pituitam alias esse ejus causas: ac facilè mihi persuadeo ideo sæpe articulares dolores invalescere magis, ac ægrescere medendo ægros quod audito arthritidis nomine, statim ad calida remedia deveniamus, eáque impensè calfacientia & digerentia: quod si semper materia frigida foret, non esset verisimile ita malum insolescere ac furere, cùm contrariorum curatio per contraria legitimè instituatur: nisi fortè dicas (quod etiam probabile) dolorem quoque augescere quod usu rerum ita calidarum, quibus statim vtimur sine judicio & distinctione, quod morbi nullæ sint induciæ, sæpe fluxiones irritentur, qua irritatione dolor quoq; increscit, dum enim humor turget fluitque, nil est deterius quàm fotibus aut emplastris ex rebus calidis uti &c. *cons. 91. lib. 1. p.* 460. Peccant qui falsò persuasi causam esse humorem frigidum, aut frigus ipsum, ad calfacientia impensè & olea chymica confugiunt, nam læditur nervosum genus, hinc

Potuum calidorum noxa.

Oleorum chymicorum noxa.

neruorum contractiones, ſiccationes, contorſiones, vitiatæ figuræ, ut artus varij, curvi, vari, inflexi, & imbricatim facti evadant: quæ fortè olea medullæ nervorum conferre poſſunt, eadem membranis eorum nocent &c. *lib. de Arthritide pag.* 33. *&* 34. Dolores à ſanguine facilè mitigantur, item à bile (ſola enim lactis affuſio id facit) à pituita facilè, cùm pituita potiùs ſtuporem afferat: ita Gal. ſanguis morbum faciens dolorem exhibet, pituita gravitatem: quæ arthritides, coryzas, dentium dolores facit, aliud habet ingenium & vim; & Platoni pituita ſalſa ac acida omnium affectionum καταῤῥοικῶν fons exiſtit, in tali pituita eſt vis maligna & natura ἑτερόχθονς, ideo omnia ſpernit remedia, *Ibid, pag.* 32. *&* 33.

3. Non negamus à capite fluxiones oriri Arthritidis authores, ſed omnes negamus, quibus caput humidius, ijs proclivis eſt defluxus in partes ſubjectas, hinc morborum proventus; *lib. de Arthrit. pag.* 30. Si ſemper à capite eſt, cur qui chæradas habent, quarum origo maximè tribuitur ab Hipp. capiti, non ſunt podagrici, aut alia ſpecie Arthritidis laborant? veriſimile id eſſet ſi caput author eſſet mali &c. *Conſ.* 93. *lib.* 1. *p.* 461. Si malè caput fons mali ſtatuitur, dum pilulis, fotu, catapl. hæc immerens pars affligitur, nativum ſic partis temperamentum corrumpendo, mala graviora accerſuntur: ſi enim humorem noxium non continet, medicamentis eliquatur, denique aliqua imbecillitas ei conciliatur: *lib. de Arth. pag.* 33. *Non ſeper à capite fluit humor.*

4. Sæpe à viſceribus & venis origo eſt, Hippocr. enim eos quibus magna ſunt viſcera, & quibus fuerunt frequentes hæmorrhagiæ dum juvenes forent, in ἀρθειτικὸν τι propenſos eſſe ait, & experientia notat eos quibus prærubra eſt facies, quod ni ſibi caveant, ætate inclinante in Arthritin propendeant: *lib. de Arthr. pag.* 33. Cùm iniretur conſilium pro quodam cui dolores Arthritici ſunt familiares, & autumno & vere repetunt maximè, creditum eſt ſerum maximè putre, à viſceribus manans, cauſam reducis iſtius mali eſſe: declarat curatio, nam nulla habita capitis ratione, cùm primùm expurgata regio prima ventriculi & educti multi ſeroſi humores Elect. Diacarth. & Syr. roſ. ſolut. præripiebatur occaſio reditus, *Conſ.* 9. *lib.* 1. *p.* 461. Si cruditates, crapula, & ſimilia ejuſmodi, Arthriticos efficiunt, quid cauſæ eſt cur caput accuſes? *Annot.* 11. *in id conſ.* *A viſceribus ſæpe originem habet.*

5. Quid impediet quominùs dicamus nec à capite eſſe materiam Arthritidis, nec fortè ab interno corpore, ſed eo modo, per diſpoſitionem articularem generari in habitu corporis, quo elephas in aliis, & chœrades, nam in habitu ipſo vitium eſt, & cancroſa & chœradica diſpoſitio, & articuloſa, ut ſic dicam: *Annot.* 12. *in id conſ. p.* 463. Quibus læſus articulus, ijs in Arthritin eſt propenſitas: an humor à capite deſcendit ad malum ſuſcitandum aut alendum? *Focus in ipſis articulis ſine humorum tranſmiſſione.*

In

In vlcere chironio est perennis affluxus seri, & corruptio alimenti ob læsam partis ἕξιν (nam malum τῆς ὅλης ἕξιως nominatur) & serum virulentum progignitur & nil à capite est: imò magna articularium dolorum pars fit à generatione seri & collectione in ipsa parte, non tam quanto quàm quali infestantis: est enim inexplicabilis διάθεσις, & velut febris lenta ipsius articuli, hinc alimenti corruptio, hinc tabes partis; & circa articulos tristis semper est sensus, qui stata periodo habet suas exacerbationes, & in parte materia fovetur: nec placet omnino Galenus, qui necessariam articuli imbecillitatem præsumens, aliunde humorem affluere debere & in vitæ lege peccari statuit, hic modus omnis congestionis tollitur, id quod miror non vidisse Galenum : imbecilla pars non probè alita, à suo ipsius læditur excremento: id Hippocrat. vidit, *Mucus in omnibus à natura est, cùm purus, sani sunt articuli: labor & dolor fit cùm à carnibus humiditas fluxit vitiosa, lib. de Arthr. pag.*31. Revera Arthritim committens humor est μυξώδης, & assimilis substantiæ nervosæ, si ea liquaretur: & quod dolorem facit, sæpe est substantiæ nervosæ aut tendinosæ alimentum, quod virosi excrementi vicem subit, aut ob intemperiem partis aut ob διάθεσιν, *Ibid. pag.* 32. Avicennas explicans illud Galen. in Arte parva, Habitudo corporis est in iis partibus quæ oculis subjiciuntur, vult quosdam esse proprios ipsius habitus morbos, quod in Arthritide locum habet, nam peculiari generatione humoris, aut in hac aut illa parte externa, vitio ipsius habitus morbus orietur: In Arthriticorum extimo corpore peculiaris humor generatur ut in Pulmone & Iecore, & apud Hippocr. lib. de locis in Hom. à carnibus in articulos humor liquatur proprio vitio ipsius carnis &c. *Ibid. pag.* 29.

Non semper medendum cùm à morbis vindicet. 6. Quod vtilis sit nonnullis Arthritis, & ratio & experientia verum esse deprehendit: quod pueris sunt exanthemata, juvenibus hæmorrhagiæ, idem sunt ingravescenti ætati Arthritides, & etiam naturis nonnullis: ad hanc sententiam accedit Galenus; sæpe vidimus, inquit, interire quibus succi in dolore articulorum in artus delati, deindè expulsi in partem principem pervenerunt, ut una spes foret si ipsi humores ad artus revocarentur, unde vulgò dicitur, longa est Arthriticorum vita: Natura se exonerat in genus musculosum & nervosum. *lib. de Arthrit. pag.* 36.

Cur ægrescit sæpe medendo. 7. Cùm de isto morbo tum cognoscendo tum medendo tam ancipites sint opiniones, mirum ne sit si magno Medicorum dedecore pro derelicto habeatur; Non est tamen ita desperatus si loco & tempori provideatur: Cæterum minus rectè medendi occasionem rationemque deteximus ab ipsa rei ignoratione ortam. *lib. de Art. pag.* 35. Ac facilè mihi persuadeo ideo sæpe articulares dolores invalescere magis, ac ægrescere medendo ægros, quod audito Arthritidis

tidis nomine statim ad calida remedia deveniamus, quasi semper materia frigida foret: vel quod usu rerum ita calidarum, quibus statim utimur sine judico & distinctione, quod morbi nullæ sint induciæ, sæpe fluxiones irritentur, qua irritatione dolor quoque increscit, vel etiam usu nostrorum remediorum sæpe dolor augetur, quod materia sit ἑτερογενὴς, ut quod remedium uni humoris parti convenit, alteri plurimum obsit; ut quod remedium primo loco usurpandum duxeris, illo relicto, statim ad aliud confugias: accedit quod humor qui Arthritides efficit, maxima ex parte venenati cujusdam seri naturam resipiat, redoleatque, quod per se pepasmum mitificationemque non admittit, imò usu remediorum, nisi valde sint anodyna, incandescit ferocitque magis. *Consil. 460. lib. 1. p. 93.* Accedit substantiæ nervosæ ratio; medulla nervorum alius est naturæ quàm ipsæ membranæ, sic quæ uni naturæ prosunt, alteri nocent; Accedit eorum sensus exactus, ut etiam vel levi de causa & dolores & gravia insurgant symptomata: Itaque conditio humoris, non tam habentis qualitates manifestas quàm occultas, partis natura, varietas substantiæ ejusdem, efficiunt ut Arthritis omnem ludat operam, *lib. de Arthr. pag. 33.*

8. Ergo ut sunt variæ causæ & ideæ Arthritidis, sic consilium mutandum est, Alij omittunt Phlebotomiam omnino, ut Fernelius, alij audacissimè detrahunt, & exemplo unius hominis sanguine detracto adjuti, in sanguine fundendo sunt nimis prodigi; *lib. de Arthr. pag. 35.* Et perperam videntur agere qui quoties quis de Articuli dolore queritur, ad Purgantia confugiunt, Si enim dolorem excitat aut ichor aut flatus, aut quid qualitate potiùs peccans, cur ei qualitati suum contrarium non opponitur? quorsum Purgatio? Sæpe sævus est dolor in articulo, aut suris tibiarum, nullo tumore conspicuo, nulla re sub sensum cadente; Subitus istius tantulæ rei in articulos motus & ὀργασμὸς nonnunquam vim venenatam arguit, concurrente sensu exquisito nervorum, ut facultas expultrix ad singula quæque momenta excitetur: Lassitudinum doloris ortus id quoque declarat 10. simpl. lib. 2. Oritur, ajunt veteres, lassitudo sæpe & ulceris sensus, quia in motionibus magnis pinguedinis & teneræ carnis fit colliquatio, cujus pars foras transpirat, altera supprimitur: id quod suppressum, si acre & mordax, ulceris sensum infert, id quod in paroxysmis arthritidis evenit, ut occasio referatur, non ad fluxionem, sed ad suppressionem terræ fuliginis sua qualitate molestantis; & quod motus velut seditiosus, modò huc modo illuc, id qualitatem demonstrat infestam: exquisitus sensus partis cooperatur: contra ubi pars non multùm sentit, in ea facilè fit congestio abscessuum & tumorum frigidorum parens, in senibus valde, & qui nunquam Arthritici facti fuerint, si Arthritis oritur, an non potiùs ab im-

Venæ sectio & Purga sæpe noc

becillitate, caloris nativi inopia, ſpirituum defectu continget? Si ad remedia ſolennia recurras, liquefacies humores, fruſtráque ægrum ſenem fatigabis? Quædam cum conceptum vellet elidere, τὸ φθόειον ſumpſit ad provocandum ſanguinem, fluxus ſanguinis eſt conſequutus, eroſis potiùs quàm apertis venis: multo ſanguine per ſinum pudoris profuſo, adeo refrixit omne genus nervoſum, ut in ſummam imbecillitatem adductum ſit: hinc cruciatus articulares, membrorum contractio, macies, mors: quæ immodica hæmorrhagia convulſionem ab inanitione affert, eadem articulares hos dolores excitare poteſt; Si ita eſt, quis adhibeat hic remedia ſolennia Arthritica? quis in ijs doloribus qui ἐν αὐχμοῖς oriuntur? Nemo, eſt potiùs utendum refectione. *lib. de Arthrit. pag.* 34. & 35.

Vena ſectio potior Purgatione. 9. An ſanguis mittendus, An etiam manu Arthritica, dolore ferociente, tutò mittitur ſanguis? an verò ſinendum elabi tempus paroxyſmi, deinde ſub finem Purgandum? boni medendi magiſtri præferunt Phlebotomiam, ut quæ evacuato ſanguine putri (qualis ferè ſemper in Arthriticis trahi ſolet) impetum humorum inhibeat, & dolorem demulceat, inflammationem minuendo, Imò, ajunt, ſi ineunte Paroxyſmo medicamentum datur, humor concitatior majores moleſtias exhibebit, motus quidem ſed non promotus: & vis medicamenti ad partes longinquas provecta, infirma tamen, in habitu corporis humorem excitat ferocioremque reddit; eſt enim quaſi in habitu morbus ut in laſſitudinum ſit generibus. *Epid. lib.* 1. *pag.* 14.

Vena ſectio cur utilis. 10. Cùm in paroxyſmo Arthritico fiat ut colliquatio, fuſio in genere muſculoſo; exoneratio à vaſis ſeri & ſanguinis putris, quid tam frænat impetum humorum quam phlebotomia? item articuli ferè fiunt imbecilli, prima cautio eſſe debet ut non fiat exoneratio partium principum, ut ditiorum, in imbecilliores, ut pauperiores, contra quam fit in Rebuſpublicis. *Epid. pag.* 14. Purgatio quidem valet ſi corpus ſit cacochymum, ſi hepar ſanguinem fervidiorem generat & multa bile ſcatet, ut purior minuſque maleficus ſit ſanguis: *Epid. lib.* 1. *pag.* 14. & 15.

Crebra venæ ſectio utilis fuit. 11. Prudentis eſt Medici videre an non ſecurè vena his in morbis aperiatur, an verò prudenter prætermittatur: Si facultatis retentricis imbecillitas eſt, prudenter omittitur: Si cacochymia, imò virulentia, quæ tantæ Tragœdiæ author ſit, audaciùs id faciundum, Cuidam fluxio Arthritica & valde doloroſa, quinquennio antè eodem modo laboraverat, tunc à Procatarctico fuiſſe narravit, nuper uxoratus erat cùm id mali adoritur, incredibilis humorum rabies mox in has, mox in illas partes; quia & nervi & arteriæ & venæ ſanie quadam ſcatebant, phlebotomia quinquies celebrata meliùs habebat: *Epid. lib.* 2. *pag.* 193.

12. Multi sunt quibus Arthriticæ fluxiones sunt, & propter dolorem subinde sibi detrahi sanguinem patiuntur, An non peccant? Ita sane, quia corpus & refrigescit & nervi debilitantur, & quod majus est, facultas retentrix infirmatur, imò & bis coquere natura cogitur, nam dum effunditur coctus sanguis, alium coctum vult sufficere; hac imbecilliore facta, dum humores in sua statione & præsidijs non sunt, dum statarij quoque non reguntur à naturâ, faciliùs in partes procumbunt, & hoc notandum est, *Epid. lib. 2. pag.* 182. *Aliquando noxia.*

13. Illud vulgo observatur in Articularibus doloribus, dum humor est in motu, agitaturque huc illuc, à medicamentis Purgantibus magnam inferri noxam, nam rursum agitati à medicamento efferantur magis, & naturæ vis infertur, vt quæ lædatur valde ob dolores varios, quos modò in hac parte, in quam repit humor, persentit: modò in illa, in quam suam tyrannidem humor illabens exercet; imò fatiscit sæpe natura in ejusmodi Purgationibus repente factis dum humor ὀργᾷ, nisi expectes sedationem aliquam & quietem ipsius humoris: Quod si tibi certò constaret medicamenti usu humorem vagantem, variasque in partes deductum, in ventrem liberumque spatium deductum iri, quò natura sese illo facile expediat, tunc tutò Purgabis: Sed quia sæpe dum tu intendis avocare humorem, & in alvum intestináque, tanquam idonea & conferentia ad evacuandum loca, intruditur humor in partes inanes & membranarum interstitia, unde crudelissimi oboriuntur dolores; Præclarè consulunt, qui volunt ut coquatur humor, id est, mitigetur reprimatur, modificetur (nam coctio propriè dicta humorum est crassorum, non autem tenuium & efferorum) ne impellatur quò non oportet, & majores in ea parte excitet turbas quàm antè, & vis naturæ inferatur, alioqui facilè quis persuaderi possit tum maximè Purgationi locum esse, cum turbatur & vagabundè incitatur humor: ideo dum in arthritide dolores implacabiles excitantur, modò in hac modò in illa parte, propter raptum humorum, conferret (dicet aliquis) humorem purgare, non expectare donec quiescat, quia fortè serò nimis id fieret, & metus est ne, dum ita furit effrænis humor, nobilem partem obsideat, antéque illam suo virore contaminet quàm opem subsidiumque præsens afferre possis; ratio autem ista versatur in Aphor. 22. lib. 1. Hipp. Concocta medicari &c. dum addit, modo non turgeant, videtur insinuare occasionem purgandi, maximè dum jactatur humor nec consistit, nam motus iste quodammodo adjuvabit & attractionem & exclusionem: Contra si figi humorem siverimus, & tempore ad eum exigendum opus erit, & majore vi amoliente humorem jam consistentem & fixum: cui opinioni Gal. in comment. subscribit, admonens ut primo quoque tem- *Purgantia noxia dum humor est in motu.*

pore accingamur ad amovendos vacuandoſque humores, qui inſolenti motu & tumultuario, huc atque illuc feruntur : atque ex hoc loco facilè adduci poſſumus vt in clamoſis ipſis Arthritidis doloribus corpus repurgemus, tamen cavendum id eſt valde, alioqui dum commovebis humores, verendum eſt ne eos inflammes & in partem affectam impellas : Si dum Purgans medicamentum damus, nobis conſtaret mitificatum eſſe & quodammodo repreſſum humorem ; & liberos eſſe exitus, tutò quidem id fieret, Sed cùm in artus, aut per vaſa, aut per inanitates feratur, metus eſt ne augeatur fluxus ; ideo videndum ut dolores placentur, quos excitat materia conjuncta & è vaſis elapſa, ac tutò tum ad antecedentem concurres. *conſ.* 107. *lib.* 1. *p.* 493. & 494. Quædam minanti Arthritidi obviam ire voluit, ſumpto medicamento ſatis valido, impetu in humores facto, pro una parte dolente multæ doluerunt: An non tutò in Articularibus purgabis? Nequaquam; At dum materia turget purgandum? Verum quidem de ſequace materia, & quæ liberum habet exitum, Arthritidis materia nec ſequax plerumque, nec liberos habet exitus, & in ſuis agitata ſedibus, ſi à ventre longiores ſint, deterior fit, agitatur enim & non educitur: *Epid lib.* 2 *pag.* 129.

Clyſmata non debent eſſe acria. 14. Quanquam concedimus Clyſmata aut Eccoprotica, non ea quæ calore ſuo & vi incitent magis humores & commoveant. *Conſil.* 107. *lib.* 1.

Verè Diureticanoxia. 15. In Articularibus morbis ab ijs diureticis eſt abſtinendum quæ impensè calfaciunt & ſanguinem fundunt : *Ann.* 3. *Conſ.* 3. *lib.* 2. *p.* 197.

Lactis Aſinini dotes. 16. Fortè in cura Arthritidis unum omittitur quod tamen facile eſſet, nam Plinius cap. 9. lib. 28. ait inter exempla extitiſſe quoſdam qui lac Aſininum bibentes liberati ſunt Podagra & Chiragra : id quod non eſt præter rationem, nam acrimonia ſeri tantorum dolorum cauſa eſſe ſolet : quod ſi, aut proba victus lege, aut Aſinæ lacte, aut alia arte corrigi emendarique poteſt, huic quædam à ſævis iis doloribus immunitas conſequatur neceſſe eſt : *Annot.* 4. *in idem conſ.* & *ann.* 2. *in Conſ.* 22. *lib.* 3. *p.* 98.

Cauterij in Inio vtilitas. 17. Notatu dignum pleroſque Arthriticos à moleſtiis morbi, ſaltem incrementis, vindicari adhibito ad eam partem ruptorio quæ ἴνιον dicitur, ac præſertim ad extremum ejus, quod eſt initium ejus ſcrobiculi qui in fine occipitis eſt, quà multi nervi decurrunt : at revera nulla penè moleſtia nullóque incommodo id fieri poteſt, & hinc profectus maximus conſequitur, *Annot.* 5. *in id conſ. lib.* 2. *p.* 197.

Vinum noxium. 18. Si ventriculus hominis arthritici imbecillus, & facilè colligit excrementa, an dolores Artuum circumcident? nequaquam, nam nova

nova materia morbo ſuppeditatur : id experientia verum deprehendimus : *Epid. lib. 1. pag. 17.*

19. An ad Arthritin curandam eadem curandi ratio poteſt adhiberi, tutò & jure, quæ & ad luem veneream? Si tanta affinitas vtriuſque affectus & humoris; ſi ij maximè articulari morbo cruciantur quibus corpus μυξώδεις ϰαὶ ἁλμώδεις, cur non illita hydrargiro provocatio ſaliuæ ab Arthritide recidiua afferat? nam quod objici poſſit de articulorum imbecillitate, ſive ea ſit contracta à natura, ſive acquiſititia, & quæ potiſſima cauſa eſt, & morbi, vt ſic dicam, diſpoſitiva, poſtquam colluvies ea humorum evicta fuerit, quæ tandiu fovet morbum, robur articulis conciliari fortaſſis poterit. *Conſilio 2. libri 2. p. 198.* *Illitio hydrargiri poteſt cõferre.*

20. Dolor ſæpe augeſcit quod vſu rerum calidarum &c. *vide ſupra Artic. 2.* *Fotuum calidiorum noxa.*

In Iſchiadico dolore.

Ballonius.

21. Multos videmus aut Iſchiade laborare, aut alio articulo, cùm ne tantillum aut cervices doluerint, aut collum, aut guttur, aut claviculæ, aut occiput : an verò credibile à capite tam efferum humorem, tam ſeroſum, tam indomitum, ut nullos dolores in mediis viis excitet, ſed ſolùm cùm ad articulos pervenerit? ut idem faciat quod lepus marinus, qui cùm perreptet innumeras corporis partes, ſolos Pulmones vlceret? hoc non credibile : ſic valere jubeamus Fernelium, & non temerè innocens caput medicamentis agitemus, nam ſunt qui dolent articulos, & nullus præceſſit omnino dolor capitis, nec gravitas, nec aliud ſimile, *Epid. lib. 1. pag. 91.* *Caput non ſemper vexandum remedijs quaſi fluxionis eſſet author.*

22. De falſa Iſchiade ab vtero in latera procumbente *vide lib. IX. Artic. 11.* *Iſchias ab vtero*

23. Mirum quod Galenus in Iſchiade (licet à pituita aut à ſucco potiùs crudo) ſanguinem demat, non autem purget; imò præfert vomitum purgationi, quod ſupra revellat humores, quaſi purgatio humores deorſum impellat; *lib. de Arthrit. pag. 32. in margine.* *Vomitus egregiè confert.*

24. Medicamenta per os ſumpta initio non ita conferunt, præſertim ſi ſint mochlica : hoc enim Therapeuticum præceptum, Quæ per inferiorem ventrem fiunt evacuationes, fluxiones ferè in partes vicinas commovent. *Conſil. 81. lib. 3.* *Mochlica pharmaca initio noxia*

Repellentia non admovenda.

25. Iisdem remediis curatur atque Arthritis, præterquam quod repellentia non admittit, sed purgato corpore valenter ex profunda cotyle trahentibus, ut cataplasmate ex stercore columbino &c. & clysteribus acribus indiget: Repellentibus autem non utendum, quia junctura in profundo sita est, & ex vicinis & ambientibus vasis, repellentium ope, ad illam humores protruderentur, *Conf. 45. lib. 3.*

Suppurato sanata.

26. Mulier quædam, post partum ægerrimum, Ischiadica facta ac crudelissimè divexata: varia remedia usurpata, modò anodyna, modò evocantia, modò digerentia, modò narcotica, nil profectum; materia erat diffusa, tandem collecta est, provocatum est suppuratum, pus multum & diu fluxit, convaluit: Cùm dolores isti ita crudeliter affligunt, conandum ut συςροφὴ fiat, postmodum adducenda est per Pepasmum ad suppurationem, alioqui ægros misere torqueri sinimus. *Epid. lib. 2. pag. 272.*

Clysteres in Isch. præferendi purgationibus per os.

27. A medicamentis validis & pilulis abstinendum validioribus putamus? Quia in Ischiade clysteres præferuntur medicamentis per os sumendis. *Conf. XI. lib. 3.*

In admotione vesicantium caven dum ne inducatur Dysuria.

28. Cordæo Medico dolores implacabiles ad Ischion, Admotum vesicatorium ex cantharidibus, ardor vrinæ insequutus est intolerabilis, An tutus cantharidum vsus? cavendum ne ardorem vrinæ inducat. *Epidem. l. 2. p. 190.*

Consilium pro Nobili Ischiadicos dolores patiente.

29. Morbi nervosi generis de apicibus artis sunt, ob curandi difficultatem ex parte humoris & obiecti, seu subiecti corporis: In humore consideratur modus quo dolor movetur, & natura ipsius: Modus aut per modum fluxionis à superioribus in inferiores partes: à nobilibus in minùs nobiles, aut per congestionem in parte jam imbecilla: Tertium modum addo ex Galeno, per colliquationem quandam in carnibus ipsis, quam colliquationem non sequitur digestio foras, vt fit in senibus, qui colliquantur & dolent. Duæ fortè huc concurrunt, fluxio & fusio humorum in ipsis carnibus & musculis, vnde rarefactio, & diminuitur caro musculorum, vnde apud Hippocr. τὸ ἄσαρκον σκέλος vocatur, καὶ ἄμυον, demusculatum: Cavetur ne humor à parte robusta, aut ignobili, in imbecillam & minus nobilem repellatur: præsertim hæc methodus servatur: contra Hippocr. & Gal. sentit, humorem enim tuto aiunt regeri posse in fortiores & nobiliores, ut pote quæ cùm viribus polleant, his vsæ humorem coquunt & mitificant: Ratio posterior, de liquatione humorùm, & carnium casu, in senibus cernitur, diffluunt enim carnes circa ossa & tabent, hinc dolores: Humor qui aut arthritin aut ischiadem facit, ambiguus est: Ischias rarò à sanguine: Galeno, à pituita & bile mixtis sæpe: hinc illud Platonis, Pituita acida & salsa fons est affectionum καταῤῥοικῶν: Si frigidus aut calidus humor foret,

ret, per simplices qualitates oppositas vinceretur: At istæ secundæ qualitates non habent ita contrarium, unde quod remedium nunc iuvat, mox idem lædit: Medicorum opprobrium morbus hic dicitur, & cæca origo ejus paulò videtur: Medicamenta per os sumpta, præsertim mochlica, non ita conferunt; Sacculi ex furfure, fotus, enemata, adstringentia lumbis, detractio sanguinis è brachio: non ligare tibias, non impingere materiam in articulos: Vsa est clysmatis, axungia porci lota in aqua vitæ, cataplasmatis: ceroneis non valde calefacientibus, vesicis suillis lacte plenis: brevi, beneficio Dei, convaluit, Sed plurimùm adiuta fuit ceroneo sequenti: ℞. Diachyli albi ireati ℥iiij gummi pini, picis navalis, benzoini *an.* ℥j ceræ novæ ℥jß. dissolve lento igne, adde empl. de melilot. & de mucilagin. *an.* ℥ß. cum oleo chamom. & terebinth. f. Cerotum. *Consil.* 81. *lib. iij.*

30. In Gradiendi impotentia post morbum valde diuturnum, cùm nescio quis extraneus calor partes eas occuparet, nec sanguinis spiritusque esset affluxus, ut partes iis perfusæ vegetarent ac alerentur: In iis quædam erat ἀτροφίας ac μαρασμοῦ species, Primùm embroche ex oleo violato adhibita est: litus ex oleo amygdalarum dulcium sine igne extracto, affusio aquæ omazorum, in qua infusæ fuerunt vini optimi lib. ij. Litus ex medulla cervinâ, aliàs in vino albo lota, alias in aqua rosacea, si caloris vllas molestias senserit. *Lib. 1. Epidem. & Ephemer. pag. 93.* *Gradiendi impotentiæ curatio à morbo diuturno relicta.*

31. Locus est valde notandus apud *Hippocratem lib. 1. de morb.* vbi animadvertit Manuum torporem & segnitiem sequi ob venarum in thorace varicosam dispositionem, præsertim si malum ad humerum tandem pervenerit: vt sæpe manui ipsi remedium applicandum non sit, licet pars ipsa non laboret. *Histor. 7. lib. 2. pag. 183.* *Manuum torpor à thoracis vitio.*

Septalius.

32. Quamvis sciam maxime controversum esse an incipientibus doloribus Articulorum, potissimum Podagra, ex usu sit medicamento elective purgante humores evacuare: multis id affirmantibus, quod humores, fluxionem facientes evacuentur, revocentur, & ab articulis, ad quos influunt, revellantur, Evacuata enim materia & minores succedent dolores, & minori tempore perdurabunt, Experientiam hac in re multorum etiam afferunt, in quibus expurgatis humoribus, & dolores leviores fuerunt, & brevi evanuerunt: Repugnant alii, quod purgante humores ad inferna & attrahantur, & devehantur, sæpe ii per se & a medicamento commotos, vehe-mentius *In Podagra initio quando purgandum.*

mentius irruentes, majori etiam impetu, majori copia, & magis affatim ad articulos pedum, & ad genua affluere, sicque & vehementiores efficere dolores: & ob hanc unam causam dicunt & Galenum, & omnes Scriptores, tam Græcos quàm Mauritanos, & Latinos, magis commendâsse evacuationem factam per vomitum, ut in contraria humores revellamus: Sua & ipsi adducunt experimenta; quinimò longâ quadraginta annorum experientiâ comperi, purgationes, in initio factas, aliquibus bene cessisse, aliis multis pessimè. Cujus rei cùm diligenter causam investigarem, censui, nisi distinctionem hac in re adhibuerimus, facilè nos aberraturos; cum enim in podagrâ, & arthriticis doloribus, adsit & materia fluens, & robur partis expellentis, & imbecillitas recipientis, si prævaluerit copia materiæ, aut robur partis propellentis, citra controversiam quamprimùm tentandum est materias illas evacuare, & fluxionem à pedibus avocare, id verò aut vomitu, aut medicamento expurgante; sic enim, si serosa fuerit materia, quod frequentissimum est, aut biliosa, calida & subtilis, in principio & revocabitur, & evacuabitur, aut saltem imminuetur: aut si crassior fuerit, cùm semper à tenui ad motum adjuvetur, saltem impetum fluxionis refringemus. Quòd si laxitas, & imbecillitas articulorum sit causa fluxionis, ita ut, levi quâcunque quantitate materiæ in corpore collectâ, ad illas partes natura tentet transfundere, & sese exonerare, dato medicamento purgante, & fluxionem concitabimus, & naturam imbecilliorem reddemus; hæc verò discernemus ex signis exuberantis materiæ, ut pote ex gravitate capitis, ubi sæpissime scimus aggregari materiam, & inde defluere; aut aliarum partium, ut ex signis debilitatis articulorum. Faciliùs autem discernemus, an purgante medicamento utendum sit, an abstinendum, ex experimento facto: si enim semel, aut iterum tentatâ purgatione, & ingravescant dolores, & diutius perdurent, ab illâ in posterum abstinere oportebit: sin autem meliùs se habuerit, aut saltem brevior factus sit morbus, omnino intrepidè erit corpus purgandum.

Purgatio in podagra cùm facienda, est statim facienda:

33. Cùm verò, si purgandum est, in principio id faciendum sit, frustra præparatur syrupis materia, cùm nec putrida sit, ut coctione indigeat; sit autem aut serosa, & tenuis, quæ statim expurgari potest, Galeno magistro, *lib. Quos, & quando purgare expediat*, aut sanè biliosa, tenuis, non putrida, quæ facilè expurgatur, nec coctione indiget, quòd sit sine putredine: cùm tamen crassa aliquando supersit, præparari poterit, & attenuari, ut faciliùs, si non resolvatur per insensibilem evaporationem, evacuari possit.

Podagricis quãdo sanguis mittendus, & quãdo non.

34. Missio sanguinis per sectam venam, ut maximè laudatur ad præcavendam podagram, si vere, vel autumno fiat, ubi corpus multo

multo sanguine sit refertum; & ad eandem curandam, si humores mixti sint cum sanguine: ita si serosi fuerint humores, & frigidi, & si à partibus externis capitis defluat materia, frustra tentatur tale remedium, quòd habitum corporis refrigeret, & hujusmodi humori præstet occasionem.

35. Quin vbi frequentiùs hujusmodi podagricæ accessiones homines invadunt, sæpiúsque aliquem afflixerint, nisi summa adsit plenitudo, qualis in ebriosis & vinosis aggregari solet, hujusmodi remedium erit omittendum, quòd crudis humoribus tunc det occasionem, habitum corporis refrigeret, nec cursum humorum extra venas cohibere possit. *Podagra frequenter infestatis rarò sãguis mittendus.*

36. Repellentia quamvis passim in principio, evacuato tamen priùs corpore, aut sanguinis missione, aut purgatione, commendentur à Galeno, Aëtio, Paulo, & cæteris; ausim tamen affirmare, rarò tutò in usum duci posse; si enim dolores vehementes articulorum non priùs mitescunt, quàm ubi materia illa maximè calida ad externa prolabitur, tumorem, & ruborem in parte excitans, quomodo repulsa, refrigeratis externis partibus, non morbi occasionem augebit, exitum impediens? Quòd si adstrictio repulsioni juncta sit, magis etiam lædet. Sed verò jam ex parte fluxa materia, dolorem excitans, nónne etiam, si eâ refrigeratâ dolor imminuatur, crassescet magísque impingetur, & subinde contumaciorem morbum efficiet? Non nisi igitur sævissimis doloribus, omnem ad se curationem trahentibus, veris repellentibus utemur, frigidâ, aceto, farinis admixtis, psyllio, lenticulâ palustri, ex aquâ, aceto, & similibus. Securius est oleum rosaceum, quod vocant Completum, quamvis enim refrigeret, & aliquo modo repellat, vi tamen olei laxante transpirationem non impedit, neque partem constipat, aut adstringit: quare præstat anodynis uti, lacte cum rosaceo, vitello ovi cum eodem, succo cassiæ fistularis ex oleo rosato, vel amygdalino extracto, & similibus. *Podagra laborantibus repellentia rarò conveniunt, & cur.*

37. Quoniam autem ex curandi ratione hac magis tutâ, articuli aliquo modo laxati redduntur, placet ex Galeni præcepto, 2. *de simpl. med. facult. cap.* 18. & Aëtii, articulos post podagram oleo salito, aut simplici, aut rosaceo completo perfricare: *omnibus enim*, ait Aëtius, *qui hoc modo fricantur, insitus calor augetur, quod prater naturam est, discutitur, recrementáque consumuntur, & affecta membra redduntur robustiora, ut ampliùs eorum doloribus non sint obnoxia.* *In podagra oleum salitum in fine optimum.*

38. Animadvertendum autem, eo nequaquàm utendum esse doloribus urgentibus; cutis enim constipatione aliquâ factâ, vehementiores redderentur dolores, majórque humorum ad locum fieret attractio, quin & eorundem, & vaporum impactio: quare convenit, *Oleum salitum ante declinationem malum in podagrâ.*

venit, ubi dolores remissi sint, aut evanuerint, tunc enim frequentissimus illius esse debebit usus, Aëtio teste ex Phylagrii sententia, & quotidianus usus id docet.

Oleo salito inungere non satis est, sed perfricare oportet.

39. Non sufficit autem inunctio simplex, sed perfricandi erunt articuli oleo illo salito, ut salis vis terrestris & crassa altiùs penetrare possit.

Sal quomodo oleo admisceetur si sal oleo non liquatur.

40. Quoniam autem sal oleo non liquescit, & salis micæ olei imas partes solùm attingunt, & vix salsedo oleo communicatur, soleo ego salem, tritum subtilissimè, in vini calidi levissimâ portione paulatim colliquare, mox salem illum colliquatum assiduè spathulâ cum oleo agitare; & sic oleum salsedinem contrahit: Vel in subtilissimum pollinem salem contritum, & oleo admixtum semper, antequàm in usum ducatur, diligenter concutiemus.

In Rheumatismo.

Ballonius.

Descriptio.

41. Est conferta humoris serosi diluvies, non modò in Articulos, sed in medios artus, & internum corporis habitum irruens, vagosque ac succedaneos dolores inferens, verè Arthriticorum, & eorum qui à lue venerea excitantur æmulos: Quem affectum committit ἰχὼρ φαυλὸς καὶ μοχθηρὸς, quatuor humorum proprius, à fervido hepate genitus, qui dum à robustis partibus in debiliores fertur, & ab iis in omnium maximè ignavas æstuans in venis αἱματοποιητικοῖς fluctuat, à quibus evomitur modò in hoc modò in aliud latus, improviso insultu, sæpe sine rubore aut tumore, non sine febre tamen, petiostium membranosumque genus acuto dolore exercens: Prout is humor tenuis est & calidus, quaquaversum pervadit & ab una parte ad aliam subito decubitu transmigrat: prout acer est & mordicans, affectas partes pungit & lancinat: quod si quoque copiosus, quasi pistillo tundit, δυσκινησίαν parit, & partes in modicum tumorem rubrum, inæqualem, excruciantem attollit, *lib. de Rheumatismo pag.* 294.

Generatio.

42. Ejus vis in eo consistit, ut & effluat in habitum humor, aut impulsus à partibus internis robustis, aut rigato toto musculoso genere per διάχυσιν quandam humorum in habitu contentorum: Imo vero id fit forte & per impulsionem & per attractionem: Item vis consistit in eo ut à parte in partem subinde fiant translationes, unde tandem insignis circum articulos abscessus excitatur: In plenitudine & cacochymia id maxime excitatur, ut Hollerius annotavit: Vulgus ad caput id refert, & soli capiti studet, ratus fluxionem esse à capite: Galenus

Galenus cap.8. de S. m. ad robur partium principum, ſeſe liberantium pravo humore, diſpendio imbecilli corporis habitus, in quem relegant deponuntque ſordes ſuas: Duo ſunt loci commemorabiles, qui non ſunt longe diſſimiles, huc adducendi, ut ex iis demonſtratio aliqua deſumi queat: *Prior* eſt in aphoriſmis, cum loquitur de fluxu immodico ſanguinis; Fieri poteſt, *ait*, ſi ora vaſorum ad uterum pertinentium plus æquo aperiantur, & ſi ſanguis vel tenuior vel calidior fiat, & totum corpus ob aliquem malum habitum gravetur ſanguine, licet ſuam ſymmetriam copia non excedat, expellit ideo ad venas uteri, ut accidit ἐν ταῖς ῥευματικαῖς διαθέσεσι, in quibus alias in aliam partem fluxus fit: fieri poteſt, inquam, ut immodica menſium fiat evacuatio: *Alius locus Galeni* eſt de venæ ſectione, Partes imbecillæ, *ait*, excrementitiis morbis capiuntur, Hac ratione τὰς ῥευματικὰς διαθέσεις fieri ſcito, corpore univerſo imbecillo exiſtente (quæ una eſt aliqua mali habitus ſpecies) principibus illius partibus, licet in iis paucus ſit ſanguis, gravari ſolitis, eumque ad carnoſas juxta cutem partes protrudentibus, & magis ad glandulas &c. *Et paulo poſt*; Quibus Lien, Pulmo &c. Cerebrum, carnoſo genere ſunt robuſtiora natura, in iis ad glandulas & carnes fluxiones perveniunt, cum præſertim univerſus corporis habitus imbecillus fuerit, ut in ῥευματικαῖς διαθέσεσι: Quo in caſu Gal. roborat partes evacuato prius ſanguine, licet imbecillitas ſit carnium, & mirum quod immodicus non eſt ſanguis, ſuam enim ſymmetriam quantitate retinet, quare ergo gravantur partes? ſi modicus eſt ſanguis, imo ſi parcior, unde tanta νωθρότης? aiunt id fieri ob imbecillitatem partium, nam imbecillo homini exiguum etiam pondus oneri eſt, & cum partes robuſtæ ſeſe exonerant in genus muſculoſum & glandulas, fit quædam plenitudo ad vires: Ego vero non tam ad quantitatem ſanguinis id revoco, quam ad vitium quoddam ejus; imbecillitas partium & habitus non eſt ſine morbo, cachexia ipſa & ſumma decoloratio habet & deſignat aliquid κακοηθὲς: Non in aliqua evacuatione ſanguinis & corporis externi habituſque roboratione ægrorum conſiſtit curatio, ut placet Galeno; alia quædam ratio inquirenda eſt; unde videmus & cachecticas & decolores virgines non juvari aut ſanguinis detractione, aut purgatione, (licet utrumque queat uſurpari, ſed curatio non inde pendet) balneæ naturales & crocus martis miraculo curant, quia eſt latens aliquid quod nonniſi medicamento virium latentium exigatur & depellatur: fidem quoque facit quod cachexiæ ipſa in leucophlegmatiam aut elephantem degenerat & terminatur: In omnibus pene, ex dicto Hippocr. omnes cavitates & inania muſculorum ſpatia ichore replentur, & muco maligno nervi & ligamenta; qui mucus cum laudabilis eſt, apte & ſine dolore moventur partes: ſin minus, contra, & quo magis ægri extenuantur, partes replen-

tur tetro Ichore & muco, Et, ex Gal. iste mucus nec affusione, nec cataplasmate, nec medicamento attrahitur & discutitur, sed coctione & mitificatione eget: Catapl.ex farinis in vino coctis, cum sapa, fæce vini, sigillo B. mariæ valet, *conf.67.l.3.*

Nec Catarrhus est nec Arthritis. 43. A vulgo Catarrhi nomine donatur (pag.163.) etiam minus periti medici hoc genus morbi ignorant propter insolentiam, & quia ab antiquis plerisque est prætermissus: (pag.164.) falsò autem Catarrhus dicitur (nam id nominis Κατ' ἐξοχὴν distillationem à capite significat p.166.) ideo à refrigerantibus & sanguinis detractione vulgus abstinendum putat (pag.176.) Sic infœlix curatio propter istam ignorātiam decerni solet *ibid.* Nec Arthriticus dolor dicendus, qui certis periodis repetit certisque temporibus, hic ῥευματισμὸς non item, nisi quod in iis qui in vitæ genere peccarunt, ut nervis redditis infirmioribus, & succrescente cacochymia tandem habitum aut Diathesin Arthriticam afferre posset (p.168.) Melius ἀπόστασιν quandam vocabimus aut ναυσίωσιν τῶν φλεβῶν, quia fit in habitum corporis ἔκκρισις, ἀπόστασις &c. p.175. partim per abscedendi modum, ut in longis morbis & quartanis febribus id evenire observavi critico modo: partim per ἀπόστασιν quandam symptomaticam, in iis qui cum jamdiu malè haberent, & tamen ὀρθοστάδην viverent, tamen subesset cacochymia multa, symptomatica facta est in universum genus musculosum περιβολή: argumentum autem cacochymiæ residis in venis & habitu, est putris virosique sanguinis, ejusque multi, vacuatio: fieri etiam potest ut natura ab interno corpore ad externum materiam non pellente, dolores isti oriantur, calefacto, moto, putrente ac irritatò habitus ipsius proprio humore & excremento. *Lib.de Rheumat.pag.161.*

Χυμῶν διάχυσις, humorum Diffusio Rheumatismi species. 44. Commemorabile illud est quod observatur de humorum diffusione, quam Hippocrates τῶν χυμῶν διάχυσιν vocavit: certis enim temporibus, certis in morbis, certis ætatibus ea fit diffusio, quæ non in capite solum, & à capite solo fit, sed & in partibus aliis, (unde malè omnem destillationem à capite arcessunt, à parte enim in partem fit) Id autem fit per imbecillitatem quandam partium, facultate præsertim retentrice imbecilla: & quò partes sunt ficciores, eò videntur pluribus istis humiditatibus abundare: In toto corpore, & singulis ejus partibus est quædam συντονία, i. e. partium, substantiarum & facultatum contentio, qua perseverante omnia ritè administrantur; Nec est dispositio ista καταῤῥώδης per imbecillitatem, quæ in multis esse solet: bifariam enim partes inferiores labefactantur ob defluxum, aliàs humore ab aliis partibus in has depulso, & in hoc vis pellentis naturæ apparet, alias veluti laxatis fibris, defluente humore in partes, Et hic posterior modus est deterior: nam tunc partium & excipientium, & earum à quibus manat humor, συντονία & concutitur ac evertitur: Et Medicis id est muneris vt, quantum

tum fieri poteſt, roborent partes iſtas, & contentionem iſtam partibus reſtituant: Bene hanc diſpoſitionem συὼτηξιν, aut συωτηκτικὼ dixeris ſine febre, eaque admirabiles habet in corpore eventus: Atque aliquando eò id procedit, ut partium fiat quædam, ut ita dicam, denaturatio, & laxatis veluti fibris, magnus apparet proventus excrementorum, pituitæ diffuſio, tinnitus aurium, flatus, & ob ib ob paupertatem caloris naturalis non ſatis elucentis apparet: Et id tale in rerum naturam ſæpe cadere vidimus, & maxime cuidam contigit poſt aſſiduas vigilias: aliquando ob dominatum caloris fundentis: unde in quartanis febribus longis, profuſiones pituitæ, catarrhi & ϛευματισμοὶ apparent, fundente nimirum ac liquante calore & partibus imbecillis redditis, *Lib.* 2. *Epidem. & Ephemer. pag.* 184. Anno 1576. fluxiones in maxillas, dentes, guttur, humores, brachia, dubitabatur an iſtæ affectiones omnino eſſent à capite, an etiam per metaſtaſin quandam evenirent, natura ſeſe exonerante & à genere venoſo in nervoſum humore excutiente? In quibuſdam revera à capite malum erat: in aliis concurrebat etiam cacochymia corporis; Nam vidimus qui omnino immoti manerent, cùm tamen caput non doluiſſent, nec in partibus ſuperioribus quicquam alienum ſenſiſſent: ſic videbatur quædam diffuſio humoris à genere venoſo in nervoſum, & veluti expreſſio. *Lib.* 2. *Epid. & Ephem. pag.* 169.

45. Hæc affectio ferè in naturas validas cadit, & in eas maximè quæ ſynochas febres putres experiuntur: ſic idem canon ferè curationis eſt in hoc affectu qui in laſſitudine ulceroſa aut phlegmonode, & in febre ſynocho putri: in ijs autem affectionibus largè & ſæpe ſanguis mitti debet: Vulgus etiam Medicorum (id quod Medicos doctos dedecet, ſed ob inſolentiam morbi eis parci debet) quoniam videt partes omnes pariter æqualiterque dolere, ratum falsò catarrhum eſſe, aut veritum ne provocetur fluxio in brachium è quo ſanguis duceretur, ferè à ſectione venæ abſtinet, aut trepidè cunctanterque eam aggreditur: ægri enim eo ſe habent modo toto corpore quo Arthritici in ſuo paroxyſmo, in una aut paulò pluribus partibus, videtur enim hæc affectio eſſe Arthritis univerſalis: tamen ab inſtituta vacuatione per luculentam frequentemque venæ ſectionem id non debet nos revocare: imò etim in Paroxyſmo Arthritico utiliter laxatur vena, id quod hæmophobis & parùm expertis Medicis haud placet: maximè verò ad id invitamur, quòd impurus, imò planè corruptus ſanguis in eo affectu laxata vena detrahatur. *Ibid. pag.* 179. Spes omnis ſanitatis in venæ ſectione poſita, quæ vacuando, revellendo, derivando, refrigerando eſt ἡγεμονικὸν *Ibid. pag.* 200. Andegavenſis Comes eo affectu per ſex integras hebdomadas laboravit: decies miſſus ſanguis, expertus eſt ſudorifica,

Vena ſectio ἡγεμονικὸν

deterius habuit : hic hæmorrhagijs copiosis olim erat obnoxius; tandem cum nullis morbus cessisset remedijs, & desperatus penè foret, ecce tam copiosa hæmorrhagia, & quæ credentis opinione major esset, supervenit, ut de funere cogitaretur, convaluit evacuato supra modum sanguine : hinc patet morbum eum ad febres laboriosas referri posse, aut ad lassitudinem phlegmonodem : Quanti autem in febre laboriosa facienda sit hæmorrhagia, docet Hippocrates 4. aph. 74. Quibus speratur in Articulos abscessus, liberat urina multa, qualis in febribus laboriosis: si verò ex naribus sanguis fluxerit, brevi fit solutio. *Ibid. pag.* 182. *Iohanna le Prevost* autumno febris vehementissima, omnium membrorum dolor asperrimus & impotentia fere, Articularis erat orgasmus & lassitudo vlcerosa ; Si materia in interiora potius irruisset mortua derepente fuisset: Sectio venæ repetita contulit: sanguis detractus est valde impurus, nam alieni humoris erat mixtio: miror quomodo sine sudore convaluerit. *Ibid. p.* 177.

Repell ntia nocent. 46. Sed, An bonum est refluere humorem à robustis partibus ad infirmas (cujusmodi est universus corporis habitus) An contra ab infirmis ad robustas? nam robustis inest vis quædam vernacula & calor vegetus quo se tueantur ac vindicent, coctione digestionéque id præstabunt, Quæ opinio est Hippocr. parte 5. 2. lib. de natur. humana. *Qui morbi*, ait, *ab imbecillibus partibus ad fortiores pervenerint, ij solutu sunt faciliores, influxus enim facilè à robore excludentur*: at meliùs est à partibus præcipuis in minùs præcipuas humores repere, Nam, vt ait Galenus parte 5. lib. 2. de natur. humana. Sæpe visi sunt interire quibus fucci, in dolore articulorum, in artus delati, deinde repulsi, in partem principem pervenerint, & vna salutis spes erat si ijdem ipsi humores ad artus revocarentur? *Ibidem pag.* 177. Dicat quis, Si universus corporis habitus est imbecillior, confirmetur, ut dolendi ægrotandíque pereat occasio; id quod in ῥευματικαῖς διαθέσεσι Galenus cap. 8. lib. de missione sanguinis commendat, *Curationis scopus est, non vacuatio sed totius habitus roboratio*, quanquam, ait, curationis initium à sanguinis missione fit; Respondendum, fine & intentione curationis scopus primus est partis roboratio, opere tamen posterior est, vix enim robur corpori conciliaris nisi corpus vacuaris; Vbi enim pravus humor est, licet multitudine non lædat, tamen corpori gravitatem & morbosam dispositionem non definit inferre: iste autem tam gravis & dolorificus affectus non solet accidere nisi jam & in vasis & extra vasa collecto pravo humore, id quod declarat frequens evacuatio pravi & impuri sanguinis : infirmitas quidem habitus valet ad ἐπιδεκτικόν, sed non ad ποιητικόν : Notandus enim est iste locus, 6. Sanit. tuend. & comm. ad aph. 28. lib. 6. *Qui nil colligunt superflui, his manent imbecillæ par-*

tes semper in tuto, argumento est, quoniam aliqui sex mensibus infirmis pedibus laborant, quod si sola imbecillitas id faceret, perpetuò laboraret pars infirma, ut cui nunquam causa abesset ut laboraret; Et in Aphor. disces; Quod partis imbecillitas non sufficiat ad generandam affectionem ex intermedio tempore, in quo nulla ferè infestantur, licet nativa imbecillitas continua sit, si nil in vita deliquerint. *Ibidem. pag.* 180. *&* 181.

47. Laxitas cutis apprimè facit ad curationem istius affectionis, sed ægrorum impatientia non permittit ut se facilè lecto contineant, ne minimam quidem stragulam aut operimentum præ dolore ferunt: & ob copiam & inflammationem, nescio quam, toto corpore sparsam, vix ac ne vix saluber sudor manare potest, *Ibid. pag.* 179.

Ἡ διαφόρησις procurando.

48. Cornicula frequentia, & Hirudines copiosæ habitui corporis applicitæ, conferunt: *Ibidem.*

Cucurbitula & hirudines iuvant.

49. Morbus Purgatione irritatur, more eorum morborum qui in Inflammatione consistunt: *Ibidem pag.* 67. Medicamenta calidiora nocent, irritant humorem in partes inferiores: Pilulæ initio non tutæ, licet Arthriticarum nomen sibi falsò arrogent, non tam usu, furente humore, quàm abusu, *Ibid. pag.* 191.

Purgatio noxia.

50. Crebra tamen enemata conveniunt, refrigerantia & humectantia: blanda sub finem Cathartica, ex senna, rheo, confectione universali, syrupo diarrhodon, *Ibid. pag.* 195.

Enemata conveniunt

51. Vidi qui Thermis & decocto ligni in dies uti voluerint, sed nullo profectu; imò omnia penè recruduerunt; saltem nisi diligenter toti corpori per sanguinis detractionem provisum fuerit, per clysmata, & inflammatio desierit: ab ijs omnino temperandum est, imò tales ægrotantes febrientium more regere convenit. *Ibid. pag.* 181. Absorbendæ tam importunæ illuviei, frustra sudores sollicitantur, aut phœnigmi, purpuratarum febrium inane præsidium, admoventur: frustra quæruntur hypocausta, frustra hydragoga, vel desiccantia medicamenta præscribuntur; *Ibid. pag.* 195.

Thermæ & hidroticæ noxia.

52. Ægri, quia sensum habent caloris acris, aliquatenus juvantur usu rerum frigidarum, sed nocent bifariam, partim quia difflatum prohibent; partim, quia ubi quis usus est paulo frigidioribus remedijs, remanet, domito morbo, major infirmitas nervorum, unde Arthritidis occasio postmodum nasci potest. *Ibidem. pag.* 180.

Frigida admota nocēt.

53. In hoc affectu Paregoricis remedijs est utendum: ab his quæ ἀποκρουστικὰ vocantur, præsertim à valentioribus, est abstinendum, *Ibid. pag.* 181. Inter Topica, oxyrrhodinum & oxycratum morbi hujus contumaciam expugnant, quæ cùm omittuntur, effusi ad Articulos humores

Adstringentia valida noxia.

res abſceſſus pariunt, movendíque libertatem artubus auferunt. *Ibid. pag.* 195.

Juſculorum uſus conducit. 54. A Iuſculis non eſt abſtinendum, ut falsò crediti catarrhi nomine vulgus Medicorum putat: quia enim tales ægrotantes eo fere ſe habent modo quo ij qui κεφαλαλγικὸν τρόπον nervos muſculoſumque genus habent irrigatum fluxionibus à capite manantibus, ideo falsò putant id à capite eſſe, & cauſam frigidam putant, at verè ἀρθριτικοὶ non ita dolent, non ita febriunt. *Ibidem pag.* 181.

Genuum tumor ſuperſtes quomodo curandus. 55. in Rheumatiſmo Genua maximè affliguntur, *Ibid pag.* 190, cum genua valde laborant & tument, placet Emplaſtrum ex ſigillo beatæ Mariæ crudo, Emplaſtrum de baccis lauri cum pulvere ireos: ichore replentur carnes, & muco maligno nervi & ligamenta, qui mucus cùm laudabilis eſt, aptè & ſine dolore moventur partes, ſin minùs, contra, & quò magis ægri extenuantur, partes replentur tetro ichore & muco, Et ex Gal. comm. in lib. 3. de Artic. iſte mucus nec cataplaſmate, nec medicamento attrahitur aut diſcutitur, ſed coctione & mitificatione eget, potiùs valet cataplaſma ex farinis in vino coctis, addendo ſapam, fæcem vini, ſigillum crudum Beatæ Mariæ; Experiundæ ſunt ſtuphæ ſiccæ ſub finem, Aquæ plumbares primas fortè tenebunt. *Conſ.* 67. *lib.* 3.

LIBER X. DE TVMOR. P. N.

CAVTIONES

Animadverſiones in

TVMORIBVS PRÆTER NATVRAM.

Ballonius.

Non omniū Tumorum origo ab interioribus eſt repetenda. 56. FOris in quibuſdam Tumores, etiam aſpectu horrendi apparent, quorum origo ab internis non eſt: Si autem fuerit, contracta quadam mala diatheſi in habitu ipſo, talia in cute, vitio vernaculo ipſius cutis, erumpunt & effloreſcunt: Ideo Hippocrates ea quæ in cutem erumpunt, alias vt morbos conſiderat, vitio cutis orientes, alias vt exanthemata & τὰ τῶν ἐντέρων βλαστήματα, & tunc ipſius tertiæ coctionis & habitus morbus eſſe perhibetur. *Conſ* 49. *lib.* 2.

Tumor fugax hujus vel illius partis flatus ſoboles S. mo vi cedens. 57. *Filia Benſalda*, vt & *matri*, neſcio quis humor inſitus eſt qui

qui symptomata affert incredibilia: Aliquando exoritur nescio quis vapor, aut humor vaporosus & flatulentus, & malignus, qui partes in quas repit, manifeste tumefacit, cum suffocationis metu quodam: manus intumescunt adeo manifeste, & multum, vt caput fere magnitudine referre videantur. Sectio profluit, Et vsurpari illud potest isto in loco quod scripsit Hippocr. 2. Epid. Flatuositatem venæ sectio solvit. *Epidem. l. 2. p.* 225.

58. Cuidam in femore obortus tumor, fortè suppurari prohibitus est purgatione & phlebotomia, & incredibile quantùm negotij id attulerit, *Epid. lib.* 2. *pag.* 234. Mulieri cuidam tumor infra mammam dextram, falsò suspicabamur esse aliquid venereum, Empl. vigonium applicatum est nullo profectu, tumor erat frigidus, secta vena, credo quod nullo profectu: & si natura suppuratum molitur, idem retardat phlebotomia, pus procuratum, convaluit: *Epid. lib.* 2. *pag.* 234. *Suppurationem prohibet vena sectio.*

In Parotidibus.

Ballonius.

59. Mulieri cuidam dolor insignis ponè aures, Parotis minatur, quæritur an hoc in casu sanguinem sæpius detrahere bonum? Nam impedire ne ad suppuratum tendat, bonum est, repellere nocet: Si vena secatur, & aliquid est egressum è vasis, & aliquid paratum est adhuc in partem fluere, retardamus suppuratum, refrigeratur & crudescit materia: sic occasio majorum posthac dolorum datur; contra si primo quoque tempore procuratur suppuratum (nisi fortè malum sit adeo leve ut nec illinc periculum impendeat) non ita multo sanguine detracto, curatio est & facilior & brevior. *Epid. lib.* 2. *pag.* 234. *An parotidibus imminentibus vena secanda.*

60. Procurandum omni studio ne Parotides suppurent, nam & longitudine opus habent, & sæpe in choeradas abeunt cùm suppurant, & tunc nec clysteribus nec catharticis peperceris: *Epid. lib.* 1. *pag.* 23. *Parotides ad suppurationē deduci non debēt*

61. Quadam tempestate Parotides, etiam fluente alvo, non cessarunt, unde copia materiæ significatur, quæ & ad alendas Parotidas sufficiebat & ad alvi profusionem; sed hominem alvo repressa necavisse quendam Empiricum observavimus. *Epidem. libro* 1. *pag.* 7. *Alvus debet esse libera iis qui Parotidibus vexantur.*

In Bubonibus.

Ballonius.

Audacter purgandum in Bubonibus.

62. Ex Hippocrate Bubones sunt signa viscerum βλαστήματα ἐχόντων, nam cùm natura aut in emunctoria hepatis, aut alius partis, sese exonerat, signum est quod ea vel qualitate, vel quantitate humoris irritatur: Ideo quoties apparet de ejusmodi tumoribus in inguine, dum per ἀπόθεσιν id facit natura, audacissimè purgare oportet & frequentissimè. *Epid. lib.2.pag.* 169. & 170.

In Erysipelate, Herpete, Impetigine.

Ballonius.

Erysipelas intus foras prodiens sanguine misso.

63. Nob. N. morbus notandus: dolor pectoris, rauca vox & summissa, non libera: difficultas spirandi, tussis nulla, febris aut nulla aut exigua: repente intus foras tumor apparuit in osse sterni: erysipelatodes quid: audacter detractus sanguis, quod latentis phlogoseos (quæ inflammationem tandem in pulmone peperisset) nobis erat suspicio; Convaluit. *Epid. lib.* 2. *p.* 204.

Erysipelas phlegmonodes terna vena sectione sanatum

64. Filia Iegonæ lassitudinem habebat vlcerosam, & veluti quoddam erysipelas phlegmonodes vtramque tibiam pervaserat; huic profuit terna venæ sectio: detractio facta ex vtroque brachio; impurissimus erat sanguis. *Epidem. & Ephemer. lib.* 2. *pag.* 209. Cur è brachio potius demebatur sanguis quàm è malleolis? nam si repulsio & repercussio lædit, cur non revulsio, & retractio intro? Nisi quod repercussio nihil evacuat, sed revulsio & retractio evacuat, præsertim cum per phlebotomiam fieri solet. *Ibid. annot.* 7. *pag.* 222.

Camphora noxa in igne sacro.

65. Sunt qui Caphuram macerant in aq. plantagin. ad ignes sacros, hoc multis non placet: imò rodere ac calfacere Caphuram volunt: narrant quidam vsu rerum Caphuratarum coeundi impotentiam accidisse, imò omnes partes quæ generationi devotæ sunt, effœtæ languerunt, *Epid. lib.*1. *pag.* 68.

Aqua sola valet in Herpete & impetigine.

66. Miror cur in Herpetibus, Impetiginibus, in quibus humectandi & refrigerandi consilium est, non potiùs ad aquam solam recurrimus quàm ad aquam & succum plantag. & similia. *Epidem. lib.* 2. *pag.* 106.

Impetigo an curanda.

67. Quæstio digna ponatur, *Impetigo*, aut *Papula* (vulgo *Darta*, ἀπὸ

ἀπὸ τοῦ δέρειν) si morbus est cutaceus, vt cujus vitium tantum sit in cute, unde ob malam dispositionem partis impetiginosæ in loco illo & circumscripto corrumpatur alimentum, licet illud quod affluit bonum sit & laudabile, quis metus est si topica curatione omnino tollatur? Si qui affluit humor fovens dartem laudabilis erat, sed partis tabo infectus, quid inde incommodi sequetur, an quia dispositio impetiginosa de parte in partem migrabit? An quia impetigine externa extincta dabitur occasio impetigini internæ, quæ multo deterior futura est? Et tamen Medici methodici cautione magna extinguunt illa vitia cutanea, Unde Hippocr. narrat de quodam Atheniensi quem infestabat prurigo & species quædam lepræ, usu aquarum αὐτοφυέων liberatus est istis, sed non longe post factus est hydropicus & interiit: Credo quoniam illius prurigo & lepra erat veluti abscessus vi naturæ tentatus, vt virus internum suppressum deteriorem multo affectum intulerit. *Histor. 5. lib. 2. Consp. 151.* Si *Herpetes* & *Impetigines*, & *Darias*, serum nitrosum salsumque facit, quare in iis oppugnandis vtimur remediis siccantibus & squalorem inducentibus? nam contraria contrariorum sunt remedia. *Ibid. l. 2. p. 206.*

In Strumis.

Ballonius

68. Quidam artis periti in Chœradum cognitione & curatione vacillarunt: à pituitâ illas nasci putant & ad calfacientia & siccantia recurrunt; item ad hidrotica calfacientia, hinc in malum Cancrum fit conversio & transitus, dum illa pituita incalescit plus æquo & exasperatur. At, ut ex Platone notat Galenus, pituita non quævis nocet, sed salsa aut acida: salsa est atræ bilis soboles & affinis, hinc quibus in facie Gutta est Rosacea, in iis Chœradum & Cancrorum est seminarium, imò & Arthritidis: sic gravis error committitur in usu calfacientium & siccantium remediorum, & antiquitas prudentiùs præscripsit serum lactis, asinæ lac, syrupum Regis Saporis: *Consi.56. lib.5.* De scrophulis multi multa & sæpe in vanum: morbus enim est ludificans operam Medicorum: *Rondeletius* multa remedia adhibet, & calida plurima: in quo, pace tanti viri, dicam, ab eo dissentimus: humor enim acer, mordax, salsus & nitrosus id genus mali gignit & fovet, *Consi 34. lib.3.* *Calidis nō sunt curanda.*

69. Strumas unus alexicacos Hercules vincit & opprimit, sanat autem profusa per os maligna pituitâ, quæ in capite redundabat, illincque in subjectas partes delabens illarum causa fuerat, at verò *Hydrargyrum solum remedio est.*

Mercurius de quo hîc, is est quem dulcem aut dulcificatum vocant, *Consil.34.lib.3.*

Suppuratio caute promovenda. 70. *Tumorum choeradum* minacium prudenter curatio suscipienda, purgando & suppuratum impediendo; licet feliciter, sed id raro, in quibusdam suppurato tales tumores evanuerunt, consumpta membranula quæ materiam continebat, maxime si pus maturum sit, nam ante si effluat, aliquid cancrosum affert, sic mora quædam, licet tædiosa, securior est. *Consf.56.l.3.*

Scrophularia nomine tenus sanat. 71. Scrophularia ipso nomine & fronte mirum quid promittit ad curationem, sed in exolvendo promisso languet: viribus æquat Aron seu serpentariam, calidam & siccam: *Consf.56.lib.3.*

Conferentia Scrophulis. 72. Valet Ros solis (herba) & pes cati, sive pilosella minor, miraculo proficere aiunt Iaceam albam, (quam speciem violæ esse aiunt,) item papaver rubrum macerant in vino, contundunt, mucaginem tumori choeradico applicant: id remedium temperando prodest, & eas habet dotes quas requirimus in remediis strumarum, exclusis calfacientibus & nimium siccantibus. *Ibidem.*

In contumacibus quibus utendum. 73. Si tumores sint contumaciores, valet hoc Empl. ℞. Empl. de Vigo duplo mercurio vnc.sem. Empl. de Cerussa ij. dragm. malaxentur sine oleis: Emplastrum Divinum mirificè confert: radix gladioli contusa cum Rosato Mesuæ; prodest tumoribus istis: *Ibid.*

Rad. gladioli vis. 74. Rad. Gladioli dragm. ſ. pulverif. per dies 40. miro eventu datur, *Ibid.*

In Cancro.

Ballonius.

Cum cancro mite agendum. 75. Cancri sunt alendi, non curandi nec irritandi: inutilis opera est, & ægri sequitur calamitas; mitigare, delinire humaniùs, tutiùs: irritare, crudeliùs, periculosiùs; In his maximè habenda ratio adustionis & caloris adurentis; nec simpliciter calor considerandus, nam est virus quoddam junctum cum adustione, quod plumbo solanóve emendatur quodammodo, aliisque vehementioribus magis ac magis irritatur, *Consil.26.lib.3.*

Quomodo purgãdum. 76. Pilularum usus non probatur, opiata ex conservis, pulvere, senn æ rheo & simil. utilior & tutior. *Ibidem*: Purgatio instituatur frequentior non vehementior, & sicubi aliàs, Epicrasis locum habet, ut sit nutritionis & purgationis gradus & vicissitudo. *Ibid.*

An pyrotico attingendus locus vicinus 77. Quæstio an Pyroticum, supra aut infra partem tumore Cancroso affectam, conferat? Vtrique parti sua sunt patrocinij momenta: Hic quid dicam animi sum anceps, an supra an infra malum: Is

canon

canon eſt prudentiæ, non tam videndum ut proſimus, quam ut non obſimus: Si res ſit cum corpore ſucco atro & feroce ſcatente, videndum ne quid ſiniſtri contingat in ea parte quam cauterium exuſſerit: Si mite cauterium, inutile, ſi immitius, vix evitabitur periculum: Ægri tabeſcunt vi morbi, mœrore, defectu alimenti novi, appetitu proſtrato, tabo melancholico & ichore carnes irrigantur: Verendum eſt ne pro levamento novi mali ſit irritamentum, itaque abſtinendum: brachio adhiberi poteſt minori cum periculo, profectu minimo. *Conſ.26.lib.3.*

78. Mulier quædam ſatis declaravit quanti ſit facienda etiam minima mammarum offenſio: Cum enim contuſio in mamma dextra facta ob ictum, neglecta fuiſſet, ut leve malum, Cancer hinc teterrimus & funeſtiſſimus eſt inſequutus, hinc mors *Epid.l.2.p.205.* *Mamma contuſio neglecta in Cancrum abit.*

79. *Galenus 2. ad Glauc. c.10.* tradit quod in mammillis ſæpe tumorem figura animali cancro perſimilem vidit, quem morbum ille per ſui initia medicamentis atram bilem educentibus ſanavit; At vbi in molem inſignem prædictus tumor attollitur, curari ſine Chirurgia non poteſt, Ego vero parvos & magnos Cancros, aut omnino topicis medicamentis non eſſe irritandos, aut ex integro ferro exirpandos ſuaderem, modo tamen locum idoneum, circa quem manuale opus debite exerceri poſſet, & ab arteriorum & vaſculorum alicrum multitudine primum liberari: Cum iis tamen conſulimus & regimen accuratum, & corporis expurgationem ab humore melancholico per reliquum vitæ tempus. *Galenica medicandi methodus.*

In Verrucis.

Ballonius.

80. Narravit quidam, cùm verruca occupatam manum haberet, ſatis altâ & profunda, per dies aliquot aſſiduè locum affectum perfudiſſe & affricuiſſe ſucco, vi affrictus, extracto ex portulacæ thyrſo jam grandiuſculo & lanuginoſo; atque ita miraculo verrucam extrabuiſſe. *Epid.lib.1.pag.46.* *Portulacæ vis in verrucis extendis.*

In Varicibus.

Ballonius.

81. Mulieri cuidam in venis varicoſis ſanguis eſt collectus fuſæ pici ſimilis, & cùm dolores eſſent, conſilio quorundam detractus *Apertio tuta varicum.*

 eſt

est, magna copia, sanguis atramento similis, ac postea optimè illi cessit: temperamento erat melancholico, *Paradigm.* 191. *Epid. lib.* 2. *pag.* 242. *&* 268. Alteri audio sanguinem nigrum ita concrevisse in Iugularibus venis, ut carbones illic impacti crederentur; ubi venæ varicosæ turgent, evacuatio ista particularis proficit plurimùm. *Epid. lib.* 2 *pag.* 242.

In Vlceribus.

Ballonius.

Vlcus vetus non claudendum.

82. Quædam febre assidua laborabat, cum dolore paulò supra hypochondrium dextrum: invasio morbi fuit terrifica, menses suppressi, suppressum & sanatum vetus in tibia ulcus; ignorabant tamen Medici: victa malo ars nostra fuit; fortè si suppressionis virulentæ materiæ, ex ulcere manantis, ratio habita fuisset, non ita oppressa & extincta fuisset, an non reserare tibiam oportuisset & emissarium facere? *Epid. lib.* 2. *pag.* 249. Multis vlcera in tibiis annua sunt, ea si pura fiant, Medicus sedulò observet, ne quid deteriùs eveniat; Quibusdam dyspnoeæ & gravia contigere, Hippocr. idem observat, *Cuidam erat vlcus magnum in tibia, hoc cùm purum factum esset, lateris dolor & pectoris sinistri è directo, & febris, mortuus est à febre*, annon in his scarificare partem bonum &, vulnere inflicto, vetus vlcus revocare ac renovare? *Epid. lib.* 2. *pag.* 130. Quidam ulcus antiquum in tibia habet, hoc aliquando cicatricem videtur capere, cum evanescit cardiogmos est & virium imbecillitas, & semper dolet Cor, ut ait: Admiranda est suppressio excrementi fluere soliti. *Epid. l.* 2. *pag.* 209. Cùm certum est de antiquo aliquo Vlcere, quod temere ad cicatricem, fugacem tamen, adductum est, non alienum fuerit si denuo pars ulcerata aperiatur; Ita enim leve malum inductum, grave aliquod & periculosum antevertet. Epid. *& Ephemer. lib.* 2. *annot.* 4. *pag.* 256.

Vlcus pertinax usu hydrargiri sanatum.

83. Quidam febre quartana diu laborabat, in tibiis Vlcera maligna & Telephia oboriuntur, febris perseverat, arte remediis que communibus non curantur, suspicio luis venereæ est, quod medicabilia non redderentur; tamen rebus diligenter expensis & rogatis, nil venereum inventum est: non defierunt tamen Medici suadere usum Hydrargiri: plantis pedum & femoribus applicantur ceronea ex Hydrargiro & consimilibus, provocatur πτυαλισμὸς, curantur ulcera, curatur & febris, Epid. *lib.* 2. *pag.* 131. *& pag.* 158. Cuidam juveni Vlcuscula erant nulla arte sanabilia, recrudescebant sanata, tandem visum est optimum si hydrargiro oblinir etur, & tamen sputatio seu salivatio

ſalivatio non procuraretur, ſine relapſu convaluit. *Ibid.pag.*152.

84 Aquæ minerales, ut Mercurij, Auripigmenti, vlcera maligna, nomas, ſerpigines malignas & id genus cætera curant, an ob vim ſiccandi ſummam? an quia proprietate aliqua id faciunt? *Epid. lib.2. pag.* 268. *Aquæ minerales utiles.*

85. Quemadmodum è re ægrorum eſt ſi tumores ulceribus ſuperveniunt, non ſtatim evaneſcere, ita quoque confert aliquando eos apparere, ut convulſioni præripiatur occaſio: veneno ſubtus cuniculos agente, præſertim ſi quid in ulcere, aut circum illud eſt quod foras exitum petat, *hiſtor.3.lib.2.conſil.pag.*114. *Vlceribus tumores ſupervenientes medicationem reſpuunt.*

In Tinea.

86. Contemperetur ſanguis & jecur: abſtineat vino: Vſus lactis aſinini: Balnea aq. dulcis. Decoctum frequens Sennæ cum iuſculo prunorum, catholic. decocto fumar. lapathi, cichor. Frequens abraſio capillorum: ablutio capitis cum lixivio ex decocto radic. cucum.aſin. dracont. irid.flor. ſenectæ ſerpentis cum fol. ſenn. Scarificatus profundus poſt deterſionem capit. cum ſmegmate duro, ſpongia, pumice: Cùm plurimùm manaverit ichoris & ſanguinis, poſt ſcarificatum ungetur caput liquamine lardi toſti in veru, perfuſi inter aſſandum avenâ, donec lardum exiccetur, & totum quod liquatur, excipiatur ſucco fumariæ; Si malum ad hyemem prorogabitur, utetur pilulis ex hieradiacolocynth. ſine quibus, de fumaria & hujuſmodi: Si ad frontem ſerpat, fiat levis litus ex hydrargyro, paratus ex ʒ ij. mercurij, pro ℥ iij. roſac. unguent. Meſu. Cataplaſma valet ex farin. fabacea, hordei, cicerum, fœnugr. lupinor. coctis in oxymelite, addito pulv. ireos purpureæ. Oleum de frumento mirè conferet: Hæc mulier poſt uſum iſtorum remediorum, frequentemque capitis lotionem ex lixivio parato ex fabarum tunicis, convaluit. *Conſ.19.lib.2.* *Tinea inveterata curata.*

In Vulneribus.

Ballonius.

87. In omnibus Vulneribus, ſed in nervoſarum partium & articulorum & articulis propinquarum præſertim, omnia tuta timeamus: quin etiam ſanitas & curatio repentina omnis ſuſpecta eſſe debet, ut magis vereri debeamus ſi vulnus expers & tumoris & puris ſit quàm ſi particeps: & non tam citò ad inducendam cicatricem adduci debemus, ut ichor & virus latens exitum habeat: ac Hippocr. 2. prorrhet. docet homines ab omnis generis vulneribus interire; *hiſtor.* 3. *lib.* 2. *Partium nervoſarum vulnera tardè ad cicatricem deducenda.*

88 Si in Vulneribus nec inflammatio, nec tumor, nec quid ſimile, *Tumor in*

imò

bonis duci debet nec cito discutiendus. imò nec dolor, id imperitus Chirurgus in bonis ducit: at talia bona suspecta sunt, & quæ sine ratione allevant, sæpe tandem terrere solent. Ideo quæstio esse potest, an tutò hodie, ut aliquid semper præstare videantur, tumorem qui adest, citò discutiant Chirurgi? videtur id non tutò fieri; intercipere quidem cursum affluentis humoris, ne pars læsa affligatur magis, optimum quidem est; omni ratione circumscriptum tumorem, quem parit sanies & virus ab ulcere manans, conari digerere & resolvere, non ita tutum est. Vide Aphor.65.lib.5. Sed an necesse est adesse tumores ad securitatem? Revera si fortè adsunt, tutior res est: sed adesse possunt ob affluxum materiei antecedentis, quæ per se & generatione bona est; quod si illa materia tumorem faciat, & statim refluat, non ita metus mali est: sed si tumor sit ob materiam conjunctam, pote corrupto ob ulcus alimento partis, aut veluti quodam flatu orgasmum faciente, maligno quidem & partem tumefaciente, non est dubium quin παλινδρομὴν subita illius tumoris exitialis sit: quod enim ibi continetur, κακοηθὲς est, *Hist.3.lib.2.*

In capitis vulnere ex opposito vena secanda. 89 Cùm vulnerato capite, pars læsa exolvatur, opposita convellatur (resoluta enim pars è directo vulneris non habet potentiam depellendi saniei virulentæ, quam pars altera sana, etsi homonymως sana dicatur, sentiens istud virus & frustra depellere adnitens, convellitur) videtur ab omnibus graviter peccari qui in vulneribus capitis curandis versantur: nam si cui vulnus infligitur parte dextra, initio ad revulsionem ex eadem parte, laxata percussaque venâ sanguis detrahi solet, & increscente dolore, auctisque symptomatis, ex cephalica ejusdem lateris laborantis detractio fit: quod paulò imprudentiùs fieri videtur; si enim ita frequenter pars laborans aperta vena exinanitur, dum vulneris ratio habetur, tantundem de partis viribus; evacuato spiritu & sanguine, detrahitur, hinc major occasio inducendæ Paralyseos: itaque è re magis futurum videtur si in opposita parte laxetur vena: *Lib.de Convulsionibus. pag.41.*

In vulneribus capitis purgandum metu abscessus in Iecore. 90. Observatum in plerisque eorum qui à vulnere capitis insigni interierunt, abscessum in concava Iecoris parte habuisse: ut ratio teneatur, sciendum illud esse verum quod Hippocr.& Galenus scribunt, præciso cerebro & febrem & bilis vomitum supervenire; *bilis revomitur*, ait Gal. *affecto ventriculo, qui cerebro compatitur*, ad os enim propago nervorum insignis pertingit; unde ergo in concavo hepatis abscessus fit? vulnerato cerebro, membranisque affectis, os ventriculi coafficitur humoresque perturbantur, unde bilis vomitio: si multa fit bilis evacuatio, ea ab abscessu vindicare potest; si pauca bilis vacuatio,& frequens est nausea, aut quia æger vomere non consuevit, aut quia bilis crassior, motu difficilis & quodammodo incuneata, aut quia libertas meatuum non est, dum humor mouetur & non

excluditur.

excluditur oppressionémque facit aliquam, potest in concavo hepatis colligi & inflammari, & præter symptomaticam febrem, quam facit τρῶμα capitis, essentialem febrem concitare; hinc collectio, hinc inflammatio, hinc abscessus: accedit quod in vulneribus capitis dandum pharmacum, si daretur; & vacuaretur bilis commota & non exclusa, ab abscessu liberaretur æger: Nunquid in febribus essentialibus abscessus in concavo hepatis fieret, nisi Medicus daret operam purgationi? & quia os compatitur ventriculi, natura suas suppetias mittit ad eam partem, obfuturas, quia non excluditur materia: phlebotomia & purgatio esset vindex illius abscessus: Et in quodam qui pugione vulneratus erat, tamen in internam capacitatem vulnus circa costas nothas, quà pertingit diaphragmatis extremum, non penetrarat, tamen in hepate repertus est abscessus, unde id? forte eodem modo quo in vulneribus capitis. *Ibid. p.* 50 *&* 51.

91. Faber Tignarius ex alto in sinciput incidit, læsum erat os & fissum; capitur consilium de admovendo modiolo, admotus est: media tantùm sui parte os erat fissum: itaque licet trepanum non fuisset vsurpatum, nil perinde erat periculi: Et tamen quis quærat, nonne & ratione interioris cujusdam contusionis caput fuit aperiendum? fortassis, & tamen ob ea incommoda quæ ossis apertionem sequi possunt maturius consilium capi debet cùm agitur de trepano, & nostri Chirurgi; ut aliquid agere videantur, satis facilè id vsurpant remedij, *Epid. lib.* 2. *pag.* 247.

In trepano adhibendo nimis faciles Chirurgi.

92. *Comes de Reiles* vulneratus est in Thorace inter quartam & quintam costam, Pugio rectâ quidem adactus erat & mediastinum penetraverat, dein paulùm inflectendo oppositam penè partem attigerat & minima etiam sectione sedes ipsius pugionis indagari potuerat, & fluenti sanguini, deinde suppresso, exitus esse poterat, ac si contraria & opposita esset apertio; sed id neglectum, tandem necis occasionem allaturum: ingens fuit hæmorrhagia, insignis alicujus venæ ἀζύγου argumentum cæsæ; jussus omnino quiescere, nulla tussis penè toto morbi tempore, difficultas respirandi exigua, poterat in vtrumque latus dormire: Quidam ex Medicis experiri volebat num alacer esset æger in sese erigendo, jubebat ut sese paulùm erigeret, maximè ut detegeretur num aliquid in capacitate esset quod motu ipso deprehenderetur; sed aliis id non visum faciendum: & tamen id ad explorandum maximè fuerat oportunum: Post quartum diem initum consilium (quoniam ad cicatricem vulnus tendebat) super iis quæ ad vulnus attinent, num tutò sineretur claudi, an verò dilatandum foret, an omnino claudendum: Alij omnino claudi debere censuerant, quod multum sanguinis & spiritus effluxisset; quod nil alienum videretur in capacitate contentum, quod Galeni & Gui-

Vulnera Thoracis non nimis citò occludenda.

donis consilio vulnera Thoracis primo quoque tempore essent ad cicatricem ducenda, alioqui fistulæ metum esse, & sphaceli alicujus in Pulmone, qui alioqui alieno aëri & externo non assuetus, facilè affici alterarique posset; naturæ negotium dandum, viam esse ad os, ad vrinas aut intestina; Pleuritides beneficio naturæ, transsumpta exsuctáque materia, curari: Alij contrà nitebantur suspecta esse ista ægri bona, & præter rationem allevationem: insigne vas incisum, sic non esse probabile ut intra quatriduum clauderetur, formidabilem esse cicatricem externam; quod cùm pars interna sit membranosa propteréaque ampliùs vulnere diducatur quàm carnosa, & tardiùs coalescat quàm ipsa carnosa, metus sit ne falsa opinione internæ membranæ ad cicatricem perductæ, ne præter opinionem vulnus refricetur & refringatur; ac tum fortè non ampliùs locus erit Pyulco aut evacuationi suppressæ saniei: dicebant nil referre si bene habere videretur primis diebus, sed expectandos alios dies criticos & quid serus vesper veheret: in his vulneribus tuta omnia timenda esse: non metum esse debere fistulæ nisi vulnus consenuisset: non ita ab externo aëre metuendum esse, quod plus detrimenti esset affuturum à suppressa sanie aut pure quàm ab externo ambiente; & quod dictum est naturæ opus committi debere, & alias tutiores vias confinxisse naturam, conatrdictum brutam esse & novercam naturam & aliquando veluti consultò pus & saniem ad tempus servare, quod cùm commodè excerni non potest, repentina mors obtingit: sic satiùs esse cùm vulnus hiet & pateat, si quid alienum sit, illac expurgare, quàm aut nouas vias comminisci, aut occlusum obseratumque vulnus denuo aperire, magna enim ignorantiæ esset suspicio & juncta crudelitatis opinio; imo tutissimè & sectionem fieri illo loco, & vulnus patere affirmabant, & locum esse idoneum sectioni in purulentis: Qui præerat, omnia sic moderari voluit ut vtrique parti adblandiretur: at istæ blanditiæ & temperamenta ægrum perdiderunt: desitum est vulnus cicatricem contrahere, triumphus ante victoriam canebatur: Porro supprimitur sanies in thorace multa, febris perseverat, alvi profluuium, macies, tandem derepente difficultas spirandi, ῥέγχος & inde mors circa 33 diem à vulnere: Apertum cadaver, 3. aut 4. libræ sanguinis saniosi, corpus ipsius Pulmonis non erat vulneratum, sed tamen per ichoris contagionem erat velut tabo infectum, & membrana succingens erat siderata. *Consil. 2. lib 2. pag. 236.* In Thorace, & frequentiùs in Pulmone, arescit sanies, & calore in crustam versa, cicatricis falsò creditæ imagine nobis imponit, donec ob Thoracis motum & partis mollitiem, levissima occasione excussa crusta, vulnus recrudescat: si externa & interna pars simul sanescat, evadunt; si simul externa & interna, & cicatrix debilis fuerit, vulnus iterum aperitur. *Annot. in id consil. p. 239* Galenus ait se vidisse vulnera in cavum Thoracis illata

tr.bus,

tribus conglutinata fuisse diebus, priusquam inflammatio oriretur, largo sanguine effuso & per os rejecto: *Annot 6.in id conf. Paradigm.* 1. Cuidam pugio pectori adactus fuerat: ante tempus nulla aut exigua facta per os & vulnus excretione, cicatrix inducta est; dies aliquot visus est restitutus: febris, difficultas tussiendi & spirandi: potius de funere quam de remediis quæritur: Inito consilio, & iis quæ præcesserant expensis, tandem inter quintam & sextam costam plaga facta est; pus eductum plurimum, convaluit. *Lib.2. Epidem. & Ephemer.pag.*229.

Dolor cruris & tibiæ Thorace læso.

93. Quidam similiter Thorace læsus, dolore cruris & tibiarum implacabili torquebatur, occasione læsi nervi insignis derivati à spinâ dorsi (quo loco vulnus inflictum fuit) prope apophyses vertebrarum dorsi & sensum partibus inferioribus impertientis: sic credibile virus aliquod conceptum fuisse in parte cæsi nervi, quod tam immitis doloris causa esset; Ad paregorica & narcotica concursum est, sed frustra: tandem ol. arte chymica extractum calens infusum est, hinc allevatio doloris aliqua, at quia commodè instillari non poterat, ideo dolores immedicabiles fuerunt: sic cùm vulnus inflictum est, & dolor aliquis nulli cedens remedio obortus est, lustrandæ sunt diligenter partes, ut videamus num insignis nervus in partem implantetur quæ per communicationem dolet, *oleor. Consil.22.lib.2.*

Vis ol calidè infusorum in vulneribus nervorum.

94. In vulneribus nervorum & partium nervalium, instillata olea calidissima à convulsione & cæteris symptomatis terrificis prohibent, An quia summa attenuandi & penetrandi vi & facultate pollent, vulnerisque coalitum impediunt, sicque ichori à parte affecta mananti & maligno exitum præbent? An quia calidum nervosis partibus amicum? *Epid.lib.2.pag.*258.

Omnis morsus malignus.

95. In omni morsu cavendum, etiamsi non rabiat; dente canis omnis virus gerit: teneatur vulnus apertum per dies quamplurimos: parte morsa, si non sit nervus aut tendo insignis, scarificata, aut sanguisugæ admovendæ & cauteria sine magno dolore: applicanda cucurbitula aut pullus per medium sectus: cataplasma valet ex allio, cæpa, theriaca & momento salis, *consil.63.lib* 3.

Leipothymia hæmorrhagiā quando cohibet.

96. Est ubi in leipothymia fluit magis sanguis velut laxatis fibris; est ubi sanguinem sistit, dum revocatur calor & spiritus ad interiora: *Annot.7 in conf 22.lib* 2.

Dolor vulnera sequēs pertinax, unde.

97. Cum vulnus inflictum est, & dolor aliquis nulli cedens remedio obortus est, lustrandæ sunt diligenter partes, ut videamus num insignis nervus in partem implantetur, quæ per communicationem dolet. *Conf.22.lib.ij pag* 238.

Vulnus nervosarū partium hians servandū.

98. Cuidam vulnus infligitur transversim paulo supra articulum manus: Tendines desecantur, propterea suturis indigebat: cicatricem contrahit malum ad diem x. tertio post die moritur. Su-

turæ forte suspectæ esse potuerunt, quod si pars hiavisset, nec tam cito nec tam periculose cicatrix contracta fuisset: Propterea aliquando satius est cum deformitatis metu aliquo, relicto vulnere aperto & hiante, liberum egressum saniei relinquere, & sic securitatem parti conciliare. *Histor. 3. lib. 2. p. 112.*

Septalius.

De curatione Vulnerum.

Chirurgicæ partis præstantia.

Cur ab aliquibus negligatur.

99. Cum tres esse curatricis Medicinæ partes, διαιτητικήν, quæ victu medetur, φαρμακευτικήν, quæ medicamentis, & χειρουργικήν, quæ manuali opere, ab antiquis & recentibus Medicis receptum sit; cur postrema pars hæc adeò necessaria à reliquis duabus sejuncta sit; vix animo causam concipere valeo, nisi fortè inani quodam fastu aliqui, de eorum dignitate detrahi sibi censentes, timerent, ne, si manibus operationes has exercuissent, inter operarios & manuales artifices connumerarentur. Sed si finis Medici, qui sanitas est, unde rei cujusque præstantia, & nobilitas desumi debet, consideretur; nunquam quispiam affirmaverit, quâcunque ratione ea introducatur, illud dignitati, ac nobilitati suæ esse obfuturum. Sed demus secare, urere, luxatâ membra reponere, fracturas componere, terebrare, & id genus sexcenta, si non aliâ ratione, saltem consuetudine quâdam ingenuo homine indigna ab aliquibus judicari; aut certè animi imbecilitate alios ab iis operationibus absterreri; aut ob oculorum aut manuum affectionem aliquam impediri; certè imperfectam possidere hanc scientiam quilibet judicare poterit, qui in tertia hac curatricis parte aut se non exercuerit, aut saltem ejus præcepta, & hanc curandi rationem optimè non calluerit: cùm & Medicinæ pars sit necessaria, & antiquos illos proceres, Hippocratem, Galenum, Celsum, Paulum, & ex Mauritanis præstantissimos quosque in ea parte maximè excelluisse constet. Conquesti propterea sunt nõ pauci ex Philiatris, quòd, cùm cautiones, & animadversiones in Medicorum gratiam, & utilitatem publicas fecerim, quæ ad Medici decorem, ad ægrorum victûs rationem, ad sanguinis evacuationem, ad pharmaceuticen, ad febrium, & morborum omnium particularium curationem attinent, præstantissimam hanc partem, adeò necessariam, in quâ etiam multò pauciores scriptis sese exercuerunt, tam alto silentio præterierim. Quorum justis querelis ut ex parte satisfacerem, decrevi etiam in eâ ingenium exercere, tum quòd in illâ tam multos errores committi videam in antiquâ Hip. & Gal. & antiquorum omnium curandi ratione; tum potissimùm, quòd novus hic curandorum vulnerum modus, totus in fovendo

Chirurgicæ observationes cur hic addita.

ferè

ferè solùm calore naturali, præcipuo naturæ benè operantis instrumento, positus, jam in multis Italiæ partibus receptus, doctè admodum ac exquisitè à Cæsare Magato libris duobus de verâ medicatione vulnerum, sive de vulneribus raro tractandis explicatus, & defensus, & à me pluribus curationibus, & experimentis confirmatus, id persuadebat; ut in posterum mortales omnes cognoscant, veram hanc esse vulnerum omnium, potissimùm autem capitis, curandi rationem: quòd per illam tutò, citò, & jucundè (quæ tria in omni medendi ratione procurari debent) homines ad sanitatem deducantur. Quæ res, quamvis virum omnem bonum, & ingenuum Medicum invitare deberet ad eam amplectendam, summa tamen hominum avaritia potiùs effecit, ut quàm plurimos habeat adversarios, & mihi difficillimum fuerit hanc persuadere, illámque apud nostros introducere: & nisi fœlicissimi curationum hujusmodi eventus veritatem hanc ostendissent, vix fieri potuisset, ut modus hic curandorum vulnerum, potissimùm Capitis, à quopiam reciperetur; quòd brevis hæc curandi ratio non omnibus placat. Et quoniam primo loco in erroribus mihi versandum est, qui in curatione vulnerum, potissimùm capitis, contingunt; cùm etiam antiquam illam, ex Hipp. Gal. & aliis depromptam, non rejiciendam censeam, si præcepta, ab illis tradita serventur; licet novam faciliorem, tutiorem, & jucundiorem præferendam semper crediderim; in utramque, & cautiones, & animadversiones apponere optimum judicavi, sed dum in novâ hac recensendâ curandi ratione, & in convincendis multis erroribus versabor, ingenuè profiteor, quæ in vulneribus curandis, potissimùm capitis, à me præponentur, ex accuratissimis illis duobus libris excerpsisse, atque pro arctissimo hoc meo scribendi genere brevissimè & compendiosè tradidisse: unde etiam Medicos omnes adhortor, ut ex uberrimo illo fonte totam hanc, & integram curandorum vulnerum novam rationem hauriant; aut, quæ ab eo firmissimis rationibus ad fœlicium experimentorum confirmationem adducta sunt, ipsi etiam novis experimentis suis possint comprobare.

Vulnerum curãdorum novus modus præstantissimus.

Cæsaris Magati laus.

100. Vulnerum curandorum rationem duplicem esse, & maximè inter se oppositam, temporibus iis nostris animadverto; Antiquam unam, quam Hip. Gal. & reliqui omnes Medicinæ proceres & tradiderunt, & tum ipsi, tum cæteri omnes Medici ad nostra usque tempora sectati sunt; quâ quotidie, quin & bis, & sæpius in die solvuntur vulnera, deteguntur, filis absterguntur, recentibus medicamentis, ut ajunt, nutriuntur; linamentis, penicillis, turundis, liciniis, tentis etiam dictis, spleniis, faldellis appellatis, ubi cava sunt, aut simplicibus, aut unguentis, aut linimentis imbutis impositis. Alteram novam, nostris temporibus natam, per multa jam

Vulnerum curandorum duplex modus, antiquus, novus.

Italiæ loca vagantem, ac receptam, in quâ rarò deteguntur, solvuntúrve vulnera; tegumento foventur, & citò curantur sine ullo turundarum, spleniorúmve usu. Primam illam, ab antiquis inventam, & à posterioribus receptam, & approbatam, tot seculis experientiâ confirmatam, per quam tot vulnerati pristinæ sanitati sunt restituti, reprobare nunquam auderem. At novam hanc posteriorem & faciliorem esse, minùs molestam, &, quod majoris est momenti, securam magis, & per quam multò plures sanitati restituuntur, quilibet oculis, & observatione multarum curationum facilè cognoscere poterit. Neque verò ea suis caret fundamentis, quæ ubi prius ostendero, quomodo in usum revocanda sit, adducam, difficultatésque dissolvam, quæ contra eam adduci solent; & in hoc præter institutum aliquantò plùs me extendam, quòd in re novâ, & à quàmplurimis exagitatâ, versemur, quæ apud multos speciem habet paradoxi, quòd veterum sapientum doctrinam pervertere videatur, & ipsius Medicinæ candorem invertere. Et quoniam duo continet nova hæc medendi ratio, antiquæ & consuetæ contraria; primum, non esse quotidie, & frequenter soluenda, & detegenda vulnera; alterum, ablegandas esse turundas, licinia, & quas faldellas appellant in primo insistemus primo loco in universum; mox etiam secundum comprobare tentabimus, ut ad particulares curationes, & cautiones animadversionésque, circa illas tradendas, versari possimus.

Medendorum vulnerum nova ratio longè præstantior.

101. Primò igitur assero, faciliorem, breviorem, minùs molestam longéque tutiorem esse curandi eam rationem vulnerum, tam simplicium, quàm compositorum, & cavorum, in quâ rarò solvuntur, & deteguntur, sed tegumento foventur eo modo quem mox sumus explicaturi, & quidem ex ratione; cum natura omnium morborum sit Medica, Medicus minister, & Medicamenta instrumenta; si enim caro sit generanda, si ossa fracta firmanda, si agglutinandum, si excrementa expellenda, præstat hoc natura: Medicus igitur huc spectare debet, ut natura munia sua exercere valeat: & cùm Medicus illius sit minister, naturæ languentis robur augere debet, & quæ ipsam offendunt, aut impediunt, avertere, & removere. Quamobrem in eo artis reposita est perfectio, ut laboranti naturæ, quàm meliùs fieri possit, succurratur. Qui igitur curandi modus fœlicius id præstat, potior proculdubio erit censendus. Si igitur modum hunc vulnerum curandorum novum cum antiquo in hoc conferamus, facilè illius præstantia omnibus erit manifesta. Constat autem, si tegumento, ut dicemus, vulneri apposito, calorem partis foveamus, raróque vulnus detegamus, magis naturam foveri, illiúsque calorem conservari, & à quàmplurimis, quæ illi officere possent, & impedimento esse, defendi, quàm si communi modo quotidie solvantur vulnera,

Vulnera, rarò detecta, citiùs, faciliùs, & tutiùs curantur, & cur.

ra, detergantur, eisdémque medicamenta, linamentis seu penicillis excepta, imponantur: unde necesse est, dum vulnus crebrò denudatur, & ambienti exponitur, calorem naturalem vulneratæ partis non leviter offendi; tum quoniam ob naturalis tegumenti, scilicet carnis, defectum, ejus subjectum dissolvitur; tum etiam, quia ob ambientis qualitatem illius symmetria pervertitur, cùm semper ambiens sit latentibus nostri corporis partibus, & naturali nostro calore frigidior; unde etiam copiosiora excrementa, impedimento actionis ipsius naturæ futura, generantur. Addendum, partem, ob vulnus, dissolutionem caloris & refrigerationem, debiliorem redditam, obnoxiam etiam magis reddi ad fluxiones humorum excipiendas: quin prætereà ex frequenti vulneris solutione, ex contrectatione, & motu partis, ex detersione, penicillorúmque & linamentorum impositione, quæ etiam non rarò materiam supprimunt, & compressione quandoque; dum ad pus eliciendum partes circumpositas premunt, & novâ deligatione semper aliquis dolor, & sæpe etiam vehemens excitatur, non levis fluxionis occasio esse potest. Ampliùs, quoties vulnus solvitur, ac detegitur, toties interturbatur, & à proprio munere distrahitur natura. Neque verò urgent utilitates, quas ex quotidianâ vulnerum detectione provenire asserunt recentis medicamenti, quod naturam modò ad pus promovendum, modò ad generandam carnem adjuvet, quotidianâ applicatione, & crebrâ vulneris ab omnibus excrementis abstersione. Jam enim ostensum est, non esse necessariam quotidianam illam abstersionem, quæ fit & manuali operatione per se, vel cum medicamentis abstergentibus; verùm ex accidenti tantum, ob defectum caloris naturalis, & ob intemperiem partis vulneratæ, & quòd medicamenta quotidiè non imponantur. Jam enim docuimus, naturam illud perficere, quod à medicamentis expectari solet, majúsque damnum ex quotidianâ medicamentorum impositione proficisci, quàm utilitatem. Sed docebimus prætereà, nòn omninò hac curandi novâ ratione, destituta medicamentorum auxiliis relinqui vulnera; satis tamen raram esse debere illorum appositionem: ut inferre liceat, verissimum esse, quod à Gal. *6. Meth. med. cap.* 2. dicebatur, Methodum non solùm meliora medicamenta, quàm priùs, verùm etiam universum curationis modum invenire posse; & 5. *de san. tuendâ cap.* 11. fidem ejus, quod ratione inventum est, experientiam comprobare; & quod *6. Meth. med.* 2. præcedere debere, quæ à verâ Methodo proficiscitur, remediorum inventionem; huic verò experientiam ad certiorem etiam fidem subscribere. In magno hoc nostro Valetudinario, in quo per annos quadraginta medendis ægris operam dedi, cùm in portione illâ, cujus curam susceperam, spatio unius anni plerique ex vulneratis in capite curari,

Vulnerum, rarò detectorum, & feliciter curatorum, exempla.

rari, secus quàm optabam, antiquo more frequenti vulnerum solutione, detectis vulneribus, turundis, liciniis, feldellis appositis, frequentibus terebrationibus, & scalpturis essent medicati, & plerique interiissent: occasione Astensis belli cùm Chirurgus, cui illorum cura demandari solebat, discessisset, operario, qui illi inserviebat, injunxi, ut novâ hac medendi forma uteretur, tegumento, inunctione labiorum ex oleo Hispanæ, vel oleo abietino, & solùm bis, aut ter detecto vulnere, semel tantùm terebratione in usum ductâ, rarò etiam scalpro, testor Deum, & præfectos, Viros perillustres, & ministros omnes, qui adhuc vivunt, ex quatuordecim vulneratis in capite, unum solum interiisse; & inter hos tamen tres fuerant vulnerati cum ossis calvariæ & membranarum incisione, unus ex casu ab alto cum ossis retrocessione, & duo cum rimâ in osse. Sed cùm Chirurgus iterum rediisset, nolletque ullâ persuasione ab antiquo curandi more recedere, & infeliciter curationes succederent, persuasionibus, ratione, & exemplis tandem convictus manus dedit, ut novus is curandi modus introduceretur, acquievit, felici jam successu. Ex quorum vulnerum curatione, ut quæ magis negocii, quàm reliqua, curantibus afferant, vulnerum, in aliis corporum partibus existentium, curandi modus collectus est, & paulatim introducitur. Quòd si facilitatem, & celeritatem curationis spectemus, affirmare certò possumus, multò faciliùs in hac omnia transigi, quod ne vigesima quidem pars excrementorum generetur, nec semper in eâ necessarium est ossa abscedere, quod in longum protrahere solet curationes. Quòd si etiam vulnus sit non sine ossis abscessu, quilibet comperiet longè citiùs os abscedere novo hoc curandi modo, quàm communi; & sæpius etiam in longè minori quantitate. Si igitur faciliùs, & celeriùs hoc modò sanantur vulnera; asserendum etiam erit, tutiùs id perfici: cùm enim natura sit, quæ vulnera sanat, si citiùs sanitas introducitur, signum est adversus impedimenta prævalere naturam. At quò magis prævalet hæc, eò magis tutò fieri curationem nemo, arbitror, inficiabitur. Quòd si tertiam partem, à Gal. traditam 14. *Meth. med. cap* 13. respiciamus, ut curatio fiat, quantum magis fieri possit, sine dolore, quis negaverit hanc prævalere, qui consideraverit quantum æger discrucietur cùm Medicus accedit ad dissolutionem vulneris, importunámque illam abstersionem, turundarum vel splenio rum introductionem, & medicamentorum appositionem? At per nostrum modum liberatur à tot animi angustiis, & à corporis doloribus. Liberantur verò etiam à tot expensis. Hincque modus is adeò difficilis est ad persuadendum Chirurgis.

Argumētorum solutio eorum, qui illi adversantur.

102. Neque tamen, quæ adversus hunc curandi modum objiciuntur, vim ullam habent. Primò enim duplex illud excrementorum genus, quæ in omnibus vulneribus generari dicebat Gal. 4. *Meth.*

Meth. med. tenue, & crassum: quæ carnis generationem impedire idem dicebat 3. *Meth.* 9. nihil faciunt; quando, calore nativo partis conservato, eorum minima pars generatur, cujus tenuior pars per insensibilem halitum dissolvitur, crassior verò, quæ minima est, per idoneum paratum effluxum à naturâ extrâ pellitur, aut per intervalla detergitur; neque in id, quod adeo noxium est, injurias nempe ambientis incurrimus, neque calorem dissipamus, neque periculum est, ne ex retento pure ulcus reddatur ferinum, quod verendum admonebat Hip. *lib. de locis in homine*; nam robusta natura per paratum affluxum illud expellit. Cùm prætereà per hanc curandi rationem tota curatio naturæ committatur, non adeo sæpe detegenda erunt vulnera, neque adeò frequenter mutanda sunt medicamenta; & cùm eo modo citò sanitas introducatur, satis erat unâ, aut alterâ, aut ad summum tertiâ detectione, ad morbi statum cognoscendum, abstergenda pauca illa excrementa, & ad mutationem, si opus fuerit, medicamentorum. Neque frequens inspectio necessaria est ad humectationis partis cognitionem, ut proportione correspondentia medicamenta siccantia applicare possimus, quod requiri censebat Galenus 3. *Meth.* 3. quia in nostro hoc curandi modo excrementorum cura medicamentis applicitis non committitur, sed naturæ, & naturali calori; ideo in eâ fovendâ maximè in eo insistitur. At saltem, inquiunt, quotidie solvemus, ut statum vulneris cognoscamus, futura provideamus, & præsentia cognoscamus, &, quod agendum sit, inveniamus. Quasi verò etiam mentis oculis quàmplurima Medici non prospiciant! pruritus, erosio, forma doloris, fœtor, sanguinis fluxus, dolor cum pulsu, febris horrifica, gravitas in parte, puris effluentis conditio, & alia multa admonebunt de conditione vulneris, & puris, illiúsve retentione, inflammatione, gangrænâ, & aliis, quæ detectionem persuadent, ut auxiliis præsto esse possimus, aut elevato à parte inferiori aliquantulùm tegumento multa videre, & in multis providere poterimus. Addunt, quomodo præceptum Hip. *lib. de Officinâ med.* fascias, & lintea debere esse munda, si adeo rarò solvantur vulnera, verum erit? At lintea ipsi, medicamentis infecta, superponebant, quæ cum pure conspurcarentur, & pruritum, & inflammationem inducere poterant. At nos pura, & munda cavis vulneribus apponimus, vel potiùs superponimus ad munditiem, exsiccationémque vulneris, & partis calorem fovendum. Prætereà quàm minimum puris in hujusmodi curatione generatur, quod etiam effluxum habet: quin prætereà non prohibemus conspurcata quandoque lintea detrahere, mundáque illorum loco supponere, modò fiat citra vulneris detectionem. Apposita, dicunt, nec mutata lintea, exitus halituum supprimunt,

2. *de off.med.* 26. & Galen. 6. *Meth. c.* 5. unde vulnerata pars distenditur, & morsus in parte excitant, partis temperiem vitiant, & sanitatem impediunt. Verum neque deligationes adeò strictæ esse debent, ut exhalationem impediant, & , si puri ad exitum paratum est effluvium, subtiliori exhalationi multò magis paratus erit exitus. Et quamvis per quotidianam detectionem magis commodè exhalent hi vapores, majus tamen sequitur malum ex dissolutione caloris, & spirituum, quàm ex illorum evaporatione bonum. Cùm præterea multa sint, ad præsagia attinentia, quæ sine vulneris inspectione laterent, cùm tamen eorum cognitio sit necessaria, ut quæ scribuntur ab Hip. *primo prædict. T.* 18 *quintâ Aphor.* 65. 66. 67. & 6. *sect. Aph.* 4. omnia ad præsagia, ex variâ vulnerum conditione desumpta, facienda, quæ non nisi quotidiè solutis vulneribus præsagiunt, frequens illa detectio ea manifesta solùm faciet; tegumentum autem perseverans abscondet. Ad quod dicendum, præsagia hujusmodi in vulnerariâ quâvis curatione esse necessaria, & statum vulneris esse cognoscendum. At quod ad cognitionem status vulnerum, & supervenientium symptomatum necessaria sit crebra detectio, id est, quod negamus, Iam enim ostensum est quomodo sine eâ inspectione satis hæc cognoscamus. At, inquiunt, arcenda est à vulneribus mordicatio illa, & pruritus, quæ sæpe adeò infestant, ut ferri nequeant, ex Hipp. & Gal. *pri. de Fract.* 39. & ideò ob pruritum voluit partem etiam fractam dissolvi, & aquâ tepente foveri : & id faciendum dixit Gal. ut serosi & salsi vapores, ibi retenti, difflari possint, leniatur dolor, & tollatur prurigo : id verò non obtineri potest, nisi per vulneris solutionem, vaporibus acribus, & humoribus ichorosis evacuatis? Respondendum raro id evenire, aut saltem non adeò vehementer, ut ad solutionem vulneris urgeat: quòd si perferri non possit, si aliter cõsuli non potest solvendum erit vulnus : id verò non erit per se ratione illius morbi; sed ob annexum symptoma; & paulo pòst casus adducemus, in quibus solvendum erit vulnus, Quandoque enim ob urgentem affectum à regulari curatione recedere cogimur : imo quandoque morbum omnino negligimus, ut symptomati urgenti obsistamus; & aliquando etiam novum morbum inducimus, & quasi insanabilem, ut periculum, ex alio pendens, vel ipsam mortem, inde imminentem, effugiamus. At, addunt, dicebat Hip. modum illum, qui sanitatem inducit, non esse immutandum; at per modum antiquum, per quem sæpe solvuntur, deteguntur, absterguntur vulnera, & nova sæpe medicamenta induntur, experientia docet multa vulnera ad sanitatem perduci; igitur, eo relicto, alium introducemus? At idem Hip. *lib. de veteri med.* dicebat, novam semper artibus, & potissimum medicinæ fieri posse accessionem. Sic multa ex antiquis, ab Hip. ipso & Galeno tradita, exoluerunt, melioribus multis nostris temporibus repertis, Non negamus

communi

communi illo curandi modo sanari vulnera, quia tamen nova hæc medendi ratio tutior est, facilior, brevior, & cum minori dolore & molestiâ, præstat in hac omnino insistere. Sed inquiunt adhuc, non esse methodum universalem? quasi verò in omnibus methodis & regulis suæ non adsint exceptiones. Atque ob hanc causam cautiones has Medicas in unum collegi, quod in hoc etiam curandi modo præstabo, ubi priùs docuero, quomodo hac curandi vulnera in genere ratione procedendum sit; tradam enim occasiones, in quibus ab eâ sit recedendum, & solvenda, & detegenda vulnera. Neque enim regulæ Medicæ perpetuæ sunt veritatis, quinimo necessarias dicere possumus, quòd ab iis recedendum non sit, nisi adjunctorum ratione. Regula Medica est, in accessionibus ab alimentorum exhibitione abstinendum esse: at quandoque in accessione nutrire ægrum cogimur. In ossis fracturâ jubet Hip. *lib. de fract.* post appositionem ferularum non solvendum esse vulnus, nisi post vigesimum diem at idem ipse scribebat, si ferulis alligatis aliqua, ne ossa probè se habeant, suboriatur suspicio aut quòd sit aliud, quod laborantem hominem infestet, circa dimidium illius temporis, aut etiam parum ante solvendum esse, & religandum, & Gal. *lib. pr. de fract. cap.* 43. dicebat. *Semper Medicus attendere debet ei, quod magis urget*: nec hujusmodi præcepta perinde atque lex habenda sunt, quam violare nefas sit, ubi omnia secundum rationem non succedant. Vrgent præterea, non esse bonam methodum hanc medendi, quòd non sit universalis, nec omnibus hujusmodi malis idonea: namque si vulnus fuerit acuto telo inflictum in parte nervosâ: sit item angustum, & stricti orificii, ut pus exeat, necesse erit quotidie manibus comprimendo pus exprimere, & præcipuè, si orificium sursum spectet, aliter ferinum ulcus fieret; Prætereà, in linguæ ulceribus inanis erit is modus, cùm nulla reperiatur materia quæ tamdiu adhærere possit, nec deligatio adhiberi possit nec tegumentum: quod idem eveniet in vulneribus internarum partium. Dicendum enim, quòd licet morbus per se requirat talem curandi modum, quandoque tamen conformatio, vel situs partis eum non admittit. Qui quotidie solvunt vulnera antiquo more, quomodo illum defendent in linguæ, hepatis, pulmonum, & aliarum internarum partium vulneribus? quomodo ellychnia tentásve, unguentis illitas, apponent, & extrinsecus lintea, unguentis, aut aliis medicamentis illita? Neque rejiciendus est modus is curandi, quòd Hip. & antiqui illi illum non tradiderunt. Artes enim perfectæ fiunt per additamenta; nec primi omnia invenerunt: quamvis principia invenerint. Vnde multa inveniri possunt, & in dies inveniuntur, multáque adhuc latere censendum est, quæ temporis beneficio cognoscentur.

104. Cùm nova hæc medendorum vulnerum ratio raram inducat vulnerum solutionem, & rarissimam eorundem detectionem: non *Spleniorum & turundarũ usus.*

damnandus, & cur. erit dubitandum, per eam rejici à tali curatione genus omne turundarum, penicillorum, & similium: absurdum enim esset tanto temporis intervallo turundas, ellychnia, spleniáve, sive sicca, sive medicamentis imbuta, quæ jam etiam, & pure, & serosis humoribus repleta, intumuerunt, in cauo vulnere firmari: quibus & distenderentur partes, & dolorem inferrent, & retineretur pus, quod majorem putredinem dum conciperet, ferinum ulcus induceret, de quo Hip. *lib. de locis in homine.* Quod cum adeo in hujusmodi morbis sit consuetum, & omnibus familiare; operæpretium me facturum arbitror, si diligentiùs rem expendero. Vt igitur veritatem hac in re eruere faciliùs possim, finem perpendere expediet, ad quem in usum splenia hæc sint deducta. Si Guidonis Cauliacensis casus consideremus octo, in quibus linamentis sit utendum, & fines varios, paucissimos inveniemus in quibus illis uti expediat. Non enim, ut aperta serventur cava vulnera, ut ex profundis ichores abstergi possint, & pus expurgari; jam enim ostensum est, tegumento, & linteis foto calore naturali, paucissima generari excrementa, & ichorosa & crassa, paucissimámque saniem; quæ cùm temperatam substantiam producat, caloris nativi vigor, parato arte effluvio, in fundo non firmatur, sed effluit. Non solum autem, quod secundo loco proponit, linimenta in carnis generationem faciunt, sed apertè obstant, per illa enim impeditur natura, iis quasi oppressa. In alteratis ab aëre, tertiò necessaria esse dicit, ut mundificentur. At illorum potiùs appositio ambienti præbet occasionem os alterandi, & carnem; quam alterationem rarâ nos detectione maximè evitamus. In Contusis, quem quartum casum facit, si in molli, puta carne, puris generatio attenditur, ad eam splenia nihil faciunt, aut turundæ, cùm ostensuri simus illas potiùs obesse: si in duro, ut in calvariâ, tunc turundas recipimus, quando manuali operatione opus est, vel ossa abscindenda fuerint, ut dicemus. Tantùm abest autem, ut apostemate laborantibus, aut ulceratis vulneribus, conveniant turundæ, aut splenia, ut manifestum reddat experientia nihil esse quod magis dolores excitet & inflammationes quàm horum usus. Non negamus solvenda in his casibus esse vulnera, & sæpius manu Medicâ succurrendum: at negamus, id præstari vulneris per se ratione, sed ad id cogimur supervenientium morborum causâ.

Finis spleniorum, & quem in usum veniant. 105. Finis enim, cujus gratiâ fuêre inventa, verus multiplex est: nam & ut alicujus ulceris orificium hians conservetur, quo pus liberum habeat exitum, ne ferinum ulcus ex retento pure reddatur, de quo Hip. *lib. de locis in homine*: Et ut os magis amplum reddatur, vel in amplitudine, quam habet, servetur, ut, si qua manualis operatio in osse sit præstanda, quod in vulneribus capitis cum ossis læsione sæpenumero contingit; vel, si aliquod in vulnere contentum corpus extrahi

trahi debeat, id fieri commodè possit; útque illorum ope idoneum medicamentum parietibus vulneris meliùs hæreat.

106. Neque verò ex primo dicto turundarum fine, qui erat, ut hians vulneris angusti os aperiatur, nos in communem usum trahere poterunt, in quo penicilli introducuntur ad puris & excrementorum liberam expurgationem, dilatato vulnere, & effluxu parato: tantum enim abest, ut per frequentem hunc usum turundarum & spleniorum effluxus liber puri comparetur, ut potiùs per ea materia retineatur, in illísque imbibatur, atque os obstruatur, effluxúsque impediatur: ad obstructi enim orificij dilatationem, ut facilior materiæ effluxus paretur, his, aut turundis, aut simplicibus ex filis lineis, aut ex spongiâ compressâ, & contortâ, aut ex medullâ sambuci, aut cannæ sorgi, vel radice gentianæ solùm respicientes, illis aliquando parcè utendum dicebamus, non pro verâ, & immediatâ vulneris curatione, ut illi faciunt. Quinimo hæc quandoque in usum venire possunt, non ad vulneris veram curationem, sed ut unio partium & agglutinatio impediatur, aut ob complicatum alterum affectum, vel ut portio aliqua ossis, aut alterius rei liberum exitum obtinere queat. At si vulnus latum sit & profundum, nullus turundarum, aut spleniorum per se pro curatione usus esse potest; siquidem, quod generabitur in vulnere, delitescere in tali vulnere ac retineri non poterit. Neque periculum est, labia priùs, quàm oporteat, posse uniri, cùm supponamus in magno & cavo vulnere, non parum inter se distare, potissimùm, cùm in eo genere vulnerum non coalescere partes disjunctæ possint, antequam caro subjecta nova sit producta, ut nec hæc bona producitur, nisi conveniens in ejus generatione præcedat dispositio, quæ junctam habeat puris generationem, & expurgationem, Qua ratione dicebat Hipp. *libro de ulceribus*, *Vlcera, non purgata, non committi, quamvis adducantur; & si etiam adducantur, neque etiam sponte suâ coïre.*

Splenia non necessaria ad puris expurgationem.

107. Neque etiam admittenda sunt splenia hæc, ne claudatur pars superior vulneris, antequam profunditas vulneris carne sit repleta: assiduus enim excrementorum effluxus per externas partes vulneratas impedit labiorum coïtionem ante repletionem cavitatis carne; maximè cum sciamus citiùs semper generari carnem in fundo, ubi calor naturalis est robustior. Mirum enim apparet naturæ artificium in vulnerum curatione, dùm benè operatur, quæ paulatim cavitatem repleat, & uniat orificium, servans ad excrementorum expurgationem, donec cavitas repleta, & nihil sit amplius quod expurgari postulet.

Spleniorum usus non necessarius, ne in parte superiori caro crescat.

108. Neque dubitandum est, mollem illam & fungosam carnem generari, ob quam linamenta censent aliqui esse necessaria. In hoc enim curandi genere, in quo calor naturalis fovetur, neque tot un-

Neque ad fungosam carnē impediendam.

guenta humida introducuntur, non succrescit caro hæc mollis, aut saltem non tanta, quæ puris expurgationem possit impedire; si qua verò leviter succrescit, in unâ aut alterâ detectione pulvisculis exsiccantibus, aut lineis filis siccis facilè tolli potest.

Neque ad sananda labia vulneris.

109. At ne quidem splenia admittenda sunt, ut illis mediantibus medicamenta, & profundas partes, & parietes utrinque vulneris attingant. Jam enim suppositum est, non esse necessariam hanc crebram medicamentorum applicationem, sed potiùs noxiam: quòd si quandoque necessaria fuerit vis alicujus medicamenti, neque etiam necessitas non inducet id præstandi per splenia, vel faldellas, ut vocant, ut vis medicamenti id præstet: ad hanc enim rem præstandam Galenus 5. *Meth.*4. non turundis utitur, sed medicamentum liquat, ut quaquaversus, & ad fundum permeet. Semper enim supponimus, idoneum effluxum adesse pro expurgatione materiæ. Nos, ut dicemus, semel, aut iterum, térve soluto vulnere, stylo cum filis parietes vulneris, & partes necessarias delinimus.

Penicillorum, & turundarum damna.

110. Turundarum igitur, penicillorum, & spleniorum usus per se in vulnerum curatione, & non nisi tribus illis jam enarratis casibus, aliunde desumptâ occasione, inutilis est; imò noxius, omninóque ablegandus. Partem enim comprimunt, ac distendunt, eidemque sunt oneri, unde & ad commovendam fluxionem sunt idonea, pure & affluxu materiæ imbibita, & partem distendunt, &, malâ conceptâ qualitate, vulneri quàm maximè officiunt. Hoc insuper habent, quod pus & imbibitione, & obstruendo potiùs supprimant quàm evacuent, nisi sint cannulatæ. Hinc Hip. 5. *Epid.* in Massiliensi, cui currus onustus, super costas inductus, costas confregit, reprehendit Medicos, quòd inductis penicillis; pure retento, mortem induxerint. Hinc *ibid. de ulceribus* in principio impeditum effluxum puris per turundas reprehendit, & passim per totum illum librum videre licet, nullam penicillorum, spleniorúmve procurationis mentionem fecisse, sed illitionum, & inspersionum liquorum; cùm eorum alioqui fistularum curationis mentionem fecerit. *Libro* quoque *de vulneribus capitis* apertè linamenta reprobat, nisi ad amplum reddendum vulnus, quando in osse operari oporteat. Vnde absolutè ea in capitis vulneribus rejicit, dicens: *Vlcus in capite nullo humore humectare convenit, ac ne vino quidem, neque cataplasmate contegere, neque linamentis curationem facere; & infra; At in reliquo capite ulcus neque cataplasmatis, neque deligatione curare oportet, si non & sectione opus habet;* quin nec *lib. de Fracturis & Articulis,* ubi de fractis & luxatis agit cum ulcere, ullam spleniorum, aut turundarum facit mentionem. Neque etiam quæ ad usum turundarum confirmandum afferuntur, aliquid concludunt. Quod enim per hujusmodi in cavis vulneribus dicunt parandam esse viam exitui puris, ne, eo retento, ulcus ferinum reddatur, adversus

Hipp. penicillorum usus improbatus.

eos

eos concludit; ex iis enim potiùs exitui puris via occluditur, quo retento, & mala qualitas in eo concipitur, & fluxioni majori ad partem laborantem datur occasio, & partis vulneratæ distensioni; unde & dolores, & inflammationes, & retenta materia, &, pravis halitibus elevatis, febres non rarò excitantur. Addere illud certè possumus, turundarum & spleniorum hac impositione protrahi morbos; quod tamen aliquibus non displicere video; dum enim spleniis vulnus replent, ægrorum crumenas exhauriunt. Non igitur spleniis, & tentis, faldellis, replendo vulneris cavitatem, exitus puri paratur, sed impeditur; si verò vulnus vacuum relinquitur, materia purulenta, nullum reperiens impedimentum, facilè effluere potest. At dicet quispiam, si turundæ tot mala invehunt, quomodo ex ipsorum usu tot vulnerati sanitati restituuntur? Natura est medica morborum, & robusta errores corriget; cúmque frequentiùs solvatur vulnus & detegatur, diutius in cavitate non retinetur sanies; & quamvis major puris quantitas generetur, expurgatur tamen, & adjacentes partes puriores redduntur, unde succrescit caro, & tandem fit partium agglutinatio, & cicatrix. At ex nostro hoc medendi modo nativus calor vegetus remanet, non difflantur spiritus, meliùs naturales actiones celebrantur, & subinde minor excrementorum & puris quantitas generatur, caro bona citiùs succrescit, facilior fit agglutinatio labiorum, & magis æqualis, & denique pulchrior cicatrix & sine cavitate fit.

III. Ex iis, quæ hactenus dicta sunt, facilè colligere possumus, licet in curandis vulneribus multæ sint indicationes curativæ universim, glutinandi, suppurandi, carnem generandi, cicatricem inducendi; in duos tamen scopos per modum hunc curandi propositum reduci, conservationem, & robur caloris naturalis; cujus proprium est ea & alia similia munia perficere; atque in remotionem eorum quæ impedire & irritum facere illius opus possunt: quamvis etiam actione hac calori naturali & ejus actioni succurratur, & iis, quæ illius actionem impediant, illúmque debiliorem reddant: quamvis in iis sæpe ope Medici natura indigeat; ut cùm peregrina corpora, quæ in vulnere fuerint, manuali operatione sunt auferenda; quando distantia labia, si conglutinare oporteat, ad mutuum contactum deducuntur. Ut verè affirmare possimus, Medicum in curandis morbis nullius minorem partem habere, quàm in curandis vulneribus. In curandâ enim febre quamvis in omnibus operibus concurrat natura, dum tamen medicamentis materiam calori febrili subtrahimus, dum sanguinem sectâ venâ evacuamus, dum refrigerantibus calorem febrilem extinguimus, operari vere Medicum dicemus, at solutam unitatem nullum tollit medicamentum, sive simplex sit, sive cum cavitate, sed, quicquid necessarium est, natura perficit, nisi impediatur

Vulnerum curandorum in nova hac curandi ratione indicationes.

tur: & propterea dicebat Gal. 4. *Meth. 3. Sive vulnera simplicia sint, sive cum cavitate, si quis diligenter astimet, ex fugiendis & prospiciendis iis, qua natura officiunt sanatio perficitur.* At hic videmus Galenum, secundo scopo intentum removendi impedimenta unionis vulnerum, nullam potioris fecisse mentionem, roborandi, fovendi atque conservandi naturalis caloris, qui præcipuum est instrumentum ipsius naturæ. Scimus enim, incisâ cute & naturali tegumento, quo naturalis calor, per omnes partes dispersus, continetur, imbecillem reddi naturam, partis illius debilitato calore, illi in operibus inservienre, tum dissipatâ ejus substantiâ, tum occursu qualitatis extraneæ ambientis, quem antea non fuerat experta. Vt mirari non parum subeat, quomodo Galen. de iis, quæ ex imbecillitate caloris proveniunt, adeò fuerit sollicitus, remedia excogitans quæ ichores & genita excrementa absumerent; causam verò generationis ipsorum neglexerit; ut proinde crediderit curationem nullam vulnerum transigi posse sine exsiccantium & detergentium usu; ut eò etiam devenerit *primo Meth.* 4. & asseruerit, debere hujusmodi medicamenta undique vulneris partes tangere. At enimvero id faciendum esset, quia ob imbecillitatem caloris in dies multa generantur excrementa ex cute, naturali operculo apertâ, quotidie arte parato, soluto, detecto vulnere, spiritibus dissolutis, & ambientis frigiditate illi inductâ. Quod si hoc fugiamus, tegumentóque apto spirituum dissolutio impediatur, & externa refrigeratio, foveatúrque illo, paucissima producentur excrementa, & bene disposita, quæ aut per insensibilem habitum, vel sensibiliter per effluxum, ut dicemus paratum facilè effluent. Cùm verò difflatio coloris, & spirituum, & refrigeratio illius, & partis fit ex naturali tegumento inciso, cùm subito illud resarcire nequeamus, illius loco aliquod arte erit parandum, quod ad naturalis conditionem accedat, sed ut suppleat caliditate aliquid prævalens.

Galenus nullam caloris naturalis fovendi in vulnerum indicationibus habuit rationem.

112. Vulnera licet passim à Gal. in Simplicia, & Composita dividantur, hæcque cava appellet; certum tamen etiam est, quæ simplicia dicuntur, itidem etiam cava esse, cùm in labiorum disjunctione necessarium sit cavitatem adesse, cùm ensis ad penitiora pervenerit; sed Simplex dicitur, quia neque cutis neque caro deficit, & per simplicem labiorum unionem cavitas repletur, & nihil ampliùs remanet, nisi ut appositè partes glutinentur. At veri cavi vulneris cavitas non potest repleri nisi per novam carnis generationem. Duo hæc genera vulnerum quamuis dissimilia sint, & in aliquibus diversam, ut dicemus, habeant curationem, in uno tamen conveniunt, quòd præcipua curandi in utroque ratio, & indicatio posita sit in fovendo calore naturali tegumento aliquo, non multùm dissimili à tegumento naturali cutis. In quâ re in vniversum proponendâ erit generica curandi ratio, & tegumenti genus genericum; ut more nostro exceptiones, & cautiones

Vulnera omnia sunt cava.

Vulnera omnia cur dividantur in simplicia & cava.

tiones animadversionésque addere possimus. Mox verò curationes particulares respectu varietatum similarium partium, & organicarum, à quibus magnam etiam varietatem modi curandi desumendam docebat Galenus 3. *Meth.* 19. distinctè addemus suas semper in curando exceptiones, cautiones, & animadversiones more nostro.

Vulnerum simplicium in carne curatio.

113. Oblato itaque vulnerato, sano alioqui & boni habitus, in quo neque incisum sit vas aliquod magnum, neque nervus læsus; sed in carne simplici facta sit continui solutio; nisi tantum sanguinis effluxerit, quantum expedire videbitur, ut & vulnus siccius reddatur, fluxionisque tollatur omnis occasio, permittendum erit ut effluat, mox verò supprimendus erit; quod facillimè obtinebitur, cùm supponamus ex capillaribus carnis venulis venire, vel filis, aut intinctis in vino aliquo austero, aut adstringente, vel aquâ simili; mox diligenter vulnere emundato, ne quid inter vulnera contineatur, adducenda erunt labia ad mutuum contactum, vel suturâ, vel glutine hinc inde colligatis labiis. Scito, deligatione, & bene aptatis fasciis id etiam tentari, quas deligationes *agglutinativas* appellare solent; sed quoniam eorum tantummodo vulnerum labia adducta conservare potest, quæ per longitudinem musculorum sunt inflicta, aut leviter per obliquum (cùm enim transversa sunt, deligatio non sufficit, sed, ut dicebat Galenus 3. *Meth. ultimo,* tum suturis, tum fibulis in his utendum est) tum etiam, quòd in solis artubus uti deligatione possumus, quoniam in opere peragendo cernere non possumus, quomodo labia se habeant, & num labia decenter sint disposita; præterquàm quòd periculum etiam imminet ne, dum fascia circumvolvitur, & labia constringuntur, lintei aliqua pars corrugata intra vulneris labia comprehendatur, non multum in usum ducendam censerem, aut certè multò rariùs. Labiis igitur ad mutuum contactum similibus remediis deductis, convenienti tegumento vestienda erit pars: & quamvis satis sit fovere naturalem calorem, & roborare, aut corpulentiâ, aut qualitate, eligibilius tamen fuerit, si actionem naturæ agglutinandi adjuvet exsiccanti facultate cum aliquâ adstrictione, quò defluens sanguis pro vulneratæ partis nutritione ab omni superfluâ humiditate expurgetur, & ad quandam viscíditatem deducatur, ut facilè fiat gluten, & labia faciliùs connecti possint. Tale quidem medicamentum sit resina terebinthina, vel abietina, quibus, si fluidiores fuerint, addi poterit ceræ aliqua portio ad consistentiam aliquam. Tacamahaca etiam ad hunc usum erit maximè accommodata, &, ut meliùs extendi possit, emollietur cum aliquo oleo ejusdem facultatis, ut oleo de momordicâ, vel hypericino completo pro quartâ, vel quintâ parte. Balsamum Peruanum conveniet, si molle fuerit, cum cera ad consistentiam deducetur; si album grumosum, emollietur ut Tachamacha, ut & succus con-

tentus in folliculis ulmi, incrassatus. Placet & ceratum Barbarum, & Palmeum. Placet magis Tachamacha cum cerato de betonicâ compositâ, cum levi portione olei de momordicâ. Parari præterea poterunt ex arte ex vulnerariis herbis, symphyto, ophioglosso, saniculâ, pilosellâ, polygono, bistortâ, & similibus bene coctis, & per setaceum traductis, additis aloë, sarcocollâ, sanguine draconis, subtilissimè pulverizatis, & resinâ terebinthinâ, & abiegnâ exceptis. Horum aliquod extendetur super linteum lineum, bene contextum, longitudinis, & latitudinis, vulneris magnitudini correspondentis, ita ut vulnus tegat, & aliquid etiam de adjacentibus partibus apprehendat. Deinde, illi superponentur tot lintea duplicata vel triplicata, quod satis sint ad fovendum calorem naturalem partis, & ad arcendas injurias aëris ambientis. Inde deligatio retentiva adhibenda est.

Nunc instituti mei est, animadversiones & cautiones addere, & more meo exceptiones regularum apponere.

In vulneribus sanguis non statim sistendus. 114. In simplici hoc vulnere non statim sistendus est sanguis fluens, sed consideratâ quantitate effluxi, priusquàm ad Medicum venerit, & corporis habitu, & vitâ anteactâ, permittemus sanguinem effluere, ut prudentiæ Medici visum erit. Sic enim, & siccius, & gracilius reddetur, minùs aptum inflammationi & fluxioni.

Sanguine fluente ex vulnere, nō esse vulnus consuendū. 115. Hinc reprehendendi sunt, qui vulnus cōsuunt fluente adhuc sanguine; unde inter adducta labia collecto sanguine, concreto, putrefacto, & suppurato, inflammatio producitur, & agglutinatio impeditur.

Ante vulnerum curationem peregrina corpora auferenda. 116. Antequam etiam veræ curationi manum apponamus, peregrina omnia corpora, pili, grumi, & similia, intra vulnus contenta, auferenda sunt, & abstergenda vel linteo, vel molli lanâ, vel xylo & stylo advolutis, vel etiam, si opus sit, vino subdulci calente.

Fasciarum & deligationum quanta utilitas & varietas. 117. In vulnerum deligationibus, & fasciis parandis, quanta adhibenda sit diligentia, & quanti fecerint duo illa lumina Hip. *in lib. de officinâ med.* & Gal. *ibidem, & lib. de fasciis* ostendunt, ut non solùm in iis exposcant aut agglutinationem, vel retentionem, vel expulsionem, & ut tutò finem intentum ex deligationibus ea obtineri possit, aut ex iis nihil incommodi eveniat, sed etiam ut aspectu sint jucundæ: quam quidem elegantiam in omnibus etiam artis operibus attendendam præcipiebat Hippocr. Quapropter in iis aliquantisper erit insistendum, & primò, ut adducta labia conservare valeat, firma esse debet fascia, & valida, non fragilis & lacera: unde Gal. 3. *Meth. cap.* 4. dicebat. *Oportet autem, quod circumjicitur, neque molle nimium sit, neque alga modo fragile, quò tutò contineat, sufficientémque habeat latitudinem*; quam communiter statuunt quinque digitorum transversalium in femore, quatuor in crure, trium in brachio, & unius in digito.

118. Varianda

118. Varianda tamen erit in latitudine pro vulneris magnitudine, neque enim vulnus solùm comprehendere debet, verum etiam aliquid sanæ partis tam in superiori, quam in inferiori parte, ne vulnus tanquam zona vinciat, quod importunum esse docebat Hip. 3. *de fract. T. S.* *Fasciarum latitudo, varietas & qualitas.*

119. Sufficientem habeat longitudinem, ut toties membrum circundare possit, quoties opus sit ad labia adducta conservanda. *Fasciarum longitudo qua.*

Hyberno tempore, & frigidâ, aut ventosa constitutione pluribus circumvolutionibus uti oportet, ut pars laborans meliùs ab ambientis aëris injuriis protegi possit, quâvis, si triplicatis linteis more nostro vulnus protegatur, non adeò necessaria erit multiplicata hæc circumvolutio.

120. Sit æqualis, & eminentiis carens, ne illæ inæqualem reddant deligationem. Vnde Galen. *lib. de fasciis* dicebat: *Careant quoque eminentiis, ita ut nullas oras habeant, à lateribus aut contextas aut inversas, consutásque: neque etiam fila, aut fibra extent:* ut enim, quæ eminent, inæqualem reddunt deligationem; ita, quæ extant, impediunt, ne expeditè circumducatur. *Fasciarum qualitas qua.*

121. Ne autem detrimentum aliquod afferat fascia, mollis esse debet, ne premat nimiùm duritie; & levis, ne sit onerosa; suturis inæqualibus careat, & aliis eminentiis, quibus possit comprimere, & dolorem inferre. *Fasciarum substantia qua.*

122. Sit albi coloris, ut quod ex vulnere perfluit possit faciliùs observari. *Fascia sit coloris albi.*

123. Munda sit, & tenuis; sordida enim turpitudinem affert; & tenuis, ne circumvoluta nimiûm afferat tumorem. Hinc Hip. *lib. de iis, quæ in offic. med. fiunt, sect. 2. t. 9. Sint fasciæ mundæ, tenues, leves, molles; & l. 29. lintea paranda sint levia, tenuia, munda, mollia, latæ suturis carentia, & eminentiis, integra,* id est, firma, ut possint extensiones ferre. Et per lintea Gal. ibi intelligit fascias, quod *lib. de fasciis confirmavit.* *Fasciat sit munda & tenuis.*

124. Paratâ fasciâ, apta deligatio est instituenda, quæ oras adductas perfectè conservet: quod ut fiat, ex duobus initiis circumducendum est vinculum, ut monebat Gal. 3. *Meth.* 4. & Celsus *lib.* 5. *cap.* 26. Plicari enim debet fascia ex utroque capite ad medium, ab oppositâ vulneris parte initium sumendo, primáque & secunda revolutio supra vulneris labia deduci debet. *Deligatio quomodo facienda.*

125. In quâ operatione illud est animadvertendum, ut fascia aliquid de sanâ parte utrinque comprehendat, Neque enim deligandum est vulnus tanquam zona. Sic enim nec perfectè aut labia deduceret, aut contineret, dolorémque inferret. *Deligatio ora vulneris utrinque cõprehendat.*

126. Non sit nimiùm laxa deligatio, quia, inquit Gal. 3. *Meth.* 4. *Deligatio neque arc-*

ta neque laxa nimis.

nihil efficeret: non enim adducta labia contineret; neque nimis arcta; quia comprimendo dolorem inferret.

Deligatio quando esse debet inaequalis.

127. Annotavit Celsus *lib.5.c.26. Si ab alterâ parte caro magis recesserit, fascia ab eâ magis attrahetur; si aequè ab utrâque, transversè comprehendere oras debet; aut si id vulneris ratio non patitur, media primum injicienda est, ut tamen in utramque partem ducatur.* Talis deligatio non solùm adducta labia conservat, sed etiam partem à fluxione defendit.

Pulvilli triangulares maximè unioni inserviunt.

128. Avicenna 4. *Tract.1.c.8.* pulcherrimum ligandi vulneris modum tradidit, quo si in conjungendis labiis quis utatur, aptissimè id præstabit. Eâdem deligandi ratione utitur. Ex duobus enim initiis circumducit vinculum, verum in majoribus vulneribus, ut meliùs fiat, & conservetur labiorum adductio, excogitavit duos pulvillos triangulares, & utrinque unum apponebat, ita ut amborum latera, secundùm vulneris longitudinem disposita, quæ proinde vulneris longitudinem excedere oportet, se respicerent; inde ex duobus initiis deligabat. Et magis faciunt ad labiorum adductionem triangulares isti plumaceoli, quàm si quadrati essent, aut si lintea, multipliciter plicata, apponerentur; quia fascia, super triangularis plumaceoli angulum ducta, impellit plumaceolum unà cùm subjecto labro ad contrariam partem, &, ut idem dicebat Avicenna, coarctat super fissuram tantùm, quod non sic fieret, si quadrati essent. Quinimò in nostrâ hac curandi ratione tegumenti vicem gererent plumaceoli: parantur enim ex lanâ molli, gossypio, aut tenui stupâ, linteo tenui excepta. Aliqui se hanc intentionem adimplere meliùs credunt, si hosce pulvillos aliquo liquore madefecerint; puta si vino, vel oxycrato, vel albo ovi, vel aliquo similis facultatis medicamento illinierint.

Labia vulneris quomodo adducenda.

129. Verum in adducendis labiis vix animus conquiescit in solâ deligatione; sed si linteo, quod pro operimento adhibendum esse diximus, in aliquo, ex propositis medicamentis agglutinantibus intincto, & vulneri superposito, deligatio hæc Avic. superaddatur cum plumaceolis, optimè consultum existimarem.

In suturis quæ spectanda.

130. Sutura in genere hoc vulnerum multò frequentior est; sed quoniam pro ratione vulneris, & partis laborantis varianda est forma consuendi in modo labiorum uniendorum, in acûs formâ, in punctis disponendis, in fili qualitate, & aliis; non immorabor in iis tradendis, cùm hæc limites cautionum excedant. Illud primùm animadverto, non esse consuenda labia, ubi per distantiam labiorum cavum adeò vulnus cognoverimus, ut, nisi ex fundo nascente carne repleatur cavitas ad facilitandam cicatricem, curatio sperari non possit: subcrescente enim in cavitate carne, multa inde incommoda nascuntur,

Sutura non adhibenda in multùm hiante vulnere.

tur, & in irritum abit omnis noster labor cum dedecore artificis, & duplici dolore ægrotantis,

131. Non placet Celsi consilium in suturâ faciendâ in hoc simplici in carne vulnere, quòd ora vulneris ex toto non conjungantur; ut, si quid intus humoris concreverit, possit emanare. Species enim vulneris ad hoc nos non cogit: & si non ex toto conjungantur, quomodo ducentur ad contactum mutuum labia, & quomodo agglutinari rectè poterunt? & quomodo non deformis inducetur cicatrix? *Celsi sententia refutata de suturâ faciendâ non uniente.*

132. Semper cavendum erit in hac operatione, ne venæ, arteriæ, nervi, tendinésve acu trajiciantur. *Suturâ ubi non utendum.*

133. Sed quid agendum, si carnosa pars musculi tendine lato contegatur? Si enim solam cutem consuamus, dissectæ musculi partes inconglutinatæ permanerent; si musculum cum tendine consuamus, convulsionis periculum, acu tendine trajecto, quasi certum incurremus. Gal consilium sequemur *3. de compos. med. sec. genera, cap. 2.* Denudandus erit musculus à tendine, & sola carnosa pars sine tendine unà cum cute erit suenda. *Sutura quomodo facienda in musculo, lato tendine operto.*

134. Quamvis autem non statim, fluente adhuc sanguine, ad suturam labiorum esse deveniendum jam docuerimus, sed expectandum effluxus sufficientem sanguinis quantitatem, & ut vel ex se, vel arte supprimatur: exercenda tamen erit hæc operatio, dum recens adhuc est vulnus, & cruentum, nec labia adhuc rigida evaserunt: nisi enim trahenti facilè obsequantur, sutura cum ipsis inferetur, & dolores supervenient, & forsan caro à filo abrumpetur. Et hoc est, quod Celsus, de suturâ & fibulis loquens, dicebat. Neutra enim vim desiderat: sed eatenus utilis est, quâ cutis ducentem quasi suâ sponte subsequitur. *Sutura cruentis quando adhibenda.*

135. In tertiâ ratione deducendi vulnera, quæ fibulis antiquitus usitatis, non multùm fortasse à nostrâ per gluten ratione distinctis, illud constanter affirmo; hanc omnibus videri mihi præferendam, quòd citra dolorem operam suam præstet: sed in eâ illud erat incommodi, quòd, cùm non nisi post sex horas exsiccetur, & ante exsiccationem nullius sit usus, & interim, nisi vulneris labia adducantur, contraherentur, rigidáque evaderent, & minimè obsequentia, ex quo etiam recta unio perfici non potest: unde plerique priùs suturam adhibent, postea gluten, cui diligentissimus Cæsar Magatus glutine, ex arte parato, & quod semper paratum haberi potest, occurrit: cerato parato, quod ad manus promptum semper esse potest, ut statim sine suturâ labiis discissis ocurrere possimus. Quale sit, ex quibus & quomodo componendum, quomodo etiam per fibulas sit in usum ducendum, ex accuratissimo ejus libro *de verâ medicatione vulnerum* *Unionis per fibulas præstantia.* *Fibularum diligentia ex Magato sumenda.*

colligi poteſt: adeò enim diligenter rem hanc proſequitur ut ſuperfluus ſim ſi hoc loco illa repeterem.

Vnitis labiis, quid præſtandum.

136. Vnitis, aut adductis ad agglutinationem vulnerum ab initio labiis, quamvis in hoc curandi modo pauciſſima generari ſoleant excrementa, ſi tamen ob vulneris magnitudinem ſuſpicio adſit, ne generentur excrementa aliqua, vel ichores, & ſitus inducendus erit aptus ad effluxum, & effluvia in vulnere, & tegumento erunt relinquenda.

Fluxio quomodo inhibenda.

137. Pòſt verò ad fluxionem inhibendam, & impediendam inflammationem repellentibus utendum erit, &, ſi urgeat periculum præſentaneæ affuſionis humorum, intercipientibus, quæ conſtringendo & refrigerando repellant, & anguſtiores vias, per quas fluunt humores, reddant; ut poſcâ, vino granatorum, vino auſtero, omphacio, ſucco plantaginis, ſolatri, addito vino auſtero, aut levi aceti vel omphacii portione, linteis, in iis madefactis, duplicatis aut triplicatis, & ſæpius permutatis, donec tranſeat fluxionis periculum in partibus adjacentibus. Non urgente verò adeò hac indicatione, contenti eſſe poterimus oleo roſato ſimplici, vel ex olivis immaturis.

Defenſiva communiter uſitata non multùm probanda.

138. Defenſivum, quo paſſim utuntur ex bolo Armenâ, ſanguine draconis, & oleo roſato & ſimilibus, non omninò probatur; cùm enim paulò pòſt exſiccetur, & hæreat parti, ut non niſi vi poſſit detrahi, quin & poros cutis obſtruens calorem non naturalem in parte, cui hæret, accendit, potiùs fluxioni præbet occaſionem quàm ipſam prohibeat.

Vulnera in ſanis ſimplicia ſanguinis miſſionem, purgationem, & victum quomodo reijciant.

139. In hujuſmodi vulneribus ſimplicibus, ſi ſanis & bene habitis corporibus contigerint, non ſemper mittendus erit per ſectam venam ſanguis; nec ſemper purgandum, aut omninò tenui victu ſemper utendum: ſi enim multus ſanguis effluxerit, aut non multo ſanguine corpus refertum eſſe cognoverimus, cùm magnus non adſit morbus, nec talis immineat ob fluxionem, & inflammationis periculum, cúmque plethoram non adeſſe ſupponamus, aut nullâ ſanguinis miſſione, aut parcâ opus erit; quod prudentiæ Medici erit committendum. Cùm autem cacochymum non ſupponamus corpus, non ſemper neceſſariam indicamus purgationem, aut ſaltem non niſi blandam ex ſyr. roſ. ſol. mannâ, & ſimilibus, cum decoctione tamarindorum: tenuis autem victus ratio in juvenibus, & bene habitis ſæpe ſolet humores acuere, ac biliosum ſanguinem reddere; & propterea quantitas quidem erit imminuenda, at ad tenuitatem ducere ſæpe nocuum cognovi.

Vulnerum cavorum duplex apud antiquos & recentes curandi ratio.

140. Cava vulnera carnis generationem expoſcunt, ſive quid telo & vulnerante causâ ſit demptum, aut contuſum, ut in pus verti neceſſarium ſit; ſive quia labia adeò diſſideant, aut rigida ſint, & contracta, aut quia vulnus ſit adeò profundum, ut nullâ arte ſecundum omnes partes adduci poſſit, & ideo requiratur carnis generatio,

ratio, quâ cavitas repleatur, & ita restituatur pristina unitas: hoc ut præstent, duplici hactenus viâ & antiquos, & recentes Medicos incessisse video, & omnes ex præcepto Hipp. *lib.de ulceribus*, ubi habet: *At verò recentiora vulnera omnia, tum ipsa, tum circumsita partes minimè inflammationem incurrent, si quis quam citissimè suppuret, & pus, ab osculo vulneris interceptum, non supprimatur: aut si quis advertat, ut omnino non suppurentur, præterquàm necessario, eóque parcissimo pure,& sicca sint quam maximè ex medicamento non molesto.* Ex quâ Hip. sententiâ duplex ulceris cavi curandi modus apud antiquos, & recentiores Medicos emanavit. Alij enim siccantibus medicamentis ad hoc utuntur, ut quàm paucissimum pus generetur, cùm Hip. & Gal. videant vulnerâ passim exsiccanda scripsisse. Sic aquâ ardente, balsamis, & Peruano, & arte facto, oleo, ex herbis exsiccantibus facto, oleo Hispanæ, oleo hyperici officinarum, & similibus linamenta illinunt, vel imbuunt, & per vulnus disponunt, & in profundioribus ad fundum instillant, aut in angustis per turundam imponunt; & extrinsecus linteum apponunt, iisdem medicamentis refertum: tandem pulvillos & lintea superponunt, atque quotidie, detecto vulnere, bis hoc modo vulnus tractant. Alij priùs suppurantibus puris generationem promovent *Digestivo* appellato, quod etiam vario modo parant, ex therebintinâ lotâ & vitello ovi, addunt aliqui farinam tritici, pollinem thuris alij; alii oleo rosato, terebentinâ, & cerâ, æquis portionibus ad ignem simul ductis; alii aliis, ut in contusis bellico fulmine. In quibus bis in die medentes insistunt, donec vulnus dolore vacet, rubor evanuerit, & labia æqualia & mollia reddita sint: mox ad abstergentia transeunt *Mundificativo* vocato, vel terebintinâ & oleo rosato mixtis, vel farinâ hordei, & melle rosato, & alii aliis. Deinde, rubente sine dolore vulnere, & medio modo inter humidum & siccum constituto, ad sarcotica veniunt, ut cavitas carne repleatur, & utuntur pulveribus ex aloë, thure, iride, aristolochiâ rotundâ, myrrhâ, mumiâ, sarcocollâ; alii ex æquis portionibus thuris, myrrhæ, & aloës pulvisculum, ad hoc paratum, habent, & cerato tum de betonicâ utuntur. Variandáque hæc, & mutanda censent ex Galeni præcepto 3. *Meth.*38. *& ultimo* pro varietate temperamenti totius, & partis affectæ, & temporis anni, &, dum in vulneribus utuntur, eos vulneri inspergunt, superponuntque fila evulsa, sive ad imbibendam superfluam humiditatem, pòst ceratum aliquod exsiccans adjungunt, ut diapalma, ceratum barbarum, de betonicâ, & hujusmodi: quotidie autem semel, & bis soluto vulnere medicamenta imponunt. Tandem ad epulotica deveniunt, ut loco cutis deperditæ cicatrix induci possit, exsiccantibus, & adstringentibus, ut exsiccatâ carne, & induratâ, cicatrix loco cutis induci possit, ut docuit Galenus 3. *Meth cap.* 5. ad quod præstandum utuntur cerato diapalma

palma, barbaro, de cerusâ, de thutiâ & similibus, aut filamentis aridis, ut imbibant, si quid emanaverit humiditatis, & sicca caro reddatur, & in hoc etiam quotidie vulnus curant. Hoc secundo curandi modo scimus usum fuisse Celsum *lib.6.c.26.* & Avicennam, & reliquos Mauritanos, & ex recentioribus plerosque.

Quæ quidem recipienda, sed non æquali novo modo curandi.

141. Duæ hæ vulnerum cavorum curandorum rationes cùm antiquæ sint, præstantissimos habuerint & habeant sectatores, à fontibus Hip.& Gal. fluxerint, tot experimentis sint firmatæ; nullo modo à nobis reprobari possunt, sed tanquam bonæ recipi debent. Sed cùm per novum hunc modum medendi quotidie quilibet observare possit, ægros tutiùs curari, & longè faciliùs, citiùs, & cum minori molestiâ, quin & cum paucioribus expensis; cùm breviori tempore sanitas subsequatur, & paucissimis visitationibus indigeant, nescio, cur hæc ipsa cæteris non sit præferenda.

Sarcoticis non sunt per se adstringentia miscenda.

142. Cùm tamen consuetæ curandi rationes non sint reprobandæ, in iis more nostro etiam aliquid erit animadvertendum. Et primò evitandus maximè erit terror aliquorum, qui non animadvertentes, in quâ re posita sit natura sarcoticorum, & quâ ratione ad carnem generandam introducantur, adstringentia admiscent: cujusmodi est mastix, sanguis draconis, bolus Armena, terra Lemnia, & hujusmodi. In hoc enim non parum differre docuit Gal.3. *Meth.* 4. & 2. *de compos.med.per gen.c.*20. glutinantia & sarcotica, sive carnem generantia: quòd in glutinantibus major esse debeat siccitas, quàm in sarcoticis. Quæ enim carnem producere debent, detergendi vi debent esse prædita, ut non solum siccent humiditates superfluas, sed sordes abstergant: at glutinatoria neque detergere debent, neque expurgare, sed potiùs substantiam in unum cogere. Quam facultatem habere scribit medicamenta austera & adstringentia, à quibus, dum carnem produci procuramus, maximè cavendum monet, ne sordes vulneribus affigant magis, quàm facilè possit absolvi, ut docuit Gal.6. *de compos.med.per gen.cap.*5.

Agglutinantia & sarcotica varianda pro varietate naturæ.

143. In glutinantium & sarcoticorum usu video Practicantes sæpenumero aberrare, iisdem ferè in omnibus naturis in omnibus partibus utentes: cùm non omnis natura eadem agglutinantia & sarcotica exposcat; sed siccior & valentior valentiora, & ficciora; humidior & imbecillior debiliora, ut docuit Gal.3. *Meth.*7. à quo mutuatus est Paulus *lib.4.cap.4.* & Avic. *Quarti quanti* Tr.1. *cap.*4. *&* 11. *&* 4. *primi Doct.5.cap.28.* Ex quibus quilibet, perpensis naturis totius, & partium, iisque consentientibus, aut dissentientibus, poterit colligere, quo ordine agglutinantium, & carnem generantium utendum sit. Valentioribus & siccioribus aristolochiæ radix, & panaces, tanquam valentiora, convenient: minùs siccantia, & imbecilliora, ut farina hordei, fabarum, thus: media inter hæc sunt ervi farina, iridis

iridis pulvis, & sarcoticus dictus, & qui ex æquis portionibus myrrhæ, aloës, & thuris conficitur, unguentum basilicum, ac de betoni â, de gummi elemi; oleum de hyperico, oleum Hispanæ, & Balsama, tum Peruanum, tum artificialia. Sed in his mihi non est insistendum.

144. Stuppatæ, quæ passim in usum ducuntur ad sistendum sanguinem, non ita sæpe admitti debent, & non nisi, ubi aliis præsidiis coërceri sanguis non potest, incisâ venâ aliquâ magnâ, aut arteriâ: nam siccatæ vulneratas partes contrahunt, & molestæ, & dolorificæ evadunt, & si pars pilos habuerit, cùm removendæ sunt, non levem inferunt dolorem, & non nisi in longo tempore detrahi possunt: potissimùm cùm pulveres addant constringentes, bolum Armenam, terram sigillatam, sanguinem draconis, thus, aloën, & similia ovi albumini. *Stuppata ad sistendum sanguinem rarò in usum ducenda.*

145. Ubi igitur in oblato vulnerato urgeat sanguinis effusio excedens, cùm non nisi ex venâ, aut arteriâ vulneratâ id evenire possit, decreto Gal. 1. *Meth.*3. procurandum erit digito apposito aliquamdiu sanguinem sistere per compressionem oris per sanguinem, ibi retentum, concretum obstruentem: quòd si ne hoc quidem sisti sanguis possit, os vasis volsellis apprehendimus, atque contorquemus; quòd si vas carne coopertum fuerit, leviter, incisâ carne volsellâ apprehendetur vena, ut contorqueri possit, ne assiduè sanguinem effundat, interimque, grumo in crustam concreto, obstruatur, móxque caro circumjacens adstringentibus erit condensanda. Quòd si aut digitus immitti non possit ad os incisæ venæ, vel arteriæ adstringendum, vel obstruendum aliquâ de causâ, vel ob naturam partis, ut, cùm à cerebro, vel membranis perfluit; vel vulneris, ut, cùm à profundis admodum partibus profluit, & vulnus est angustum; vel patens quidem est vulnus, verum ob vasis magnitudinem eo modo sisti non possit sanguis fluens, tunc necessarium est devenire ad ea, quæ vasis divisionem obstruunt, *Emplastica* dicta, ex lentâ & crassâ materiâ consistentiâ, & etiam ad adstringentia. Albumen ovi hac in re primas tenet ob emplasticam facultatem, junctam cum refrigeratione, qua humores repellit; cui sæpe valentiora adjungi debent, bolus Armena, sanguis draconis, aloë, thus, & similia, quæ, & sunt emplastica, & adstringentem habent facultatem, quæ, admixta albumini, pilis leporis subtilissimis excepta, ori venarum & arteriarum apponi possunt, illud quasi sigillando: quinimo alia ejusdem generis, vehementiùs adstringentia, aut levi stuppâ, aut ex leporinis pilis erunt superponenda, atque digitis aliquandiu comprimenda, & replendum vulnus, si novæ fluxionis subsit periculum, deligatione repellente, & comprimente sine dolore, & multiplici superadditâ; diligentiâ eâ adhibitâ quam tradidit Gal.5. *Meth.*4. & copiosiùs Avic. 4. *Quarti* *Sanguinis sistendi rationes.*

 Tract.2.

Tract 2 cap.17. Sed de cautionibus in hac re suo loco; nunc enim solùm cautiones in curando cavo vulnere, quod nobis sese offeret ab initio cruentum, & cum sanguinis fluxu, quid primò sit præstandum, docemus.

Vulneris cavi nova curandi ratio.

146. Oblato igitur cavo vulnere, primò videndum erit, an convenientem effluxum habeat ad expurganda excrementa, quæ in dies generantur, &, nisi adsit, parari omnino debent aut ejusdem, aut contrarii loci dissectione, aut per turundæ dilatantis per duos aut tres dies impositionem. Effluvio parato, videndum, an cavitas minor reddi possit citra impedimentum effluvij; sic enim & meliùs conservatur calor naturalis, & citiùs repletur carne, quod fiet potiùs fibulâ, & glutine. Neque enim placet futura ad unionem, relicto aperto effluxu per turundam, ut aliquibus videtur; neque enim usus turundæ perseverans placet ob dictas causas; nec etiam placet futura lata cum interstitio, ut excrementa exitum habeant liberum. Puncta enim & filum, ubi ad unionem labia non deducant, & dolorifica sunt, & sæpe cutem & carnem dilacerant, affluente humore ab initio, & intumescentibus labiis, unde distractio sequitur. Hoc facto, ad vulneris curationem erit deveniendum. Quod fiet, primò cùm operculo, medicamento aliquo fovente calorem naturalem, quod mordicationis insignis sit expers, mediocris consistentiæ, cujus vires non facilè evanescant, sed aliquanto tempore perdurent, infecto linteolo; & parietes vulneris ita illiniantur, ut ad fundum usque pervenire possit; quin, si vulnus sit magnum, filamenta, eodem medicamento imbuta, extrinsecus ori vulneris superponi poterunt: si tamen evitari possunt, meliùs res transigetur; & pòst tegumento aliquo ex propositis medicamentis, aut adducendis super linteo extenso parato tegendum erit vulnus, raróque, ut diximus, erit detegendum, ne calor naturalis partis debilitetur, spiritúsque evanescant. Proximæ partes rosaceo inungi poterunt, hyeme calido, frigido æstate, aut petiâ lineâ, oleo eodem intinctâ, foveri poterunt. Postremò addendi pulvilli, aut duplicata triplicatáve lintea tegumento ad conservandum naturalem erunt superponenda: postremò fasciâ, idoneâ ad retentionem, deligandum erit vulnus; in convenienti deinde situ constituenda erit pars vulnerata, ut citra dolorem, quantum fieri possit, jaceat, commodúmque effluvium ad genitam materiam excernendam habeat. Et in diebus proximè subsequentibus partibus circumjacentibus repellentia cum corroboratione erunt adhibenda, & sæpius etiam commutanda.

Medicamenta imponenda cavo vulneri qua & qualia.

147. Quale autem esse debeat medicamentum, quo per spathulam vulneris parietes, & profunditas sint inungenda; quamvis satis esse deberent quæ pro simplicis in carne vulneris curatione proposita sunt superiùs: cum tamen etiam particulare aliquod, & proprium

prium exposcant, cava vulnera, in illis aliquod erit animadvertendum. Therebintina & abiegha lachryma primas in iis partes habent; iis tamen permisceri poterit oleum hyperici commune, & aqua ardens præsertim, si vulnus sit profundius; sic enim faciliùs ad vulneris fundum substantia medicamenti perveniet: eadémque ipsa robur caloris naturalis augebit.

148. Placet tamen in magnis vulneribus quatuor iis, aut aliquibus aliquid etiam eorum addere, quæ à totius substantiæ proprietate calorem naturalem adjuvant ad propria obeunda munia, ut oleum Hispanæ, oleum de hyperico Magati, balsama artificialia, aqua balsami, Peruanum Balsamum. *Medicamenta à tota substantia addenda sarcoticis.*

149. Neque tamen placet in cavis iis vulneribus tenuissimis iis oleis solis uti. Cùm enim ob tenuitatem partium facilè evanescant, & in auras abeant; aliquo crassioris substantiæ, & tenacioris, erunt alliganda; erit tamen semper terebinthina, vel abiegna lachryma in duplâ aut triplâ quantitate: ut terebinthinæ claræ, vel lachrymæ abiegnæ unc. olei Hispanæ unc. me. vel Therebinthinæ unc. me. balsami Peruani, & olei Hispanæ an. unc. vel lachrymæ abietinæ unc. me. balsami artificialis unc. med. *Olea tenuissima crassioribus liganda.*

150. Quòd si vulnus fuerit cum insigni carnis contusione, priùs uti poterimus medicamento aliquo, carnem facilè ad suppurationem ducente, quale est quod *digestivum* appellant *lotum*, quale tetrapharmacum, unguentum basilicum, & id, quod ex oleo rosato, terebinthinâ, aquâ malvarum lotâ, butyro recenti, & cerâ paratur, & similibus. *Contusis suppurantia præmittenda.*

151. Eodem tamen tempore fovendus erit calor naturalis partis emplastro aliquo, circumstantibus partibus apposito: ut quod paratur ex farinâ hordeaceâ, fabaceâ, pulvere florum camæmeli, rosarum rubearum, diptamni Cretensis, anethi, oleo rosaceo, hypericino, terebinthinâ, & vino rubro subadstringente. Quin & ex Tachamachâ, gummi elemi, thure, myrrhâ, rosis rubeis siccis, terebinthinâ, oleo rosato omphacino, hypericino parari ad idem emplastrum poterit sanè quàm accommodatum, si inflammatio absit. *Dum suppurantibus utimur, caloris naturalis est habenda ratio.*

152. Quandoque unâ deligatione, & medicatione replendi carne vulneris indicationi satisfieri potest, aliquando tamen iterum, & tertiò solvendum est, quatuor aut quinque diebus interpositis, ad abstergenda excrementa, si crassiora fuerint, aut si aliqua carnis adfuerit contusio, saniem copiosam producens, sive pruritus subsit nimiùm molestus, aut alia aliqua ex enarratis causis. Et in eo casu maximâ utendum erit diligentiâ, ne calor naturalis jacturam patiatur, aut dissolutione, aut refrigeratione, ab ambiente ductâ: in carne autem, si adhuc repletum non fuerit vulnus, eodem modo in contractando, & ei succurrendo, ac ab initio factum est tam in medendo, quam in tegendo, & ligando vulnere. *Vulnus detegendum quoties.*

Vulnere repleto carne, quæ apponenda, quando cicatrix inducenda.

153. Repleto carne vulnere, vel parum deficiente cavitate, factâ diligenti abstersione partium adjacentium, & vulneris exsiccatione ex mundo linteo, aliquo utendum erit epulotico, qualia sunt cerata, superiùs proposita: ut diapalma, de cerusâ, de tutiâ, Barbarum, & hujusmodi, & interim tegendum eodem modo erit vulnus, & sperandum est primâ, aut alterâ medicatione cicatricem fore contractam.

In vulnere, alio modo in principio curato, quomodo procedendum.

154. Sed quomodo procedendum erit, si vulneratus offeratur consuetâ illâ curandi ratione curatus? si in primis tribus, aut quatuor diebus ab inflicto vulnere versemur, eâdem viâ erit procedendum; quia præter imbecillitatem caloris ex difflatione ob discissam cutem tegentem, & illum continentem, neque ab ambiente frigiditas magni momenti est introducta, nec puris multa illa generatio est introducta, ita ut necessarium sit sæpius vulnus solvere ad expurgandam materiam; tegumentum tamen erit aliquanto validius, & emplastrum ad roborandum apponendum.

Quòd si stuppatæ, aut turundæ in usu venerint.

155. Quod si stuppatæ, aut turundæ ex stuppâ oppositæ fuerint, potissimùm si vulnus ex iis fuerit quæ punctim inflicta sint, eas non removebimus, nisi ubi puris generationem incipere cognoverimus, quod circa quartam fieri solet, & tunc instituto modo procedemus.

Quid si vulnus diutius curatum fuerit antiquo more.

156. Quòd si adhuc diutius curatum vulnus fuerit antiquo more, ob idque hebes & piger evaserit calor naturalis partis, si quidem vulnus fuerit patens, neque multùm profundum, ut sunt ea quæ cæsim infliguntur, neque pars sit detecta, aut etiam læsa, quæ ab aliquâ puris copiâ, diutius in eo contentâ possit noxam contrahere, ut contingeret si vulnus esset in capite cum detectione, aut læsione membranarum vel etiam cerebri, & orificium possit deorsum respicere, statim quoque nostro hoc modo curari poterit: nam paulatim ob tegumentum validior redditur calor & quod à principio non poterat ob imbecillitatem, mox perficiet; nec interea supprimi excrementa possunt in effatu dignâ quantitate. Laudarem tamen aliquantò frequentiùs detegi vulnus ad cavitatem & labia expurganda, sed diligenter curandum, ut citò operatio illa exerceatur, & cùm cautione, & tegumentum esse debet aliquantò validiùs, & plura lintea superponenda; habito tamen semper respectu temperamenti & constitutionis tum corporis, tum temporis.

Si vulnus angustum sit, & sine effluxu, quid præstandum.

157. Si verò angustum fuerit vulneris orificium, neque deorsum commodum habeat effluxum, aut impurum fuerit corpus, aut os aliquod læsum sit, aut nobilis pars detecta, non est sperandum, naturalem calorem ad pristinum statum posse reduci per tegumentum; & ex multâ puris generatione, si non expurgetur, mala non parvi momenti insequi possent: idcirco cum præstantissimo Magato censeo, in eo

in eo casu satius esse sequi curationem per turundas; sed tunc etiam fistulatis turundis impositis, ut materiâ exitus pateat; præstarétque rariùs vulnus detegere, puta, tertio quoque die; sic enim & minùs dissolvetur calor, & ambientis frigiditatem magis effugeremus, & mediâ viâ incederemus.

158. Ac quamvis & conservatio caloris naturalis partis, & spirituum, ne dissipentur, & novæ fluxionis periculum omnibus persuadere possint, optimum esse consilium, rarò vulnera dissolvere; quia tamen aliquando aliqua occurrunt, quæ necessitatem imponunt Medicis solvendi vulnera, quæ erunt exceptiones regularis hujus curationis, quæ à nobis potissimùm in iis libris traduntur; breviter casus proponendi erunt in quibus, & solutio, & detectio vulnerum erit admittenda, & quâ cautione id sit præstandum. *Detegenda sæpius vulnera quando.*

159. † Et primum detegendum erit, si manuali aliquâ operatione curationem opus habere cognoverimus. *† Vulnera detegenda in operationibus.*

160. * Aut quia, illis sic poscentibus, aliquid manu demendum, aut addendum sit. ** Aut ubi aliquid demendum.*

161. † Aut quia medicamentum aliquod apponendum sit aut addendum, aut mutandum. *† Aut si mutandum medicamentum.*

162. * Aut si aliquid aut adnatum, aut occursum in vulnere cognoverimus, quod integram sanationem impedire possit, ut in carne spongiosâ succretâ: tunc enim solvendum est vulnus, ut medicamentum apponi possit, quod eam exsiccet & auferat; alioqui cicatrix induci non posset; potissimùm si calor majorem eorum partem præstiterit, quæ perficere deberet, ut ob id tegumenti cesset necessitas. ** Aut si quid enatum sit, quod sit auferendum.*

163. Similiter detegi debet, & sine noxâ multâ, potest vulnus, ubi ob superfluam humiditatem carnis, in cavitate genitæ, cicatrix induci non potest: necessaria enim tum est exsiccatio vulneris, & medicamenti appositio, quod cicatricem inducere possit siccando, & adstringendo carnem. *Aut si caro enata sit nimis spongiosa.*

164. Quin, si ob cacochymiam corruptio in parte, gangræna aut inflammatio orta sit, solutio erit facienda: fluxus & sanguinis effluvium ex vulnere maximè indicat solvendum esse vulnus, & detegendum, ne vires prosternantur, ut opportunis præsidiis sisti possit.

165. Gangræna & sphacelus id etiam persuadent, ne & pars emoriatur, & reliquas partes, tum & totum ad intentum ducat: postulant enim præsentanea remedia, scarificationem, abscissionem, inustionem, & similia, in quibus manuali operatione opus est. *Aut ob gangrænam.*

166. Ingens putredo, abundantia sordidorum excrementorum, & inde geniti vermes detectionem vulneris etiam indicant; potissimùm si cacochymia subsit aut aëris inquinamenta aliqua: inde enim im- *Aut putredo, sordes, & vermes geniti.*

minet suffocatio caloris innati, & partis corruptio. Itaque manuali indigent absterſione, & medicamentis validè abſtergentibus, & validioribus exſiccantibus ad cohibendam putredinem: quin &, ut fœdi & mali vapores, quos à putridâ illâ materiâ elevari neceſſe eſt, liberum habere poſſint exitum.

Aut impeditus efflexus:

167. Si fortè etiam efflaxus paratus commodè officium ſuum non faciat, aut errore Medici, aut ob ſitum partis, aut quòd à grumo aliquo via ſit obſtructa, ſolvendum erit vulnus, ut commodiorem inducere efflaxum poſſimus, aut impedimentum auferre.

Et partis inflammatio.

168. Inflammatio partis, cui non licet niſi per vulneris oſculum ſubvenire, quando pars ex præſtantioribus fuerit, ſolutionem poſtulat.

Retentum & corpuſculum.

169. Retentum quoque corpuſculum aliquod, quod primis diebus extrahi non potuit, & ſine manuali operatione, aut medicamentorum ope extrahi non poteſt; quoniam expectandum non eſt, ut unà cum pure à naturâ propellatur, ut, quæ neceſſaria ſunt, agamus, ſolutionem requirit.

Vt & os ſeparatum.

170. Idem dicendum eſt de oſſe, à naturâ ſeparato, non tamen extrà pulſo, & ideo aut carnem pungente, aut effluxum obſtruente.

Quin & abſceſſus.

171. Abſceſſus quoque ſuperveniens, ſi natura per ſe evincere non poſſit, commodum materia collecta exitum non habeat, ſed manuali operatione aliqua opus ſit, ſolutionem expoſcit.

Vt & vehemens dolor anodynis mitigãdus.

172. Vt & dolor vehemens obortus, ſi anodynis ſit mitigandus, ad idem cogit.

† Quin & eroſio & pruritus.

173. † Eroſio, & ingens pruritus adeò quandoque urgent, ut ad ea demulcenda cogamur vulnus ſolvere, & detegere ad abſtergendum mordicantem materiam, & demulcendum pruritum.

** Vulnera ſolvenda non per ſe, ſed per alia.*

174. * Hæ omnes detegendi vulneris occaſiones planè oſtendunt, non ratione curationis vulneris per ſe id fieri in cavo vulnere, ſed ob ſupervenientia ſymptomata.

† Cætero ſqui rarò ſolvenda.

175. † At ſine iis, donec carne repletum ſit, nulla nos cogit neceſſitas vulnus ſolvere: quamvis non adeò hac in re ſim obſtinatus, ut carne ex parte genitâ, & inflammationis periculo ſuperato, ſi quis vellet eo tempore in ægrotantis, vel aſſidentium gratiam ſemel, aut bis vulnus ſolvere, illúdque abſtergere, novumque tegumentum apponere, potiſſimùm, ſi fœtor inſignis adſit, aut pruritus ingens, aut quippiam quod impediat carnis ſuccretionem, non id concedam; modò dum vulnus tractatur, diligenter ab injuriis ambientis protegatur.

Vulnera detegenda tempore cicatricis.

176. Carne vulnere oppleto, licet quandoque eveniat, ut etiam cicatrix per ſe obducatur ob paucam excrementorum quantitatem, & corporis optimam conſtitutionem; quoniam tamen caro genita humidior

humidior aliquantò est, quàm ut cicatricem per se admittat, sed siccantibus,& adstringentibus indigeat, ut cicatrix obduci possit: detegi tunc vulnus poterit, ut epuloticis cicatrix induci possit.

177. Neque quis censeat, impossibilia, & repugnantia hinc à me recenseri; vix enim animo concipi potest, quomodo status vulneris cognosci possit, quomodo repletum vulnus carne esse, & quando solvendi vulneris occasiones observari possint, si perpetuò tegumento vulnus obtegatur, & vulneris status ante oculos nostros non observetur: neque enim excrementorum qualitas, aut quantitas cognosci poterit, non vulneris carnísque color, non cavitatis carne repletio, non denique eorum quippiam, quod solutionem, & detectionem vulneris persuadere docuimus. Quasi vero oculis mentis Medicus sæpe non attingat eorum morborum statum, qui oculis non subjacent; quotidie in internis abscessibus id observamus ex conjunctis symptomatis, & aliis signis, quæ enarrata sunt, solutionem persuadentia, quæ facilè cuique innotescunt, aut ab iis dependent, quæ sensibus cognoscuntur: Dolor, pruritus, erosio, fœtor, & sanguinis perfusio se sensibus exerunt. Abscessus, tumor in parte, dolor, calor, febris aucta, & ab initio sæpe horrifera, pòst verò & multiplicata sanies, & illius forma mutata facilè demonstrabunt. Puris suppressio, & diminuta illius evacuatio auctis symptomatibus, febre, dolore, & gravitate ostendet. Ingens putredo, & gangræna cognoscetur ex mutatâ admodum puris conditione, & fœtore; quòd post insignem dolorem, quasi ex improviso, dolor cesset, sine materiæ excretione gangrænam successisse, aut sphacelum indicabit, ossis separatio ad excretionem per putredinem carnis dignoscetur. Et denique, si anxius animo quis hæreat, dubius de re aliquâ occultâ, vulnus semel detegere poterit; per unam namque detectionem, si in eâ cautus fuerit, parum obesse poterit.

Vulnere tecto, quomodo cognoscantur, quæ solutionem persuadent.

Omnem verò tollent dubitationem, si à vulnere bonum pus emanet, & pro ratione vulneris nullus, vel parvus adsit dolor, tensio, vel gravitas nulla, vel pauca; si proximæ partes boni caloris sint, & molles, & si febris aut non adsit, aut diminuatur.

178. Quo autem temporis intervallo carne repleatur cavitas, & quantitas vulneris, & conditio, si cum contusione, cum ossis fracturâ, verisimile ostendet; ut & anni tempus, & ætas, & carnis conditio. Sed non multùm refert, si vulnus solvatur aliquando, nondum repletum carne; tegumento enim non adeò, ut à principio, opus est; & ex inspectione tibi, & aliis satisfacies, sed sine hoc elevato tegumento ex parte effluvij securiùs statum vulneris cognoscere poteris.

Ne miretur quispiam, si præter institutum meum in iis libris longiori oratione prosecutus sim ea, quæ ad curanda vulnera, & simplicia,

plicia, & composita, & cava in carne pertinent; cùm enim novus tractandorum, & curandorum vulnerum modus, tanquam securior, brevior, & blandior, constitutus & receptus sit; in eo tradendo, & explicando necessarium fuit aliquantò longiorem fuisse; in posterum solum in Animadversionibus & Cautionibus versabimur, quas necessarias judicabimus in Chirurgicis operationibus, & primò versabimur in iis, quæ observandæ sunt in nervorum affectibus curandis.

Nervorum puncturis val.de exsiccantia adhibenda.

179. Primò igitur in puncturâ nervi procurandum est, ne ibi colligatur materia quæ inflammationem inducere possit, & ut affluxam quamprimùm excutiemus, sed animadvertendum, exsiccantia valida esse debere tenuissimarum partium, ut penetrare possint, & quæ vim habeant roborandi nativum calorem. Inter alia nostris temporibus reperta sunt, quæ securiùs id præstare possunt, quàm priscis, & Galeni temporibus: qualia sunt, oleum stillatitium Terebinthinæ, & abiegnæ, balsamum artificiale, oleum de hyperico Magati cùm aquâ ardenti, lachrymâ abietinâ, & aquâ ardenti liquatâ, instillatâ vulneri; quibus superponatur pro tegumento, &, ne ob tenuitatem partium evanescant apposita, vel instillata tenuissima illa medicamenta, in formam cerati balsamum vel artificiale, vel Peruanum, terebinthinâ, & propoli exceptum, vel Tachamacha, aquâ ardenti excepta, & factitio balsamo, & cera: adjacentibus partibus repellentibus, & defensivis, ut aiunt, appositis, de quibus jam suprà, ut etiam genus omne revellentium cum evacuatione, quæ semper à nobis supponuntur, sed permittuntur tanquam extra propositum nostrum.

Exsiccantia valida in punctura nervorum quæ.

Nervi cæca punctura quid requirat.

180. Verùm quoniam aut ob humorum abundantiam, aut ob dolorem sæpe fluxio cohiberi non potuit, ita, quia maxima ibi collecta sit, aut quia nervus sit in profundo, aut quòd cæca sit punctura ex acu, ut nullum admittat medicamentum, id servandum erit, quod Gal. 6. *Meth.* 2. docuit, ut paremus effluxum materiæ generandæ, ampliori facto orificio duabus sectionibus cutis ad angulos rectos factis, ita ut punctura sit sectionum centrum, digitóque subducemus labia, ne iterum coalescant, ut docuit idem 3. *de compos. medic. per gen.* 2. túncque medicamento utendum erit ex ejusdem consilio, quod inconglutinatum conservet orificium, aut dissecta labia, & saniem partim exsiccare, & digerere, partim à centro, & profundo ad circumferentiam attrahere possit, neque tamen partem contrahat, mordeat, aut fluxionem concitet. Quare moderatè calida sint talia, valdè exsiccantia, citra dolorem & tenuium partium, ut ad profunda penetrare possint, ut utroque in loco docuit Gal. & Avic. 4. *Tract.* 4 *cap.* 2.

In nervi

181. Animadvertit tamen Gal. habendam esse rationem materiæ exsic-

candæ 3. *de compos. med.* 5. *gen. cap.* 2. Pro majori enim quantitate majus exsiccans eligi debet, & pro minori, minus.

Punctura quantitatis effluxa materiæ habenda est ratio.

182. † Neque tamen ad extremè exsiccantia deveniendum est cum caliditate, ne dolores, & subinde fluxiones concitent.

† In punctura nervorum extremè siccantia fugienda.

183. * Quòd si iis utendum necessitas urgeat; nisi sint ejus naturæ, ut eorum caliditas facilè evanescat; ut in aquâ ardenti, balsamis aliquibus, arte paratis, evenit; alia permiscere oportet quæ insignem illam caliditatem & acrimoniam obtundere possunt, neque tamen siccitatem ac vim attrahendi remittunt.

** Si validis exsiccantibus utendum, quomodo procedendum.*

Licet extra propositum, & institutum nostrum sit in nostris Cautionibus & Animadversionibus Medicis versari in materiâ præsidiorum; quoniam tamen Gal. *& 6. Meth. & 3. de compos. med.* per genera varia proponit medicamenta, & ea pro varietate naturarum, quantitatis materiæ, varietatis læsionis nervorum, & conditionis medicamentorum varianda esse præcipit, in iis etiam aliquid erit animadvertendum.

184. Primum, cùm utroque in loco ad intentiones Medicas prædictas utatur passim euphorbio, notavit, variandam esse illius quantitatem in emplastris, & medicamentis ex eo compositis, pro ætate illius. Si enim recens fuerit, duodecima pars, & paulò minùs erit indenda: sed si euphorbium sit veterascens, plùs illius injicit; si verò trimum, aut quadrimum, duplum ipsius, vel etiam triplum imponendum esse, 3. *de compos. med per gen* 2. Componens enim pharmacum ad puncturas nervorum, sumebat unam partem euphorbii recentis, decuplam olei, & triplum ceræ ad veterascens euphorbium subjungebat; copiosiùs verò immittendum est trimum, & quadrimum, vel duplicatum prioris pondus, vel æquale ceræ.

In puncturis nervorum euphorbii quantitas varianda pro illius ætate.

185. At neque tamen solùm euphorbii ætatem animadvertit, sed etiam naturas corporum, dicebat enim Galen. *mollioribus corporibus imbecilliora hæc remedia esse apponenda, durioribus valentiora.*

Quin & pro varietate corporum.

186. Verùm cùm adeo multæ invehantur difficultates ex usu horum medicamentorum ex euphorbio, tum ratione exactæ cognitionis ætatis euphorbii, & vehementissimorum medicamentorum, illis in locis propositorum: semper melius esse censui, illis omissis, iis potiùs insistere quæ nostrâ ætate à recentioribus, partim mediante arte Spagiricâ sunt inventa, partim Patrum memoriâ ex Indiis novis, novóque orbe ad nos advecta, quorum quamvis multa calidissima sint, non tamen eorum caliditatem extimescere oportet; quòd ob maximam partium tenuitatem brevi tempore dissolvantur, & interim omne excrementum absumunt, & naturalem calorem mirum in modum roborant, cùm prætereà ad penitiores partes penetrent; cujusmodi esse constat oleum ex lachrymâ abietinâ, & terebinthinâ, oleum ex cerâ, balsamum arte paratum, oleum Philosophorum,

Ad nervos punctos remedia nova inventa securiora, quàm Galenica, & quæ.

aqua balsami, aqua adens; quibus aliquando solis instillando utimur, nunc in mellis consistentiam redactis, ut subtilissimæ eorum partes alligatæ non ita facilè evanescant; additis etiam quandoque aliquibus ex acribus illis, à Gal. *locis citatis* propositis, sagapeno, opoponace, propoli, & aliquando euphorbio. Nos sæpius admiscemus Tachamacham, Charagnam, Balsamum Peruanum, resinam pini, picem navalem, & aliquando hæc aquâ ardente emollimus, aut oleo de hyperico completo, aut oleo Hispanæ, & similibus.

In puncto nervo, dolore urgente, priùs is mitigandus.

187. Antequàm verò medicamenta hæc applicentur, si dolor urgeat, ne humores ibi trahantur & inflammationem excitent, mitigandus is erit, fomento ex molli lanâ parato, & ex oleo tenuissimarum partium; non adstringente calente, & si in eo vermes terrestres incocti fuerint, præstantius esset remedium: & si principium subesset inflammationis, si oleum rosatum completum lumbricatum assumpserimus, maximè proficiemus.

Aqua calens ad dolorem mitigandum in nervis non admittenda.

188. Aqua autem calens, quia in sedandis doloribus inflammationum eâ passim utimur, in nervorum puncturâ, & eorundem inflammationibus, omnino rejicienda est Gal. 6. *Meth. cap.* & Avic. 4. *quarti.* consulentibus: quinimo ibidem Gal. & 3. *de compos. med. per gen.* 2. animadvertendum esse scribit in olei administratione, ne in caliditate actuali excedat, néve adstrictionis sit particeps, quale est, quod ex immaturis olivis exprimitur, sed ex maturis, & quod est trimum, aut quadrimum.

In puncturâ nervi, dolore sedato, quomodo procedendum.

189. Sedato dolore, aliquo ex liquidioribus medicamentis in vulnus erit instillandum, puta oleum abietinum, terebinthinæ, vel similium; mox superponendum medicamentum aliquod ejusdem substantiæ, sed solidius, quale est, quod ex Tachamachâ, Charagnâ, & similibus, emollitis cum oleo de hyperico composito, vel Hispanæ, vel balsamo aliquo arte parato.

In puncto nervo imminente phlegmone, quid præstandum.

190. Quòd si ne sic quidem dolor totus cessaverit, immineátque, vel inceperit phlegmon; docet Gal. 3. *comp. med per. genera* 2. & Avic. 4. *quarti. Tract.* 4. *cap.* 2. parti laboranti supra medicamentum appositum, & circumvicinis partibus apponere emplastrum ex farinâ hordeaceâ, vel fabarum, vel ervi, vel lupinorum cum oxymelite, vel lixivio, & oleo benè maturo, vel rosaceo completo lumbricato: quin iis sæpe etiam utebantur, etiamsi non adfuisset principium phlegmones, quòd tale cataplasma etiam dolorem sedet, digerat, exsiccet, putredini obsistat, nativum calorem foveat, & roboret, & vim appositi medicamenti conservet.

Denudato nervo quid agendum & quibus.

191. At denudato nervo, sive puncto, sive scisso, acria omnia fugienda esse docet Gal. 6. *Meth.* 4. & 5. *de compos. med. per gen.* 2. 4. & 8. ideo ad calcem lotam, multo oleo solutam, pompholigem ex oleo rosaceo, & similia confugit, ut & ad alia metallica lota. Sed ætas nostra, mediante

ante arte Spagiricâ & novis ex novo orbe delatis remediis, meliora, & securiora invenit ut oleum stillatitium ex terebinthinâ, & abiegna resina, balsama arte parata, quæ citra mordicationem exsiccare ac digerere possunt, putredini obsistere, ac nativum calorem roborare. Instillantur quandoque sola; quæ quamvis prima appositione mordicare aliquantulùm videantur, cùm tamen facilè igneæ partes in auras abeant, non nocent.

192. Sed quoniam tamen non consistentia non etiam permanent adhærendo; ut quasi alligata adhæreant, admisceri resinæ alicui, ut terebinthinæ, abiegnæ, & similibus optimum erit. *Olea tenuia crassis alliganda.*

193. Animadvertit autem Gal. & Avic. in denudatis nervis, neque etiam resinas has illotas in usum esse ducendas, quòd mordicatione, cùm parti adhærent, noxam & dolorem inferre possint: propterea sæpius sunt lavandæ, potissimùm aquâ ex floribus hyperici. *Resina lavandæ, dum punctis nervis sunt applicanda.*

194. In nervi scissurâ per longum, vel ubi transversim vulnus sit inflictum, sed non omnino dissectum, cùm major convulsionis impendeat metus; magis urgebit indicatio sistendi fluxionem, & repellendi. *Nervi scissura per lõgum magis periculosa.*

195. Si verò contusio adsit, ut sæpe evenit in ictibus, plumbeâ pilâ ex sclopo inflictis, præter ea quæ jam proposita sunt; cùm quod contusum est, suppurandum sit, calor autem nervorum naturalis exilis sit; emplastro aliquo suppurante quidem utendum erit, sed in quo etiam vis sit putredinem inhibendi, quale esse poterit ex farinâ hordeaceâ fabaceâ, ervi, florum camæmeli, rosarum pulvere, oxymelitis portione, oleo rosato lumbricato. *Nervis contusis quomodo medendum.*

196. Præstat tamen ex decreto Gal. & Avic. *locis citatis* nervum transversim incidere, ubi aut semisectus, aut laceratus sit, periculúmque convulsionis immineat. Pòst autem nervorum capita curatione descripta curare. *Nervi semisecti incidendi, ne convellantur.*

197. Neque etiam admitti debet curandi modus, qui fit per inustionem ignito ferro; tum quòd inustione contrahatur nervus; tum quòd docuerimus in denudato nervo acria esse fugienda; nihil verò igne acrius est; ideo Hip. *sect.* 1. *de Artic.* T. 55. dum adurendi modum in humeri luxatione tradit à causâ internâ, monet ut nervos caveamus, quòd nervis ignis sit inimicus. *Nervi nunquam urendi.*

198. Ita etiam eorum curatio admittenda non est, qui omnia nervosarum partium vulnera statim à principio oleo ferventi adurunt, sic censentes convulsionem evitari posse; cùm ex dolore fluxio, & convulsio potiùs concitari possit; cúmque, ut eschara decidat, suppurantibus & pinguibus utendum sit, quæ nervis inimica esse censuit Galenus 6. *Meth* 3. *Neque oleo calido adurendi.*

199. Quinimo *ibidem* Galenus admonet, & cum ratione, nunquam hujusmodi vulnera oleo esse perfundenda si denudata sint; nam ut *Imò ne mediocriter calido fovendi.*

ut aquam calidam in hujusmodi casibus pro fovendo, & mitigando dolore refugimus, ne putrefactio in nervo introducatur, ita oleum, oleosa, & pinguia omnia ob eandem causam erunt fugienda.

Olea stillatitia calida utilia cur.

200. Neque tamen quis censeat, nos nobis ipsis adversari, qui in tali curatione oleum ex terebinthinâ, ex lachrymâ abiegnâ, oleum de hyperico compositum Magati, oleum Hispaniæ maximè laudavimus; hæc enim ut actu sunt oleosa, ita potentiâ valenter sunt exsiccantia.

In vulnere nervorum frigida omnia fugienda.

201. Frigida præterea actu omnia in hac curatione fugienda esse dicebat Hip.5. *Aph.*20. & longâ oratione docuit Gal.6. *Meth.*3. quia & paucissimo calore naturali præditi sunt nervi, & exquisitissimo sensu, & per originem cerebro continuati, frigiditate irritabuntur, & ex contractione convulsio inducetur.

At nec tepentia.

202. At tamen ne tepentia quidem etiam remedia adhiberi debebunt, quòd robur partis exsolvant, partesque laxent, & effœminent. Calida igitur mediocriter erunt applicanda.

Vulnera in nervis etiam rariùs detegenda, etsi dolor adsit.

203. Procurato, ut dictum est, tali vulnere, internóque medicato tegumento apposito, pulvillus ex lanâ, vel linteis, ut in aliis vulneribus, erit superponendus, & pars deliganda ad retentionem appositorum, & in commodo situ disponenda, neque ante septimanam solvenda, nisi quid ex jam dictis ad solutionem nos adigat: & si unquam raro detegendum est vulnus, id maximè in nervorum læsione est præstandum, tum ob imbecillitatem naturalis caloris eorum, tum quòd ob idem maximè ab ambientis frigiditate offendatur. Scio, Gal. pluries in die detegere, & abstergere; at si quis & rationes, quas suprà adduximus, perpendat, & per experientiam veritatem exquirat, certò mihi persuadeo, sententiam nostram sequetur, & cognoscet, & securiùs, & citiùs consolidationem subsecuturam, rariusque multa symptomata superventura mala. Quinimò, urgente dolore, non semper detegendum est vulnus, sed pulvillo detracto, relictóque linteo, medicamento illito, calente oleo; & vulnus, & proximæ partes fovendæ erunt, indéque pulvillus erit superponendus: interim intermediæ partes usque ad principium nervorum largo oleo calente erunt perfundendæ, potissimùm oleo lumbricato, vel liliaceo cum speciebus, aut vulpino. Quin si in manu fuerit vulnus, sub axillis etiam pertinget inunctio, & ad spinam dorsi; si in pede, aut cruribus, id etiam fiet in inguinibus.

Vulnera nervorum putredinosa solvenda sunt citiùs.

204. Citiùs tamen solvendum erit vulnus, si putredo in eo excitetur, in quo casu Gal. *de compos. med. per gen.* 2. pastillos Andronis, & Polyidæ, ex sapâ exceptos, linamentis vulneribus indebat; mox extrinsecùs utebatur medicamentis ex euphorbio, vel emplastris ex farinis, oxymelite, & ex lixivio. Nostris temporibus feliciùs utemur præcipitato, terebinthinâ excepto, & cataplasmatis ex farinis putredini

dini obsistentibus: tum & vicinis partibus olei rosati inunctione. Quòd si putredo valida sit, præcipitati pulvere vulnus erit aspergendum.

205. Jam in particularium partium vulnerum curatione ad cautiones & animadversiones nobis est veniendum, sæpe enim quæ in universum dicta sunt, & optimè constituta, cùm in particularibus partibus ad actum deduci debent, non levem patiuntur varietatem. Ut in simplici capitis vulnere, sine etiam ossis detectione, animadvertitur: cùm enim in solâ carne vulnus dixerimus superiùs simplicibus agglutinantibus curari posse; in capite si contigerint, melius erit per carnis generationem, & cicatricem curationem procedere, potissimùm, si corpus non fuerit ex exquisitè sanis; si enim solis insistamus agglutinantibus, & conemur labia quamprimùm ad unionem duci, verendum erit, ne in vulneris fundo pus colligatur, & vicinas ac subjectas partes putrefaciat, membranisque & cerebro affectio communicetur, & inde mors sequatur. Ut igitur tutò curationem instituamus, præstabit vulneris labia disjuncta sinere, & carnis generationem procurare. *In capitis vulnere simplici agglutinationes non sufficiunt.*

206. Si tamen in optimè constitutum corpus incidamus, vulnere à capillis expurgato, & labiis adductis curari poterit; & brevissimo tempore tegumento, ut dictum est, apposito. *In bene sanis tamen aliquando sufficiunt.*

207. In vulnere, lædente temporalem musculum, semper procuranda erit curatio per carnis generationem; & ex medicamentis apponendis vulneri, & labiis, ea erunt eligenda, quæ nervosis partibus convenire diximus; & si raro detegenda sunt vulnera alia, rarius in hoc id præstandum, ob periculum effusionis sanguinis, doloris, & convulsionis. *Vulnera in musculo temporali curanda ut nervosa.*

208. Quòd si contusio cum levi dilaceratione, aut vulnere fuerit, sectione opus erit, ut contusa caro, in pus versa, effluxum habeat, parandusque sectione talis effluxus, ut exitum commodum materia habeat, semperque à læsâ parte versus sanam dirigenda est sectio, quinimò sæpius duplici sectione opus est, utrinque semper à centro incipiendo, ad sanas partes sectionem dirigendo; pòst verò curatio instituenda erit, ut in vulnere in carne cum cavitate. *Contusio in capite quomodo curanda.*

209. Animadvertendum tamen, si vulnus tale in musculo temporali esset, & sectione opus esset, solam cutem esse secandam, non musculum; nisi fortè esset necessitas urgens. Tunc enim non transversim, sed secundum fibrarum processum secandus esset, vasa tamen sunt fugienda; quomodo, si sectio fiat, minus periculum & convulsionis, & sanguinis effusionis incurremus. Sed ad id præstandum non quilibet aptus est, sed indigemus perito Medico, & in Anatome exercitato. *Contuso musculo temporali, quomodo procedendum.*

210. Eòusque Practicorum horum in curandis Capitis vulneribus *Secantes*

in forma quantùm peccent. progressa est inscitia, an malitia, ut statim ac vulneratus in capite offertur, etiamsi non denudatum os fuerit, secare cutem, quin & pericranium in formam crucis, aut litteræ T. audeant; periculum sæpe vitæ ægro, nullo modo periclitanti, injicientes, & curationem quadruplo producentes; cùm sectio hæc, ac dilatatio solùm ab Hip. exposcatur in denudato fractóve osse, aut denudando ob contusionem ad explorandam læsionem, & operationem aliquam exercendam.

Quando secanda cutis in vulneribus capitis. 211. At cùm os denudatum est, periculúmque subest læsionis in eo, aut subjacentibus partibus, ad speculandam rei veritatem, & ad aliquam exercendam manualem operationem, ad sectionem quidem, & dilatationem vulneris est veniendum, Hip. *lib. de vuln. capitis* etiam id persuadente. Sed nec adeò frequenter, nec eo modo: nisi enim magna subsit suspicio fracti aliquo modo ossis, ad hanc actionem non est veniendum.

Cutis capitis, & pericranii sectio rarò facienda. 212. Non igitur adeò frequens esse debet cutis hæc, & pericranii, dissectio, & non nisi à peritis exercenda, & non nisi ubi magna subsit suspicio læsionis subjectarum partium, & necessitas operandi, aut scalpro, aut terebrâ.

Sectio in formam † rarò facienda, & quando. 213. Neque verò incidendi modus adeò frequens, & communis in †, aut T. formam probari debet: nam quamvis à Celso *lib. 8. cap. 4.* proponatur, rarò tamen in usum ducendus est, & non nisi, ubi ictus cum contusione est, aut rotunditatem, aut spatium undique habet, ut dubium esse possit, quâ parte læsio, puta rima, aut fractio inciderit, secus erit omittenda, tum quòd & longiorem inducit curationem, tum quòd periculum augeat inflammationis, dissecto utrinque pericranio; tum prætereà quòd plerumque sit superflua, quòd impositis penicillis vulneris medium satis amplum reddi possit, &, si secandum sit, potiùs versus extrema vulneris id erit faciendum, meliùs enim sic ossis læsiones, quæ potiùs in extremis contingere solent, conspicuæ redduntur, & dilatationi in medio promptior locus dabitur, & ideo Hip. *lib. de vulneribus cap. 19.* curabat ut vulnus longius redderetur. Sed prætereà anguli illi ex sectione, per transversum factâ, sæpe negotium facessunt, & citam, aptámque partium dispositionem, & curationem impediunt: sæpe verò à penicillis elevati pervertuntur, quin & invertuntur ita, ut, si laborans super vulnus decumbere voluerit, quod quandoque requiritur pro expurgatione vulneris, non possit ob dolorem inde excitatum.

Sectio in temporali musculo rarò facienda, & quando, & quomodo. 214. Neque sectionem admittit musculus temporalis ob insignia vasa, & nervosam naturam; unde ob viciniam, & communicationem cum cerebro, imminet periculum inflammationis cerebri, delirii, & convulsionis: urgente tamen necessitate secari posset secundum ductum fibrarum.

215. Caven-

215. Cavenda itidem in suturis sectio, & pericranij separatio, ne affectio dura meningi per interpositum ligamentum communicetur, & dolores excitentur, & inflammationes in cerebro: sed, si necessitas urgeat, ad latera fiat sectio, & separatio pericranij. *Sectio in suturis rarò facienda & cur.*

216. In fronte etiam ne fiat transversim, ne musculus, elevans palpebram, incidatur, & clausus semper oculus remaneat: si igitur necessitas secandi urgeat, per rectum fiat: quòd si non sufficiat, duæ aliæ sectiones obliquæ ab eodem puncto sursum versus ducendæ sunt, ut una fibra alteram sustentare possit. *Sectio in fronte per rectum facienda, & cur.*

217. Ita, cùm in occipitio sint musculi capitis motui addicti, caveas ne illos violes. *Ut in occipitio.*

218. Detecto osse, prima operatio, quæ exerceri solet, est quæ fit scalpro rasorio; in quâ illud primò advertendum, sæpe operationem hanc fieri etiam sine evidenti ossis læsione, rimâ, sede, fracturâ, sed ob suspicionem demortuæ externæ superficiei ossis. Cum enim diutius ambienti potissimùm frigido exponitur os, ob caloris naturalis exilitatem facilè pars illa extima emoritur: & ideo abradenda est, ne curationem producat, Separat enim illam natura, subcrescente carne. *Abrasi ossis cur fiat.*

219. Id tamen rariùs præstandum est quàm communiter fiat: vulnerato enim capite statim ab effuso sanguine calente operitur, & ad sistendum sanguinem statim aliquid suprà ponitur; neque ex calore obscuriore statim colligendum, emortuam esse superficiem, quæ sæpe ab externis contaminatur. *Abradendum rariùs.*

220. Neque verò abrasio semper eò usque ducenda est, ut passim fit, donec ab osse sanguis effluere videatur; neque enim per omnes ossis partes externas venulæ diffunduntur; neque craniorum eadem est crassities. Sunt apud me ossa capitis crassissima ad miraculum usque; sunt & tenuissima, testam gallinacei ovi subtilitate æmulantia: sufficiet igitur in officio hoc præstando, si abradamus ad mutationem coloris ossis. *Abrasio rarò esse debet profunda.*

221. Sed animadvertendum, aliquando etiam emori superficiem cranii ob defectum curantis Medici: qui aut ob consuetam detectionem vulneris mortificationi externæ superficiei ossis occasionem dederit, aut quòd detectum vulnus ab injuriis ambientis diligenter non defenderit: sicque cum damno laborantis ante carnis generationem deradendum erit, aut naturæ ope abscedet, sicque semper curatio prorogabitur cum damno ægrotantis, & magno Medici ignari, an avari proventu. *Superficies cranii emortua per se sæpe deiecta*

222. Sectione igitur uno die factâ, & siccis penicillis appositis, ut hians vulnus permaneat, die sequenti ad scalpendum accedemus; illud primò observantes diligenter, quod à Celso *lib.* 8. *cap.* 4. annotatum est ita agendum, ne cum scalpro ullam partem aut cutis, aut *Abrasio quomodo administranda.*

periostii

perioſtii attingamus, aut impingamus; quod fiet, ſi à miniſtri digitis labia diſtrahantur, & per alterum miniſtrum immotum in abraſione caput detineatur.

Scalpro quomodo utendum.

223. In abraſione ſcalprum non attrahatur, & remittatur, ſed attractione ad ſe ſolâ, elevato ſcalpro, ſemper perficiatur: ſic enim minor fiet concuſſio, minórque tum in oſſe, tum in ſcalpro calor introducetur; & ſi diutius in hac operatione inſiſtendum, aut mutanda ſunt ſcalpra, aut aqua refrigeranda, ſed mox exſiccanda; & quod interceſſerit intervallum, vulnus linteo calido ſuperpoſito ab injuriis ambientis defendemus.

Scalpro ſutura ne attingantur.

224. Suturas abraſione non attingemus, aut ſcalpro, ne ob interpoſitas fibras communicetur doloroſa affectio duræ meningi; unde inflammatio in illâ, & cerebro excitetur.

Abradendum, donec rima evaneſcat.

225. Abradendum autem, donec rima evaneſcat: & ſi ad meditullium perveniat, itidem obſervandum eſt, an ultrà pertingat: & ſi ſigna adfuerint, quibus & Hip. *lib. de vuln. cap.* & Celſus *lib.* 8. *cap.* 4. conjectandum ducunt, læſionem ad membranas perveniſſe, ad oſſis perforationem erit deveniendum; ut, ſi qua materia ſub oſſe contineatur, parare illi exitum poſſimus.

Rima longa non tota abradenda.

226. Sed verò, ſi rima multùm in longitudine extendatur, ita ut non parva illius pars ſub cute abſcondatur; cùm inde colligatur certò, rimam ad penitiora pervenire; cùm in rotundo corpore longitudo talis eſſe non poſſit ſine altiori profunditate, non erit tota diſcooperienda, inciſâ cute ſuperiori, & inferiori, ſed dilatato benè vulnere, in medio perforatio erit facienda.

In Rima non ſemper abradendum.

227. Vidi tamen non ſemel in novo hoc curandi modo multa capitis vulnera cum rimâ in calvariâ curata ſine abraſione, & perforatione; modò non præfuerint ſigna, à ſcriptoribus deſcripta, quibus conjectamus, læſionem ad interna penetraſſe: niſi enim multùm hians fuerit, ut per eam conjicere poſſimus, penetraſſe ſanguinem, aut ichores, & ad meditullium, vel membranas permeaſſe, aut ope naturæ agglutinatur per ſe pars, aut auxilio externo concurrente balſamorum artificialium, vel Peruani, olei terebinthinæ, abietini, olei Hiſpanæ, vel de hyperico; ſicque effugimus & injurias aëris, & pericula, quæ & in profundâ abraſione, & in perforatione ſæpe eveniunt.

In ſede quouſque abradendum.

228. Vbi verò vulnus capitis contigerit cum ſede tali, totam tamen craſſitiem non penetrante, abradendum quidem aliquantulum eſt, ut fragmenta ex inciſione, ſi qua ſunt, abſtergantur, & diligenter perveſtigemus, an præter ſedem per ictum rima oſſi inducta ſit, tunc enim abradendum, donec deleatur. Quòd ſi nulla rima vel contuſio reperiatur, aut ſi adſit, aboleatur raſorio ſcalpro in curatione vulneris ita erit progrediendum, ac ſi ſine fracturâ oſſis fuiſſet.

229. Quòd

229. Quòd si rima sub sede adsit, si patens fuerit, & ad membranas pervenerit, ita in vulnere curando nos geremus, ac si perforassemus os; si verò ita non pateat, ut liber materiæ collectæ exitus concedatur, vel scalpro excisorio, vel modiolo, vel serratâ terebrâ, *trepano* dictâ, erit aperienda.

In sede sub rima quid præstandum.

230. Si verò sedes punctim facta fuerit, si totam non penetraverit substantiam, abrasoriis scalpris tota erit tollenda: sin totam calvariam permeaverit, terebrâ tota pars ea erit auferenda ita, ut pars cum foramine exscindatur.

In sede ex ictu punctivo quomodo curandum.

231. In ossis collisione, ne impeditâ transpiratione halituum, & evacuatione ichorum inducatur calor præter-naturalis in osse, communiceturque etiam læsio meningi, & cerebro, os collisum est abradendum, donec ad sanum perveniamus, sive in longitudine, sive in latitudine, sive in profunditate, donec etiam ad meditullium perventum sit: at ubi eò peruenerimus, si stillæ sanguinis eruperint, signum erit, non ulteriùs esse abradendum, quòd ex compressione sanguis expressus exitum per interna non invenerit; quòd si nihil erumpat, est signum, rimam in infernâ parte ossis ex contusione esse factam, per quam sanguis expressus ad meningem duram percolaverit; & ideò perforatio erit introducenda.

In ossis collisione quomodo abrasione utendum.

232. In calvariæ introcessione cum apertis fissuris, ut per eas collecta sub membranis materia exitum habeat, curandâ, ut ulcus cum ossis contusione, non auferemus ossa, quia erunt pro tegumento; nec vim inferemus tunicæ adhærenti, & aut agglutinabuntur, aut per se secedent, naturâ operante.

Calvariæ incisæ introcessio cum exitu quid requirat.

233. Sed si introcesserit cum obscuris fissuris, tunc terebrâ os erit aperiendum, ut exitus materiæ pateat.

Calvariæ introcessio cæca quid requirat.

234. † Quòd si ossis omnino aliqua portio secesserit ab aliis, aut in supernâ tabulâ, aut in infernâ, aut pungendo duram meningem lædat, auferenda erit; ne ex punctione inflammationem inducat, aut calore vitali orbatum, & malâ qualitate affectum, membranam subjectam afficiat.

† Introcessio calvariæ cum fractura ossis quomodo curetur.

235. * Quid si secante telo portio ossis penitus à caluariâ sit abscissa? si verſemur in externâ tabulâ, & portio cutis adhuc cum aliâ sit annexâ; absterso osse, quod remanet, abscissa pars ossis erit auferenda, mox cutis consuenda, aut confibulanda, & curandum ulcus ad agglutinationem, ut jam docuimus. Quòd si totum ad membranam usque dissectum fuerit, periculúmque subsit, ne à superinductâ cute membra comprimantur; antequàm cutis superinducatur super cranium, lamina plumbea, argentea, vel aurea erit imponenda, quæ impediat compressionem cutis superpositæ; quæ tamen, nisi ex parte, suenda erit, ut exitus materiæ generandæ pateat, & lamina auferri possit, ubi caro membranam cooperuerit. Quòd si

**Calvariæ parte abscissâ quid agendum.*

non solùm os penitus sit abscissum, sed & cutis circumvestiens, tunc maximè lamina foraminulenta minimis osculis erit superponenda, ne lintei medicati superpositi membranam comprimere possint; quæ tamen magnitudine solùm tantâ sit, quantâ opus est ad membranæ protectionem, ut ad libitum subtrahi possit.

Calvaria incisa, & materia collecta quid agendum.

236. Quid verò agemus, si materiam collectam cognoverimus in magno vulnere cum ossis fracturâ? secanda ea erit ad educendam materiam, ne piam corrumpat; ad certam enim mortem evitandam aliquid etiam cum periculo tentandum; & in curatione procedendum, ac si vulnus illatum eòusque processisset.

Calvaria in ictu integra, & sanguine subeffuso quid agendum.

237. Quid ampliùs si integro osse venula aliqua, in membranis aut cerebro disrupta, symptomata induceret? Aliqui multis in locis, ubi ob casum verisimile esset sanguinem corruptum contineri, terebrâ perforandam esse calvariam censent: sed hoc mihi per fortunam curationem tentare esse videtur. Neque enim locum certum habemus, neque, an læsio sit in cerebro, an in membranis, cognoscimus. Imò hæc est calamitas illa, cujus nullum esse remedium dicebat Hip. *lib. de vuln. cap.* Sed si quid faciendum est, aut erit insistendum in indicationibus, à Galen. traditis 2. *de compos. med. sect. gen.* 2. remediis, inflammationem prohibentibus, & iis, quæ materiam collectam digerendi & evocandi vim habent capiti applicatis; iis additis, quæ facultatem habent ad penitiores partes medicamentosam vim deferendi: qualia sunt emplastra ex floribus chamæmeli, meliloti, anethi, rosis rubeis, betonicâ, absinthio, ladano, gummi elemi, terebinthinâ, farinâ hordei, seminis lini, & fœnugræci, oleo rosato, poscâ, vel vino subaustero paucifero, sed adstringente. In usum etiam foris ex vino rubro subadstringente paratur, in quo ebullierint pleraque ex iis, additâ salviâ, foliis lauri, additis oleo rosato, liliaceo, irino, & similibus. Invitabimus etiam materiam ad exitum gargarismis, errhinis, & narium inunctionibus. Observavimus enim non semel in magno hoc nostro Valetudinario, delapsos aliquos ab alto, capite ob varios ictus multis in locis prætumido, sanguinem è naribus, & auribus emittentes, attonitos, mutos per multos dies, emplastris adhibitis & fomentis convaluisse, multâ sanie per os, nares, & aures evacuatâ: & alios, licet rariùs, discussâ materiâ sine evacuatione sensibili ad sanitatem esse deductos. Ut proinde non sit adeò deridenda Conciliatoris sententia, *differentiâ centesimâ octuagesimâ primâ*, qui raro admodum terebratione utendum ob pericula dicenda censuit, sed emplastris absumi posse, & evocari ad externa materiam intra cranium contentam, deraso capite, ac emplastro apposito ex gummi elemi unciis tribus, resinæ purissimæ unciis quatuor, ceræ unciis sex, olei rosati unciis tribus & dimidiâ, ammoniaci unciis duabus, & terebinthinæ unciis tribus, & drachmâ mediâ, ex

arte

arte commixtis. Quam sententiam secutus est Lanfrancus, qui testatur se observasse multò plures, sic vulneratos, hoc modo fuisse sanatos quàm terebratione: quam opinionem licet non omnino recipiendam censeam. nos tamen aliquando posse sperare salutem sine perforatione, ea ostendere potest.

238. Non est tamen recipiendus in hoc casu eorum curandi modus, qui derasis capillis linteâ aquâ ardente imbutâ, parti apponunt, aut factitio balsamo totum caput inungant; quum inde phlegmonem excitandi non parvum impendeat periculum.

Aqua vitæ vel balsami usus, derasis capillis, non recipiendus.

239. Quamvis non negauerim ego, & ad eximenda ossa, pungentia membranam vestientem cerebrum, & partes subjunctas, ad parandum materiæ, sub calvariâ collectæ, aut colligendæ, exitum, necessariam esse cranii terebrationem; mirari tamen satis non possum indoctorum quorundam audaciam, qui in levi quâlibet colligendæ materiæ suspicione ad operationem hanc descendunt, in eâ ita se exercentes, acsi ollam aliquam terream, aut fictilem, ad resarciendas disruptas partes, perforarent: non animadvertentes, quàm periculi plenam judicarint hanc operationem, etiam à perito factam, Hip. *lib. de vulneribus cap.* & Celsus *lib.* 8. *cap.* 4. & potissimùm Gal. 6. *Meth.* 6. tum ratione partis sanæ, quam perforamus, tum ratione actionis, quâ per circumductionem & cranium, & instrumentum incalescit, tum ratione fibrarum ossis inæqualium, quæ serrâ dilacerantur, tum ob sanguinis effusionem ex venulis meditullii, tum ob difficilem cognitionem crassitiei calvariæ, tum propter connexionem duræ meningis cum internâ ossis superficie, à quo necesse est in evulsione ultimæ partis ossis à membranâ læsionem aliquam pati, ut maximè verear, ne non pauciores ex hac operatione, etiam sæpe rectè exercitâ, moriantur, quàm ex ipso vulnere.

Terebratio aliquando facienda & quando.

Rarò terebrandum.

Terebrationis pericula.

Ut aliquando indignabundus aliquos sentiam, dicentes, omnino quamprimùm veniendum esse ad hanc perforationem: quòd si etiam nihil collectum inveniatur, nihil amplius mali inde impendere, quàm quod aliquantulum prorogetur curatio. Aliqua igitur in eâ exercendâ erunt, à nobis more nostro animadvertenda.

240. Et primò consideranda sunt signa, quibus Celsus *lib.* 8. *cap.* 4. conjectandum dicit; an calvaria sit fracta, intúsne adsit læsio, apertionem ostendens; Num bilem vomuerit; num oculi ejus obcæcati sint; num obmutuerit; num per nares aurésve sanguis effluxerit; num conciderit? num sine sensu quasi dormiens jacuerit; si torpor accesserit, si mens non constat, si nervorum vel resolutio, vel distentio secuta est. Quin & considerandum est, an lapide, an ligno, an ferro, an alio telo percussum sit; & hoc ipso leni, an aspero; mediocri an vastiori; vehementer, an leniter. Prætereà verò contemplanda & con-

Terebrationis exercenda signa demonstrativa.

ſideranda eſt plaga, ſpecillo etiam immiſſo, ut, an oſſis fractura adſit & qualis ea ſit, colligamus.

Terebratio non ſemper neceſſaria, oſſe fracto.

241. Neque tamen ſemper fracto oſſe terebrandum eſt; ſi enim materia liberum habuerit exitum, terebrâ non eſt utendum; & ſi os pungit aut comprimit, lenticulâ, ſcalpro aut alio ferramento tolli poteſt.

Terebrationis exercendæ, & temporis ſigna.

242. An verò expectanda ſint ſigna, à ſcriptoribus tradita, ac exercendam eſſe hanc operationem indicantia? Scio id controverſum eſſe, ſed ego ſic ſentio; ex ſignis alia ſunt, quæ probabiliter perſuadere poſſunt, facilè in abſconditis colligi poſſe materiam, quæ ab initio apparere ſolent, qualia ſunt ex Celſo enarrata; aut ſunt, quæ progreſſu temporis, collectâ materiâ, ſuperveniunt, ut rigores, febres, bilioſi vomitus, pondus in parte, obmuteſcentiæ ſupervenientes, dolores in collo, & ſimilia; aut quæ punctionem in parte ex oſſis portione indicant. Sine primis, quamvis aliquando, ſed raro, ſuccedat materiæ collectio, nunquam tamen terebrandum cenſerem, ne in uſum ducamus remedium periculi plenum ſine urgente neceſſitate: unde tamen & curatio tardior redditur, & cum majori periculo. At ubi alia ſigna ſupervenerint, & ſi ſpes ſalutis ſit in anguſto, ſi locum conjectari poſſimus, ubi collecta ſit materia, omnino tentandum eſt terebrâ exitum quamprimùm parare in puncturâ membranæ, antequàm per eam inducatur inflammatio, aut terebratione, aut alio ingenio procuranda pungentis oſſis exemptio.

Exciſio oſſis quomodo præſtanda.

243. In quo etiam ſervandum, quod à Gal. 6. *Meth.* ultimum propoſitum eſt, ut, quamvis multa oſſis portio confracta ſit, eam potiſſimùm ſubtrahamus, quæ membranam comprimit, aut pungit, non autem univerſam partem confractam confertim, ne ex magnâ & improviſâ detectione membranæ, & cerebrum noxam ſentiant inemendabilem: reliquæ verò partes confractæ exciſoriis ferramentis, & lenticulâ erunt excidendæ.

Terebratio in ſuturis quomodo exercenda.

244. Fugienda hæc operatio in ſuturis, etiamſi ibi ſit oſſis fractura, Hipp. teſte *lib. de vuln. cap.* & Gal. 6. *Meth. cap.* 6. &, ſi urgeat neceſſitas, utrinque ſutura evitata exerceri poterit; ſic enim in inflammationis periculum non incidemus.

Terebratio fugienda in læſione oſſis ſub muſculo temporali.

245. Quod fugiendum quoque ex omnium ſententiâ, ſi oſſis fractura contigerit ſub muſculis temporalibus, quos ſecare opus eſt periculi plenum; convulſionem ex eorum ſectione inducemus, & arterioſi ſanguinis effuſionem ob arteriam, ibi obrepentem; quòd ſi apertionis adſit neceſſitas, vicina lateralia loca ad hanc operationem eligemus.

Terebrationis tempus.

246. Tempus terebrandi tunc ſit, cùm urget neceſſitas: in depreſſione oſſis, & punctione membranarum quamprimùm id erit præſtandum, ne inflammatio inducatur: in transfuſâ, & collectâ in internis

partibus

partibus materiâ, & sanguine, cùm sopor instat, aphonia, &alia quæ ibi gravantem materiam ostendunt. Nam quamprimùm exitum pa-are oportet. At si indicans non fuerit præsens, ut non urgeat, nec symptomata præsentia, quoniam materia non semper statim colligitur, dantur induciæ, & æstate, si fieri potest, intra quartam, vel ad summum intra septimam; in hyeme intra septimam; ad summum ante undecimam perforatio erit exercenda.

247. In terebratione cùm ad vitream perventum est, sæpius terebra est eximenda, atque perpendenda crassities ossis incidendi, stylo tentanda sectio, & conjectandum, quantum ossis exscindendi supersit, & mutanda terebra, ne calore ex circumductione lædat, aut aquæ immergenda ad calorem tollendum. *In terebratione quando subsistendum, & quando mutanda terebra.*

248. Si primis diebus perforationem aggrediamur, cùm sæpe nondum collecta, aut suppurata est materia, præstat desistere à perforatione, & sinere ossis separationem naturæ; aut eâ id non præstante, tutiùs, quod ossis superest, sequenti die per ulteriorem terebrationem exscindemus; quòd eo tempore soleat membrana, quæ ossi erat annexa, aut separari per se, aut saltem non adeò annexa faciliùs separari: sícque nec vis parti separandæ inferetur, nec adeò ex improviso internas partes ambienti exponemus; & hæc Hip. sententia *lib. de vuln. cap.* *Perforatio, primis diebus facta, periculosa.*

249. At si materiæ, sub osse contentæ, signa adsint, statim oportet os ad membranam usque perforare, & amovere, ut materiæ quamprimùm detur exitus, & vitetur corruptio materiæ, & membranarum corruptio: sic enim agentes neque membranæ dilacerandæ periculum subibimus, quam jam abscessisse supponimus, neque aëri exponemus partem, externis injuriis jam assuetam, & hoc etiam ibidem docebat Hippocrates. *Terebrandum statim; si collecta sit materia.*

250. Observandum etiam in terebratione, ne inæqualiter circumducatur terebra, ita ut periculum sit, ne ex unâ parte os ad membranam usque incidatur, alterâ parte integrâ remanente: sed si in extractione terebræ errorem hunc cognoverimus, aut super integram partem terebram incisoriam comprimemus magis, vel separationem, à naturâ faciendam, expectabimus, quæ solet in tali casu id breviori tempore præstare. *Terebratio sit recta & æqualis.*

251. Exciso osse quid in curandâ membranâ faciendum sit, non ita concordes sunt Medici; aliis siccantibus utendum, ne corruptionem contrahat, sic Hip. *lib. de vuln. cap. nu.* 24. persuadente, & Celso *lib.* 8. dum utitur aceto, emplastro Isidis, & Iudæi; Aliis demulcentibus, ut oleo rosato, sanguine columbæ, & oleo vitellorum ovi, ut inflammationem prohibeant. Galen. 6. *Meth.* 6. utramque probasse videtur, sed si statum membranæ varium consideramus, non erit difficile veritatem hac in re eruere. Si enim sanam omnino membranam invene- *Terebrato & exciso osse quid agendum.*

ris, blandioribus, non valde ſiccantibus, erit utendum, ſed roborantibus, ut oleo roſato ex olivis immaturis; quo & roboramus calorem naturalem, & adſtringenti facultate repellimus, nihilque habet mordacitatis, ſed potiùs habet aliquid anodynum, & moderata ejus potentialis frigiditas nonnihil ad repercutiendum facit. Reſinâ terebinthinâ, & abiegnâ lotæ, & ipſæ moderato ſuo calore nativum membranæ calorem fovent, moderatâque adſtrictione repellunt, & roborant, mordacitatisque ſunt expertes; imò, ſi malvarum aquâ eluantur, magis anodynæ reddentur; ideo ſi oleo roſaceo permiſceantur, aptiſſimum conficient medicamentum. Sanguis columbarum, & oleum vitellorum ovi, cùm laxantia ſint & humectantia ſine ullâ repulſione aut corroboratione, cur in uſum venire debeant, non video: niſi fortè in ſejungendâ ab oſſe membranâ, dolore excitato, ad dolorem mitigandum adminiſtrentur: oleum tamen roſatum, aut ſolum, aut cum terebinthinâ magis ex uſu.

Membrana ſana, neque aqua ardente, aut melle roſato, aut oxymelite utendum.

252. Vnguentum Iſidis, aqua ardens, mel roſatum, ſanâ membranâ exiſtente, ut & oxymel, non eſt, quod in uſum veniant, ut paſſim fit, Cùm enim nihil adeſſe ſupponamus, quod abſterſione indigeat, nec ſuperflua adſit humiditas, quæ ſiccitate opus habeat, neque vehementer calefacientibus indigeamus, non video, cur hæc adminiſtrari debeant. Quòd ſi qui & ſiccantibus, & contrà lenientibus curantur, ut Galen. 6. obſervavit, cenſendum eſt, id ex ſanitate membranæ contigiſſe, quæ detrimenta ex impoſitis medicamentis ſuperat. Hipp. autem *lib. de vuln. cap.* cùm ſiccandum docet, ſupponit ichores ibi effluxos, unde putredinis periculum impendebat, ut ex ejus verbis colligi poteſt. Vel certè perſuadet, filis mollibus, vel goſſypio exſiccandam membranam, ichoribus abſterſis: *lib.* enim *de ulceribus nu.* 4. uſus eſt hoc nomine ſiccandi pro abſumendâ & abſorbendâ humiditate ab ulcere; ſed ubi bene ſe habet membrana, illis hujuſmodi ſiccantibus non indiget.

Oſſe exciſo, non ſunt linamenta imponẽda.

253. Peccant, qui exciſo oſſe linamenta imponunt: ſic enim contra præceptum Hip. agunt, *lib. de vuln. cap. n.* 18. & partem diſtendunt; ſic carnem in lateribus diſtendentes, & effluxum puris impediunt, quo retento, ſæpe inflammationes excitantur.

Oſſe exciſo quid præſtandum.

254. Factâ igitur perforatione, & exciſo oſſe, goſſypio leniter detergetur membrana, ſi ſanguis aliquibus percolaverit, poſtea unâ, aut alterâ guttâ terebinthinæ vel abjetinæ lacrymæ, vel olei roſati, vel aliquid ex his mixtis inſtillatis, pòſt illitis labiis medicamento, quo vim habeat fovendi calorem naturalem, ut terebinthinâ, oleo Hiſpanæ, & ſimilibus jam enarratis, & tegumento, ex iiſdem, vel propoſitis parato, & ſuperpoſito tegumento ex triplici linteo, vel lanâ, vel goſſypio, ad fovendum calorem, & protegendam partem ab injuriis ambientis, ut diximus, illiſque ligaturâ firmatis ita permittatur.

255. Et

255. Et quamvis effluxus puri generando parari debeat: quia tamen illius portio ad membranam pertingere posset, laudo consuetum morem apponendi sericeam telam ex chermes, quâ etiam fovebitur calor naturalis partis; aut subtilissima filamenta, rosaceo intincta. *Effluxus quomodo parandus.*

256. † Laudo tamen in hoc casu, ut intermedio tempore bis & ter solvatur, & detegatur vulnus, & membranam procuremus, ut jam propositum est. *† A terebratione solvendum aliquando vulnus.*

257. Nec semper in rosaceo persistendum, sed, humiditate affluente, mel rosatum, vel syrupus in usum venient, ut sordes abstergantur. Laudatur etiam terebinthina, vel sola, vel cum oleo rosato mixta; &, si fortioribus opus erit, oxymel saccharinum conveniet. *Quibus vulnus terebratum abstergi debeat.*

258. At si materiam, vel sanguinem sub osse terebrato supra membranam invenerimus, abstergenda leniter & blandè erit gossypio; mox jubebimus ut, clauso ore & naribus, vulneratus spiritum vi quâdam ad nares impellat: intumescit enim membrana, atque ad foramen materia propellitur: quòd si ob extumescentiam, introductam membranæ, exitus materiæ impediatur, exitum parabimus instrumento, vocato *Decussatorio*, leviter membranam deprimentes, mox instillantes terebinthinam, vel lachrymam abietinam cum portione aut mellis, aut syrupi rosati ex rosis rubeis, vel ad summum oxymelle saccharino curationem transigemus. *A terebratione si sanguis subsit, quid agendum.*

259. Sed is est casus, in quo non adeò rarò detegendum est vulnus, sed vel quotidiè, vel alternis diebus, ut purulentæ materiæ exitus præparetur, sordes detergantur, & medicamenta instillentur. *Detegere vulnus sæpe quando debemus.*

260. Quòd si concretus sanguis ossi subsideat, & membranæ adhæreat, procuranda erit illius suppuratio, priùs absterso eo qui minùs adhæret; quod fiet terebinthinâ, oleo rosato admixtâ, vel cum oleo ex vitellis ovorum. *Sanguine concreto sub calvaria quid agendum.*

261. Si verò denigratam ob corruptionem membranam invenerimus, coërcere eam tentabimus melle rosato cum modicâ terebinthinâ: sed si progrediatur, ad oxymel deveniemus cum aquâ ardente, vel ad mel rosatum cum oxymelite, & aquâ ardente unguentum Isidis, melli rosato admixtum conveniet. Imò si in extremis versabimur, ad præcipitatum veniemus, lotum ex aquâ rosatâ, & admixtum unguento rosato. *Membrana denigrata, quomodo procedendum.*

262. Quòd si ex refrigeratione nigredo provenerit, ut in vulnere cum detectione membranæ diuturnâ, calefacientia erunt instillanda, ut oleum abietinum, terebinthinæ, aqua ardens, & similia, & id quotidie, diligentiâ semper adhibitâ, ut quamminimùm detectum vulnus maneat. Extrinsecúsque ceratis calefacientibus fovendus erit calor naturalis, balsamis artificialibus, & Peruano terebinthinæ mixtis, *Membrana ex frigore denigrata quid agendum.*

mixtis, cerato de betonicâ, addito balsamo aliquo, & aliis similibus.

Fungo in membrana nato, quomodo medendum.

263. Quòd si post terebrationem membranæ fungus succreverit, validè exsiccantibus utemur: Sabinæ pulvis ad miraculum conferet; vel pulvis corticum myrobalanorum citrinorum. Validiora erunt aluminis usti pulvis; validius adhuc unguentum Isidis; deinde etiam præcipitati pulvis; &, si excreverit ad vulneris ora, excidendus sericino filo alligato, & paulatim constricto.

Vulnere cerebrum attingente, quomodo procedendum.

264. Si verò ad tenuem membranam, vel cerebrum vulnus pervenerit, eâdem utendum est curandi ratione; sed exsiccatio major erit addenda: sic terebinthinæ, vel abiegnæ lacrymæ addendum erit vel oleum de hyperico, vel balsamum artificiale, vel aqua ardens, & oleum abiegnum, vel de terebinthinâ erit instillandum.

Cephalici pulveres sunt inutiles.

265. Pulveres Cephalici, quibus passim utuntur Medici in capitis vulneribus, osse detecto, ad præservationem ossis à corruptione, ex myrrhâ, thure, aloë, radicibus iridis, aristolochiæ, ervi farinâ, corticibus radicis panacis, & hujusmodi, quibus os, naturâ suâ siccum, in suâ conditione conservari ajunt, id persuadente Gal. 6. *Meth.* 6. nullo modo necessarii sunt; si enim sanum os fuerit, majori non indiget exsiccatione; si demortuum, nihil facere pulverem cognoscent, sed actum non valente mortuâ facultate deducere: sed si novo hoc modo medendi utantur, effluxu puri parato, raróque detecto vulnere, cognoscent neque superficiem ossis emori, &, si qua pars exterior emortua fuerit, faciliùs sine pulveribus abscedere quàm iis aspersis, modò ossis & partis calorem naturalem foveamus; neque aëri os sæpius exponamus.

Nigredo calvariæ quomodo curanda.

Historia Medica notatu digna.

266. Quòd si in osse nigredo appareat, semper est abradendum, aut enim emortuam partem auferemus, aut si ad meditullium pervenerit, perforatione opus esse ostendet, communicatâ ossi corruptione à subjectâ materiâ. Memini nobilem adolescentulam ex Burrorum familiâ, cùm imaginem quandam appendere tentaret, ex scabello decidisse, atque occiput ad terram allisisse, quem ictum cùm nihili fecisset, sed & caput lavisset, & in exercendis sanorum operationibus ne tantillum quidem se abstinuisset, tandem vigesimâ die dolere posteriori parte capitis cœpit, quæ etiam pars intumuit, mox inæquales supervenêre rigores, & febris non multum vehemens, neque tamen decubuit; sed accito operatio Practico, cùm in tumore materiam ex inundatione subesse conjectaretur, & ferrum respueret ægra, caustico viam puri fecit, unde multa illius copia effluxit; cúmque ego & Chirurgus acciti essemus, nigredine insigni inspectâ, cùm læsionem in osse inde conjectarer, Chirurgus autem ex caustico apposito contractam in osse assereret nigredinem, scalpro rasorio meo jussu abrasâ superficie, paulò pòst pus erumpere cœpit

cœpit. Terebratione igitur ſtatim factâ, multa puris copia proſiliit, etſi niſi ad meditullium perventum eſſet: cúmque in circumductione terebræ oſſis aliqua præſentiretur commotio, cognitum eſt oſſis ſuperni partem non levem abſceſſiſſe. Incisâ igitur in crucis formam cute, facillimè magna pars oſſis primæ tabulæ ceſſit; cúmque retento ſpiritu, & occluſo ore & naribus, iterum ex lateribus multam puris copiam ex fiſſuris erumpere videremus, lenticulâ per rimam dextram impoſitâ, & vitreâ elevatâ ab eâ parte, tantundem vitreæ partis oſſis abſceſſit; erat autem magnitudinis palmi magnæ manus, ſuberat non levis puris quantitas; quâ abſterſâ, & membranâ vino calido lotâ, ſine maculâ membrana reperta eſt, &, curatione ex arte inſtitutâ, optimè convaluit, proinde tamen non priùs perfectè cicatrice inductâ, quàm quatuor menſes præteriiſſent, vivit adhuc ſenio jam confectâ. Similem caſum poſt ſex annos obſervavi in aliâ, ſenio confectâ, ex nobili Galaratorum familiâ, quæ ob glaciem cùm ſupina cecidiſſet, occipitio ad glaciem duram alliſo, à contuſâ parte ut dolorem amoveret, emplaſtro ex pane, in lixivio imbuto, cum abſinthii foliis, floribus chamæmeli, & fundo olei roſati cùm uſa eſſet; dolore non ampliùs infeſtante, tanquam ſana in domeſticis negotiis aſſiduè ſeſe exercens: poſt vigeſimum quintum diem cùm dolere eâ parte cœpiſſet, & rigores ſuperveniſſent, & febris continua, & dolor in collo; recordatus præcedentis hiſtoriæ, injunxi ut cutis in eâ parte in magnæ crucis formam ſecaretur, & obſervavi, quæ in alterâ adoleſcentulâ obſervata dixi; magna pars calvariæ ſublata eſt, &, eadem curandi ratione uſâ, convaluit, ſed poſt ſex menſes.

267. Nollem hic aliquem cenſere, me in eorum hæreſi eſſe, qui nullis medicamentis, electivè ſolventibus, in capitis & aliarum partium vulneribus utendum cenſuerunt; quòd in Animadverſionibus iis ad curationem vulnerum, & capitis potiſſimùm nullam purgationis mentionem fecerim. Cùm enim hic Chirurgicas ſolum Cautiones proſequar; non ſolùm ea, quæ ad purgationem pertinent, omiſſa ſunt, ſed etiam quæ ad ſanguinis evacuationem per ſectam venam, & ad victus rationem, & ad ſex res non naturales. Ex primis enim libris omnino hæc deſumenda erunt. Illud ſolùm in hac, ad purgationem pertinente, materiâ aſſertivè cum Hip. & Græcis, & Mauritanis omnibus aſſero, omnino purgationem convenire ad avertendam fluxionem, & fugiendum periculum inflammationis; Quicquid dicant ex recentioribus aliqui, quorum rationes accuratè admodum proſecutus eſt, & diſſolvit Philippus Ingraſſias libro, huic materiæ dicato, & Cæſar Magatus, *lib. 2. cap. 57.*

Purgationes in curatione vulnerum conveniūt.

268. In oculorum vulneribus illud ſolum animadvertendum eſt, fugienda omnino eſſe ea medicamenta quæ mordicationem in ſe habent;

Vulnera oculorum quomodo tractanda.

habent; sed omnino in usum ea erunt ducenda, quæ cum levi exsiccatione vim habent dolorem leniendi; qualia sunt abietina lachryma ex aquâ rosarum lotâ, gummi Arabicum, tragacantha, sief album sine opio, tutia præparata, sarcocolla, & similia, vel per se, vel cum albumine ovi, agitato diutius per se, mox, subtilissimis aliquibus ex iis pulveribus àdditis, in mortario plumbeo diutius ducto. Quòd si dolores adhuc urgeant, oleum ex vitellis ovorum omnino conveniet.

Adnata tunica vulnerata quomodo curanda.

269. Quòd si in adnata fiat carnis subcrescentia ob eandem causam, ad exsiccandam & absumendam carnem illam, leviora venient in usum, ut pulvis ossis sepiæ, testæ ovi calcinatæ, & chalcanthum ustum, & lotum.

Nasi vulneribus quomodo medendum.

270. Naso & naribus incisis, ne distorqueatur, forma nasi ex plumbo paretur, & linea petia, idoneo medicamento imbuta, intus extensa parti applicetur, formulis, ex cerâ pro naribus paratis, medicamentis agglutinantibus illitis, & naribus impositis.

Sternutatione impediente curationem, quid agendum.

271. Sed quoniam sæpe, dum introducuntur, sternutamentum promovent, unde dilatatur vulnus, & sæpe punctis disruptis pars dilaceratur, animadvertendum, dum introducuntur, perfricandos esse angulos majores oculorum, Sic enim huic symptomati succurrere solemus.

Vulnerato thorace cum perforatione quid agendum.

272. Vulnerato thorace, & penetrante vulnere in benè habito corpore, non semel observavi curationem longè fœliciùs & citiùs absolvi, si tubulo imposito, ut sanguis effusus, & in cavitate conceptus per unum, aut alterum diem procuretur educi, decubitu facto super partem vulneratam; & cùm nulla superesse signa contentæ materiæ viderimus, tubulo detracto, vulneris, ut vulnus est, curationem prosequemur.

Tubulo utendum pro materiæ expurgatione.

273. Quòd si vulneratis internis partibus in dies aggregetur materia, tubulus non erit removendus, ut, aperto manente osculo, exitum per eam partem materia habeat: neque enim, quod aliquibus visum est, sperandum est posse per tussim commodè expurgari, ut ex Gal. colligunt 5. *de loc. affect.* 3. Cum difficultate enim ad pulmonis bronchia propellitur, cùm potiùs inde ad thoracem permeet, cùm sit ille motus naturali contrarius, & præterea violentus ab infernis ad superna.

** Per tussim malè educitur materia in vulnere thoracis.*

274. * Quin violentiâ per tussim partes internæ perpessæ difficiliùs agglutinari poterunt; satius igitur erit per vulneris orificium percolare, &, si non satis amplum fuerit, præstabit dilatare.

Tubuli quantitas in vulnere thoracis.

275. Tubulus cavus, qui introducitur, ut exitus & paretur, & conservetur, longitudine crassitiem thoracis non deberet excedere, ut contenta materia faciliùs ingressum pro exitu obtineat; néve longitudine partis internæ vulnus in motu pulmonum perfricando offendat.

dat. Quòd si aliquantò longius imponatur, utrimque perforatum esse debet, ut per oscula illa materia penetrare possit.

276. Alatus sit, ne capacitatem thoracis ingredi possit; quin ligari debet ob eandem causam. *Tubulus qualis.*

277. Superponatur tegumentum, iis imbutum quæ diximus fovere calorem naturalem; ita tamen disponatur, ut non impediat effluxum materiæ; quamvis alæ ipsæ tubuli ex parte huic rei inservient. *Tubulo quid superponendum.*

278. Super vulnus decumbat, quò materia pondere suo ad vulnus feratur; Quin per intervalla, ore naribúsque occlusis, spiritus comprimatur, quò intumescant pulmones, contrahatúrque diaphragma, sicque materia ad orificium exprimatur. *Vt effluat materia, quid præstandum.*

279. Non placet communis curandi ratio per lotiones, siphone injectas ex mulsâ, vel vino mulso, vel decoctis ex hordeo, lentibus, & hujusmodi, addito melle rosato, vel syrupo ex rosis rubeis, dimoto hinc inde corpore, ut omnes partes à purulentâ materiâ abstergantur: jubendo etiam, ut tussiant, & vehementer, ut & pus cum lotione faciliùs exeat, nulláque lotionis pars intus remaneat. Nam per tussim illam, & per corporis agitationem vulneratæ partes magis dilacerantur, pars vulnerata sæpe non attingitur; ab aliis partibus ad vulneratas magis confluit materia; & quod maximi est momenti, & calor naturalis partis dissipatur, aërisque injuriis spiritales partes magnâ cum læsione nimis exponuntur. *Curatio per lotiones, injectas thoraci, refellitur.*

280. Non negandum tamen, aliquando lotiones has esse necessarias, ubi grumi adsint sanguinis, vel purulenta materia crassior fuerit & viscidior, rariùs tamen, etiam in eo casu, in usum venire debent, nec tamen per longum tempus, ut fieri solet. Hoc casu excepto tota fere curatio naturæ erit committenda, Medico, illam adjuvante in effluxu parando, in decubitu super vulnus, & in compressione spiritus, ut diximus. *Lotionibus per injectionem quando utendum.*

281. Tussis non promoveatur, aut invitetur, ne concussione promoveatur sanguis aut vulnus dilatetur, néve ad pulmones materiâ purulenta invitetur: quod si eò affluat materia, blandis lambitivis tentabimus illam excernere. *Tussis non promovenda in vulnere thoracis.*

282. Quæ acetum habent lambitiva, omnino erunt evitanda, ne validiorem tussim concitent. *Acetosa fugienda.*

283. Si pulmones & partes internæ spirituales vulneratæ sunt, non placet instillare agglutinantia, quod plerique faciunt. Naturæ enim totum negocium est committendum, quæ salutis suæ curam habet. Quòd quæ injiciuntur, aut instillantur, cùm extranea sint, expelli omnino debeant, alioqui noxam afferunt; utilitatem autem vix ullam inde sperare possimus; cùm non sit exploratum ubinam sit vulnus, neq; an partem laborantem medicamentum attingere possit. Quare ad aliam quamvis partem sæpe potiùs feretur quàm ad vulnus; & ita *Pulmonibus vulneratis, pro curatione nihil instillandum.*

nulla utilitas inde colligitur, damnum verò non leve emanabit.

Vulnerariarum potionum usus.

284. At ubi copiosiora in dies generari excrementa viderimus, vel ob errata in victu, vel exuberantiam pravorum humorum in toto, vel ob malitiam vulneris; evacuato corpore, & transacto inflammationis tempore, placet uti aliquâ vulnerariâ potione per plures dies, donec absumptam materiam viderimus, ex sarzâ pariliâ; plantagine, quinque folio, pilosellâ, caryophyllatâ, pyrolâ, scabiosâ, radicibus consolidæ, tormentillæ, bistortæ, dictammi, rhapontici, & similibus, ex quibus variæ formulæ potionum parari solent, sed præstantissima judicatur Iudæi potio, cujus descriptio ponitur à Iacobo Carpensi, Fallopio, & aliis.

Vulnerati diaphragmatis curatio.

285. Si quando verò vulnerariæ eæ potiones in usum sunt ducendæ; id fieri debet cùm septum transversum est vulneratum, Gal. auctore 5. *Meth. cap. 9.* túncque tubulo, vulneri imposito, conandum est vulneri succurrere siccantibus.

In morbis Habitus & Cutaneis.

Ballonius.

In eius morbis internorum cura non semper habenda.

286. An non malè consulunt ægris Medici, qui inspectis quibusdam rebus & affectionibus contra naturam in Habitu corporis, ad internorum curam se convertunt? sunt enim vitia propria partium internarum; sunt & ipsius habitus corporis, & malè ex affectione corporis externi de corpore interno judicas, quanquam color efflorescit similis alimento, sed illud alimentum tam de proximo quàm de remoto intelligi debet: *Epid. lib. II. pag. III. & 112.* In Habitu est sua vis, sua natura regens & moderans: & partes externæ habent quandam vim actionis suæ, quam non mendicant ab hepate, ut cæteræ partes motum & sensum à cerebro: & cùm multiplex fiat elaboratio, ros quidam fit & extrahitur, quasi arte chymica, qui carnes & adipem generat: accedit quod hæ partes externo äëri exponantur, qui repurgat, elicita fuligine, eas partes quæ faciunt τὴν ἕξιν corporis & τὸν ὄγκον, id est, molem; 3. labor quem hę partes suscipiunt, & exercitatio, & frictio vegetans calorem, & excitans, efficit ut fiat quædam depuratio & repurgatio; unde licet sanguis origine nonnihil vitij & labis contraxerit, mutatione loci, labore, elaboratione multiplici, secretione facta fæculentioris & crassioris materiæ, tenuior, purior sinceriórque fieri potest: itaque ut habitus ipse peculiarem quandam naturam habet, suásque peculiares & vernaculas vires, ita videtur habere quoque suos morbos, non repetita origine à partibus

à partibus internis: partes enim extimæ corporis dicuntur à Gal. naturâ imbecillæ, utpote in quas partes internæ, ut primariæ & principes, in quas (inquam) ut depositarias suum virus amandent & ablegent: quin & habere suarum actionum vim, non ab hepate aut aliunde mendicatam, Galenus author est: sic suam quandam naturam habent, suum ministerium, suas vires & genium, suam sanitatem, suos morbos: unde Paracelsus ridet Medicos qui semper recurrunt ad partes internas, quas miris & crebris vacuationibus & eccoproticis agitant & exhauriunt, cùm habitui ipsi sit providendum, prætermissis visceribus: *Epid. lib.* 1. *pag.* 30. Cùm quis malo inaudito tenetur & dolor aliquis mox hanc partem, ut crus, modò illam occupat, omnes ferè recurrunt ad corpus internum & ad viscera, contra sæpe malum est cutaneum, aut potiùs superficiarium, ut non tam sit consulendũ corpori interno quã externo: Id declarat aura à pollice & pede Epilepsiam inducens, & tunc malum in habitu corporis est: Habitudo autem corporis est in iis partibus quæ primæ oculis subiiciuntur; *Lib.* 1. *Epid. pag.* 109. *l. de Arthrit. p.* 29. *Conf.* 88. *l.* 3. *pag.* 230. Mirum quomodo hepar, cor, lien, quæ principatum habent in corpore, pravi sint succi, cum tamen videantur puriore sanguine ali & nutriri, si enim vim habeat principem in corpore, & temperamentum habent bonum, & oportet meliori succo nutriri. Quamdiu vivitur, interna sese exonerant in externa, & si quid spurci sit & impuri, id in cute apparet: quod declarat, aut vim partium istarum, aut excellentiam partium exteriorum: ut quemadmodum in depurando, vt sic loquar, repurgandoque auro, ultima mutatio perfectissima est, ita quoque extimæ partes dum vltima assimilatione, coctione & agglutinatione aliquid moliuntur, & contendunt ad melius & ad majorem perfectionem quam quæ antea fuerit, non possunt minimum inquinamentum ferre. Et sit efflorescentia quæ fit in cute, seu sit pustularum, seu scabiei, non est necessario argumentum rei intus malè gestę, sed quod in perfectissima elaboratione (cuiusmodi fit in habitu corporis) exquisitior debet esse τ̃ ἐπεισγενῶν & superfluorum secretio. *Epidem. & Ephemer. lib.* 25. *& pag.* 186.

287. Puncticularum eruptio sæpe medicos terret, ut nil audeant tentare, sæpe audacius aliquid facere, vnde ægris periculum creatur: Itaque quantum ex veterum & recentiorum scriptis venari poterimus, in hunc locum concludemus. In febribus totum corpus aliquando maculatur & inficitur, aliquando tantum pars una: Item, quæ in cutim erumpunt aliquando vt Abscessus sunt, aliquando vt Morbi, quod valde notandum est: In parte corporis erumpunt pustulæ quædam, ut epinyctides, terminthi &c. id genus. Aliquando & in parte corporis maculas morbillos referentes efflorescere vidimus, prout una pars magis laborat quam alia, in totum corpus emergunt pu-

Ecthymatis apparentibus cessandum an agendum.

stulæ aut papulæ, sive exanthemata: item ecthymata, puncticulæ; morbilli, variolæ, rubiolæ &c. Nam eatenus de papulis & exanthematis dicendum, quatenus præsertim in febribus apparent, vel ante febres; (ut fit aliquando) & quæcunque febres adsunt fere negotium dant medicis: Item quatenus hæ germinationes & eruptiones aliquid mali portendunt, sive cœlitus id eveniat, sive à constitutione corporum, sive à loci quem incolimus, gravitate (ita enim gravem locum vocat Celsus passim insalubrem) & infamia: Nam nunquam fere variolarum & exanthematum ilias est, quin aut jamjam cacoethes febres vagentur, aut proximè futuræ sint: Vt non tam (pace Arabum dicam) impuritas æstusque sanguinis menstrui non defæcati illud inferat, quam pestilens quædam cœlitus expressa exhalatio: Nunc explicemus quid voluerimus, ante dicentes ex iis quæ in cutem erumpunt, alia morbi rationem habere, alia abscessus: In abscessuum numerum veniunt ea quæ vi morbi, aut naturæ emergunt & cutim contaminant, vt vitium cutaneum solum dicatur, cum corpus internum purum dicatur: Sic Simoni (6. Epid. s. 2. part. 30) latæ pustulæ & pruriginosæ apparuerunt, cum cætera sanus esset, vt Hippocr. & Galeno videtur: Et tuberculis apparentibus Hippocr. tutum ait esse alere si dejectiones sanorum sunt similes: quasi velit virus morbi foras pelli, & viscera minime esse impura: Est etiam ubi Icterus criticus appareat, cum solum in vitium illud externum incumbere debeat medicus, relicto corpore interno: Et Hippocr. 2. Prorrhet. clarius de his, *Impetigines & Lepræ quibus pueris aut juvenibus quippiam horum fuerit, & paulatim conspectum in multo tempore augescit, tale ἐξάνθημα abscessus non est sed morbus: Si vero quid horum fiat multum & derepente, tunc abscessus nominetur:* Quam sententiam, quoniam maxime ad id quod quærimus pertinet volumus interpretari; Lepra, impetigo & vitiligo (quæ morbus est totius substantiæ, & in qua alienatio est substantiæ partium solidarum Galeno) tribus modis apparent, vel sunt tanquam morbi, vel tanquam abscessus, vi morbi aut naturæ facti, vel inter utrumque ambigunt: Ut Socrates cum puer cutem puram nitidamque haberet, sensim illa mutari cœpit; deflorescere, conspurcari, imò malum augescit in dies, tunc non abscessus dicetur, ac si morbosam interni corporis affectionem sequatur: Sed morbus dicetur, vt pote contracto malo per vitium totius substantiæ & per corruptionem proprii alimenti: Et foris sunt applicanda remedia, non sunt interna valde fatiganda, nam morbi ἰδία in partibus externis labefactatis existit: Nisi fortè quis obiiciat elephantiasin morbum esse, & tamen cum efflorescit in cute vitium, jam mali labem in partibus externis confirmatum esse: Ergo si aliquid in cute appareat & efflorescat, quod ἐξανθεῖν Græcis dicitur, idque confestim, non morbus cutis, sed abscessus dicetur;

vt cum die critico, vel non critico, aurigine cutis defœdatur; Item cum vitio aliquo interno derepente abdomen intumescit, abscessus est. Sin sensim intumeat, vt in cute & partibus proximis seminarium fomentumque morbi appareat, morbus abdominis dicetur, quanquam forte interna culpa non vacent: Et dum quis concumbit cum impetiginoso, & impetigo exarat & cutim exasperat, morbus est cutaceus: Sed si derepente ab interno vitio latente emanet, id abscessus erit non morbus: Itaque multa in cute apparent, quæ an in morborum an in abscessuum censu numeranda sint, sæpe dubitamus: Vt cum austrina constitutione & suffocante, ecthymata aut morbilli erumpunt, sive in febre sive ante febrem: nam sæpe in febre synocho pestilente, vi morbi; 4. aut 5. die, & præsertim in statu erumpunt, febre nihilo remissiore aut fractiore, nisi fœda alvi illuvies sequatur: aliquando ante febrem, & tunc melius est cum ægris: Et videndum ne quis miretur an talibus papulis corpus sine febre inficiatur: Anno 1575, multas & mulieres & pueros vidimus, quibus corpus velut rubiola derepente infectum est, cum nulla adesset febris, nulla jactatio, nullum malum symptoma; sed cum hoc negligerent, non impune tulerunt: nam non ita longe post correptæ sunt febre mali moris: Hippocr. 7. Epid. meminit cujusdam pueri cui sine febre exanthemata paruerunt, sed aliquo post tempore convulsiones sequutæ sunt & inde mors: quod fieri videtur vi naturæ expellentis, quæ irritata virulentæ materiei qualitate, antequam febris excitetur, quouis modo sese liberans in cutim aliquid eructat, & tamen abscessus id dicetur, licet non sequatur ad febrem: quoniam quod pertinet ad virulentas & malignas eruptiones, non solet observari crisis, nec dies, nec tempus, nec signa, quia quocunque modo id potest natura, id facit, adeo est ingens vis venenatę materiæ: declarant magnę perturbationes, & horrenda symptomata, quæ & præcedunt ecthymaton eruptiones & sequuntur: Tandem, ut Cutaneum vitium dicatur, & morbus, tria quæruntur, 1°. An à longo tempore primitiæ aliquæ illius affectionis apparuerint. 2. Vt ejus increscentis notæ in conspectum se dent, 3. vt progressu temporis suam absolutionem acquirat: Contra vt Abscessus id dicatur, tria omnino opposita quæruntur, vt nil olim paruerit; vt repente oriatur; vt multum fiat: Itaque in ejusmodi eruptionibus cautos esse oportet: Si ante febrem appareant; continere se lecto oportet, vt εὐδιαφόρητο fiat corpus; Et nil movere, nisi forte blandum enema subiiciatur: Interea si qua vrgent symptomata, vt vomitiones, tussis, & oculorum dolores, ea lenienda sunt: Valde conferet sudorem provocare: vt malignæ qualitati humoris via pateat; Si sub finem febris talia appareant, & satis legitima quantitate, vt abscessum faciant, theriacalis aqua remista aliis aquis cardiacis conferet: Si in vigore febrium, à calidioribus cavendum:

Sed

Sed si infra subsistat ea excretio, non alienum quoque erit cardiaca temperata dare, addito decocto squinæ: Epithemata regioni cordis applicari possunt: non probo ad regionem hepatis, quod impediatur motus naturæ, & excretio materiæ virulentæ: Quod ad sectionem venæ pertinet, *vide lib. 5. & 159 lib. 9. Item 70. lib. 10.*

Ecthymatis pustulis &c. ab humore maligno, conveniunt cauteria.

289. Mirum est quod quædam materia venenata, ut ea est quæ facit exanthemata & variolas, non vertitur in pus, sed in quid simile puri, & in quandam novam speciem putredinis, quam natura non domat facile: Quod Hippocr. in Epidem. annotavit: Porro in tali suspicione cauteria adhibere imprimis oportet, licet materia non educatur & magnum dolorem non inferat: *Epidem. & Ephem. lib. 2. annot. 3. pag. 199.*

Videndum in cutaneis eruptionibus morbi sint, an abscessus.

289. Ex ijs quæ in cutem erumpunt, alia morbi rationem habent, alia abscessus: in abscessuum numerum veniunt ea quæ vi morbi aut naturæ emergunt & cutim contaminant, ut vitium solùm cutaneum dicatur, cùm corpus internum purum dicatur: sic Simoni 6. *Epid. pag. 30. sect. 2* latæ pustulæ & pruriginosæ apparuerunt cùm cætera sanus esset: Et tuberculis apparentibus Hippocr. *Aph. 15. lib. 2.* tutum ait esse alere si dejectiones sanorum similes sunt, quasi velit virus morbi foras pelli & viscera minimè esse impura. Est etiam vbi Icterus criticus appareat, cùm solùm in vitium illud externum incumbere debeat Medicus, relicto corpore interno, & Hippocr. 2. prorrhet. clariùs de his, *Impetigines & lepra quibus pueris aut iuvenibus quippiam horum fuerit, & paulatim conspectum in multo tempore augescit, tale ἐξάνθημα, id est, eruptio & efflorescentia, abscessus non est, sed morbus, si verò quid horum fiat multùm & derepente, tunc abscessus nominatur,* quam sententiam sic interpretor, Lepra, Impetigo & Vitiligo, (quæ morbus est totius substantiæ & in qua alienatio est substantiæ partium solidarum Galeno) tribus modis apparent, vel ut morbi, vel ut abscessus; vi morbi aut naturæ facti, vel inter utrumque ambigunt; ut Socrates cùm puer cutim puram nitidámque haberet, sensim illi mutari cœpit, deflorescere, conspurcari, imò malùm augescit in dies; tunc non abscessus dicetur, ac si morbosam interni corporis affectionem sequatur: sed morbus dicetur, vtpote contracto malo per vitium totius substantiæ, & per corruptionem proprij alimenti; & foris applicanda sunt remedia, nec sunt interna valde fatiganda, nam morbi νόσα in partibus externis labefactis consistit: Sed si ista efflorescentia eruptióque derepente contingat, non morbi sed ἀποστάσεως appellatione donabitur, ut cùm vel die critico vel non critico, præeunte febre, auriginoso colore cutis maculatur, abscessus esse dicitur, non morbus, sic cum abdomen derepente intumescit, non morbus sed ἀπόστασις vocatur: sin sensim intumescat, tametsi forte in partibus imis vitium latens sit, à quo principium malum duxerit, abdominis morbus

bus non abſceſſus dicetur: Eodem modo multa videmus in cutem efferri quæ dubitamus an ſint morbi exiſtimanda, an ut ſymptomata, an ut abſceſſus: ut tempore auſtrino aut peſtilenti, cùm morbilli erumpunt vagantúrque, & variolæ & id genus reliqua, aliàs ut morbi, aliàs ut abſceſſus ſunt: cùm aut incipiente febre, aut aliquando febre non apparente, aut paulùm progreſſa, cutis puſtulis iſtis inducitur & inficitur, quibuſdam veluti initijs ac rudimentis, modò in ventre, modò in thorace, modò in facie apparentibus, talis eruptio morbus dicetur: ac revera febris, quæ tum adeſt, ſymptomatica non eſſentialis eſſe dicetur: Sin die critico, proveċtáque febre, eruperit aliquod tale ἐξάνθημα, non morbus ſed abſceſſus nuncupetur: atque ideo Hippocr. in hiſtoria de Pythione aut de Sileno, narrat 8. die eċthymata paruiſſe quæ non profecerint, tantùm mortem diſtulerunt quæ paulò ante advenire debuiſſet, ſed tali excretione, licèt & toto excretionis modo, & naturâ ipſâ ſymptomatica fuerit, natura aliquatenus recreata eſt, atque iſta eċthymata in abſceſſuum numero erant reponenda: Galenus non profuiſſe iſtam eruptionem ait, quod ea non fuerit analoga nec digna morbo: oportet enim ἀξιολόγους eſſe abſceſſus ſi modò ſint profeċturi: Hippocr. 2. prorrhet. tria proponit ut explicet quomodo vitiligo aut impetigo (quod idem de cæteris affeċtibus audietur) dicatur morbus, 1. Si pueris aut iuvenibus vitij rudimentum apparuerit, 2. Si paulatim conſpiciatur, 3. Si multo tempore augeſcat: contra ut abſceſſus & nomine & notâ inſigniatur, quæruntur alia tria ſuperioribus contraria, ut nil olim aut puero aut adoleſcenti apparuerit, ut repente oboriatur: ut multum, id eſt, ἀθρόως id fiat: tunc enim ἀπόστασιν vocabis ac ſymptoma, utpote cujuſdam mali latentis ac inteſtini ſobolem ac argumentum: ſed in funeſtis morbis, ut in phthoë & cachexia conſummata, ſi forte vitiligo, aut aliquid vitiligini impetiginique ſimile apparuerit (ut nos in phthiſicis modò pedes & faciem valde intumuiſſe videmus, modò totum corpus, ac ſi ὑποσαρκίδιος fuiſſet) illud tanquam promiſcuum erit, ut pote & ad abſceſſus & ad morbi naturam ſimul accedens, ſed propriè ſymptoma vocatur, *Epid. lib. 1. pag. 65. Hiſtor. 5. lib. 2. p. 149. 150 & 151.*

296. Tuberculorum & Efflorescentiarum quædam malignum quid habent, & cœlo tribuendum: quædam à corpore ſunt: quæ à corpore, aliàs cacochymiam ſequuntur, aliàs aliquid peculiare habent, & certam partis alicujus diſpoſitionem ſequuntur: ut qui ſunt melancholici, aut hepatici, aut aliter affeċti, aliquando aut tuberculis, aut maculis inficiuntur, quæ ſunt notæ peculiares affeċtionis partis, aut temperamenti corporis: ſic in Pulmonicis ſuffuſio genarum, in hepaticis, frontis & faciei floreſcentiæ quædam: in con- *Efflorescentiæ cutaneæ aliæ à cœlo aliæ à corpore.*

vulsione articulorum pulmonis, circulares notæ in tibiis apparent: in quodam fluore albo mulierum, & in morbo pituitoso appellato, eminentiæ quædam cutis apparent subtumidæ, quas Hippocr. 2. de morb. πομφὸς appellat: Ita & lienosi habent maculas quasdam nigricantes, aut affecto lieni, aut toti corpori congeneres: Ideo Medici, cùm aliquid foras vident insolenter erumpere, non statim malum quid ominari debent: *Histor. 1. lib. 2. cons. p. 55.*

Scabies per contagium nata topicis tantùm curanda.

291. Dum quis cum scabioso concumbit, & cutis inficitur, malum hoc verè cutaceum est, superficiaria curatio esse debet; sed cùm ab imo corpore erumpunt tubercula, aut aliquid consimile, mali contagionem subesse in partibus internis fit verisimile: cuidam vetulæ, homini peste occupato assidenti, cùm æger fortè revomeret assumptum jusculum, pestilentis veneni maculæ in facie contigerunt; & quot ferè guttulæ jusculi revomiti faciem attigerant, tot pestilentes nævi & maculæ fuerunt, Nunquid hoc malum planè cutaceum erat? *Epid. lib. 1. pag. 73.*

Cautè tractandi externi affectus.

292. Cautos esse oportet Medicos in Externis Affectibus curandis, quos tutiùs est sæpe alere quàm omnino exterere ac evincere: narrat Hippocrates de quodam Atheniensi cui erat cutis Psora scabrior & exarata, usu aquarum naturalium eo affectu liberatus est, sed hydropicus factus suum diem obiit: Vidi mulierem cui Serpigo fœda manum sinistram occupabat: hæc concepit, à conceptu manui suus nitor, exulante ista serpigine, est restitutus, translatus est ichor malignus antiquus, mali fautor, ad partes vterinas: fœtus abortu quarto mense exclusus est velut tabo infectus ac sideratus: *Cons. 42. lib. 2.* Porro si Dartæ vulgò dictæ, si Impetigines non tam sequuntur malam diathesin partium internarum quàm peculiare vitium externarum, an tanti refert, quanti interesse putant, si extinguatur prorsus Impetigo aut Darta quæ partem aliquam obsedit? nam si alimentum quod ad partem impetiginosam accedit bonum est, etiamsi in parte vicina subsistat; non perinde consimilem affectum generabit, aut in locum veteris mali extincti novum excitabit: dicere autem diathesin ipsam à parte in partem manare & serpere absurdum est: *Epid. lib. 1. pag. 74.*

Cutaneis vitiis detergentia conveniunt.

293. Serpigini, Psoræ, Scabiei &c. à bile vsta aut succo melancholico, pituitáve salsa, aliisve cutis vitijs, aqua salsa, sulphur, lithargyrus, testæ ovi in aceto maceratæ donec molescant consumantúrque, conferunt: An ea lex est contrariorum ut contrarijs elidantur & oppugnentur? annon potiùs ὁμοιευςατικά conveniunt, ut acribus mitigantia aptentur? temperantia conveniunt per se, & mixta detergentibus & acriusculis, & nocent aliquando: Id bellissimè explicavit Galenus cap. 12. lib. 12. de simpl. med. fac.

Acria,

Acria, ait, *medentur mordacibus humoribus*, quia educunt succum mordacem, abluendo & abstergendo: non statim sanant, sed exasperant potiùs, sanitatem enim efficiunt ratione vacuationis, non ratione τῆς ἐπικράσεως: imo contemperantia aliquando majorem mordicationem efficiunt ex accidente, ut si corrumpuntur, & unà alunt fouentq; ue cacochymiam; si humoribus acribus sunt superiora, juvant; si humorum majores sunt vires, lædunt; imò alitur fovetúrque cacochymia & acrimonia, quò fit ut Medici ea misceant temperentque *Conf.* 104. *lib.* 3.

In Elephantiasi.

294. In Elephante morbus est ipsius Habitus, in quo prava fit assimilatio,& pars ἰδίαν ἰδέαν amittit, Hippocr. 2. de Nat. hum. Nec tam deficit facultas alteratrix tertiæ concoctionis quàm pravè officium facit, non per se, sed ob pravam qualitatem alimento proprio impressam: ideo qui Medici curantes Elephanticos, sanguinem largiùs demunt, quia ab habitu non demunt, minuunt calidum nativum,& habitus facultatem deteriorem faciunt: *lib. de Arthrit. pagin.* 29. *&* 30. Quanquam dubitari potest an sit vitium 3, an 2, coctionis: Si vitium in visceribus ipsis latuit, cujus ratione succus & sanguis pravæ qualitatis est particeps, optimo jure ad secundam coctionem referetur; Et cùm tertia coctio secundam non corrigat, perinde est si dicatur esse Elephas aut secundæ aut tertiæ coctionis, quanquam ipsius Habitus morbus esse dicitur, & capillares venæ vitium contraxerunt, quod verum est ad perfectionem Elephantis; demum natura quam longissimè potest amandat hoc virus, ideo in capillares venas: *conf.*50.*lib* 2. *In Elephante interiora sæpe sunt illæsa.*

295. Elephas, Lues venerea & Struma aliquid habent cognatum & συγγενὲς, tres has Hydras unus alexicacos Hercules,Hydrargyrosis, vincit & opprimit, *Epid. lib.* 1. *pag.* 15. *Elephanti medetur hydrargyrus.*

296. Lac Asininum arcet Elephantiasin; caro asinina proritat & advocat, unde hoc? An quia carnes crassum succum generant, lac autem serosum & tenue? hoc autem videtur absurdum, nam Hippocr. lib. 2. de diæta ita scripsit, *quorum animalium lac tenue est, & sanguis similiter, eorum etiam carnes sunt consimiles*: *Epid. lib.* 2. *pag.* 187. Et cùm lac asinæ fit potiùs ab hepate quàm ab habitu, & nutritio habitus sit perfectior quàm partium internarum, consentaneum videtur ut potiùs lac asinæ accersat Elephantem quàm caro ipsa asinarum: *Ibid. pag.* 188. *Lacte asinino an curetur.*

297. Viperinarum carnium vsus in Elephante prodest, sed donec vertigo inducatur cousque comeduntur: Qui de carne Viperina scribunt authores, duo annotant, vnum, quod si coctæ fuerint visum clariorem reddunt: alterum, per cutim corpus repurgant & *Carnis viperinæ vsus vtilis.*

faciunt quoddam eximium: & si caro in corii duritiem coaluit, decidit deperitque *ὀςεακόδερμα lib. de Vertigine pag.* 37.

Frequenter sanguis non demendus.

298. Elephas morbus habitus esse dicitur, & capillares venæ vitium contraxerunt: ideo damnamus opinionem eorum qui tam frequenter sanguinem elephanticis demunt. *Cons.* 49. *lib.* 2.

Balneum sanguinis humani an utile.

299. Ad Elephantiasin curandam quidam malo & inhumano exemplo balneum sanguinis humani præscripserunt: Sed hoc tam horrendum & impium inventum cum ipsis inventoribus extinctum est: Ita enim apud humanos homines (vt sic dicam) *miserum auxilium tolerabile miserius malum fecit. Annot.* 1. *in cons.* 49. *lib.* 2.

Leprosi examen.

Arvernus à nonnullis Elephanticus iudicabatur, ideo de eo à societate humana segregando cogitabant: Ad forum res delata, primum apud patrios Iudices, deinde ad Senatum Parisiensem negotium est devolutum: Statuit vt Medici & Chirurgi judicarent; Illi initia quædam Elephanti iudicarunt; à venis sub lingua paulum tumentibus & supercilio rariore argumentum desumpserunt: Ad alios res delata: Illi aliter omnino judicarunt, vacuum omnino & extra suspicionem retulerunt: Id paulo Senatui alienius visum est, præsertim cum alii in alia & omnino contraria irent: Denuo decrevit ut omnes unà convenirent, & inspecto homine communicarent: sic aut dissiderent, aut rem omnino componerent: Decreto obtemperatur, sistit se homo, nudus exploratur: nihil percipitur quod vel tantillum fidem faciat tam diri morbi: Prioris & durioris sententiæ viros pudebat retractare sententiam: Rebus diligenter subductis, relatum est nulla signa existentis mali apparere, nihilque esse omnino propter quod humana societat privari debeat.

Accusatores obiiciebant Patrem illius ante annos 40. Elephanticum interiisse, imo ejus sororem de morbo suspectam esse: De Patre nihil constat; Et cavendum ne sit hoc præjudicium: Si enim ita rem esse animo concipimus, cum jam forte Elephanticum judicamus antequam ita sit: aut leviuscula signa pro magnis & ponderosis (ut sic loquar) pensitamus: At in judicio ferendo videndum ne quid tale committatur: Quod pater dicatur fuisse elephanticus, id quidem ad cautionem majorem valet, non ad certum præjudicium: Ad Cautionem quidem majorem, ut nil negligatur, imo ne levissima quidem indicia & argumenta, vel, ut serio magis dicatur, nil curemus quod ante, nec quod post, sed omnino ad hanc hypothesim veniatur, An hic qui nobis sistitur Socrates sit elephanticus, quoniam de eo segregando disceptatur: Hoc uno judicio tota hominis fortuna disceptat: Cæterum forte aliter se gerere oportet medice agendo, aliter ex æquo & bono: Nam sunt signa medica, & hæc sunt altioris contemplationis: Alia sunt signa vulgaria, & quæ sub ob-

tutum

rutum oculorum cadunt: Si medice, i. e. paulo severius agamus, quoniam antequam signa foris edantur, intus confirmatum & perfectum malum à Medicis credatur, potest elephanticus ita judicari nullis signis foras eminentibus: maxime vero semen mali fovetur ac serpit intus, si à patre elephantico quis oriatur: Morbi enim quidam jure hæreditatis ad posteros derivantur, maxime vero Elephas, & qui morbi partes solidas, quarum vis natura esse dicitur, occupare solent: Homini enim nescio quæ vis impressa est, quæ ut valet ad speciem, ita latenter morbosam diathesin devehit & transfundit, Eaque vis insita est tanquam tradux, ut ex macrocephalis macrocephali generentur, & ita lustrare oportet internas partes: Contra si ex æquo & bono res æstimetur, relicto paulo exactiore internarum partium examine, ad signa externa tam univoca quam æquivoca deveniendum, ut per hæc tanquam manifesta ad rei notitiam delabamur: quanquam id nequit fieri quin & internæ partes explorentur; Nam difficilis respiratio, fœdus & gravis anhelitus, sitis, urinæ confusæ, pulsus tardior, excrementorum fœtor, multáque alia internarum sedium affectionem testantur: Signa univoca & æquivoca apud Cauliacum & Hollerium edisseruntur, nec hic omnia tractare consilium est, cursim tantum, & raptim & amethodeos dicendum.

Elephas est extuberatio totius corporis inæqualis, cum fœdo colore & characteris mutatione: non quod statim appareat, nec enim prius intumescit quam longius progressa sit corruptio: *Extuberatio* in Tumore est, Tumor in Pustula, Pustulæ materia succus melancholicus, bilis torrida, acida & salsa pituita: *Color* varius est pro temperamento: aliquando est roseus & phœniceus, & rutilus, qualis anagallidi alteri: unde ab Hippocr. dicunt vocari φοινικὸν νόσον.

Videndum an sit vitio Nutritionis, an Assimilationis, an in Defectione consistat: An sit primæ coctionis, an ultimæ, an mediæ; Galenus ait, In tota animalis mole privatio actionis in crudis succis consistit: functio tanquam deficiens, in semicoctis: prava verò in vitiosis succis: Ex vitiosis succis erysipelata, gangrænæ, cancri nascuntur: In nutriendi actione privatio actionis in atrophia est: Deficiens in gracilitate, morbosa præsertim: Vitiosa in Leucis & Elephantiasi cernitur: Nunc disquiramus, An sit vitium tertiæ, an secundæ coctionis: Si vitium in visceribus ipsis latuit, cujus ratione succus & sanguis pravæ qualitatis est particeps, optimo jure ad secundam coctionem referetur; Et cum tertia coctio secundam non corrigat, nil perinde est si dicatur Elephas aut secundæ aut tertiæ coctionis: Quanquam ipsius habitus morbus esse dicitur, & capillares venæ vitium contraxerunt, quod verum est ad perfectionem elephantis.

Causa ejus universa est corruptio partium solidarum & assimilationis:

tionis : Assimilatio corrumpitur Hippoc. cum quod ingeritur superat non superatur, novam formam inducit, destruit priorem: Quod ingeritur superat, non superatur, generatione, contagione, & alterius morbi successione, & his modis fit Elephas: Generatio autem aut est primigenia, aut non: Primigenia cùm sequitur naturam Suscipientis & Efficientis causæ: At adulterinum est alimentum tribus modis, 1°. dum coquitur tantum alimentum, & ratione suarum primarum qualitatum afficit, ut lactuca; 2° cum pravum est ipsum alimentum pravique succi; coquitur & nutrit, sed postquam nutrierit habitum ipsius corporis pervertit. 3° cum occulta & maligna qualitate agit, nam totius substantiæ proprietate nocet: Ita tamen considerandum est ut & tempus & quantitas spectetur, Tempus, ut multo vel pauco agat tempore, Quantitas ut ea sit sufficiens ad evertendum; quod pauca tandem superetur & à natura vincatur; Cæterum externum dicitur alimentum, sive foris adhibeatur, seu genitivo & naturali quodam partium & viscerum vitio & tabo in nobis generetur & accumuletur: In nobis enim solet gigni humor qui nonnunquam venenatorum animalium virus sua malignitate æquat: Apud Hippocr. lib.de Alim. locus est qui adumbrat vitiosum alimentum illud,cujus vi in Elephanticis tam horrenda excitantur symptomata, & dira monstrosaque quædam forma inducitur, perempta priore.

Quæstionem motam quod attinet, De probandis iis quos Iudex temerario judicio pro Elephanticis judicarat, Erant signa hæc Arverni *univoca* 1. Rotunditas oculorum & aurium. 2. supercilii depilatio & extuberatio. 3. narium foras extuberantia & contorsio. 4. labiorum deformitas. 5. vox rauca. 6. fœtor halitus & corporis: *Alia signa* ex aliorum opinione, 1. ab elephanticis natum esse. 2. consuetudo cum elephanticis, 3. suppressio consuetarum excretionum. 4. usus ciborum pravorum, vini præsertim. 5. vita ærumnosa in metu & mœrore. 6. extuberationes corporis, sed præsertim faciei; 7. aures acuminatæ, nasus simus, labia crassa, aspectus horridus, 8. Color faciei ex rubore livens, vox rauca, oculi rotundi, *Æquivoca signa.* 1. Extuberatio in extremis partibus. 2. Color ut in morphæa, tenebrosus. 3. defluvium capillorum, & tenuium regeneratio. 4. musculorum quorundam extenuatio, ut pollicis & trapezitæ, unde fiunt alati: 5. stupor aut sensus amissio in extremis partibus, siccatis & induratis. 6. scabies, impetigo, gutta rosacea. 7. extuberationes sub lingua. 8. unctuosa cutis aqua aspersa. 9. cutis crispitudo instar anseris implumis. 10. sanguis thrombosus. 11. sensus punctionis in cute, 12. rarò febricitant, cauti sunt. *Alia* petuntur à somno & urinis: Agnoscuntur autem inter cætera, Dispositio, Actus, Dispositio, ex causis antecedentibus: Actus triplex, initium, augmen-

augmentum, vigor, Principium, cum malum latet intus, & signa minora foris extant; Crementum, cum se in externis prodit; Vigor, cum partes ulcerantur, Declinatio, cum partes ulceratæ cadunt. Quæri hic potest, an univocum signum unicum satis sit ad condemnandum, ad absolvendum omnia univoca abesse conveniat? Nequaquam, alioquin non differt judicium Medici & vulgi, quod in alienis miseriis procax est.

Hippocr. morbos distinguit ex sexu, & ætate: *Ætate*, ante 14. annum leuce, seu lepra alba, & cancer non affligit, nisi sit congenitus affectus: A 10. ad 42. omnes morbi se produnt, ait Hippocr. at si quid elephanticum foret & in matre & in filiis, se prodidisset, cum mater agat annum 63. Quod ad *Sexum*, Hippocr. ait mulieres non laborare podagra, Seneca addit defluvium capillorum, (id tamen apud Hippocr. non legitur) quo fit ut miremur in hac muliere naturalem φαλάκρωσιν καὶ μίλφωσιν: Filij hujus mulieris sunt depiles ab ipso ortu: Nota quod ista depilatio est morbus particularis, non abscessus, juxta Hippocr. in *Prorrhet.* Inter filios susceptos, de elephante tamen non damnatos, unicus est vietus, deformis: & huic detractus erat testiculus. Quoniam autem fit maxime mentio de signis in facie, quæ signa sunt prærogativa in elephante, bella est quæstio apud Gordonium de elephantico cui facies naturaliter erat affecta, Vide ibidem rationem: Familia est in qua pubes est depilis; Scytharum valet exemplum, quia ars naturam facit: Quod attinet ad crispitudinem & depilationem, pro crispo glabrum sumitur, quia pili regeniti non sunt veri pili, sed anserini: Forte mater habuit à propagine aliquid elephanticum, sed id in ea bonitate naturæ domitum aut extinctum est, & intemperies per traducem propagata est sopita: Forte habitus ipse fuit in muliere matre, & filiis validus (qui natura tamen per Galenum & imbecillior partibus internis) & vicit malignitatem, ut se non prodiderit, vnde Avicenna facit morbos habitus: Cacochymia destruit εὐεξίαν, & cachexia εὐχυμίαν *Cons.* 49. *lib* 2.

300. Castrati ferè sunt semiputres & ad album Elephantem accedunt, & tamen dicunt resectionem testium arcere Elephantiasin & curare præsentem; Quomodo id fit; cùm castrati propter eam ipsam resectionem in aliquam Elephantiæ speciem incidant; *Ibid. pag.* 191. *Castratio illi non medetur.*

In Vultus rubore.

301. Quædam mulier sentit ex intervallis appulsū fuliginis aut vaporis calidi, ut est prædita visceribus calidis: extrema naris incalescit, intumescit; Empirici calidis rem irritarunt, & infecta planè res est: Nos ea ratione ei consultum voluimus: quia malum à visceribus, iis danda opera est: phlebotomia, purgatio cum cassia valet, lotio pedum, epithemata, cucurbitulæ, enemata refrigerantia, caveat topica frigidiora, *In rubore fugaci nariū visceribus succurrendum.*

diora, eáque quæ moram in parte affecta trahant, ungu. citrin. cera virgin. lota in aq. rosar. & nenuphar. vinum fragor. decoctum hordei, quo mangones ad mangonium puerorum utebantur Hippoc. tempore. *Conf.* 73. *lib.* 3. *pag.* 190.

Acetariorum & fructuum usus nimius insaluber.

302. Acetariorum usus, & horariorũ fructuum, magnum seri ferè indomiti copiam generat, unde acris in eo calor succenditur, & si facies rubore suffundi solet, magis ac magis rubescit; hoc non observatum est, imò putant corpus refrigerari, & sic occasionem huius suffusi ruboris tolli. *Epidem. lib.* 2. *pag.* 125.

In Sudore.

Sudor noctu erumpens non cohibendus in sanis.

303. Videmus plerosque quibus de nocte corpus exudat, si fortè detectum, sublatis indumentis substratis, aëri exponitur, quia foras non prodit sudor, tunc aut corpus totum dolent, aut partem aliquam, si quâ forte sudatura erat, & videntur penè fracti: magna vis est seri suppressi: imò incredibile quot & quales ab eo excitentur dolores: cuidam, sudor derepente omnem dolorem sustulit: *Epid. lib.* 2. *pag.* 121.

Sudor particularis non semper malus.

304. Plerique Medici, sequuti Hippocratem qui Ephidrosin ubique damnat, cùm partem tantùm sudare vident, hoc in bonis non ducunt: errant autem plurimum, Si ubi morbus ibi sudor; & ubi sudor ibi morbus, cur in capite solo emanans sudor non erit ducendus in bonis: Et hoc experientia notum est, sæpe particularis sudor plurimum confert: Damnat autem Ephidrosin Hippocr. ubi generalis sudor esse debet: At videndum ne mador nos decipiat, veri sudoris opinionem faciens, sed perperam: *Conf.* 26. *lib.* 1.

Sudoris olidi remedium.

305. Cùm à toto corpore sudor graveolens manat, quod symptoma ut plurimùm biliosis & rufo capillitio; cuteque subalbida præditis contingit, hac ratione corpus odorum redditur; præsertim æstate, quo tempore cutis spiracula & pori patent, propter ambientis aëris caliditatem: coquunt radicem card. ben. in vino albo, quotidie manè propinant vinc. iij; vel iv, statim à potu vrina crassa & fœtens redditur; Vel accipitur terebinth. Veneta ad quantitatem olivæ, cum pari portione mellis, coquitur modicè, deglutitur, vinumque insuper bibitur: Malij magno profectu myrrhæ & serpilli pares portiones terunt, & ex ijs pilulas formant, quarum duas manè devorandas præbent, insuperque vinum bibendum exhibent: valent etiam hæc ad oris graveolentiam. *Consil.* 11. *lib.* 2.

In

In Obesitate nimia.

306. Mulier præpinguis macrescere volebat, creta & aceto sæpe, mulierculararum & empiricorum consilio, usa, hinc pylori constrictio insequuta est tanta, ut inde mors evenerit: *Paradigm.16.* *Creta & aceti noxa usurpatorum ad pinguedinē nimiam absumendā*

In Doloribus Partium Exteriorum.

307. Equitis uxori dolores atroces circum dorsum, ventriculum, scoptula operta; intercipiebatur aliquando respiratio: à maligno flatu id erat: febris successione allevatum iri putabamus, quod dixerit Hippoc. *Quibus ad Hypochondrium dolor absque Inflammatione, febris succedens morbum solvit*: item in Aphorismis, *Qui ex Dorso ad cubitum dolores descendunt, hos vena sectio solvit:* fluxit sanguis spirituosus abundè, repurgata convaluit: *Epid.lib.1.pag.16.& 17.* *Dorsi & scapularum dolor quibus sedatus.*

308. In Acerbis doloribus ad Scapulas & Rachitidem ob fluxionem serosæ materiei efferæ, post purgationem, juvit litus ex axungiâ gallinæ, suillâ & succo salviæ cum vino albo extracto, *Epidem. lib.1. pag. 45.* *Dolor scapularum & spina quibus sedatus.*

309. Incredibiles circum Scoptula operta & Rachitidem dolores oriuntur, à delapsu crudi ac serosi humoris per partes posticas capitis, & ij mulieres maximè exercent; in Domina N. per viginti menses perseverarunt, nulli cedentes remedio; Cuidam eos dolores sæpe perpesso, cum cadaver secaretur, omnes nervi & ligamēta musculorum humeralium erant oppleta seropingui: Idem observatum in aliis similes dolores passis: Quid hîc capias cōsilij, quæ medēdi methodus? *Ibidem pag.46.* Magna vis est salsarum acrium & nitrosarum fluxionum ad afferendum consumptionem toti corpori, quoquo se humor proripuerit ac subierit: Dominæ du Plessis ab acri sero dolores excitati sunt in omoplatis; ardoris & acrimoniæ sensus erat, & nil juvabant remedia; imò ne opium: Talis dolor viginti menses perseveravit I. Beauchamp, qui laqueo vitam finivit, in omoplatis dolores erant incredibiles, qui ex intervallis repetebant: Aperto cadavere repertum est pingue & efferum serum quod omnia ligamenta & nervos obliverat imbiberatque. *Consilio 114. lib.1.p.552.* Tandem cum interiisset dicta Dom. du Plessis, reperta est collectio putris & olidæ materiei in thorace, cujus serum eos dolores faciebat in partibus vicinis, & id Pulmonicis familiare. *Annotat.3.in id consil.* *Curatu difficilis.*

310. Notandum quod habet *Galenus* ad *partem 66.lib.3.de Artic.* Frequenter in ossibus, membranis, aut nervis, mucaginosus humor colligi- *Dolor à mucilagi-*

noso humore circa ossa & membranas & nervos collecto vix medicamentis cedit.

colligitur: carnosa autem pars propria sui ratione mucosa non fit: Pituitosus & mucaginosus humor collectus ægrè exinanitur, cùm nec perfusione, nec cataplasmate nec medicaměto attrahatur aut discutiatur, nisi prius attenuatus & in vaporem resolutus. Et quoniam lentus humor ægrè in vaporem discutitur, ideo ægre quoque evacuatur: Et hæc illius humoris contumacitas dolorem semel obortum fovet diutiùs atque alit. *consil.3.lib.2.annot.6.pag.158.*

In doloribus repente obortis caute procedendum.

310. *Ruzao* Cantori incredibile quid contigit, Pedis pollex doluit & inflammatio erat, móxque livescere pars videbatur: Istud negligebatur initio, cum tanti esse non arbitrarentur: Mox intacta cute, nulláque manifesta mutatione in superficiem incidente, serpsit ita subtúsque cuniculos egit malum, ut omnes pene tendines & nervosas partes, quæ illic plurimæ sunt, corruperit: Tunc cum septicam istam qualitatem malignúmque humorem deprehenderent Medici, cutim inciderunt profunde, ut putrenti humori via pateret: Et, quod mirum magis, idem in thorace contigit, ut coacti fuerint Medici totam carnem costis obsitam incidere; Tandem σφακελώδης interiit: In Epidem.5.sect.3. cuidam pes ex pollice dolere cœpit, & pustulæ nigræ apparuerunt, hic secundo morbi die delirus & insanus periit. Et Calvus, 1. Epid.sect.3.hist.9. dextrum femur derepente doluit, & dolore circa tertium diem desinente, insaniit; quartóque interiit; Ibi annotat Galenus, animadvertendum esse in doloribus istis repente obortis, ne quod procatarticum sit, ut ne offensa fuerit pars, contusa aut læsa noctu forte fortuna: Nam in ejusmodi doloribus ait, *Nec præcipitanter timidum*, nec *temere securum Medicum in istis doloribus esse oportet. Epid.lib.1.pag.61.*

Dolorum vagorum origo.

311. In eodem morbo, mox dolores pectoris, mox capitis, defluxiones in oculos, raucedines, tormina & vermina, unde hoc? Quia omnes partes se exonerare & defæcare conantur: humores habent quandam fermentationem, & habent ebullitionem quandam: Aliàs irritat quantitas, aliàs qualitas: hinc varietas symptomatum & morborum: atque eorum effumatio, & pars spirituosa dolores capitis accersit: Id declarant subitò orti dolores in febribus. Et alias cancrosa fit dispositio, alias chæradica: idque pro proprietate humoris: & τῶν πνευματικῶν ἰατρῶν fortè haud est absurda opinio; Sed & mirum, quòd à pure contento in parte fumus elatus crudelissimos dolores accersit & atrocia inducit symptomata. *Epidem. & Ephemerid.lib.*11.*pag.*175.

Colli dolor ad humerum extensus S.m. ex eodem latere sanguis.

312. *Castilii* servo febris oborta; dolor incredibilis ad sinistram colli partem, ad humerum usque pertinens, De phlebotomia consulebatur; videbatur ex opposito potiùs facienda, metu attractionis in partem: contra factum est, statim est allevatus: detractus est vitiosus sanguis: fortè id non imitandum, Quanquam ex opposito latere

latere parum confert. *lib. 7. Epidem. & Ephemerid. pag. 248.*

313. Quidam sensum deambulationis formicarum in brachiis & metaphreno percipiebat & quandam inæqualitatis sensionem quæ non aliunde erat quam à sanguinis corruptela per venas fusi: Duclaravit curatio, nam ista cessarunt misso ter aut quater sanguine satis cumulate. *Cons. 110 lib. 1.*

Formicationis sensus in dorso S. M. desinens.

314. Cuidam mulieri in spinam fluxio rigida pene erat, nutrix, & lactandi diligentia & assiduitas occasio fortasse mali fuerat: datum medicamentum potens: gossypium cum oleo applicatum, brevi convaluit; secta vena non est: lecti tepor & unctio Pepasmum procuravit: alius medicus fortasse venam aperuisset. *Epid. lib. 2. pag. 263.*

Fluxio in spinam Topicis curata & purgatione.

315. Dolores brachiorum sunt rebelles, vt plurimum, & sæpe aut ignorantia, aut præpropero sanitatis desiderio peccatur, dum initio ea vsurpãtur, quæ sub finem, aut progresso morbo adhibenda sunt. *Consilio xli. libr 3.* Innumeris de manuum dolore & brachiorum cõquerentibus, vena ejusdem partis dolentis aperta est, & nil inde deteriùs evenit: Et in febribus laboriosis ex ipsis etiam partibus laborantibus sanguis magna utilitate demitur: At circumspectus Medicus esse debet, Si brachium per se infirmum aut casu aliquo: si stupet aut sensus est veluti formicarum decurrentium, cautiùs & cunctantiùs sectio facienda est: est enim ubi sensio ista ab infirmitate est, aut à defluxu à capite, & sectio venæ advehit aut πάρεσιν aut aliquid simile; Est ubi non à capite est, sed à toto corpore, concurrente quidem tenui sero à capite manãte, Idem in laboriosis febribus cernitur, ubi ne minimum quidem appulsum aut blandum affrictum ferre possunt ægri, & tunc ex ipsissimis etiam brachiis laborantibus tutò demitur sanguis. Sed magno hic opus iudicio, ne malè unum pro altero sumas: *Epid. lib. 2. pag. 186.* Cuidam febris oborta, dolor incredibilis ad sinistram colli partem, ad humerum vsque pertinens: de phlebotomia consulebatur, videbatur ex opposito potiùs facienda, metu attractionis in partem: contra factum est, statim est allevatus, detractus est vitiosus sanguis: fortè id non imitandum, quanquam ex opposito latere parùm confert: *Ibid. pag. 248.*

Manui dolenti, vena eiusdem brachij apertio profuit.

316. Puellæ cùm vtrumque brachium intumuisset à reliquiis variolarum, opinione alicujus suppurati dextro brachio pyroticum adhibetur, nil eductum est; paucula tantùm fluxit sanies: cogitabatur de altero pyrotico in sinistro brachio, cùm nil satisfactum esset expectationi de priore pyrotico, non est alteri brachio adhibitum, mirum quod contigit, liberius, expeditius & indolentius fuit brachium cui pyroticum adhibitum fuerat, alteri metuebatur ne ignavum foret; sic in suspicione qualitatis malignæ, licet pus non sit aut aliquid commemorabile, tamen magno profectu cauterium applicatur. *Epid. lib. 2. pag. 259.* Sic in acerbis dentium doloribus, imò & colicis, pyrotica

Pyrotici vis in brachio dolente.

ex usu sunt, & mirum tam exigua materia & pauca excreta, tam acerbos dolores dentium sedari: annon simili exemplo, ut intercipiatur cursus & impetus materiei in partes ruentis & dolores excitantis, pyrotica applicabimus in his aut illis partibus? imò observatum in multis corporis partibus, post ingentes dolores, tuberculum aliquod extitisse & apparuisse, quod in se videtur conclusisse & secum rapuisse id totum quod molestiam afferebat, dolores enim postea conquiescunt: *Epid.lib.1. pag.87.& 88.*

Fluxio in brachium cùm dolore hidrotico sanata.

317. Cuidam fluxio in brachium, nullis allevabatur remediis: ingravescebat malum, datum decoctum sudorificum bis, convaluit, an non idem in ejusmodi defluxionibus faciendum? *Epid. lib.2. pag.244.*

Litus ex aq. vitæ Theriaca vis in brachij dolore.

318. Cuidam ab aliquot mensibus doloribus brachij laboranti, miraculo profuit litus ex aqua vitæ cum Theriaca vetere: *consil.41. lib.3.*

Fluxiones in tibias reprimentium usu ingravescentes.

319. Anno 1575. plerisque, præsertim mulieribus, quarum corpora densiora difflationis beneficio carent, in tibias factæ sunt valde importunæ fluxiones, eæque efferæ & malignæ: quicquid in cutaceis apparebat erat partim phlegmonodes partim ersipelatodes: Repressum refluebat ad alias partes, adeo effrænis & indomitus erat humor, *Epid. lib.2. p.140. Vide quædam huc pertinentia cap. de Catarrho lib.6.*

In Lue Venerea.

Ballonius.

In judicio ferēdo num quis lue sit infectus præceps ne sit medicus.

320. In judicio ferendo num quis Lue venerea sit infectus, res ad Momi lucernam observare operæ pretium est, maximéque ad Medici & authoritatem & judicium examen hoc & censura pertinet, ut ne quid præcipitanter pronuntiet, nil statuat de quo jam exploratum diligentérque quæsitum non sit: maximè verò id difficile est, quoniam hinc & illinc multùm adest difficultatis: illinc quidem, quoniam parvi non refert in æstimandis rebus istis præjudicata uti sententia, unde si in ejus luis suspicionem alterutrum coujugum vocaveris, veritatis odio, aut tibi confles inimicitias: aut, si non ritè pensitatis rebus quicquam absolutè pronunties, querelis, criminationibus ac jurgiis domum impleas: aut si securus nimium, morbum minuas, opinionéque minorem dicas, dum adblandiri morbo volumus, ægrorumque levando opinionem tacitæ existimationi speciosum aliquid prætexere, periculum vitæ creemus, aut vitam infœlicem reddamus, tandem coacti usurpare illud, quod jam judicio & ve-

& veritatis ſtudio anticipandum & antevertendum erat. *Hiſtor.2.lib.2. conſilior.pag.65.*

21. Cùm querelas ægrotantium audimus de morbis intercutaneis, nobis exprobantium, quod nihil aut parùm levari videntur quantumvis arte & conſilio comparatis remediis, recurramus ad θεῖόν τι nam quoties de fugacibus morbis aut doloribus potiùs, conqueruntur ægri, aut de fixis circum θεῖωσιν, ſuſpicari oportet aut latens venenum, aut reliquias alicujus Luis venereæ; ſive id ab hydrargyri, ſive à morbi ipſius maligna vi ortum dicatur: ne temerè ſimilitudinibus decepti malè exerceamus ægros, ſumptibus minimè neceſſariis oneremus. *conſ.28 lib.1.p.78.* *Dolores partium exteriorum pertinaces ut plurimum venerei.*

322. Quicunque Lue venerea laboraverunt, iis conſultiùs facienda medicina, & alexiteria nonnunquam ſunt uſurpanda, quia reſidet ſemper aliquid veteris fermenti, imò etiàm levia vulnera & ulcera ſunt ægrè ſanabilia. *Epid.lib.2.pag.235.* *Fermentum venereum vix aboletur.*

323. Notandum hoc quod valet ad Therapiam, [nempe non ſolùm animadverti debere naturam ejus qui inficitur ſed ejus etiam quæ infecit: nam quæ ſucculentæ ſunt & ſanguineæ, hæ non fovent aluntque tam acerbum & pertinax virus: contra melancholicæ, & quæ ſeroſiore abundant ſanguine, & quibus cutis expalleſcit, hæ teterrimis ſcatent ulceribus & ſanatu difficillimis: ſic oportet eos qui ab his virus contraxere, multò ſeduliùs curare. *Anno.2. Conſ.2. lib.2.* *Inſpicienda natura infecti & inficientis.*

324. Filius familias cladem Gallicam patiebatur: dum id clam eſſe vult, imperito Barbitonſori rem credit; hic rem parvi faciens, nil intereſſe putat quomodo morbus curetur, nam æger toto die ad prima munia redibat, deinde ſerò bene cœnatus, duabus horis poſt, illinebatur hydrargyro, nox ita tranſigebatur, manè, circiter, decimam, patris menſæ accumbebat, & ita morbo defuncturum ſe putabat, ſed derepente centum penè locis tubercula apparuerunt atheromatis ſimillima, & parvarum lupiarum inſtar: Elephantiaſis metuebatur, remedia ad Elephantiaſin uſurpantur, media curationis via obiit. *Paradigm.20.pag.302.& 303.* *Curatio clam facta inſida.*

325. Quidam maligna vi Luis venereæ conflictatus, cùm remedia deeſſent, fimo ſtabulario, urinis jumentorum & equorum commixto putrique, corpus recondidit: Tota materia venenata exhalavit, curatus eſt. *Paradigm. 155.* *Quidam fimo coopertus ſanatus.*

326. In ea profliganda Decoctum ligni Guajacini commendant, quod eo proiiciantur ſudores, maximum remedium illius venenati morbi: ſed ei decocto turpethum, colocynthidem, folia ſennæ, agaricum adjiciunt; An hoc convenienter fit? forte eadem eſt ratio quæ & de Purgatione quæ ſub Canè inſtituitur, contrarij enim motus ſunt, unus caloris externi, foras evocantis; alter medica- *Hidrotico decoct purgantia malè adduntur.*

 menti

menti intro : idem de decocto ligni Sancti cum solutivis medicamentis : *Epid.lib.1.pag.41.*

In marcore litus hidroticis potior.

327. Cuidam semen Luis venereæ nondum erat extinctum, macruerat planè ; Tabis magna suspicio : quæsitum an ad diætam & decoctum adigeretur ? non est visum utile : Litus ex Mercurio blandus & suffitus est institutus, convaluit : nam anima morbi non alio remedio erat tollenda : alioqui usu hidroticorum in mortis periculum conjectus fuisset, *Epid. lib. 1. pag. 58.*

Decocta sudorifica ex vino possunt fieri.

328. Decocta ex vino solo optimè fieri vide lib. 3. Artic 53.

Hydrargyrus sola remedio est.

329. Luis venereæ alexiterium est hydrargyrus ; hanc hydram solus vincit & opprimit ; Mercurius enim cùm sit frigidus & humidus, impendio supra omnia medicamenta calidorum humorum fervorem obtundit, furorem & impetum coërcet, siccitatem temperat, malignitatem cohibet, calida & sicca viscera ita humectat, ut bilis in posterum minimùm colligant, dolores calidos per se mitigat, frigidos ex accidenti, pûrgatoriâ scilicet vi in alvum deturbans vel in os regerens, scirrhos emollit & resolvit, ratione humiditatis tenuitati partium conjunctæ : at verò Mercurius, de quo hic mentio, is est quem dulcem aut dulcificatum vocant, non crudus & minimè præparatus, qui plumbi fusi instar, partibus quibus adhæret, paralysin inducit, ventriculum lædit, intestina diris cruciatibus torquet, corpus subtumidum & ἐψηῶλον reddit, gravissimáque symptomata invehit : Sic dulcatus Hydrargyrus, exhibetur cùm morbi cacoëthia & pervicacia id genus præsidij expostulat, forma boli aut pilularum, cum pilul. cochijs, trochisc. alhandal, &c. quæ vim ejus languidam & ignavam irritant, quibus admiscentur spica, cinnam. ambra, moschus, sed potissimùm folia auri aut ejus scobs seu limatura : nihil enim est quod argentum vivum avidiùs imbibat quàm aurum, atque ita illud per alvum cum auro egeritur, cum quo maxima intercedit amicitia, nam ipsum purgat, sordes exspuit, crebro jactatu in vasis fictilibus : & quæ inaurantur, hydrargyro intercedente, Aurum pertinacissimè retinent, metalláque omnia hydrargyro supernatare observamus, ut aquæ ligna, præter aurum quod unum ad se rapit ; At si ptyalismum provocare expedit, sine purgantibus exhibetur : *Epid. lib. 1. pag. 15. cons. 34. lib. 3.*

Ad hydrargyrosin non deveniendum nisi in obstinato malo cum leviora remedia inutilia sunt.

330. Constat pernitiosis valde morbis liberari plerosque profusiore alvo, cùm in colluvie humorum restagnantium in mesenterio primum mali semen poni videatur : quod declarat gonorrhea. Non enim tam id fovet quod in longinquioribus partibus redundat, quam quod in primis viis, in quibus corporis veluti sentina est. Accedit quod communis omnium ea sit assertio, quod in impuro concubitu, pernities primum hepati communicatur, quæ autem commodior via ad expurgãdum hepar quã renes, alvus & Habitus ipsius corporis, nullo provocato

provocato ſyelifmo, cum diſpendio partium nobilium, cerebri, pulmonũ, ventriculi & cordis? Gibbum hepatis provocatione vrinæ repurgabitur & ſudoribus, ſi ita res feret, Simum alvi ſubductionecommodiſſimè: Ergo in hac vna aut triplici purgatione ſine ſpuratione conſiſtendum videtur: Si in ſero præſertim virus primum conſiſtit, aut, vt liberius dicamus, in analoga ſemini, tanquam corpori ad eam virulentiam magis idoneo, materia, iſtis purgationibus habemus & conſequimur quod optamus: Nam elicitis ſudoribus, per cutis ſpiracula, facile id quod turget evacuabitur: Si in ſeminali quadam materia ſit, eo vſque progrediatur purgatio donec habitus & moles corporis collabatur, & ei materiei ſatis eſſe factum videbitur: accedit quod venenata vis ſuis alexipharmacis oppugnanda ſit. Si enim inter omnes conſtat morbum iſtum in venenata vi & aura potius conſiſtere quàm in ulla alia re manifeſta, quærendum ſuum remedium, nec tentanda ea evacuatio, quod plerique facere ſolent, ad extremum vſque promota: Imò commodior & tutior videretur via, ſi imperata diæta & dierum, ſenſim procuraretur vacuatio illius materiæ, & domatio iſtius veneni repreſſioque, quàm ita fœda triſtique ſalivatione miſere æger fatigaretur? Et id quod me magis movet, eſt iſta vlcerum fœtidorum & putrium, ob uſum hydrargyri, provocatio & eruptio: Quid enim impedit quominus, aut in aſpera arteria, aut in pulmonibus, tale vlcus excitetur? quod ſi eveniat, id mihi videtur nulla pene arte curabile, quod eo medicamentorum vis integra pervenire non poſſit: Niſi fortaſſe obiiciat quis, affatim provocata ſalivatione nil pene ſubeſſe quod tetrum iſtud vlcus fovere poſſit, cùm proprium eius curandi ſit alexipharmacum hydrargyrus. Sed &, vt concedam experimento probari ea ſalivæ provocatione relapſus magnam tolli occaſionem, duo tamen ſunt quæ me ab uſu hydrargyri revocare poſſunt: prius eſt vlcerum eruptio ita malignorum, & nervorum labefactatio, nil enim æque nervoſo generi ac cerebro bellum indicit ac argentum vivum: id declarant tremores qui ab ejus exhalatione excitantur, Poſterius eſt ſi prolapſio materiei venereæ magna vi liquefactæ, ac excitatæ vſu argenti vivi, in inteſtinis dyſenterias crudeliſſimas & funeſtiſſimas excitat, quid non efficiet deterius multo in partibus ſuperioribus, quæ vt ſitu, ita dignitate præcellunt aliis: Si hepar imbuitur primùm, cur non id omni ratione repurgas aut per habitum aut per ſeceſſum? Sic omninò ἀνακάθαρσις quæ per os fit, provocata ſaliva placere non poteſt. Si ad pituitam quæ circum ventriculum latet, & quæ facilè virulentiam concipit, recurras, illa & vomitione & ſubductione excerni & elui poteſt: nec propterea provocanda iſta ſalivatio quæ tantis moleſtiis ægrum cumulat: Obiicies de capite, in quo ferè pedem figere

ſolet

ſolet ea Lues : hoc verum quidem aſſerimus, & vt cerebrum maximè pars eſt ſpermatica, & ab eo, tanquam à fonte prolificum ſemen multùm profluit, ita virus iſtud & facile & prompte in eo cerebro ſeſe offirmat. Id μαδαρώσεις & ἀλωπεκίαι facilè confirmant, At dices, Provocatio ſalivæ tutiſſime cerebrum repurgat? At conferendum eſt vnum incommodum quod affert hydrargyrus cum ea commoditate quam procurat ſalivatio : Iam dicimus inimicam eſſe cerebro & nervis hydrargyroſin, & excitatis vlceribus, fuſiſque magna vi humoribus, non poteſt non in ſympathiam trahi cerebrum, ſed tutò alia arte evacuari poteſt : multa habet emiſſaria: præterea lethargici, comatoſi, in quibus multa materia eſt frigida, curantur ſæpe alvi profuſione, item & opthalmiæ, cur non & eadem commoditas cerebrum à virulentia aſſerere poteſt? *Conſ. 2. lib. 2. pag. 189. 190.*

Qua vi me-

330. Qui tutum ejus uſum non putant, aiunt non oppugnare venenum, ſed difflatu prohibere : Verum eius uſu proliciuntur ſudores, tenuitaſque ejus id facit attenuata materia ſibi quaquaverſum exitum quærente: Nec obſtat, quod quidam aſſerunt, frigidum eſſe quoad partes extimas, ſed in imo calorem habet ſummum & tenuitatem partium, quo utroque tantam habet energiam. *Annot. in conſ. 110. lib.3 p.270. Epid.lib.1.pag.11.*

Quando cenuenit.

331. Litui ex hydrargiro locus eſt in vetere morbo, & jam partes ſolidas obſtinatè adorſo; nam tam contumax malum non facilè ceſſurum niſi majoribus remediis, tanquam vectibus quibuſdam, ad amoliendum convellendúmque vtamur, *Conſil.2.lib.2.*

Non ſtatim illinendum ſi aliquid efflorefcat in cuse.

332. Sed ex eo quod aliquid effloruerit in cute; linendi occaſionem captare, illud captioſum eſt & ignorantiæ plenum, & ad empiricos potiùs pertinet, quàm ad methodicos & eos quos non tam lucri cupiditas movet, quàm conſervandi ſui innocentis officij ſtudium & cura : & cùm ea curandi ratio tanti ſit, non ita ex præjudicata quorundam opinione pendendum eſt, ſed videndum quid & quando & quomodo agendum.: alioqui vix crudelitatis, inhumanitatis & inſcitiæ crimen effugiemus, *Ibidem.*

Hydrargyroſis noxa vt præcavenda.

333. Si quando morbi ſpecies, cjúſve pertinacia aut cacoëthia, id præſidij genus inviſum revocandum eſſe inſinuat, ut ptyaliſmus non pro oc etur, purgantibus admiſceri debent quæ vim illius ignavam ſtimulent, ne quod in ventriculum attraxit, fuſis liquatiſque carnibus & humoribus, illic ſubſiſtat, & graviſſimorum ſymptomatum cauſa ſit : eáque ratione graviſſimis morbis expugnandis, lepræ, ſcrophulis, ſcabiei, morphæis, impetigini, lumbricis enecandis, lui conferre poteſt; nam terget, mundificat, modò per alvum, modò per urinas, ſanguinis maſſam repurgat, poſtremóque corporis habitum ſupervacaneorum humorum illuvie liberat. *Annot. 2.cap.47.lib.3.*

107. An

334. An Pusionibus Lue infectis tutus litus Hydrargyri universalis? De particulari quidem facilè admiserim: fortè pustularum ea sit pervicacia ut nulli alteri cedant remedio: Sed quorsum universalis litus? ut provocetur saliva, at expuere nequeunt: ut Sudent, at provocandi sudoris tutior alia est ratio; Sic dum corpore illito fusio & dilapsio humorum consequatur, si sursum repat humor, & per os, expuendi impotentia & insolentia, non excludatur; multùm inde detrimenti eveniet, satius est itaque foras venenum pellere, & quò natura vergit, eò ducere: imò & fortè hoc in adultioribus locum habebit: *ibid.*

Universalis litus suspectus in pueris.

335. Nobilis annos 23. natus, temperamento satis bilioso, cladem eam patiebatur, aderat & febris Quartana (quam à virus venereo nasci putavimus) ad mensem Februarium: dolor erat ad nothas costas, qui nonnisi post illitionem evanuit, adeo varia ea sunt quæ afferre solet lues ista: præcesserat ulcus malignum in Pene, qua parte decurrit & situs est nervus ille insignis, tanquam tubus perforatus, erat dysepuloticum, quod à ferino esse demonstrabat: jam partes carnosas prehenderat lues, & ad nervosas spermaticásque partes pervadebat: dubitabamus an cùm ista febris adesset, illum ratione luis ad solennia remedia adigere deberemus; tandem vicit ea opinio ut crederemus satius esse augeri febrem, quàm sinere illud virus longiùs ac profundiùs serpere: hoc monitum velim, ut cautio magna adhibeatur ne contrariæ indicationes aliquando nos transversos agant. *Epid. lib.2. pag.* 158.

Febris adjuncta remediorum usum non impedit.

336. Quicunque (aut certè major pars) inunctionem ex hydrargyro passi sunt, in iis ferè labes in Pulmonibus inexplicabilis delitescit unde χλώρασμα λαμπεῖν Hippocratis perit decutitúrque: at latentem Pulmonis aut Hepatis labem pallor in facie designat, *Cons.* 46. *lib.* 3. *p.* 142. Mirum quod cuidam mulieri contigit: hæc enim, imprudentis Pharmacopæi consilio, usa pilul. ex hydrargyro, ab eo tempore caput doluit, cerebrumque affectum ita fuit, ut perpetuò vacillare videatur, *Epid. lib.2. pag.*263. Nobili cuidam hydrargyri litus ptyalismi perennitatem attulit, *Ibid. pag.*246. Mulier quædam Pilul. ex mercurio usa fuerat ad reliquias luis propulsandas, hinc ptyalismus, & tantus toto corpore ardor, ut metu mortis ob intemperiem, ad summè refrigerantia & humectantia concursum fuerit: inde crusta universo corpori inducta est: quæ ipsa integra, magna omnium admiratione, ablata est, tergora, veluti boüm, imposita esse videbantur: adeo parum usus tutus pilular. de argento vivo, quas tamen ab omni vetustate acceptas ferunt: *Ibidem pag.*242.

Ab inunctione labes in pluribus partibus remanet.

337. Iis qui hydrargyrosim passi sunt, nocet aquarum naturalium usus; ratio est, quod odium intervenit chalcantho, quo illæ aquæ imbuuntur, & argento vivo, quod à chalcantho dicunt cogi, coër-

Aquæ naturales nocent hydrargyrosim passis.

ceri & colligi, unde postea id argentum vivum magis vires exercet, in partes, & eas corrumpit. *Annot.1.in conf.82.lib.3.p.219.*

Vlcera venerea vix curantur. 338. Observarunt peritiores Chirurgi vlcuscula, etiam levissima, imò, ut ita dicam, excoriationes ipsas, in iis qui olim lue venerea laborarunt, & curati sunt, etiam difficillimè sanari: adeo veteris ipsius fermenti vestigium aliquod remanet, quod mala levissima exacerbat & deteriora reddit, quod animadvertendum est, ut, cùm agitur de curatione vlcusculorum, corpora, olim isto tabo affecta, obsidentium, ne cùm eluserint remedia, aliis corporibus magno profectu & adjumento adhiberi solita, malum ægrescat medendo, magno eorum, qui talia usurpant remedia, dedecore & vituperio. *Epidem.lib.2.pag.219.*

Vlcuscula & Quartana hydrargyro simul sanata. 339. Doctor Medicus certò affirmavit vidisse se quendam quartanarium, cui, in decursu febris, vlcuscula toto corpore paruerunt maligna: consilio quorundam frictiones ex hydrargyro vsurpantur, sanantur vlcera, imò & febris ipsa Quartana: *Epid. lib. 2. pag. 58.*

Vini vsus concedendus. 340. An non tutus Vini vsus in lue venerea, & in Gonorrhœa præsertim? in hac quidem, quoniam cruditas tollenda est quæ fovet & alit eum fluxum: & cùm venenum sibi sedem in humore pituitoso crudóque deligat, quæ cruditatem oppugnant, quæ coquunt, alimentum distribuunt & digerunt, ea mirificè conferunt ad præcautionem & curationem: hujusmodi autem vinum est: at tollendus omnis excessus, mediocritas tenenda, atque in lue venerea, modò ne sit ingens capitis dolor, cur æger vino est abstinendus? vires retinet, quibus maximè opus est, venenum oppugnat: & cùm opiatis calidis & acriusculis vtamur, cur tantopere vinum fugimus, calidiusculum alimentum? *conf.2. lib. 2. p. 192.*

Litus intempestivi noxa. 341. Mercatori lue infecto litus & frictiones adhibentur, imprudenter & temerè id præstabant Barbitonsores, ut in usu hydrargyri sunt valde liberales: post quintam frictionem repente sialismus suppressus, raptus ad cerebrum, deliria, convulsiones, mors. *Epid. lib. 2. pag. 157.*

Tumor in fronte Pyrotico sanatus. 342. Vxori N. Tumor eminens ad frontem; is nobis suspectus fuit; aliquid enim venereum redolebat: applicatione Empl. de Ranis cum mercurio remollitus est: tandem applicatum Pyroticum: facta via, sanies & ichor manavit, os subjectum affectum est repertum: desquammatum est, curatum est ulcus & bene habuit: *Epidem.pag.194 &c.* Hic ut in aliis morbis motus naturæ sequendus est: at jam usu probatum est naturam omni ratione conari hoc virus depellere in corporis superficiem; admoto duobus aut tribus locis pyrotico, si sinatur sanies quædam effluere, spes aliqua affulgeat sanitatis, quod audio factum esse felici successu. *Consilio 3.lib.2.pag.190.*

Pustula 343. Ne fraudi hoc sit, sciendum veras, & luis venereæ proprias pustulas,

pustulas; suppurati & expurati expertes esse: Sed si confusus est humor pustulam committens, ut aliquid habeat benignioris humoris, qualis communem scabiem committit, fieri potest ut suppuratum promoveatur: vel, ne quis decipiatur, si quod pus apparet, illud non est verum & laudabile, sed sanies quædam quæ superficiem pustulæ tenet, non autem à profundo manat, ut in furunculis & pustulis malignis evenire solet. *Consil.2.lib.2.pag.185.*

venerea ad suppurationem non ducuntur

Septalius.

344. In Venereâ hac lue curandâ multa sanè annotare potero, cùm illud verè affirmare ausim, post delatum à novo Orbe ad nos hunc morbum, me fortasse multò plures hoc morbo laborantes curasse quàm quisquam alius, quòd præter innumeros, in magnâ hac urbe passim curatos, per quadraginta annorum spatium magni illius Hospitalis Brolii, in quo solus is morbus curatur, & sæpenumerò vere solo septingentis, quà decoctis, quà inunctionibus, & suffumigiis curatio adhibetur; reliquo vero tempore saltem ducenti ex ulceribus semper curantur, purgato diligenter corpore, & multis etiam & pulvisculis, & electuariis, alexipharmacis præterea exhibitis; curam, in adolescentiâ mihi demandatam, semper retinuerim, & adhuc in hac ætate retineam ob multas causas; tùm potissimùm, ut adolescentes, & novitios in hoc morbo curando possem exercere. Unde etiam anno præterito, multis postulantibus, diebus, quibus à Moralibus, & Politicis iis meis lectionibus vacare concessum erat, pluribus sermonibus totam hanc de lue Venereâ tractationem complexus sum. Ex quibus aliqua excerpta, quæ in curatione hujus morbi singularia occurrunt, hoc loco annotanda mihi sumpsi.

Gallici morbi curatio Auctori quomodo frequens, & in eâ multa observare quomodo potuerit.

Primò igitur illud annotandum, non eandem esse curationem luis huius, primis diebus communicatæ, & ubi altiùs radices egerit, sedémque, quam hepar semper censui, occupaverit: sæpe enim malâ illâ qualitate, mediante recremento aliquo superficiei penis, aut fœminei pudendi, communicatâ, externas solùm partes occupat, ulcusculo carioso, aut similibus excitato, quo exsiccantibus curato, aliquando penitiores partes non attingit, quâ occasione neque mittendus erit sanguis, neque purgandum corpus, ne quæ externis partibus solis adhæret contagio, agitata magis diffundatur, magisque ad interna trahatur, unde verè morbus contrahatur. Neque verò timendum est, ne contra Medica præcepta agamus, quibus cavetur, ne unquam localibus utamur, antequam universum sit inanitum: Id enim verissimum est in morbis, à causa internâ ortum ducentibus: non autem in iis, qui ab externis; nam in morsu venenatorum

Morbi Gallici curatio diversa, morbo vix inchoante, & progresso.

Gallicus morbus inchoans externis quandoque curatur.

animalium; omnino ad externa evocamus, sistimus, ut commodè in scabie, recenter contactu communicatâ, in quâ sæpissime citra purgationem cuti emendandæ & scabiei tollendæ solùm insistimus.

Bubonibus nonexeuntibus, non multa ingerenda, neque quibusvis vescendum, contra Empiricos.

345. Neque tamen placet, quod ab Empiricis passim commendari video, ut indistinctè quibusvis cibis, & cujuscunque conditionis utantur, multáque passim ingerant, potissimùm, ubi bubones non appareant, nec ita facilè eleventur: quomodo enim naturam opitulantem ad expulsionem habebimus, aut ad sui conversionem, si illam multitudine ciborum, aut malâ qualitate obruemus.

346. Morbo Gallico inchoante tenuis victus malus.

346. At ne inediâ etiam macerandum est corpus, ne internæ partes, alimento debito destitutæ, ab ambitu corporis, & externis partibus attrahant.

347. Gallico morbo inchoante exercitium validum sæpe malum.

347. Exercitium, quod alii injungunt, potissimùm in bubone promovendo, ut non possum non commendare, ita si excedat, sæpe officere potest, apertis nimium meatibus; & exhaustis internarum partium spiritibus, quâ occasione virus externum sæpe ad interna remeat: quinimò si ab exercitio sudor promoveatur, abstergi debet, ne apertis meatibus cum recrementis, qualitate malâ infectis, remeet, & interna inficiat.

348. Carie Gallica apparente, quomodo transigenda curatio.

348. At verò, ne decipiamur, diligenter in carie apparente observandum est, si à congressu Venereo per quatuor aut quinque dies caries illa apparuerit, an potiùs progressu temporis: si enim primum illud evenerit, signum erit, ortam esse ex sordibus communicatis, & tunc, nullâ præcedente corporis universali evacuatione, exsiccantibus solùm totum negotium transigemus: si verò ex labe, hepati communicatâ, illud fieri judicabimus, tunc evacuato corpore, alexipharmacis rem absolvemus.

349. In gonorrhœa curatione quomodo procedendum.

349. Sic in gonorrhœâ procedendum: aliquando enim à concubitu statim evenit, validâ existente naturâ, & statim propellente per eam partem virulentiam contractam; & tunc nullo modo per multos dies erit cohibenda, sed sinenda, subluendum solùm, quod adhæret. At progrediente tempore si non desinat, aut si novum aliquod symptoma superveniat, jam providendum est sedi, & evacuato corpore, alexipharmacis edomare vim morbi, vel potiùs malam qualitatem tentabimus.

Quomodo procedendum in curatione, bubone Gallico apparente.

350. Idem in bubone apparente: si enim primis diebus apparuerit, quoniam robur arguit facultatis; propellentis luem illam ad ignobilem partem, omnino actio illa erit adjuvanda, nec purgatione, aut sanguinis missione evacuandum erit corpus, ne revocemus naturam à motu illo: & sæpe talem evacuationem aperto bubone totam vim morbi edomâsse constat, omnémque virulentiam evacuâsse.

In bubone contumaci

351. Observandum tamen est aliquando, tantâ mole humorum premi naturam, & adeò crassam & contumacem esse materiam, ut, quam-

quamvis aggrediatur natura tale opus, succumbat tamen oneri, nec ad glandularum locum possit materiam totam propellere, inchoatúmque opus relinquat; in quo casu sæpissime expertus sum, sublevatâ naturâ à mole, & sarcinâ, evacuato corpore, fœliciùs omnia cessisse, tumorem in debitam mensuram esse elevatum, & materiam duram & contumacem ad suppurationem esse deductam. *aliquando purgandum corpus.*

352. Ubi virulenta hæc qualitas sedem jam occupaverit, & morbus Gallicus jam factus sit, radicésque jam egerit, edomari illa debebit, atque alexipharmacis evinci: expurgari autem antè corpus debebit, sed non ab initio solis lenientibus agendum; cùm enim ii humores veram coctionem non admittant, sed in eo genere sint, ut solùm præparari ad evacuationem debeant, lenientibus & abstergentia sunt adjungenda, & aliqua etiam verè purgantia, sed in minori quantitate; & hæc verè sunt minorantia. *Gallico morbo progresso purgandum. In Gallico morbo in principio lenientibus abstergentia, & purgantia adjungenda.*

353 Quin, si in aliquo morbo, in hoc maximè validioribus est agendum; tum quòd sæpe rebellis, & contumax est materia, puta, lenta, & viscida, & sæpius adusta: tum maximè, quia, cùm per externa prorepserit, & jam bonâ ex parte extra venas ad carnes, & solidas partes pervenerit, non potest nisi validis medicamentis educi. *353 In Gallico morbo validis purgantibus agendum.*

354. In decoctis pro diluendis syrupis, aut in syrupis ipsis variis pro variâ materiâ, cui potissimum insidet virulentia illa, semper ad miscendum erit aliquid ex iis, quæ alexipharmacâ facultate virulentiæ illi adversari possunt, atque illam edomare, Guajacum, Sarsa parilia, China, aut Saponaria; ex quorum usu sæpius expertus sum, post repetitam purgationem, & multos assumptos syrupos adeò imminuta fuisse accidentia, ut multi, se jam convaluisse censentes, cætera auxilia respuerent, & nisi admonuissem, refractam solùm esse vim morbi, non convulsam, vix alia auxilia ampliùs admisissent. *354. In syrupis pro morbo Gallico addenda alexipharmaca.*

355. Postremum, quod in purgatione repetitâ sumitur medicamentum, placet esse in formâ solidâ, qualia sunt sub Pilularum formâ: quòd & à longioribus attrahant, &, si qua à medicamentis, aut syrupis commota sint recrementa, faciliùs possint educere. *Pilulæ in fine purgationis in morbo Gallico praferenda.*

356. In repetitâ præparatione humorum laudo admiscere syrupos compositos solventes, ut syrupum Montani, de fumariâ compositum, de polypodio, de cichoreâ Nicolai, vel Gulielmi, pro varietate materiæ, quidquid dicant recentiores, & potissimùm Massarias doctissimus; neque enim impeditur coctio, quæ nullibi in tali materiâ expectatur, sed paulatim præparatam materiam, cui virus insidet, evacuamus. *356. Syrupi solventes in morbo Gallico commendandi.*

357. Quinimò, ubi maximam superesse adhuc materiæ copiam cognoverimus, optimum esse censeo, antequàm ad vera alexipharmaca veniamus, potissimùm autem ante inunctiones, aut suffumigia, *Pulvisculi solventes, & electuaria in Gal-*

lico morbo commendantur. pulvisculis, aut confectis ex solventibus paratis, Senâ, Mechoacanâ, Zialappâ, Turpetho, Hermodactylis, & similibus, pro varietate materiæ exuberantis, additâ æquali ferè ad omnia quantitate Sarsæ parilliæ pulverizatæ, exhibitis, materiam illam imminuere, ut, quæ reliqua erit aut per sudorem propelli possit, faciliúsque virulentia, per universum corpus dispersa, edomari: atque evinci; aut si per os expurganda sit, peculiari argenti vivi facultate, mole suâ non suffocet, aut gravissima illa, quæ aliquando solet, symptomata non inducat.

Guajaci species in morbo Gallico quæ fugienda. 358. In decoctis, ex iis paratis, quæ alexiteriâ facultate, & antipathiâ quâdam virus illud evincunt, & ex corpore pellunt, ut quod ex Guajaco paratur, primò veniat considerandum, illúdque primùm animadvertendum, non esse illud in usum ducendum, quod annosum est, nimis crassos truncos habens, atque per omnia vetustatem redolens, quod passim Empirici faciunt, ut acrimoniâ illâ perfectionem medicamentis arguentes ægris suis imponant; cùm calor naturalis in tali ligno jam ferè sit absumptus, & vis ejusdem effœta reddita, humidum substantificum, & oleaginosa pars absumpta, aucta siccitas, sive potiùs ariditas sine pinguedine; nam ob has causas, cùm multas partes terrestres decoctum tale habeat, nunquam clarescit, & terrestres illæ partes cum austeritate quâdam acres etiam persentiuntur.

Guajaci trunci juniores invalidi. 359. Neque tamen etiam truncos illos minores laudo; minimus enim illis inest vigor, & calor humiditate superfluâ hebetatur, & facultas illa à totâ substantiâ, tanquam in infante, est imbecilla.

Guajaci species saporis acris, & turbidum decoctum faciens, rejicienda. 360. Est tamen species quædam Guajaci, quæ nunquam in usum ducenda est, quæ nigrorem verum in medio non habet, sed coloris est subobscuri cum quâdam viriditate, quæ decoctum facit omnino turbidum, quod nunquam clarescit, tum maximâ acredine & in gulâ & faucibus ardorem excitat; ob crassas autem & terrestres partes majori ex parte in splene, nonnunquam etiam in hepate obstructiones inducit. Empirici sylvestre lignum sanctum appellant; sed cùm apud scriptores nullibi reperiam duplicem hanc sylvestris & domestici differentiam, potiùs ratione soli has qualitates acquirere censerem.

Guajaci scobs neque crassior sit, neque in pollinem ducta. 361. Animadvertendum etiam, ne aut in crassiores particulas, aut in nimis subtilem pollinem minuatur; illud enim impedit ne virtus ligni bene aquæ impertiatur; hoc autem efficit ut difficillimè clarescat decoctum, sed semper ferè ebibatur turbidum, unde obstructiones in splene, aut hepate.

Vinum, optima materia pro 362. Absurdum est, quòd viri quidam, alioqui doctissimi, etiam scriptis editis censuerunt, non posse fieri decocta ex vino, aut saltem ex vino solo, sed infusionem fieri debere ex aquâ, mox hanc diutius

exco-

excoquendam esse, addendúmque in fine vinum, quòd hoc censeant ineptam esse materiam infusioni, quódque tamdiu excoqui nequeat, quandiu oporteret ad eliciendam virtutem medicamenti: certum est enim, & in chymicis extractionibus experientiâ comprobatur, nihil esse aptius ad extrahendas medicamentorum facultates ipso vino, aquâ vini, & aceto; quòd igneis, & calidis subtilibúsque partibus penitiora quæque permeans, intimiorem quamque facultatem poterit extrahere, & in se concipere: verum quidem est, non adeò longuam pati coctionem, sed aut longâ infusione id compensari solet, aut in duplici vase solet excoqui. Parare ego decoctum soleo in morbo inveterato cum malo habitu & materiâ frigidâ prædominante, ex vino, quo aliquos apud alios desperatos perfectè curavi. Paratur autem hoc modo: Factâ infusione corticis ligni sancti optimi, crasso modo contusi unc. xviij, in vini albi optimi, ut quod apud nos *Vernatia* dicitur, boccalibus nostratibus decem & octo (sunt autem libræ medicinales xlij) per duos dies excalefacto priùs vino, & semper per duos illos dies in duplici vase, vel cineribus calente: pòst fit lento igne, vel in duplici vase elixatio ad consumptionem tertiæ partis: quo utatur ægrotus & manè loco syrupi, & pro potu in cibis; sumet manè unc. vij. & post horam proliciantur sudores; in prandio autem, & in cœna non excedat unc. xiv. Utilissimum est etiam iis, qui inunctione factâ ex argento vivo non convaluerunt, & quibus portio aliqua argenti vivi relicta est in corpore.

parandis decoctis in cura morbi Gallici.

Vernatia, sive vinum medicatum pro morbo Gallico.

363. Sunt, qui utuntur decocto solvente ex Guajaco, Salsa, vel etiam Chinâ, ex Senâ, Turpetho, Hermodactylis, aliquando etiam Veratro nigro, addito semper Carduo benedicto, ut Brassavolus, & Matthæolus, & alii. Hæc sanè in robustissimis, & quibus sudores aut non prosunt, aut prolici non possunt meâ quidem sententiâ in usum venire possunt: si enim pulvisculis, & electuariis aliquando, si non ad restinguendam, ad imminuendam saltem labem felici successu utimur, cur id etiam cum decoctis præstare non poterimus? non tamen adeò est securum, cùm aliquando insequi soleant gravissimæ dysenteriæ.

Decocta solventia in Gallico morbo rarè in usum veniant.

364. In sudore proliciendo, si sponte ab assumpto decocto non fluat, uti tutò possumus aut hypocausto, aut capsulâ cum igne in lecto: sed in posteriori hoc diligentia adhibenda est, mutanda esse linteamina, ne sordes infectæ, jam expulsæ, iterum remeent, quod à paucis observatum video: quapropter hypocaustorum usus, si tolerari potest, multò tutior esse solet.

Sudores proliciendi quâ in hypocausto, aut in lecto sed qua cautio adhibenda.

365. In calidis, & siccis temperaturis, & emaciatis vi morbi, sudores commodè evaporatorio proliciemus.

Evaporatoriis in calidis & siccis naturis utendum.

366. Ubi sudores commodè profluunt, non adeò frequenter intermediis medicamentis corpus per secessum evacuabimus; revocantur enim humores à superficie versus centrum, impediuntque saltem, aut

366. *Inter sudandum non frequenter purgandum.* difficiliorem propterea reddunt sudorem, corpúsque imbecillius faciunt.

367. *Sudores non statim ab assumpto sudorifero proliciendi.* 367. Non statim ab assumpto sudorifero arte promovendus est sudor, sed post horam, intercedente, si fieri possit, somno.

368. *Chinæ radicis decocto in parando communis error Medicorum.* 368. In radicis Chinæ decocto parando, cùm soleant, si recens fuerit, & non cariosa, unciam unam illius in decem libris aquæ, vel si selecta non fuerit, & antiqua, duas ejusdem uncias in libris duodecim aquæ excoquere; multi etiam Medici, ut nimiæ impensæ rationem habeant, cùm multi totam illam decoctionem unico die absumere nequeant, vereantur autem, si in alterum diem conservent, ne acescat, dimidiam Chinæ portionem in dimidiatâ aquæ quantitate excoquunt, & aut dimidias, aut duas tertias consumunt, sic censentes & indemnitati crumenæ consuluisse, & decoctum æquè validum parässe: sed maximè decipiuntur, &, si gustûs judicium non subtraxerint, facile cognoscent, potentius multò esse primum illud decoctum quàm secundum; & ratio est in promptu, quia non satis est dari proportionem radicis ad aquam, sed spectandum maximè tempus coctionis, & actionis caloris ignis, & reactionis aquæ. Ad extrahendam enim facultatem ex durissimâ radice, & siccissimâ, & aquæ communicandam, cùm quatuor, puta, horarum spatium intercedere debeat, quantum consumetur in absumendis per elixationem sex, aut octo libris aquæ, si dimidiatâ quantitate impositâ Chinæ, puta, semiunciâ, libris sex aquæ dimidium consumere sinamus, aut duæ tertiæ partes, minori spatio, quàm duarum horarum, absumentur, minùs aquâ actioni ignis resistere valente? Neque verò quis dicere audeat, datâ minori ignis quantitate, & magis lento igne, si fiat coctio, posse nos huic incommodo contrà venire: nam ad extrahendam vim hanc ex solidiori substantiâ, debita quoque ignis quantitas concurrere debet.

Sarsæ pariliæ decocto Guajaci pars semper miscenda. 369. In Sarsæ pariliæ, quam in edomandâ hac lue, & superandis symptomatibus primas semper tenere censui, decocto, illud observandum, nunquam solam in usum ducendam esse; cùm enim laxante quâdam facultate prædita sit, & sapore fatuo, adeò eos, qui illâ utuntur, nauseabundos reddit, ut ob imbecillitatem virium, ex ciborum aversione, multi illius usum amittere cogantur; adjicienda igitur tertia, vel quarta pars ligni Guajaci; quinimò apud nos Mediolanenses decoctum Guajaci solius vix in usum duci potest, ob temperamentum calidum & humidum, & ob hepar ejusdem temperaturæ.

Sarsæ decoctum, æstate parandum, cum majo- 370. Observandum autem cùm æstate paratur, cùm minor quantitas decocti paranda sit, majorem esse debere aquæ quantitatem, quàm hyeme, ut longiori cocturâ tota vis Sarsæ communicari possit ipsi aquæ; nam quemadmodum in decocto Chinæ dicebamus, non solùm est observanda proportio aquæ ad medicamenta, quæ simul exco-

excoquuntur, sed etiam proportio temporis coctionis, tum ut communicetur vis aquæ, tum ratione actionis ignis, caliditate & siccitate, tum reactione aquæ cum humiditate, & frigiditate.

371 Cur autem Guajacum, cùm durius sit & solidius, non tantam aquæ quantitatem exposcat, neque tam longam cocturam pro extractione virtutis alexipharmacæ, ut China & Sarsa, secùs quàm censuerit doctissimus Rudius, qui temporis coctionis rationem non consideravit; in causa est humiditas illa aërea & oleaginosa Guajaci, in qua potissimùm facultas illa alexiteria residet, quæ faciliùs & extrahitur, & communicatur aquæ quàm quæ in Sarsa est, quæ quamvis rariori sit substantiâ, & minùs solidâ, exsucca tamen est & arida, & in hac tota posita est facultas Sarsæ. China tamen multò majori indiget & aquâ, & cocturâ, tum quoniam durissima est, tum quia, arida cùm sit, nullam etiam habet oleaginosam substantiam. *Guajaci decoctum cur minùs longa coctura egeat, cùm durius sit.*

372 Sed quoniam sæpenumerò evenit, ut aliqui, vel vi morbi, vel procrastinatis remediis, vel Medicorum inscitiâ, ab hoc morbo macerati, & ad extremam tabem deducti sint, ut nulla ampliùs superesse salutis spes videatur, ne etiam ij ope Medicâ destituti remaneant, remedium quoddam proponam, quo quàm plurimos ex iis ad optimum statum deduxi, simúlque virulentiam extinxi, & à tali tabe omnino curavi. Est verò consumptum quoddam, quod solâ alexipharmacâ qualitate, sine sudore ullo, sed mediantibus pinguedinosis carnis partibus, alimenti vim sumens, & in substantiam aliti versum, & vim illam virulentam evincit & absumit, & sanguinem generat, alexipharmacâ illâ qualitate præditum, ut, malâ illâ qualitate evictâ, in aliti bonam substantiam vertatur. Sic autem paratur: Recipe Sarsæ pariliæ electæ, minutim incisæ, unc. vj. infundatur per horas viginti quatuor in libris quindecim aquæ calentis, ita ut lenem calorem conservet, & operculo bene occludatur vas, mox lento igne decoquatur, ita ut nihil exhalet, donec quinque libræ absumptæ sint, & tunc cochleari perforato extrahatur Sarsa, & tundatur in marmoreo mortario, mox eidem aquæ reimponatur, addendo carnis vituli macræ libras tres, seminum coriandrorum præparatorum unc. I. aut eorum loco, aut ligni sancti rasi tantundem, aut santalorum citrinorum, minutim incisorum, drach. iij. pro variâ hominum, & prædominantium humorum conditione, &, bene operto vase, iterum lento igne simul ebulliant, donec remaneant libræ quinque, & in fine aromatizentur cum drach. iij. cinnamomi electi; mox fiat colatura cum forti expressione, & reservetur in vase vitreo, vel vitreato; de qua summo manè per quatuor horas ante cibum capiat æger unc. vj. aut vij: vesperi autem iiij. aut v. uncias ante cœnam, vel per tres horas antè; aut si tempus non intercedat commodum, immediatè ante alios cibos: Quòd si in æstate versemur, aut febris hectica adjuncta sit, simul *Sarsæ decoctum mirabile ad tabidos ex morbo Gallico.*

cum Sarsa parilia incidere soleo hordei excorticati uncias iiij. atque in assumptione hujus decocti perquàm plurimos dies perseverandum est, ita ut ad centesimum quandoque diem perveniam.

Saponariæ decoctum.

373 Non omittendus hoc loco usus alterius decocti alexipharmaci facilè parabilis, pro pauperibus optimi, ex Saponaria, herbâ vulgari, & omnibus notâ, parandi; quin in contumacissimo morbo aliquando usus sum eo, felici successu; sed gustui ingratum est, & propterea pauperibus reservatum. Accipiantur Saponariæ viridis M. ij: infundatur per noctem in lib. viij. aquæ; mox excoquantur ad cocturam Saponariæ, deinde libra una cum dimidia aquæ cum herba jam coctâ excoletur cum expressione, quæ reservetur pro potione matutinâ ad sudores proliciendos, sumendo uncias vij. aut viij: quod verò superest, dulcoretur cum passulis, aut sacchare pro potu cum cibis; æstate, & biliosis naturis, addi poterit aut sonchi, aut cymbalariæ M. j. Valet & pro mulieribus ad menstrua alba absumenda cum M. s. cymbalariæ, & addito tantundem filipendulæ. Inventum est Zapatæ, Empirici Hispani. Ego autem sæpe, ac sæpius illo usus sum. Doctissimus Rudius meus, *lib. 5. de morbis occultis, & venenatis, cap.* 18. de Saponaria, & ejus decocto facit mentionem; sed vereor eum nunquam usum esse decocto illo, cùm pugillos vj. decoquat Saponariæ in lib. xvj. aquæ ad dimidias; cùm aquæ ad Saponariam nimia sit quantitas: &, quod majoris est momenti, tenella herba virens non indiget tam longâ elixatione, igneæ enim & aëreæ partes omnino evanescent, & in nihilum abibunt; in quibus tamen certum est, vim saltem sudoriferam esse positam.

Ex hydrargyro parata medicamenta an in usum duci possint, & quando.

374 Eorum quæ ex Argento vivo parantur medicamentorum duæ cùm sint formulæ, quibus vim malæ hujus qualitatis, quæ in morbo Gallico reperitur, edomare solemus, aut è corpore pellere humores, malâ illâ qualitate infectos: quorum altera in formam suffumigiorum, altera in inunctionum formam applicari solet. Duos hos remediorum modos ad evincendum hunc morbum, experientiâ inventos, aliqui, & magni quidem viri, tum ex antiquioribus, tum ex recentibus, nunquam in usum traducendos censent ob multas noxas, quas ex argento vivo in corporibus humanis excitari à Scriptoribus traditum est, & sæpe experientia ostendit. Alij, nullâ factâ distinctione, statim ad suffitus hos ex cinnabari, aut ad unctiones ex hydrargyro descendunt, ut faciunt Empirici. Alij hac in re suspenso quidem pede eunt, priùs regiis alexipharmacis evincere luem illam tentantes, sed ubi tanquam hydram, denuò novum caput emittere luem Veneream viderint, experiri alterutrum ex iis medicamentis permittunt, sed universum negotium Empiricis, & barbitonsoribus committunt, ne formulam quidem aut suffitûs, aut unguenti, quâ usuri sint, præcognoscentes; quinimò, si ab eis formulam aliquam exposcas, obmutescunt.

rescunt, optimè id Empiricos scire respondentes. Ego hac in re ita censeo, & ita procedo: Si in principio fuerit morbus, aut etiamsi progressus altiùs radices egerit, nondum tamen usus sit regiis remediis alexipharmacis, omissis illis, quid cum veris alexipharmacis præstare possim experior, & quando que repetitâ hac curandi ratione, omni ingenio tali idem tento; sic enim & malam illam qualitatem evincere soleo, & languentibus particulis robur addo: Sin verò sic vis morbi evinci nequit, sed hæc nos eludit, aut si ob tenuitatem rei familiaris illa in usum duci non possunt, tutò, & alacriter ad hæc remedia transeundum censeo; & ego sæpe illa remedia in usum duco.

375 Sed cavendum ne totum id negotium Empiricis Rationales Medici committant, qui, in omnibus eodem calopodio utentes, aut in multis imperfectum relinquunt negotium, aut præcipites ægrotantes agunt in gravissima pericula, aut etiam in mortem. *Inunctiones, & suffumigia non ab Empiricis, sed à peritis Medicis administrari deb.nt.*

376 † Maximo in errore versantur ij, qui post omnia adhibita remedia, cùm ægrotantes jam imbecillos videant, effœtâ virtute vitali, & quasi universâ carne consumptâ, nec aliam superesse spem quàm in remediis ex hydrargyro paratis, illa quidem concedunt, sed debilia, aut quantitate argenti vivi, aut numero aut inunctionum, aut suffituum, & sæpenumerò interpolant. Aut enim omnino duo hæc remedia excludenda sunt, aut omnino valentia concedenda, & quantitate hydrargyri, & numero inunctionum, aut suffituum; alioqui attenuatâ, & loco motâ quidem materiâ, dolores & symptomata imminuta viderentur, sed cùm ea non expellatur, alium locum quærens, sæpe nobiliorem partem impetit, potissimùm caput, eò hydrargyro, & cinnabari naturâ suâ tendente, & secum attenuatas materias ducente; quinimò, cùm argentum vivum veneficam habeat qualitatem, eo à corpore non evacuato, ægrotantes duplici morbo laborant, eo, qui fit à qualitate luis Venereæ, & aliis symptomatibus, quæ ab hydrargyro fiunt. Quo etiam fit, ut tales ferè nunquam curentur, sed infelicissimam vitam ducant, & tandem tabescentes marcescant. *† Inunctiones ex argento vivo aut non administrandæ, aut validæ, tum quantitate continua tum discreta.*

377 Ex duabus formulis semper & tutiorem, & quæ meliùs morbum extirpat, eam esse censeo, quæ cum inunctione perficitur: in emaciatis enim, siccis naturis, in stricto pectore, in anhelosis magis convenit, & in omnibus symptomatibus magis est proficua. In cadentibus tamen capillis, in crustosis externis ulceribus, præferre soleo suffumigia. *Inunctio quando præferenda, & quando suffumigia.*

378 Absurdum est suffumigiis illis uti evincendo hoc morbo, quæ levia à doctissimis Fallopio, Mercato, & aliis dicuntur in quibus non ingreditur Cinnabaris, exsiccant enim externas partes laborantes, at vim morbi interni non extinguunt, neque materiam, in qua virulentia illa residet, expellunt. *Suffumigia levia Fallopii & Mercati in morbo Gallico inutilia.*

379 Basis sit Cinnabaris, additâ portione Antimonij & Marchasitæ: ut pro uno ægrotante Cinnabaris sint unciæ tres, Antimonij, & Mar- *Suffumigii una formula.*

chasitæ ana drachmæ tres, auripigmenti drach. ſ. aromatum, ad penetrationem additorum, pro variâ corporum conditione variantium, quantitas sit ferè ad pondus cæterorum :. & pulveris illius singulo die drachmis sex, vel unciâ unâ, in fumum dispersâ super prunas, corpus, in hypocausto inclusum, universum excipiat, cannâ aërem externum inspirans, & exspirans.

† Suffumigia etiam ore ali quando excipienda.

380 † Utilissimum tamen erit, nisi sit anhelosus, aut angusti thoracis, aliquando ore portionem illius fumi excipere.

† Suffumigia antequàm fiant, calor in corpore excitandus.

381 † Antequam tamen suffumigia fiant, incalescat aliquandiu æger, & pòst, si sudores profluant, non est inutile.

** Hydrargyri pro uno homine curando quæ quantitas, & quæ ad alia proportio.*

382 *Inunctiones ex hydrargyro apud me sunt multò frequentiores, in quarum unâ dosi pro una curatione, iteratis inunctionibus ad sputi apparitionem, non minus tribus, vel etiam quatuor unciis hydrargyri ingredi debet. Extinguitur aliquibus salivâ hominis; communiùs tamen ex longo ductu in mortario cum axungiâ, quæ in duplicatâ dosi esse debet, additis oleis, puta, laurino, de spicâ, liliaceo, & similibus, & pulveribus thuris, mastiches, benzoïni & similibus; aliqui, nec malè, portionem unguenti Martiati addunt; † Non placet crocum addere, ut aliquibus visum est, quòd caput nimis feriat.

† Crocus inunctiones ex hydrargyro non ingrediatur.

383 In frigidissimis naturis, & crassâ materiâ præsente, quæ vix attenuari possit, aut de loco moveri, nihil est præstantius, quàm si portio aquæ vitæ addatur, aut etiam portiuncula olei anisorum, vel rorismarini.

Aqua vitæ, vel olea calida Chymica quando unguentis addenda.

Unguenti multam quantitatem præstat parare, & cautio in eo.

384 Præstabit curare, ut multiplicatis dosibus multam illius copiam Pharmacopola aliquis diligens & fidelis simul præparet, ut axungię vetustate contractam acrimoniam, attenuationem adjuvare possit: at quoties dosis necessaria est extrahenda, spathulâ, quæ deorsum erant partes, suprà ponantur, & pistilli longâ in gyrum commotione optimè de novo commisceantur; gravitate enim suâ hydrargyrum semper vasis continentis infimas partes petit.

385 Peccant communiter Practicantes, & gravissimi quoque Scriptores, qui ante hanc inunctionem propinant sudorificum aliquod medicamentum alexipharmacum, sic censentes imminui symptomata illa sævissima, quæ post inunctionem illam insequi sæpenumerò solent; cùm illud potiùs sequatur, ut subtili per sudorem parte eductâ, contumaciore crassâ redditâ, non moveatur loco, neque ad os feratur; sicque hydrargyrum, maximâ ægrotantium pernicie è corpore non exiens, perpetuam illis afferat molestiam, & insuperabilia ferè symptomata.

Sudorifera alexipharmaca non præassumenda ante inunctiones.

Alexipharmaca post inunctiones optima.

386 Præstabit igitur decoctis iis alexipharmacis uti, postquàm inunctione evacuata fuerit materia, sive per sputum, sive per secessum, sive per lotiũ, ut viscera à mala illa qualitate, si quę remanserit, liberentur.

† Inungendi modus.

387 † A pedibus ascendendo ad os sacrum fiat inunctio, & à carpo

versus

versus scapulas, & per spinam ad collum usque: † Nunquam caput inungatur, quod pessimè aliqui faciunt. † *Caput non inungendum.*

388 † Inungantur ad sputi apparitionem, & tunc per diem intermittatur; & si lentè moveri sputum viderimus, iterum unâ, aut alterâ inunctione incitetur. † *Inunctio quando interpolanda.*

389 * Si nimis affatim, & cum impetu præcipitari materiam ad os viderimus, periculúmque subesse inflammationis, aut suffocationis, deturbanda erit, & ad inferna per secessum medicamento aliquo erit ducenda, id tamen raró faciendum erit, & non nisi magnâ urgente necessitate. * *Sputo nimis affatim ad os affluente, & periculo inflammationis, & suffocationis præsente, quid præstandum.*



CAVTIONVM
ET
ANIMADVERSIONVM PRACTICARVM
LIBER XI.

Continens eas quæ ad Medicamentorum Compositionem pertinent.

LVDOVICVS SEPTALIVS.



BENIGNÆ illius ac sapientis parentis nostræ Natu æ perpetuum studium fuit, ut quàm diutissimè opera sua ab interitu vindicaret. Unde certo quodam ductu cùm vivida quædam Dei vis sit, ex fæcundo illo gremio abundè profert efficacem remediorum potentiam, quâ ferocissimi humanæ vitæ hostes abigi possint, ac opera sua quàm diutissimè ab interitu vindicemus. Quamvis autem omnibus & Medicis, & ægris, illud optandum foret, ut sponte nascentibus, & quasi è gremio naturæ effusis integram corporis valetudinem conservare, &

adversam depellere possemus; hoc enim certius, & expeditius foret longâ illâ, & ambitiosâ remediorum mole. Et reverà si impermixti essent morbi, nullâ arte, sed simplicibus, ut nobis à summo Deo concessa sunt, satis contenti esse possemus, quæ tamen in simplicitate suâ variis potentiis decorata fuêre. Sed cùm id à Natura obtinere non potuerimus, Ars, naturæ imitatrix, implicitis & remixtis morbis, variè combinatis, aut dissimilitudine pugnantibus, ac insævientibus variè, commixta remedia invenit. Multas commiscendorum medicamentorum causas enumeravit Serapio. *l.* 7. *cap.* 2. Cùm morbo profligando deest medicamentum aliquod simplex omnino contrarium, tunc duo aut plura commiscemus, ut, quod optamus, faciliùs obtinere possimus: cùm violentiam medicamenti obtundere, vel ejus ignaviam promovere volumus; cùm varietas affectuum adfuerit, & partium laborantium, tum & diversitas humorum infestantium: cerebro enim, pulmoni, cordi, epati, & aliis partibus malè affectis, id dari debet medicamentum quod singulis prospiciat, & à causa morbifica liberet. Situs quoque, & dignitas partium affectarum, compositionem necessariam commonstrant; nam pars quælibet ex principibus non solùm peculiaribus remediis est roboranda, ut cerebrum Cephalicis, cor Cardiacis ex Gal. 1. *de comp. med. sec. gen.* 1. sed sæpe non solùm alteranda, sed etiam ab humore peccante expurganda, quod uno atque simplici medicamento præstari minimè potest. Pars insuper, longè à remediis dissita, ostendit, sæpe attenuantia permisceri debere, ut faciliùs qualitas medicamenti ad partem deferatur. Hinc tenuantia diaphoretica, & purgantia, liberata à materia terrestri & crassa, latiùs suum faciunt officium. Aliquando dicebat Galen. 1. *de compos. med. per gen.* 3. ob virium alicujus vehementiæ obtundendæ, vel insuavitatis mitigandæ gratiam, qui veratro daucum, vel seseli, vel cuminum, vel anisum, vel aliud odoriferum admiscuit; demonstratum enim insuavitatem in potu, morámque in ventriculo condimentum requirere. Has omnes causas permiscendi simul medicamenta diligenter enumeravit Aver. 5. *Collect. cap.* 57. Semper tamen proportionem quandam inter miscibilia servandam censuit, ut ab ipsa resultaret & emergeret natura quædam, & specifica forma, ut docebat Galen. *lib. de Ther. ad Pisonem cap.* 10. variis exornata facultatibus, diversa à singulis componentibus, à qua non rarò admirandæ exoriuntur operationes: etiamsi fere semper initium omnium operationum ab aliquo simplici, quod Basin medicamenti illius dicunt, trahat & ducat. Ut mirari sæpe contigerit juniorum quorundam audaciam, qui in antiquorum compositis medicamentis describendis diversos, quin & quandoque contrarios, ac repugnantes componendi modos, & ab Auctorum præscripto plerumque recedentes scriptis mandârunt, ut sæpenumerò vix duos inveniamus in eâdem composi-tione,

Medicamentorum miscendorum causæ.

Propertio inter miscibilia servanda.

Recentiorum errores in formulis compositiorum mutandis, & illorum causæ.

tione, tam describendâ, quàm fabricandâ consentientes. Observavimus prætereà ex Pharmacopœis non paucos, non ex Mesuæo, aliisve classicis Auctoribus, neque ex vulgatis Antidotariis formulis desumptis suas formare compositiones, sed ex schedis quibusdam mutilis ac obsoletis, à præceptoribus, à quibus artem didicerunt, quasi per manus traditis: Alios videmus, qui, cùm non attigerint causas componendorum medicamentorum, vix simplicium medicamentorum naturam, & facultates noverint; Novas suæ inventionis, ut ajunt, sine methodo, sine delectu, multiplicibus herbis, seminibus, radicibus, fructibus, metallis in usum collectis, non ad correctionem, non ad vigorem addendum, non ad penetrandum describunt, & tanquam ad omnes morbos accommodatas, tanquam Agyrtæ & circulatores, miris laudibus ad cœlum evehunt. Hæc ita esse periti Medici cùm quotidiè observaverint, conquesti sunt aliqui ex iis mecum, quòd, cùm Cautiones & Animadversiones Medicas conscripserim, & Chirurgicas, & quæ ad Compositionem Medicamentorum pertinent, omnino intactas reliquerim. Quorum querelis ut pro viribus satisfacerem, præcedenti libro eas prosecutus sum, quæ in Medicinâ ad manualem operationem pertinent; Nunc in iis, quæ in Compositione Medicamentorum positæ sunt, mihi versandum erit. In quibus licèt quàmplures exercuerint ingenium, quoniam tamen sæpe adeò inter se diffident, ut artifices hæreant animo, neque sciant cujusnam opinionem sequantur: Et propterea in magnâ hac nostrâ civitate non determinatum unum Auctorem, aut Antidotarium sequentes, varij vario modo Medicamenta componunt cum magnâ ægrotantium jacturâ, & nostratium Medicorum notâ; quòd magis censendum est evenire in totâ hac Mediolanensi ditione: cui incommodo ut occurramus, pro munere nunc imposito Protophysici, dum cum consensu Collegiorum aliarum civitatum Mediolanense Antidotarium paratur, Animadversiones has adscribam, quæ excitare ad veritatem iis in rebus eruendam animos aliorum facilè poterunt.

Causæ scribendi has animadversiones.

1. Et ut primùm à delectu Simplicium generico exordiar; Plantas, & herbas docebat Arist. *lib. de Plantis* eas esse eligendas, quæ semine perfecto, loco convenienti, aquâ moderatâ, & aëre consimili producuntur; quibus, si deficiant, imbecilliores evadunt; aërem enim, & locum maximam plantis vim impartiri præter Theophrastum *lib.1. de causis plant. cap. 9.* docuit *in can. Mesue*, ad particularia etiam descendens; ad quem pro hac re, ne præter propositum nostrum longior sim, Lectorem remitto. Quæ omnia desumpta sunt tum à Diosc. *lib.1.* tum maximè à Galen. 1. *de Antid. cap.13.* Namque inquit Diosc. *quæ in campestribus, riguis, & opacis, cæterisque locis à ventis silentibus enascuntur, plerumque degenerant, & minùs viribus valent.* Sed nec locorum & natalis soli indagationem hanc sufficere censuit Galen. 1. *de Antid. cap.3. & 13.*

In simplicibus eligendis quid observandum.

& 13. & 1. de compos. med. per loc. cap. 2. nisi etiam cujusque sapores, odores, colores, substantiam, magnitudinem, figuram diligenter perpenderimus.

Radices quando colligendæ & conservandæ.

2. Colligantur Radices, docente Diosc. *lib.* 1. *in proœm.* ut recondantur, cùm herbæ suis foliis exuuntur; nempe autumno finiente, & hyeme incipiente. Cùm enim caulem producunt, cùm florent, cùm semine gravidæ sunt, languidiores evadere docebat Gal. 2. *de alim. fac. cap.* 61. Sylvestres, & saxosis locis natæ seligantur; expurgatæ siccentur, sed terrâ aut pulvere obsitæ priùs eluantur aquâ; quæ magnæ sunt, ut in intimis exsiccari nequeant, in frustula secentur, & in umbrâ siccentur, & trajectæ filo recondantur, sic docente Dioscor. *cap. de Helenio, & de Iride.* Sed cùm ex radicibus aliquæ sint, quarum vis in cortice solo reposita est, hæ, exemptis internis partibus, sæpe lignosis, asservari debent. Sic docuit Gal. 7. *simpl. de corticibus radicum capparorum.* Sic Diosc. *de radice Rumicis.* Sic Mesue *cap. de Secanjabin*; sic plerique Mauritani.

Quales herbæ pro usu Medicinæ eligendæ sint, & quomodo conservandæ, docuit Gal. 1. *de Antid. cap.* 2. de iis loquens, quæ exsiccatæ ab aliis regionibus deferuntur, his verbis. *Ex herbis siquidem, quæcunque unà cum semine summis ramusculis adhærent, apportantur, pro cujusque tamen conditione plurimum seminis habentes, vegetas exilibus, ponderosas levibus, compactas flaccidis, tempore non consumptas, absumptis potiores arbitrantur.* At 4. *de san. tuendâ cap.* 4. dicebat: *Herbæ autem, quæ apud nos reperiuntur unà cum floribus, minutissimis, tenuissimisque festucis colligantur à quibus, quidquid lignosum est, abjiciendum.* In umbrâ siccentur ex Gal. 5 *de comp. med. per gen.* 9. *Quæ ramis scatent*, dicebat Diosc. *lib.* 1. *in proœm. sicut Stœchas, Trissago, Polium, Abrotanum, Absinthium, Hyssopus, & alia id genus, seminè prægnantia demetantur.* Subdit, *sola ex herbaceis medicamentorum generibus veratri genera, nigrum, & album, multis edurare annis, reliqua à trimatu inutilia.* At id meo judicio solùm intelligendum est de his quæ insigni caliditate præditæ sunt, quæque ex calidis locis & siccis deferuntur; multæ enim, potissimùm quæ apud nos nascuntur, post annum propriis viribus destituuntur.

Flores quando colligendi, & quomodo conservandi.

3. Flores non colligantur rore madidi, sed jam à Sole humiditate absumptâ, neque tamen à vi Solis nimiùm strigosi facti, ut odorati remaneant. Tempus colligendi non sit, dum sunt decidui, neque ultima reseratio illorum expectanda est, ut Avic. placuit, tunc enim inodori remanent: sed tunc colligendi, cùm maturi quidem sunt, sed tamen aliquo modo connivent, sic jubente Gal. 4. *de san. tuendâ*, Exsiccentur in umbrâ, Dioscoride admonente, sed interim assiduè versandi sunt, ne muceant, néve pòst situs illis insideat. Alij flores, ut rosas & violas, Sole exsiccandos imperant, ne, situ contracto, odorem, & colorem amittant. At Solis potiùs calore igneæ aëreæ partes odoratæ

odoratæ absumuntur, & exhalant; substantifica verò tenuis illa humiditas penitùs exsiccatur.

4. Semina legantur, ubi siccari cœperint, antequàm defluant, Diosc. in procemio docente: Sint prætumida, plena, & ponderosa, ex Gal. *lib. de cibis boni, & mali succi. cap.* 2. Signum est enim sufficientis materiæ, & vividi caloris concoquentis. Quòusque reposita durent, docuit Galen. *cap.* 10. *primi de alim. facul.* cùm dicit: *Horum porrò terminus sit, cùm ab ipsis divisis quasi pulvis quidam tenuis concidit.*

Semina quando colligenda, & quomodo servanda.

5. Herbarum succus ex foliis, non nisi germinantibus adhuc cauliculis, teste Diosc. exprimendus est: tunc enim earum facultas maximè viget, cùm in semine producendo minimè suas vires exerunt.

Succus ex herbis quando extrahendus.

6. Non placet eorum opinio, qui ante ortum Solis colligendas esse herbas censent, quin & flores ad eliciendos per expressionem ex iis succos. Sic enim nec sinceros haberemus succos ob roris admixtionem, nec innoxios, quòd roris admixtio nitrosam inducat naturam: sæpe observatum est rosarum, rore aspersarum, infusionem, & expressionem, validiorem quidem in evacuatione esse, sed torminosam maximè, doloresque intestinis inducentem.

Succus ex floribus; aut herbis non exprimendus ex iis, collectis ante ortum Solis ob rorem.

7. Ut à putredine vindicentur succi, superflua humiditas elixatione est absumenda, simulque inde terrestres partes segregabuntur, deorsum latæ; tenuiores verò & ventosæ partes, tum & excrementitiæ per despumationem tollentur. Sic docuit Gal. 3. *simp. cap.* 15. *In succis omnibus*, dicebat, *aliud quid gravissimum, aliud levissimum, aliud terreum est illi permixtum*: unde evenit alios acescere, & alios corrumpi, & ideo indigent ab initio coctione quâdam.

Succi, ut conserventur, sunt prius elixandi, & expurgandi.

8. Decoquendos docet Mesue ad tertiæ partis consumptionem despumando & percolando; &, antequàm reponantur, permittendos, donec resideant, túncque transfundendos, & oleo, angusto vasis orificio superinfuso, servandos. Avic. ad dimidias decoquit; sed hoc modo subtiliores partes nimiùm dissiparentur. Tutius autem est succos hos decoctos, & depuratos, saccharo, vel melle addito, à putredine vindicare; quamvis aliqui ex succi solâ insolatione sine elixatione, ob eorum aciditatem, vel potiùs acerbitatem aliquandiu conservari possint, ut citriorum, cydoniorum, granatorum, & uvæ acerbæ; ne tamen corrumpantur, aut sunt saccharo condiendi, aut oleo superfuso conservandi.

Succi, ut conserventur, quòusque elixandi, & quomodo reponendi.

9. Succi iidem inspissantur, & quasi exsiccantur, decocti prius, & depurati, ut diximus, aut igne, aut insolatione, ut docet Gal. 6. *de comp. med. sec. loc.* 2. ex Andromacho. *Insolato, aut coquito ad spissitudinem*, & *cap.* 3. *Quidam verò succi etsi ad Solem æstivum exsiccentur ad moderatam spissitudinem, per tempus tamen exarescunt*; ut uvæ acerbæ succus, centaurij, glycyrrhizæ succus; quibus suadet aliquid mellis addendum, ne ita resiccentur.

Succi aliquò ut conserventur, exsiccantur.

...a, Soli exponendi. 10. Ut puriores evadant, persuadet Gal. *6. de compos. med. per loc.* 2. ubi Soli exponuntur, ut tenui aliquo tegumento operiantur, ne aliquid in ipsos decidat, quod & præcepisse, & observasse videmus Diosco. *lib. 4. cap. 156. de Elaterio. Humor,* inquit, *in pelvi agitetur, & linteo opertus Soli exponatur.*

Succi incrassandi igne temperato. 11. Cavendum igitur, ne per ignem succos incrassando id fiat ardentissimo igne, ne illos adurat, nimiúmve exsiccet, quod ex Galeno omninò fugiendum esse jam docuimus. Ideo Avic. Elaterium, ut excedentem vim caloris effugeret, super cineres calidos exsiccat.

Succi igne incrassandi, ne æneo vase excipiantur. 12. Caveant autem quàm maximè Pharmacopœi, ne, dum succos igne condensare conantur, igne id præstent vehementiori, sed maximè, ne in æneo vase succos hos condensandos igni exponant; tum ne æstuantis caloris vi eorum facultas destruatur, néve à vase perniciosâ introducatur facultas: præcipuè, cùm ob introductam in illis crassitiem, dum à vase condensatum succum eximere voluerint, necessarium sit detergendo aliquam etiam æris portionem abradere, præter eam qualitatem quæ in coctione imprimi potest.

Mucilaginis extrahendæ varij modi, & quis melior. 13. In mucilagine ex rebus viscedinem in se continentibus, extrahendâ, video etiam errores committi: Aliqui enim semina, puta lini, fœni græci, psyllij; vel radices, ut malvæ, althææ, & similes, lineo impositas, decoquunt, & interim manibus, vel ligneo aliquo instrumento placidè comprimunt, ac mucilaginem exprimunt. Alii in calidâ aquâ eadem per diem integrum infundunt, mox verò quasi prægnantes valenter exprimunt, mucilaginem colligentes: ut verò aquea humiditas admixta absumatur, unicâ factâ ebullitione id obtinere tentant. Mesue *cap. de Psyllio*, aquâ frigidâ macerat illius semina, atque agitat ad mucilaginem extrahendam; sed is id præstat, ut ab externis partibus, quas frigidas censuit, mucilaginem eliciat, neque aqua, cui immergitur, internas calore attingat, quas calidas & siccas censuit; sed quam benè, sensu gustus, & Græcis omnibus Medicis repugnantibus, alij viderint. Decoctionem solus Asclepiades ex Antiquis admisit, cùm alioqui per eam viscíditas imminuatur, attenuatâ materiâ. Satis igitur erit, si calida immergantur per diem & noctem, ut docuit Avicennas *lib. 5. can. in compositione diachylonis*. Sed cùm per immersionem hanc mucilago aquâ referta esset, levi ebullitione absumendam post expressionem docuit Damocrates apud Gal. *2. de compos. med. per gen. cap. 10.* & Avic. *loco proposito.*

Gummi, & lachrymæ quomodo parandæ, ut in usum veniant. 14. Ex gummi, & lachrymis aliquæ teri possunt, si lentoris & humiditatis sint expertes, leviter, tamen, & lentè pistillo hinc inde in mortario circumvolvendo, ne in placentam coëant. Gal. *2. de Antid. cap. 15. de Thure & Gummi.* Quæ verò multum lentorem in se habent, maceratione emolliri & dissolvi possunt, docente Galeno *7. de compos. med. per loc. 1. de Arteriacâ Critonis* agens, *& de Styrace:* si tamen priùs

pistillo crasso confringantur, melius esse censuit Gal. 1. *de Antid.* 5. & 2. *de Antido. cap.* 15. Possunt tamen, si in parvas partes confringantur, & aliis triturabilibus misceantur paulatim etiam in pulverem deduci, sic docente Gal. 2. *de Antid.* 15. *de gummi, cum thure pulverizando.*

15 In metallorum & metallicorum ablutione vario modo video Galenum procedere pro variâ Medici intentione. Si enim excalefaciendi vim, & mordicationem imminuere voluerimus, cùm siccandum fuerit, bis, ter, & sæpius ex aquâ lavabimus, priùs tamen iis lævigatis, ut 9. *simplic.* docuit. Quomodo id faciendum sit docuit 2. *de compos. med. per gen.* dicens; *Iis exactè comminutis, ex aquâ fluviali purissimâ esse abluenda, deinde priori effusâ sæpius, quoad nihil in aquâ innatet, maneáque prorsum à contriti medicaminis qualitate illâ immunis.* Sed in Argenti spumæ, vel lithargyrij abluendi modo, tradito à Gal. 5. *de comp. med. sec. gen. cap.* 10. cæteri lavandi modi colligi poterunt. Porrò dicebat; *Poterit toto die diligenter contritum cum liquore per noctem relinquere; postero die illum mane auferre; alium mox superinfundere; posteà rursum terere similiter, iterúmque sequenti aurorâ liquorem emittere:* quod faciendum est, donec simul cum humore Argenti spuma, veluti tenuissima quædam portio, appareat: cúmque nihil amplius innatat, nihil etiam magis effundendum erit. Attamen conterere diebus plurimis, etsi nihil ei insistat, idque Sole fervente satius est: ita enim accidit, ut medicamentum exsiccet valentiùs. Porrò noverunt omnes id æstate non solùm in Argenti spumâ, verùm etiam in aliis, quæ hoc modo præparantur, fore commodius: siquidem Cadmia, æris squammâ, æs ustum, Diphryges, cerussa, misy, sory, stimmi, & omnes lapides, prætereà & calx perinde, ut Argenti spuma, eluuntur, & lævigantur.

Metallorum & metallicorum varij lævigandi modi.

16. Quòd si fortia metallica hæc fuerint, & sensum tactus acrimoniâ exasperantia, ut malitiam imminuamus, exsiccationem tamen augeamus, acerrimo aceto per Solem, aut ignem per plures dies eluenda esse præcipit Gal. 2. *de compos. med. per gen.* 2. cùm dicit: *Siquidem meminisse vos puto & hujus, quod toties repeto, fortium medicamentorum,* ut Ærugo, Misy, Chalcitis, Sory, Æris squamma, vel chalchantum, *ex aceto diebus pluribus contritorum, morsum obtundi, & bonitatem augeri*; & cap. 12. *Metallica,* dicebat, *pluribus diebus aceto longè acerrimo atterito, & potiùs in Sole, & non rarò loco caloris ex Sole igne tuendum.* Quanquam hujusmodi omnia æstivo Sole meliora fiant, multis diebus trita, quædam ex vino, quædam ex aceto. Sed *libro primo sect. loc. cap.* 18. quandónam ex aceto, quando ex vino, quando ex aquâ marinâ, & quando ex aquâ simplici pro varietate indicationum Medicarum abluenda sint metallica, Medicos docet.

Metallicorum acrium perfectus lavandi modus.

17. † In prætumidis ulceribus inquit ibi, & duris, ex aceto & marinâ: in quibus autem acre & mordax humidum fuerit, ex aquâ terere

† Metallica quomodo, & cur variis liquoribus abluenda.

frigidâ potiùs singula metalla necesse est; quemadmodum ex vino, cùm copiosus humor influens appareat. Sic 4. *per genera cap.* 7. subtiliora, quæ ex aceto, & ad cicatricem inducendam ex vino meliora.

Metallica adusta aquâ abluenda.

18. Aduruntur quandoque metallica, ut igneæ partes, quas multas, terreis & aqueis mixtas, habere 9. *Simpl.* docuit Gal. ex parte evanescant; siccitas verò remaneat. Quoniam tamen ex ignis actione caliditas quædam extranea introducitur, censuit Galen. 9. *Simpl. cap.* 1. omninò aquâ post adustionem esse abluenda, his verbis: *Sanè combustorum omnium nullum planè est frigidum*; relinquitur enim in illis ignitio quædam, ut Aristoteli placet; hæc autem per ablutionem aufertur: unde id, quod manet, terrenum simul & frigidum est.

Metallica adusta, ut mitiora fiant, elixanda.

19. Quòd si compescere adhuc magis illorum acrimoniam & mordicationem Medicus voluerit; ebullitione in aquâ longiore facilè id obtinere posse docuit Gal. 4. *de compos. med. per gen. cap.* 6. *&* 2. *ejusdem cap.* 2. *Nam quæ metalla,* inquit, *præparas ad siccandum sine ullo morsu, coquere diutius oportet.*

In decoctione simplicium per se, aut pro diluendis syrupis canones Mesuæi servandi.

20. Simplicium decoctio, quæ & per se, & pro diluendis syrupis in usum Medicum frequentissimè venit, ubi non pro compositione medicamentorum paratur, eo modo exercenda est, quo in Canonibus Mesuæi est traditum: cùm coctionem non sustineant elixabilia omnia æqualem; sed alia levem, ut quæ facultatem habet imbecillam, facilè dissolubilem, & substantiam raram, quæque virtutes habet in extimis partibus; ne eorum virtutes dissipentur, & evanescant: alia validiorem coctionem sustinent, quorum nempe substantia firma est, crassa, densáque, & virtus non facilè resolvitur: Alia mediocrem, qualia sunt quæ inter duo illa media sunt; ut fructus, qui nec tam leniter, ut flores, & adianthum, nec tam validè, ut radices, elixari debent.

In decoctionibus cum præcedente infusione non est necessaria graduatio, & cur

21. At in decoctis, ad compositum aliquod parandum factis, sæpenumerò ab auctoribus eorum, quin ab institutore canonis illius secus factum videmus. Omnia enim eodem tempore in aquam injicere imperant, ac macerare, quæ posteà etiam simul ebulliunt. Sic Mesue in syrupo de Absynthio, & de Menthâ, & in decocto Epithymi, parati pro Tripherâ Persicâ, & in decoctione pro Confectione Hamech, quin maximè in decoctione paratâ pro pilulis Aloësanginis; in quibus & aromata, & flores, & crassiora quædam eodem tempore maceranda, & decoquenda imponit, & ad dimidias simul excoquit, nullâ subtilium à densis factâ distinctione. Sed omnino à primorum institutorum compositorum illorum provisionibus non esse recedendum semper existimavi, neque præter rationem ita constitutum esse suo loco demonstravimus. Nunc verò in universum dicemus, cùm de simplici decoctione agimus sine præcedente infusione, & maceratione, omninò servandum esse canonem illum. At ubi longa

præcedit

præcedit maceratio, cùm diversæ illæ qualitates extractæ quasi uniantur, & coëant, & crassiora, & viscidiora prohibeant tenuiorum dissipationem, ac exhalationem; tenuia verò, & calida, mediante calore, elixantes faciliùs ex solidioribus qualitates in profundioribus partibus consistentes extrahant, credendum inde mixtionem quandam produci, maximè accommodatam illi medicamento. Sic fortè Mesue in decocto pro pilulis Aloësanginis Masticem indidit, ut ejus lentore aromatum subtiliores partes, & facultates conservarentur, & myrobalanorum virtus solvens in longâ ebullitione conservatur per inunctionem & perfricationem, manibus factam, oleo amygdalino.

22. Aquæ quantitas, si decocta per se parentur, aut pro diluendis syrupis, certa pro varietate coctibilium decerni non potest; certum tamen est majorem esse debere, ubi ligna, aut radices prævalent, ut eorum virtus aquæ possit communicari.

Aquæ quantitas pro decoctis parandis incerta.

23. Sed si in duplici vase vel operculo benè occluso, ut non exhalet, decoctio etiam solidiorum fiat, dimidio minor aquæ quantitas erit indenda, cùm & blandiori calore perficiatur, & circulatione factâ minima portio absumatur.

Decoctio in duplici vase minorem requirit duplo aquæ quantitatem.

24. In decoctis autem pro compositis parandis medicamentis omninò mensura servanda est, ab illis constituta; neque statim, quòd major videatur, quàm res decoquendæ requirant, immutanda est, quod plerique faciunt. Sæpe enim fit ab autoribus, ut per longam coctionem terrestres medicamentorum partes extrahantur, vel calidæ nimis, & igneæ exhalent, aut propter utramque causam melior quædam introducatur symmetria: sæpe etiam, dum ad simplicium ingredientium quantitatem respectu aquæ respicientes minorem debito esse censent, & augendam indicant, decipiuntur; non animadvertentes decoctionem illam, adeò pressam, ac à regulis semotam, esse in duplici vase, & per balneum aquæ faciendam, in quo modo elixationis longè minor quantitas aquæ necessaria est, nec adustionis ullius subest periculum.

In decoctis pro componendis medicamentis non est mutanda aquæ quantitas, etiamsi major aut minor videatur, & cur.

25. Si etiam occluso, & lutato vase elixatio facienda est, igne sicco, non per balneum: ut minor multò aquæ quantitas indenda est, quòd, circulo per evaporationem facto, ex evaporatione denuò aqua defluat, minimúmque aquæ absumatur; ita ignis multò minor quantitas, & sine flammâ erit subdenda; ne ex vehementi ebullitione elevatis cum impetu exhalationibus, & vaporibus vas fictile & vitro illitum disrumpatur.

Decoctio, occluso & lutato vase, minorem aquæ quantitatem requirit, & minorem ignem.

26. Decoctiones hoc modo factas lento igne carbonum, potissimùm si decoquendæ sint res durioris substantiæ, multò validiores quilibet experietur, quàm si fiant ad balneum aquæ calentis. Quamvis enim calor is blandus, si diu perduret pro maceratione, ad vires

Decocta, sicco igne facta, longè sunt valentiora, quàm quæ in duplici vase.

medicamentorum extrahendas, & aquæ communicandas sit aptissimus: ad elixationem tamen, aut simplicem, aut post macerationem, ut ex penitioribus partibus qualitates medicamentosæ elici possint, & aquæ communicari, ignis caliditas sicca multò est potentior, & si quis, decocto hoc modo parato, ut ex guajaco, radice chinæ, sassafras, radicibus, & herbis calidis, gustu, & olfactu de perfectione illius periculum facere voluerit, & illud comparare cum eo, quod elixatione per balneum aquæ calidæ factum est, facilè cognoscet, illud multò esse potentius, meliúsque concepisse facultates ingredientium.

Elixationum termini variantur pro varietate rerum excoquendarum.

27. Ut quantitatem aquæ pro decoctis parandis variandam esse pro conditione simplicium ingredientium docuimus, & pro vario modo elixationis: ita video Scriptores varios in termino ebullitionis nunc ad tertiæ partis consumptionem excoquentes, nunc ad dimidiam, nunc ad tertias consumptionem expectantes: ut videre est Damocratem fecisse radices filicis, & aromata ad consumptionem dimidij excoquendo apud Galenum 2. *de composiii. med. per loca* 2. & 9. *lib. ejusdem* 1. ex Archigene ad tertiam partem, & *cap.* 4. *ex Asclepiade,* & 2. *per genera cap.* 17. aut ad tertias, *lib.* 8. *c.* 2. Statuit autem Galenus 7. *local.* ubi de confectione capitum papaveris agit, tamdiu esse res ebulliendas, quousque simplicium natura sit liquori distributa; id verò dicit esse, cùm simplicia sunt flaccida.

Digreßio. Decoctio rerum substantiâ diversarum quam proportionem exposcat temporis, ignis, & aquæ. Francisci Velezii hac in re sententia.

28. In decoquendis simul in aquâ rebus diversæ substantiæ, quæ ad communicandam vim suam aquæ diversitatem exposcunt cocturæ, temporis, conditionis ignis, & fortè mensuræ aquæ, quoniam video duos diligentissimos Pharmacopœos Hispanos maximè inter se dissentire, & in aliquibus cùm etiam ab iisdem ipse sim discors; decrevi hoc loco longiori aliquantò oratione præter morem, & institutum meum uti, ne in re tanti momenti in posterum Pharmacopœi aberrent. Decrevi autem eorum dissentientes sententias in medium proponere, & denique meum eâ in re interponere judicium. Franciscus Velezius primò ex Mesuæo sibi sumit in decoctionibus duo esse perpendenda, substantiam rerum coquendarum, & commensurationem proportionémve caloris ad debilem, vel fortem substantiam rerum excoquendarum; cui tertium addendum censet, quantitatem rerum coquendarum, & liquoris, in quo res illæ sunt excoquendæ. Primum illud licet cognitu difficillimum sit, quòd gradum substantiæ cognoscere paucissimis sit datum; ad tres tamen gradus reducenda ea judicavit, quæ crassam solidámve habent substantiam; quæ mediocrem, & quæ tenuem, in radicibus, seminibus, & floribus expressam. E quibus ut decoctio mediocris substantiæ haberi possit, qualitatibus correspondentibus prædita, censet pro librâ radicum sex aquæ libras esse sumendas, & per decoctionem tres esse absumendas, ut ex solidiori

diori substantiâ medicatæ qualitates aquæ communicari possint. Pro seminum librâ excoquendâ, cùm mediocris sint substantiæ, quatuor libras aquæ cum dimidiâ vult esse sumendas, & per coctionem libram & mediam absumendam. Ad florum libram elixandam tres aquæ libras & unciam sumit, absumendam verò solùm unciam. Quòd si simul res hæ tres excoquendæ fuerint; ait, hoc modo esse procedendum. Quoniam, si sejunctim decoquantur, eorum virtus in libris novem aquæ relinquebatur, ut hoc idem in decocto rerum simul coctarum facto relinquatur; duodecim libris aquæ sumptis, primò librâ radicum impositâ, absumenda erit coctione libra una & media aquæ; mox librâ seminum additâ, per iteratam ulteriorem elixationem septemdecim unciæ absumentur ampliùs aquæ, & florum pòst additâ librâ, levi factâ ebullitione, unâ absumpta unciâ, novem decoctionis supererunt libræ: quæ tunc percolari poterit, ubi tepens nullum ampliùs emiserit fumum. Hanc graduationem servandam censet, si media libra excoquenda eorum sit in sex quidem solùm aquæ libris: pro radicibus tamen sesquilibrâ absumptâ, & additis seminibus, & floribus, eâdem ad proportionem absumptâ aquæ quantitate; & secundùm hanc propositionem dicit posse nos & quatuor uncias, & duas libras earum coquere. Contendit Oviedus, modum hunc elixandi res, substantiâ differentes, malum esse, atque liquorem, cum illis hoc modo excoctum, multò minores vires in se continere, quàm si singulæ per se excoquerentur. Primò, quia aquæ, quâ pro elixatione utimur, pars absumitur, pars servatur; quæ absumitur, proportione respondet substantiæ rei, quæ coquitur, pro crassâ, media, aut tenui substantia rei excoquendæ, aut pro centrali, aut superficiali virtute medicamenti excoquendi: &, quæ superest, proportionem habebit ad virtutem, quam è medicamento in aquam tentamus extrahere; ut si libram radicum excoquamus in libris sex aquæ ad consumptionem medietatis, eam vim radicum extraxisse supponemus, quæ pro moderatâ dosi requirebatur; quòd si ulteriùs procedat coctio, & sesquilibra sola supersit, multò efficacius reddetur in pauciori quantitate aquæ, totâ præexistente virtute redactâ. At si minus absumatur aquæ, & major quantitas aquæ supersit, minoris virtutis, & activitatis erit aqua superstes, & ob majorem relictam aquæ quantitatem, & ob breviorem coctionem. Si igitur virtus libræ radicum, coctarum in sex libris aquæ, perfectissimè relinquitur in tribus relictis; si in novem, ut priores volunt, excipiatur, quis dubitat futuram illam decoctionem minoris activitatis, quàm quæ in tribus continetur, quæ sex partibus minor est? Idem de seminibus, & floribus, excoctis eo modo, dicendum erit. Aptissimo id exemplo explicat Oviedus. Si ex vase, continente tres libras aquæ, in quâ liquata sit libra sacchari, & alio, novem libras aquæ continente,

Oviedi refutatio.

nente, in quâ dissoluta itidem alia libra sacchari, sumamus duo vascula illarum aquarum, quis dubitaverit, multò nos dulciorem eam persensuros, quam ex vase trium librarum aquæ cum librâ sacchari, quàm eam, quam ex alio novem librarum aquæ cum unâ sacchari exhauriemus? Pari ratione non est credendum, in novem illis, ex graduatâ illâ radicum, seminum, & florum decoctione superstitibus, tantam reperiri virtutem radicum illarum decoctarum, quanta reperitur in tribus libris ex sex relictis, cùm solæ radices elixabantur; etiamsi tàm in compositâ ex duodecim libris tres sint absumptæ, quàm in simplici, cùm ex sex libris totidem tres sunt consumptæ: cum vis libræ radicum, novem libris aquæ communicata, multò minoris activitatis sit, quàm quæ tribus. Iterum decipitur, cùm auctâ, aut diminutâ ad duplum quantitate radicum, seminum, & florum, augendum, aut diminuendum pondus aquæ ad duplum, & in absumendâ aquâ per elixationem eandem servandam esse proportionem censet. Cùm enim augemus, aut minuimus quantitatem simplicium ingredientium, id non præstamus, ut augeamus, aut minuamus vires illius decocti; sed quòd majori, vel minori indigeamus quantitate decocti: at si modum decoquendi, traditum à Velezio, sequamur, primum illud non obtinebimus. Exemplo id probat Oviedus. Ponamus Medicum velle, quòd duæ libræ radicum decoquantur in libris octo aquæ ad consumptionem medietatis, ad quatuor nempe libras; & per hanc absumptionem supponat qualitates radicum satis aquæ esse impressas, Adauctâ ad duplum quantitate aquæ ad radices, nempe quatuor librarum radicum ad sexdecim aquæ; si octo ad proportionem absumantur, vires, & qualitates radicum in decocto imminuentur, cùm activitatis & passibilitatis cujusque rei sua sit peripheria, & suus terminus, ultra quem si procedatur, virtutes imminuuntur; & si in aëreis, aut igneis qualitates illæ insideant, per ulteriorem coctionem evanescunt. Pari ratione, si ad duplum imminuamus; ut, si radicum libram in aquæ quatuor libris coquamus ad consumptionem medietatis, duarum nempe librarum radicum, virtus æquè & perfectè non communicabitur, quòd longiorem exposcant elixationem, ut virtus radicum perfectè aquæ communicetur. Quòd si respondeat ad extrahendam virtutem ex duabus libris radicum in octo aquæ, requiri quidem ebullitionem ad consumptionem quatuor librarum aquæ; ad extrahendam ex unicâ librâ radicum in quatuor àquæ, satis erit duarum absumptio. Alio experimento, ex Mesuæo desumpto, convinci poterit. Docuit Mesue *in canonibus, capite de Decoctis*; *In iis compositis graduatione opus esse, cùm ingredientia diversa sunt substantia: at si eandem sortiatur, eodem tempore medicamenta esse imponenda.* Radices fœniculi, & apij substantiâ non differunt; eodem igitur tempore aquæ ad elixationem erunt imponendæ: imponatur

natur igitur radicem fœniculi libra, & apij uncia in libris quatuor aquæ,& elixatio fiat ad dimidias, æquali tempore decoctas inveniemus, & suas vires aquæ communicâsse, & tamen hìc multùm, & parum adesse scimus. Sed nondum illius animus acquiescit dictis, & adhuc instat exemplo. Caro multa bubula, & pauca res sunt ejusdem substantię; sed ad multam coquendam carnem, & paucam coquendam non eadem requiritur quantitas aquę; sic igitur ad elixandum multùm & parum medicamenti ejusdem substantiæ, neque assumimus eandem quantitatem aquæ. Veritatem assumpti quotidiana coquorum exercitatio probat, qui pro multâ carne elixandâ multò plus aquæ sumunt, & longiori tempore excoquunt, quàm in paucâ elixandâ. Sed non animadvertit, in decoquendis rebus duplicem homines finem habere posse: aut ut res, quę aquę incoquitur, emollescat, & in usum, aut ut cibus, aut ut medicamentum veniat; aut ut rei incoctę qualitates, & virtutes, aquę communicatę, in usum humanum traducantur. In primo genere decoctionum etiamsi nonnihil referat, fiátne id in multâ,an in paucâ aquâ, ad sapiditatem rei coctę; si tamen consideravimus proximum finem elixationis rei illius emolliendę ac excoquendę, parum refert, in multâne, an in paucâ elixatio illa facta sit, modò cocturam habeamus: ac propterea non semper Auctores aquę quantitatem perscribunt, ut fecit Mesue primò *in Diasatyrio*, secundò in *decoctione Secacul*, *& in secundâ decoctione cicerum*; neque in aquâ mellis pro decoquendis myrobalanis Emblicis, neque in iulepo pro excoquendâ pulpâ cydoniorum, & citrorum pro conditis pręparandis,ut & Gal. fecisse videmus *primo de Antid. cap.* 19. ubi pro viperis elixandis nullam aquę quantitatis facit mentionem. At in secundo fine, cùm qualitates & vires rerum coquendarum aquę communicare tentamus, secus se habet; non solùm enim proportionem requirimus rei coquendę ad aquam absumendam, sed etiam ad aquam superstitem; quia aqua absumenda proportione respondere debet substantię rei coquendę; quę verò superest, cum virtute majori vel minori, quàm quęrimus aquę imprimere. Propterea cùm aqua, quę absumitur, respondeat proportioni substantię rei excoquendę; hęc autem semper est eadem, ac cùm medicamentum tale coquitur, semper absumenda est eadem aquę quantitas. At in aquâ, quę relinquitur, diversa est ratio; quia cùm hęc proportionem habeat ad virtutem extrahendam ex medicamento, quod elixamus; hęc autem proveniat à majori,vel minori quantitate medicamenti, quod imponimus, non eandem semper relinquimus aquę quantitatem, sed majorem, vel minorem, pro majori vel minori quantitate medicamenti virtutem communicantis. His positis, facilè argumento contrà adducto responderi potest, Concedimus enim, non eandem aquæ quantitatem absumi in excoquendâ multâ

Nnnn carne,

carne, & paucâ; quia ad multam carnem emolliendam, & ad penetrandas intimas partes major aquę quantitas requiritur : sed hoc nihil facit ad concludendum, quod tentabat. Hîc enim illud unum intendimus, ut carnem mollem, & coctam habeamus, non autem proportionem aquę augendę, aut minuendę ad medicamentum, quod coquitur, nisi fortè aliquo modo ex accidenti ob sapiditatem, cùm coctionem carnis ad aptitudinem ad alimentum requiramus; ad quam si viderimus primam non sufficere ob duritiem carnis, aliam aquam superaddemus. At si decoctum consideremus, ut, quod superêst, & relinquitur, in quo virtus medicamenti excocti absorpta est, in usum nostrum venire possit : negandum omnino erit, ad multam carnem coquendam, aut medicamentum aliquod, ut liquore utamur, in quo res illa cocta sit, majorem aquę quantitatem esse absumendam, quàm cùm pauca est coquenda. Quia in hoc casu aqua elixanda, & absumenda, non debet proportione correspondere parvę, vel magnę quantitati medicamenti, sed conditioni substantię rei illius. Et ut in multâ, aut paucâ carne, & pauco vel multo medicamento excoquendo adest conditio substantię; eadem semper aquę quantitas absumi debet, si eadem sit substantia, ex quâ virtus est extrahenda, cum quâ proportionem habet, qualiscunque sit illius quantitas. Sed nec in iis perpetua est veritas: Exemplo sit radix cichorij, à quâ si extrahere in aquam attenuantem voluerimus qualitatem, quę in superficie est, leviter erit excoquenda; si frigidam & terrestrem, longâ coctione erit elicienda. Nec recipiendam etiam esse censemus proportionem quantitatis rei excoquendę ad quantitatem aquę, habito respectu quantitatis absumptę; nisi ignis consumentis, & temporis, in quo consumitur, ratio habeatur. Etenim ob ignis vehementiam quantitas, quę absumetur spatio quatuor horarum, unâ quandoque horâ cùm absumatur, non poterit eo tempore aquę communicari. Neque etiam admitti debet, quod à Velezio proponitur; si ad eliciendam virtutem unciarum duarum medicamenti solidioris requiritur illius decoctio in aquę libris duodecim ad consumptionem sex librarum: proportione servatâ medicamenti & aquę, unâ unciâ ejusdem, in sex aquę libris decoctâ ad dimidias, optimè servatam esse regulam proportionis medicamenti ad aquam existimandum, si finem illius decoctionis consideraverimus, atque communicationem virtutis medicamenti ipsi aquę. Ut enim id fiat moderato igne in libris duodecim, ut absumantur, quatuor puta horę requiruntur; at si uncia cum sex libris decoquatur ad consumptionem trium librarum moderato igne, id fiet horis, puta duabus, quo tempore centralis illa virtus duriori substantię benè aquę communicari non poterit, tum ob temporis brevitatem, tum ob minorem reactionem aquę ad ignem. In quo casu, aut minori, & lentiori igne utendum

erit, ut longiori tempore absumptio medietatis perduret, aut aliquantò augenda erit quantitas aquæ; & rei hujus veritatem experiri qui voluerit, facilè degustatâ unâ & alterâ decoctione cognoscere poterit.

29. In vase eligendo sua sit cautio, ut ænea vasa fugiamus, ne incocta medicamenta æris malam qualitatem contrahant: & si quando necessitas urgeat iis utendi, sint saltem stanno illita, ut docebat Haliab. 10. *Pract. cap.* 19. Si tamen medicamenta incoquenda acetosa fuerint, aut acria, aut salsa, aut vinosa, aut vehementer adstringentia, talia omnino erunt fugienda; ne aut pars aliqua interna vasis commisceatur, aut saltem mala qualitas eliciatur, & ideo aut fictile vas, vitro oblinitum, erit eligendum, aut certè lapideum. *Vasa ænea in multis decoctis parandis fugienda.*

30. Sæpenumerò cùm decocta multarum rerum in paucâ aquæ quantitate præscripta vident Pharmacopœi apud gravissimos Scriptores; aut artis imperitiæ auctores arguunt, quòd quantitatem aquæ, ad ebullitionem medicamentorum ingredientium correspondentem non præscripserint, subindéque potiùs assationem, quàm elixationem subsecutum iri, aut certè tanquam corruptum codicem corrigendum esse censent; quum potiùs censendum sit, ita ab auctoribus esse conscriptum, quòd voluerint, decocta illa in duplici vase per aquam calentem esse peragenda; quo modo multò minor aquæ quantitas satis esse potest: sic enim cēsebat Gal. & ex ratione, nullum impendere periculum adustionis ex adurente calore ignis, meliúsque nativam humiditatem ingredientem conservari. Antiquis familiare, & sibi maxime gratum fuisse elixationis hoc genus docuit Galen. 4. *de sanit. tuendâ cap.* 8. *cum d.* Qui verò his sunt magis curiosi, in duplici vase coquunt. Hoc fit, cùm in lebete, in quo sit aqua fervens, inseritur vasculum, in quo sit oleum, quod nos facere solemus. Et alibi sæpius *in libr. de compositione medicamentorum per loca, & per genera, ut* 3. *per genera cap.* 8. & 7. *cap.* 12. & *sect. loc. in Arteriacâ septimâ*, & in iis, quæ à Critone, & 7. *per genera ultimo* ex Damocrate, & 1. *de Antid. cap.* 15. & 10. *Meth. cap.* 9. & pluribus aliis in locis, & passim Mesue in oleis decoquendis Diplomate utitur. *In decoctione duplici vase utendum, ubi apud Scriptores pauca aqua indita videtur.*

31. Quæ ad triturationem medicamentorum pertinent; sive naturam triturandorum spectemus, sive triturationis terminum, sive triturandi modum, sive instrumenta; adeò diligenter, & accuratè prosecutus est in canonibus Mesue, ut nullus animadversionum locus hîc relinquatur; nisi illa dixerimus addenda ad mortarium pertinentia, ne dissipentur triturata, ex Critone descripta à Gal. 2. *de Antid. cap.* 18. à me hoc loco omittenda, ne in iis, in quibus brevitatem maximè profiteor, longior sim. *Triturationis præcepta ex Mesuæo & Gal. 2. Antid. 18. desumenda.*

32. Lotio quamvis de eâ dicatur, quæ cæteris etiam rebus convenit, quæ ad Medicam materiam non pertinent, quâ pulvis, sordes, *Lotionum varii modi, & usus.*

 & in-

& inquinamenta, in superficie existentia, abluuntur, & absterguntur; reverà tamen, cùm Medici de Lotione loquuntur, intelligunt, quæ magis est intima, quæque extrahit foris, & per intimam substantiam medicamentorum penetrat, quæ vel aquâ sit simplici, vel medicatâ, vel vino, vel aceto, vel liquore aliquo medicamentoso; prout morbus, vel ægri natura, vel occasio aliqua postulat: majori ex parte ad noxiam aliquam qualitatem amovendam; aliquando ad utilem aliquam introducendam. Cùm metallica, lithargyrum, tutiam, cadmiam, cerussam, chalybem, adipes, olea, resinas, picem, & calcem lavamus, id facimus ad igneas, sæpe acres, & mordicantes facultates, & qualitates removendas: cùm axungiam porcinam, cùm pinguedines alias, quamvis sæpe id præstemus, ut membranas, venulas, & fibras amoveamus: aliquando tamen etiam id fit, ut utilem aliquando qualitatem frigidam, vel calidam, vel benè olentem introducamus; ut etiam aliquando fit in olei lotione, quæ quamvis sæpius fiant ut auferatur aliqua mala qualitas; aliquando tamen fit etiam, ut ex liquore, quo abluitur, aliquid acquirat. Sic Mesue *capite de unguento rosato* instituit, eluendam esse axungiam porcinam novies aquâ calidâ, & toties frigidâ, ut ab ipsâ non tantùm acrimonia deleatur, sed etiam, ut vim refrigerandi acquirat.

Aloës lavandi varii modi & fines.

33. In Aloës lotione aliquid est, quod animadversione indiget, quòd videam in eâ multos errare, & doctissimos etiam viros in essentialibus etiam inter se dissentire. Si impura fuerit aloë, arenosa, & saxis, & festucis admixta, genus illud lotionis requirit, quod à Diosc. traditum est. Lavatur, ut, quod sit arenosum, tanquam inutile subsidat, & pingue, & purissimum assumatur: quod ut perfectiùs obtineamus, bis atque iterum exsiccato, atque iterum attrito præstare possumus, donec purissimum obtineamus. Exercetur genus hoc lotionis in impurâ aloë: at si succotrinam perfectissimam habuerimus, vel etiam hepaticam puram, nullâ hujusmodi ablutione opus erit. Admittit tamen purissima etiam aloë genus aliud lotionis, non ad festucas, aut arenosa segreganda, & rejicienda; sed ad aloës acrimoniam, igneas, & purgatrices qualitates, & partes separandas, educendas, & obtundendas, quomodo minùs purgatoria redditur. Magis tamen tunc roborare ventriculum docuit Galenus 7. *Meth.* & 6. *de san. tuendâ* & 8. *med. local. cap.* 2. Cujus causam esse crediderim, quia relinquuntur partes terrestres, adstrictionis participes, quæ roborare possunt. Tales autem non paucas aloë inesse partes illud docet quod extrinsecus adhibita vim habet adstringendi.

Aloës, dum verè abluitur, aqua projicienda.

34. Sed hoc loco illud omnino animadvertendum est, quod adeò controversum esse video inter gravissimos etiam viros. An aqua illa quâ aloë abluitur, sit abjicienda, an servanda, & cum aloë Soli ad siccandum exponenda, quæ cum ipsâ aloë in usum adhibeatur. Ac servandam

ſervandam eſſe colligunt aliqui ex Gal. 8. *med. local.* 2. qui affundere aquam ipſi aloë videtur, & vi Solis æſtivi exſiccare: quod etiam Meſuen feciſſe conjectare poſſumus, qui & in *lib. ſimpl.* & potiſſimùm in compoſitione pilularum Aloëſanginarum ſæpius aquâ pluviâ aloën lotam in ſcutellâ terreâ vitreatâ Soli ad exſiccandam eam exponit, ut decoctionem illam aromaticam exſiccatæ, & denuo tritæ ſuperinfundat.

Quòd ſi quis dubitet, ſi aqua non projiciatur, cur aloë lota minùs purget, cùm ſerventur partes ejus purgatoriæ? reſpondent, fortè diſſolvi purgatoriam vim aloës à vi Solis, à quâ aloë diluta exſiccatur. Ego verò vix mihi perſuadere poſſum, in ablutione aloës, quam 7. *Meth. cap.* 11. & 8. *de compoſ. med. loc. cap.* 2. tradidit, ſervandam eſſe aquam. Crediderim igitur in hac ablutione, quemadmodum & in cæteris, medicamentum hoc eſſe diluendum, aquam ſuperfuſam eſſe abjiciendam; medicamentum, aquâ maceratum atque emollitum, eſſe reſiccandum; ac, ſi ita res ferat, rurſus ac rurſus eſſe identidem & eluendum, & reſiccandum: ad id credendum moveor, quoniam proprius eſt, & peculiaris modus medicamentorum abluendorum apud Galenum, Mauritanos omnes, & pleroſque alios, potiſſimùm Actuarium *libro* 4. qui eſt *de compoſitione medicamentorum cap.* 9. *in Picrâ.* Galenus, de eâ agens cum aloë lotâ, & illam abluere docens, aquam, ſummatim emergentem, abjicit, nec ſemel tantùm, ſed iterum atque iterum id faciendum docet: quod ubi abundè factum ſit, medicamentum habebimus, morsûs expers, & ſtomacho maximè idoneum: & reliquis ſpeciebus admixtis, *medicamentum, ita concinnatum, imbecillibus ſtomachis accommodatum eſſe* inquit Galenus. Sed ratio etiam id ipſum perſuadet; ſi enim medicamentum abluimus, ut ejus partes aut veneficas, aut purgatrices, aut acres, mordaces, dolorificáſque detrahamus, cùm illæ in aquâ deponantur, fruſtra lavandi laborem ſuſcipiemus, niſi partes illas, quas vitare eſt animus, unà cum aquâ effundamus, & abjiciamus. Præterea, cùm duo ſint parandorum medicamentorum modi, & quidem inter ſe ſpecie diſtincti, ablutio & infuſio; ab iis, qui ita putant aloën eſſe lavandam, ut aqua ſervetur, libenter quærerem, in quo differat ablutio hæc ab infuſione: ut differant, dicendum eſt, in unâ liquorem ſervari, non item in alterâ. Neque Gal. aut Meſuen, ſi benè intelligantur, aliter ſenſiſſe cognoſcemus, nam affundendam, aut ſuperinfundendam quidem eſſe aquam, dein medicamentum Sole eſſe exſiccandum, docent; ſed aquam infundi quidem, ut illa, medicamento emollito, abjiciatur, & medicamentum jam molle & humidum exſiccetur. Sed nec adeò nos urgeret auctoritas illa Galeni 8. *med. local.* 2. quòd non Gal. ſunt verba, quin ne quidem Andromachi, à quo exſcripſit, ſed ex Lampone quodam Peluſiota, à quo Andromachus exſcripſerat, id quod

Græci impressores, & Aldus, & Isingrinus animadverterunt, appositis in margine parvis asteriscis universæ illi orationi, quod fieri solitum est, quum verba ex aliis auctoribus referuntur: id quod dum Latinus interpres prætermittit, tum hîc, tum alibi in rebus quidem etiam quibusdam magni momenti errandi multis dedit occasionem. Quid verò de Mesue dicendum sit, qui in pilulis Aloësanginis aloën succotrinam, quam in simplicibus dixerat, quòd purissima sit, non indigere ablutione, aquâ pluviâ abluit, mox siccat, iterúmque eandem attritam abluit decocto aromatum, quod etiam per insolationem vult imbibi, suo loco, cùm eas pilulas examinabimus, dicemus. Illud solum, quod ad propositum nostrum facit, annotabo, ex verbis Mesuæ ibi colligi non posse, eum non projecisse aquam, postquam aloën in scutellâ vitreatâ sæpiùs abluit; post lotionem enim illam exsiccat, & verosimilius est, id projectâ aquâ fecisse, quàm eâ admixtâ, cùm exsiccatio illo modo faciliùs fieri possit, & finis Mesuæi erat, purgatricem partem imminuere, & acres, igneásque obtundere abstergendo.

Aloës lavandi Quercetani nova ratio. 35. Placet tamen hîc aloës lavandi novam rationem ex Quercetano apponere, quòd ea meo judicio omnium videatur præstantissima, & si in paranda aloë lotâ, vel ad pilulas Aloësanginas parandas, vel ad hieram Galeni ex aloë lotâ 7. *Meth.* & 8. *med. loc. cap.* 2. conficiendam uteremur, perfectissimam haberemus compositionem. Sic autem ab eo describitur. Recipe aloës succotrinæ optimæ, & electissimæ, quantum libet: quam redactam in pulverem immittas in matracium, seu cucurbitam vitream; affunde aquæ endiviæ, vel acetosæ (adde tu vel pluviæ) ut quatuor, vel quinque digitos superemineat: pone in Balneo Mar. calido ac ferè bulliente, vase optimè clauso cum subere, vel cerâ Hispanicâ: stet ita per duos vel tres dies integros, & conflabis aquam, ab aloës essentiâ tinctam, & rubicundissimi Rubini instar; quam lentè per inclinationem à fæcibus separa, ne, quod crassum est, simul exeat; liquorem effusum seorsim asserva in alembico probè clauso; materiæ relictæ aliam affunde aquam, sed non tantum, quantum priùs; deinde digere, ut antè, colaturam separa, priorique adjice, ac rursus aliam affunde, donec aqua nullum ampliùs alliciat colorem, & videbis residuum, quod est in fundo, arenæ instar, aut cineris, in magnâ satis copiâ, & ex mediâ librâ duæ, vel tres unciæ restabunt: est autem aloës pars inutilis, nec in aquâ dissolvitur. Aquam omnem distilla per alembicum, aut in argenteâ patinâ fac exhalare, carbonibus ac calidis cineribus impositâ, donec materia restet crassitudine mellis, quæ erit lucidissima Rubini instar. Hæc aloë, sic præparata & depurata, basis erit ad plures effingendas pilulas

las, quæque jam per se, ad unius scrupuli dosin exhibita, excellens medicina est. In quo lotionis modo illud animadverto, optimum reddi per illum evacuans medicamentum, quòd subtiles igneæ & purgatrices aloës partes, à terrestribus & adstringentibus separatæ: in aquâ conserventur; exhalata aqua unitæ remaneant valentiores: sed verè dicere non poterimus, magis convenire in imbecillitate ventriculi, quòd terrestribus, & adstringentibus partibus sit destituta; neque reponi, neque in usum venire pro aloë lotâ Galeni, quæ minùs purgat, & plùs roborat; neque pro hierâ, ex aloë lota parandâ, de quâ Galen. 7. *Meth.* & 8. *med. local.* usurpari: quin nec ex eâ parari poterunt catapotia ex aromatibus. Præstantissimâ tamen erit ad alvum solvendam, & bilem educendam.

36. Cùm igitur per lotionem semper substantia aliqua, vel qualitas auferatur, non nisi impropriè aloë lota illa dicetur in quâ nihil notatu dignum illi detrahimus; sed ei tritæ superinfundimus liquorem aliquem, per quem vim illius purgatricem augemus; ut cùm succum rosarum solutivarum, aut infusionem earundem, vel infusionem, & decoctionem affundimus, puta rhabarbari, senæ, turpeti: aut alteratricem, ut cùm decocto aromatum infundimus aloën ad roborandi facultatem acquirendam, & cùm aquâ rosarum, endiviæ vel aliarum inducere refrigerantem vim tentamus. *Lotione verâ semper à re lotâ aliquid detrahitur.*

37. In Assatione & Torrefactione illud animadvertendum, ne in ustionem vertatur; docuit enim Aristo. 4. *Meteor.* in assatione superfluam absumi humiditatem, at nativam, & internam conservari; per quam assa elixis esse humidiora idem dicebat. Hæc quomodo fiat, optimè docebat Mesue in can. Modum scyllæ assandæ tradidit Andromacus versibus, & Gal. solutâ oratione primo *de Antid. cap.* 9. & Diosc. *lib.* 7. *cap.* 140. Myrobalanorum diversum assandi modum docuit Albucasis, quomodo etiam radices, & semina, ut cuminum, assari docuit Galenus 7. *medic. local.* *In assatione sola humiditas superflua absumitur. Assa quomodo elixis humidiora. Torrefactionis varii modi.*

38. Vstio verò omnem humiditatem consumendam supponit, & ideo Gal. 5. *local. cap. ultimo* terminum adustionis præfixit esse, cùm neque fumosum, neque vaporosum ab ipsis effertur: quæ sunt certa indicia, penitus illorum humiditatem consumptam fuisse. Vbi etiam comburendi modum tradidit, comburebat viperas, *lib. de Theriacâ ad Pisonem,* Herbas, Lanam, 5. *local. de Lentisco, & Perdicio herbâ cum lanâ*; Abrotanum, & Anethum alibi, ut magis exsiccent; Alibi Pilos, Sepiæ testam, Erinaceos marinos, Cochleas cum testis, Hirundines, Cicadas, Ranas, Alcyonia, Spongias, 2. *Simpl.* Sic 4. *per gen.* Metalla adurebat, ut abluta *Vstione omnis absumitur humiditas. Vstionum varii modi pro rerum varietate.*

abluta posteà morsum amittant. De modo Cadmiæ adurendæ agit Diosc. & scoriam ferri docet adurere priùs tritam, aut frustratim incisam, vel carbonibus injectam, & follibus accensam. Sic Pyritem lapidem, Chalcitin, Auripigmentum, Æruginem, & Stibium adurebat. Quomodo Sulphur comburi debeat, docuit Diosc. *lib.* 4. *cap.* 87. Sed quia in Chalcite adurendâ singularem adhibuit diligentiam Gal. 1. *de Antido. cap.* 15. optimè consultum Pharmacopœis censerem, si diligenti illâ adustione perpensâ, illam, & cætera adurere inde discerent. Mirabilis est præparandi Chalybis, & lævigandi ratio, sæpius à me experta, ut cum aceto præpararem. Sumatur Chalybis virga, altera sulphuris; ferrea ardentissimo igne candescat, ut ignescat, cujus uni extremo apponatur extremum virgæ sulphuris, confestim liquescet ferrum, & in parvas guttulas decidet, quæ in mortario facilè in pulverem redigantur, & posteà acri aceto maceratus præparatur.

Chalybis colliquandi mirus modus.

Iam tandem in particularibus medicamentis compositis exercendum est ingenium, atque aliquæ in iis Cautiones pro instituto nostro, & Animadversiones erunt interserendæ: illud observantes, ne in iis, quæ non sunt in usu, vel rarò admodum, tempus conteramus, & ut quæ majorem solùm afferunt in componendo difficultatem, hîc recenseamus; in simplicibus, quæ compositiones ingrediuntur, non multùm insistentes, cùm rem hanc à multis etiam concertantibus opinionibus videam esse transactam; nisi ubi videro multùm interesse Medicæ Reipub. rem hanc, an illam indamus; & in defectu rerum obsoletarum quid substituendum sit, cùm passim videam hac in re gravissimos committi errores.

Electuarii de Gemmis nobilitas, & difficultas.

39. Primùm veniet considerandum Electuarium de Gemmis Mesuæi, quod, ut non nisi tanquam præstantissimum, & ad multas, cordis potissimùm, ægritudines utilissimum possum laudare, & ob ingredientia, & ob illorum symmetriam & proportionem, & propter auctoris hoc in genere excellentiam; quoniam tamen in eligendis lapillis illis sæpe, aut avaritiâ, aut inscitiâ, aut negligentiâ aberratur; quoniam etiam gemmas non tam manifestis qualitatibus refrigerando, & exsiccando agere censuerunt & Arabes, & Græci Scriptores, quàm occultis, & peculiari virtute specificâ: quæ quomodo confractis, & ad subtilissimum pollinem deductis conservari possit, vix animo concipi potest; si quis ab eo componendo desistere voluerit, non multùm reprehendendum censerem: cùm alia nobilia etiam suppetant medicamenta, iisdem facultatibus ornata.

40. Si propositæ difficultates Medicos in usu confectionis de

Gemmis suspensos tenent: cur in usu Hyacinthinæ confectionis non magis hæsitabunt, cùm in eâ reperiantur multò plura quę animis nostris scrupulum injiciunt. Nam præter easdem difficultates est primò auctoris incertitudo; Hispanis Medicis Neapolitanis inventionem tribuentibus: Gallis verò potiùs Monspeliensibus. Sed quod majoris est momenti, variantibus ita, & in essentiâ, & qualitate & quantitate mensurali, & numero ingredientium rerum omnium; ut sanctè affirmare possim, ex undecim à me visis in impressis libris descriptionibus, ne unam quidem cum aliâ aut in numero, aut mensurâ, aut symmetriâ inveniri potuisse concordem: ut reverà Pharmacopolæ incerti esse possint, quam ex illis paratam in Pharmacopoliis servare debeant; potissimùm cùm apud Renodæum in principio sumatur Hyacinthorum, Coralli rubri, terræ Lemniæ, boli Armenæ ana. unc. med. cùm in plerisque aliis unc. 1. & med. Hyacinthorum orientalium sumatur; in aliis etiam plerisque differentia, ut dixi, adsit in ingredientibus, & in numero, & in mensurâ, & in proportione: in aliquibus posita sunt Ben album, & nigrum, Antiquis cognitum, & propterea ex ratione suis compositionibus impositum; cur verò nos res, omnino nobis incognitas, compositionibus indamus causam non video. Cùm igitur in ingredientibus tanta apud omnes Exscriptores varietas sit; cùm in eorum numero, & mensurâ, sive pondere diversitas tanta sit; non est, quòd illam tanti faciamus. Cùm potissimùm proportionem illam & symmetriam tum rerum; tum graduum earum, tum ponderum & mensurarum, unde harmonia illa excitatur, unde specifica forma aliquando producitur, ut in Theriacâ viri doctissimi observarunt, nusquam observemus. Vt mirari aliquando mihi subierit, quid recentioribus quibusdam venerit in mentem, dum descriptâ quâdam Hyacinthinæ confectionis formulâ, in multis à cæteris diversâ, adeò illam celebrarint, ut celeberrimam illam Andromachi Theriacam præ illa penè nihil fecerint. Posse illam & utiliter in usum duci, ut & de Electuario de Gemmis diximus, facilè concedemus: at tot, tantaque præstare posse, ut recentiores isti, & Principum adulatores profitentur, non facilè concesserim; cùm multa alia sint medicamenta ab Antiquis tradita, & longâ seculorum experientiâ probata, quæ passionibus illis cordis possunt auxilio esse, ut hac sine detrimento Medicinæ carere possimus.

Hyacinthinæ confectionis descriptionum varietas, ambiguitas, & confusio.

41. In Lætificante Rhasis, quæ confectio aromatica inter multas hujus nominis magis est in usu, illud solùm animadvertamus; non esse limitandam mensuram ingredientium ad mensuram moschi, ut censuit Calestanus, hanc censens à Rhasi, 9. *ad Alman-*

Lætificans Rhasis, & difficultates in eo præparando.

sorem cap. de melancholiâ reduci ad decimam partem drach. unius; cùm auctor decimam partem decreverit partis unius ex rebus ingredientibus, non autem limitârit ad singulorum drachmas; quinimo si ex arte parari debet, cùm triplum mellis indi debeat, cùm libram mellis limitet auctor, non una, sed singulorum ferè duæ drachmæ essent accipiendæ, sicque duodecim moschi grana essent indenda, non sex. Neque placet, quod à Melichio scriptum est, à Seplasiariis, ut vitent myrabalanorum vim adstringentem, non fieri decoctionem eorum ad duarum tertiarum consumptionem, ut Rhasis jubet; sed factâ infusione in aquâ borraginis per horas viginti quatuor, & levi ebullitione & expressione, melle addito, Electuarium parari. Neque enim mutandus est modus componendi, ab auctoribus institutus; neque hîc solvens paramus medicamentum, in quo obstruentia cavenda sunt, & valenter adstringentia, sed roborans, in quo adstrictio mediocris non parum confert. Apud nos tamen magis est familiare Lætificans Conciliatoris.

Alchermes confectio, & difficultates.

42. In confectione Alchermes, Cardiacarum omnium præstantissimâ, parandâ, tot video etiam inter præstantissimos Medicos dissentientes sententias, & in serici tingendi electione, & præparatione; & in quantitate cocci tinctorii, & in modo tingendi, & in quantitate lapidis Lazuli, & in ratione illum lavandi, ut necessarium esse duxerimus in iis aliquantisper exercere ingenium, atque circa singula horum aliquas apponere animadversiones.

Sericum coctum, non tinctum à tinctoribus sit, sed in globulis purgatis recentibus.

43. Primò observandum, in seta tinctâ in chermes, ut loquitur Mesuæi interpres, aberrare eos, qui sericum sumunt tinctum in chermes, sive per granum tinctorum, dupliciter enim peccatur, primò quòd sericeos filos, jam excoctos, assumunt, cùm crudi sumendi sint in sincerâ naturâ suâ, quam ex parte amittunt per cocturam: secundò, quòd tinctores, ut faciliùs, & meliùs colorem illum filis sericeis imprimant, non levem admiscent aluminis portionem: at ne fili quidem per elixationem ex glomeratis globulis sumendi erunt, quòd per cocturam naturalem exuant conditionem: & cùm in diamoscho crudum sericum accipiendum præcipiat Mesue; & crudum Avicenna eligat, & cocto anteponat, globulos igitur, recenter glomeratos, accipiemus; & illis apertis eximendus est bombyx, & interna levis, & tenuis superficies pelliculáve erit abstergenda; &, si sorditie aliquâ esset infecta, erit eximenda. Aliqui tunc minutim forfice in particulas incidunt, ut ita orbiculos illos ovales incisos colore inficiant. At nec sic quidem facilè à cocco tinctorio colore inficiuntur ob compactam substantiam. Propterea præstabit mediocriter, & molliter illis baculo contusis, si fieri possit, pexere, & quasi dilacerare,

ut

ut chermes tincturam faciliùs excipiant: ſin minùs, ſaltem priùs contundere.

44. In quantitate etiam grani tinctorii advertendum non levem ſubeſſe difficultatem; cùm Meſue abſolutè dixerit ſetam tinctam in Chermes; ſiquidem aliqui, ut Braſſavolus, & alii, pro unâ ſerici librâ tingendâ libram unam illius ponunt, alii pro librâ unâ unicam unciam. Coſtæus exemplo, ex tinctoribus ſumpto, quatuor ad ſummum uncias granorum ponit. Sed ſi quis libram ſumpſerit, experietur, quàm ingratum guſtui medicamentum reddatur; quod ob maximum ventriculi cum corde conſenſum omninò eſt fugiendum; qui verò unicam apponit unciam, facilè cognoſcet, vix ullum in ſerico rubrum colorem induci, víxque ullam illius facultatem ſerico communicari. Propiùs accedit ad id quod rationabile eſt Coſtæus, cùm quatuor uncias pro ſerici librâ addit; ſed non animadvertit, tinctores, ut meliùs colorem contrahat, & diutius ſericum excoquere cum granis, quàm in hac paranda confectione expediat; & ad id adjuvandum alumen addere, & aliquando ſuccum limonum. Præſtabit igitur Hernandi Sepulvedæ, & diligentiſſimi Alüiſii Oviedi opinionem ſequi, qui ſeptem uncias chermes in aquâ decoquunt, & diſſolvunt pro tingendâ unicâ librâ ſerici: qui etiam addunt, ſi difficulter, cùm in ſolâ aquâ decoquuntur grana illa, color in eò concipiatur ob aquæ tenuitatem; ut faciliùs id obtineatur poſſe nos unam, aut alteram ſacchari candidi unciam aquæ immiſcere; unde conceptâ in aquâ aliquâ viſciditate faciliùs ſerico color communicabitur. *Chermes quantitas pro librâ ſerici.*

45. In aquæ quantitate, in quâ excoquenda ſunt grana illa, diſſident auctores; aliis libras quatuor, aliis quinque, aliis ſex ſumentibus. Ego tantum aquæ ſumendum cenſerem, quantum in vaſe mediocris profunditatis: & latitudinis infuſa libra illa ſerici commodè collocari poſſit, & illi per duos digitos ſupranatare, ubi infuſio granorum per noctem, & decoctio facta fuerit. *Quantitas aquæ pro coquendo chermes.*

46. Hoc modo communicato colore aquæ calenti per infuſionem, & decoctionem, in eâ benè calidâ ſericum infundendum erit; malaxandum, & levi etiam ebullitione excoquendum, & tamdiu relinquendum per tres, vel quatuor horas, donec colorem acquirat. Mox ſuper ſetaceum ſericum, jam tinctum, ad excolandum reponetur, donec nihil ampliùs excolet. Atque tum in ſucco pomorum, & aquâ roſatâ per horas viginti quatuor infundetur, pòſtque aliquantiſper lento igne excoquetur, donec & ſuccum, & aquam ruborem aliquem inde contraxiſſe cognoſcamus; túncque forti facta ſerici expreſſione, ſuccus ille, & aqua, diſſolutis in illis drachmis centum quinquaginta ſacchari perfectiſ- *Serici tingendi ratio.*

 ſimi,

ſimi, lento igne excoquantur ad mellis electi craſſitiem, iiſque ab igne exemptis, ſed adhuc calentibus, indendæ erunt drachmæ quatuor Ambaris griſei, interim ſeorſim piſtillo ligneo, & levi portione liquoris illius diſſoluti, ſimul cum aliis pulveribus, & moſcho eodem modo diſſoluto.

Chermes ſit cocus Baphicus non cocinilia.

47. In Chermes eligendo omninò obſervandum eſt, coccum Baphicum, quem verum eſſe Chermes quilibet cognoſcet, qui deſcriptionem Chermes Serapionis, & aliorum Mauritanorum comparaverit cum iis, quæ de cocco tinctorio ſcripſit Dioſcorides libro 4., eſſe ſumendum; non autem eum, qui ex Indiis Orientalibus advehi ad nos ſolet, quémque appendicem pimpinellæ eſſe aſſerunt: neque enim ſcimus, an is Antiquis cognitus fuerit, nec qualis ſit facultatis.

Succus pomorum igne non ſit defæcatus.

48. Succus pomorum, in quo tinctum ſericum eſt immergendum, igne aut calidis cineribus non erit defæcandus, ſed ſolùm aliquali ſubſidentiâ purificandus; ut aliquâ viſciditate infectus faciliùs ruborem ex infuſo ſerico poſſit concipere.

Lapidis Lazuli electio, & lotio.

49. In lapide Lazuli deligendo artifex ſit diligens in iis notis obſervandis, quæ de electo proponit Meſue *cap. proprio*, ſed multò diligentior in eo eluendo; illud obſervans, quod in lapide Armeno lavando admonuit Meſue. Illud hac in re animadvertens, ſi pro ſingulâ ex triginta lotionibus aquæ ſimplicis, & decem ex aqua roſaceâ ſingulis diebus priùs fiat infuſio per horas viginti quatuor, & mox factâ ablutione aqua abjiciatur, meliùs, & perfectiùs lotionem evaſuram; cùm Trallianus quinquagies etiam eum abluat. Animadvertendum verò etiam, non eſſe abſiſtendum ab ulteriori lotione, etiamſi in mediâ, aut & ulteriori lotione aqua clara appareat; ſemper enim ad quadrageſimam uſque lotionem procedendum eſt; neque enim ſolùm lotione hac utimur ad depurandum ab excrementitiis partibus lapidem, purúmque reddendum, ſed maximè, ut purgatrix ejus vis imminuatur ac frænetur, & vis illius malefica, & ventris ſubverſoria tollatur.

Lapidis Lazuli quantitas in Alchermes.

50. In ejuſdem pondere video etiam maximam, & magni quidem momenti inter doctos viros controverſiam, aliis duas illius drachmas imponentibus, aliis verò duodecim: Moventur poſteriores hi primùm, quia viderunt Meſuen *in libro Simplicium, capite de lapide Lazuli* aliam tradidiſſe, quam *compoſitionem de lapide Lazuli* appellavit, ad eoſdem affectus curandos, atque hæc eſt quam *Confectionem Alchermes* denominat, in quâ non drach. ij. ut hîc poſuit, ſed drach. 12. Illis autem ſit veriſimile, cùm in ingredientium numero conveniant, etiam debere convenire in menſurâ,

surâ. Auget apud illos suspicionem, quòd ibidem Mesue dicat, nonnullos lapidis illius loti drachmas octo miscuisse uni libræ Confectionum cum succo buglossi depurato, & vino tenui antiquo, contra cordis affectus melancholicos, animúmque ita recreasse, & animæ mirum induxisse gaudium; pòstque statim confectionem illam suam descripsisse, in quâ drach. 12. imposuit. Addunt, non solere Mesuen in suis tradendis compositionibus, cùm duas res ejusdem ponderis immediatè unam post alteram penit, singulis pondus proprium apponere; sed utrâque positâ, per dictionem (ana) similitudinem ponderis significare. Hîc autem in compositione Alchermes scribit lapidis Lazuli loti drach. 2. margaritarum drach. 2. cùm dicere potuisset ana. drach. 2. unde inquiunt, verisimile esse scripsisse lapidis Lazuli loti drach. 12. sed Librariorum culpâ omissum esse numerum (x) Addunt postremò alii, in antiquo quodam codice reperisse se scriptum lapidis Lazuli loti drach. 12. Sed hæc mea fuit sententia, nunquam variandas esse antiquas Scriptorum lectiones, aut vitiosas censendas, nisi falsi aliquid continere manifestò cognoverimus. At hîc nihil tale reperitur: quinimo, si legamus (drach. 2.) ut communiter habetur, & ut in communi usu est, cum utilitate omnia ritè disposita cognoscentur. Neque quæ in contrarium afferuntur, ullo modo convincunt. Primò enim falsum est, eandem esse descriptionem hanc cum eâ, quam *lib. Simp.* descripsit Mesue, cùm pondere rerum, numero, & nomine dissideant: *lib. n. simpl.* ligni aloës, & Darseni, sive cinnamomi fini, utriusque sumit drachmas quatuor, in hac verò sex: ibi lapidis Lazuli drach. 12. hîc drach. 2. in illâ auri scr. 4. in hac tres: hîc moschi scr. 1. in illâ moschi non meminit. In nomine præthereà differunt; illa dicta est confectio de lapide Lazuli, & jure meritò, à prævalente & quantitate, & facultatibus lapide Lazuli, hîc, quòd pauca illius insit quantitas, prævaleat autem longo intervallo Chermes, & quantitate, & viribus, Alchermes dicitur. Neque verum est, quod tanquam perpetuum sumebatur, ubi duo medicamenta æqualis ponderis, aut mensuræ jungantur, eorum similem mensuram semper conjungi per dictionem (ana.) Observare id poterant in Diamoscho dulci; in Emplastro Diaphœnici Alexandri, in Emplastro filii Zachariæ. Neque quòd in uno codice legatur drach. 12. mutanda est lectio tam multorum: multò enim verisimilius est, unum, qui fortè non differre censebat confectionem Alchermes, in Antidotario positam, ab eâ, quæ posita est in *lib. Simpl.* aberrasse, quàm tot alios. Concludendum igitur est in hac compositione Alchermes solùm ij. drach. esse indendas lapidis Lazuli.

In Diamoscho sericum crudum, idest non elixatum, sed crematum.

51. In Diamoscho Mesuæ, quamvis non suæ inventionis, cùm antiquiores, ut Serapio, illius mentionem fecerint: illud primò animadvertendum, indidisse setam crudam ustam, quod primò difficultatem facit, quomodo cruda sit, si usta; deinde, cùm serico Arabes vim roborandi cor, & exhilarandi animum tradunt; addunt etiam, si aduratur, vim illam, aut tolli, aut saltem multùm imminui. Asseruit hoc Avicenna *lib.* 2. *Tract.* 2. *c.* 5. & Serapio *lib. Simpl. cap.* 28. poni inquit sericum in medicinis cordialibus, ut in Diamoscho dulci; & aliquos urere, ut in pulverem deduci possit: sed multos vereri, si uratur, ne cardiacam facultatem amittat: & propterea recipit modum pulverizandi sericum, si cum margaritis, carabe, & corallis rubeis trituretur. Sic enim per terrestria hæc admixta sperat villosam illam substantiam posse ad triturationem deduci. Sed quomodo id obtinebimus in Compositionibus, ubi duriora hæc, & terrestria, aut non adeò dura recipiuntur, ut in diasena: sed si quis etiam experiatur huiusmodi triturationem per rerum harum mixturam, cognoscet contundi quidem, & dilacerari, non tamen in pulverem subtilem, quemadmodum oporteret deduci. Præstabit igitur non quidem adurere (sic enim utique facultas illa cordis roboratrix corrumperetur) sed servatâ Mesues sententiâ cremare.

Serici cremandi ratio.

52 Recentes igitur folliculos sericeos, à vermiculis internis, & excrementis expurgatos, & minutim incisos, in ollam novam benè vitreatam, & benè opertam collocabimus, & in furno non nimiùm calido ollam ponemus; tamdiúque ibi illam relinquemus, donec facta sit coloris mutatio, exsiccationem sufficientem ostendens: & nisi in primâ visitatione sufficientem siccitatem acquisivisse cognoverimus, ibidem iterum reponetur, ut ad triturationem reddatur apta. Animadvertendum tamen, adhuc calentem, & siccam statim esse triturandam: si enim cremata diutius relinquatur, emollescit, ac triturationi inepta redditur: nisi fortè adusta sit, tunc enim quasi combusta, in cinerem sine viribus dissolveretur. Modum hunc serici comburendi, vel potiùs cremandi, colligere possumus ex iis, quæ à Gal. scripta sunt 11. *Simpl. cap.* 25. de lanæ cremandæ modo, tum & ex eodem 5. *med. local. cap.* 9. de modo exsiccandi, & pulverizandi Syderitis, & Perdicii.

Diamoschi in morsulis dosis.

53. In usu, & ejus quantitate administrandâ observandum est; cùm ad formandam confectionem mellis electissimi crudi sumamus ad quadruplum specierum; cùm eæ sint drachmæ triginta quinque, quæ uncias constituunt quatuor, & drachmas tres, quarum quadruplum mellis sunt unciæ decem & septem cum semisse,

misse, & hujus dosin cùm constituat Mesue ab unâ drachmâ ad duas: nos, si species, ut in more positum est, cum saccharo in tabellas formabimus, & ex more unciam specierum libræ sacchari commiscuerimus, si drachmas duas dederimus, ut plerique Medici faciunt, non eam dabimus quantitatem specierum, quæ ab auctore instituta est; quintam, aut tertiam solùm partem, si morsulum duarum drachmarum ad unam, aut duas drachmas Electuarii cum melle comparavimus: ut mirum non sit, si eæ non reportentur utilitates, quæ à Mesue sunt propositæ; potissimùm, cùm mel crudum, confectioni impositum, non parum adjuvet actionem specierum. At si, ut plerique Pharmacopœi hoc tempore consueverunt, sex solùm drachmæ in sacchari librâ indantur, vel & solùm quatuor, inscitiáne, an potius avaritiâ, quam ex tabellâ duarum drachmarum expectare in ægris nostris poterimus utilitatem? Danda igitur omnino erit opera, ut & Seplasiarii debitam imponant in saccharo specierum quantitatem, & Medici dosin morsellorum augeant.

Doronicum in Diambrâ recipiendum contra Matthiolum.

54. In Diambrâ Doronicum aliquam mihi dabit occasionem animadvertendi ob Matthiolum, cujus apud Pharmacopœos tanta est auctoritas, ut absurdum videatur in Botanicis ab eo dissentire. Is igitur *lib.* 4. in Diosco. & ab hac Confectione, & ab omni usu humano abrogandum censuit longâ oratione, & deplorat oscitantiam superiorum omnium, qui in Cardiacis multis pulvisculis, & confectionibus radicibus iis usi sunt: quæ radices sunt exiguæ, rotundæ, orbiculatæ, in extremo sensim in angustum deductæ, quæ scorpionis corpus & caudam non malè referunt, coloris albidi, saporis dulcis amari cum aliquâ adstrictione. Planta pusilla est, flores lutei, & radiati buphtalmi ritu, caules sunt teneri, folia mollia, oblonga, ex viridi utcunque flavescentia, hirsuta pilosellæ ritu, & ambitu rotundo, nonnihil lacinioso, & parum acuminato. Hunc igitur, cùm Aconitum Pardalianches censuisset, ineptè admodum, (ut longâ oratione demonstraverunt doctissimi Petrus Pena, & Matthias de Lobel in stirpium accuratissimi, adversariis, & post eos Renodæus, Oviedus, & plerique alii) ab omnibus iis Cardiacis confectionibus excludendum censuit: quòd, ut malignitatis, & venenosæ ejus naturæ periculum faceret, radicibus iis pulverizatis cani cum carnibus exhibitis, miserè periisse observaverit. At plerique alii contrariam afferunt experientiam, quòd canes plures, & in multâ quantitate exhibitas innoxiè eas esitasse cognoverunt. Tantum abest, ut adeò noxium sit venenum, ut quotidie, & ab Antiquis datas radices has, & ab omnibus Medicis passim dari videamus in Electuario de Gemmis, Diambrâ, & Cardiacis aliis confectionibus,

confectionibus, non periculosè, sed fæliciſſimè. Quin clariſſimi viri editis ſcriptis retulerunt, ſe Doronici radices, melle conditas, ſæpè eſitaſſe, atque harum contritarum drachmas duas ex aquâ hauſiſſe, & ægrotis ſæpe radicem illam, & per ſe, & aliis mixtam medicamentis utiliſſimè dediſſe. O quàm multis Doronici ignoratione exitio fuiſſemus! quantam ſtragem plus quingentis ab hinc annis dediſſent & antiqui Medici, & neoterici, freti Electuario de Gemmis, Aromatico, Diambra, & aliis, cordi amicis, quibus frequentiſſimè uſi ſunt. Te monere poſſunt, datum quaternarum drachmarum pondere quantitate nocere potuiſſe; neque tamen venenum eſſe, niſi crocum, moſchum, & conſimilia Cardiaca venena eſſe dicere velimus, quæ quantitate occidere poſſunt.

Doronicum non eſſe venenum.

55. Sed demus Matthiolo, Doronicum canes & lupos occidere; an inde colligendum erit, homini lethale venenum eſſe? Differt natura à naturâ, alimentum ab alimento, dicebat Hip. *lib. de flat.* Aloë enecat vulpem, non hominem. Nux vomica feles, mures, & aves, nobis eſt ſalutaris medicina; ſturnis cicuta eſt cibus, nobis venenum. Non igitur rejiciemus nos Doronicum, ſed utemur moderatè, ſi non ut aromate, ſaltem liceat nobis, ut Alexiterio, ut Antidoto & Theriacâ, cùm in eo etiam Avicenna Theriacalem agnoſcat facultatem: qualem cognoviſſe Meſue videmus cum Electuario de Gemmis, Aromatico, Diambrâ aliis indidiſſe; ſicque non adeò facilè celebres Medicos inſcitię, & ſceleris reos facere oportebit. Quod verò ſubdit Matthiolus, fortaſſe nec Antiquos cognoviſſe nocumenta Doronici in Cardiacis medicamentis, quòd in modicâ admodum quantitate illis inderetur, & compluribus admixtus, quæ malitiam illius infringere poſſent, non tollit uſum illius; admittimus in mixtione Antidotorum, & medicamentorum non pauca, quæ manifeſtè ſcimus noxias habere facultates; lapidem Armenum, Lazuli, ſcammonium, colocyntidem, veratrum; ſed menſuram adhibemus convenientem, corrigimus multa, addimus malitiam infringentia; ut cæteroqui utilitatibus illorum frui poſſimus. Intrepidè igitur communibus noſtris radicibus Doronici noſtratis utamur, & illas cæteris miſceamus, ut ſecuriùs in uſum veniant: cùm Serapio *lib. Simp. cap.* 335. Doronicum morſibus venenoſorum animalium maximè conferre fateatur. Et etiamſi Matthiolo, & Marantæ concederemus, Doronicum eſſe Aconitum Pardalianches, quod nunquam concedendum eſſe ex comparatione eorum, quæ de Doronico ſcripſerunt Arabes, & quæ de Aconito Pardalianche ſcripſerunt Græci, doctiſſimi viri collegerunt; nunquam colligent hominibus venenum eſſe, ſed pantheris, porcis, lupis, aliiſque

que feris animalibus; quinimo Theophrastus bibitum dicit conferre commorsis.

Si quis tamen in dubiis nolit ullo modo periclitari, neque eo uti; cum Avic. *lib.* 2. *c.* 209. illius loco indere poterit duas tertias partes cariophyllorum, aut secundùm alios dimidium sui ponderis galangæ.

56. In Aromatico rosato Gabrielis nihil esset mihi annotandum; cùm & compositionem Mesuæi omnes re nullâ mutatâ recipiant, & ut præstantissimam laudent; nisi deficiente Santaló citrino (qui omnino, si fieri potest, eligendus) viderem albo rejecto, potiùs rubrum substituendum aliquos censuisse. Quod quamvis gravissimos habeat assertores, & pro suâ tutandâ sententiâ Serapionis auctoritatem *lib. simpl. c.* 346.; si tamen, quæ sensu deprehenduntur, si qui voluerimus, potiùs album substituere deberemus, odore & colore magis congeneum. Santalum album, etsi odore citrino cedat, negari tamen nullo modo potest, si perfricetur, si incalescat, si limâ minutim concidatur, odorem gratum spirare, quod in rubro nunquam experientur, quocunque modo tractetur: & propterea & Lacuna, & Matthiolus post citrinum, & illius loco album substituendum jure censuerunt, optimo illo deficiente.

Santalo citrino deficiente, album substituendum.

57. Addendum præterea, aberrare Pharmacopœos illos, qui species has præparantes in subtilissimum pulverem ingredientia ducunt: cùm enim ad ventriculi frigidos affectus præcipuè institutum sit hoc medicamentum, si aliquandiu in ventriculo resideat, quod faciliùs eveniet, si crassiusculæ fuerint species, faciliùs quoque suas vires parti illi poterit communicare.

In Aromatico rosato species non sint subtilissimæ.

58. In Diarrhodonis Abbatis speciebus Nicolaus Myrepsus, Salernitanus, & Præpositus, quamvis in aliquibus dissentiant, corallo, seminibus lactucæ, & mandragoræ à priori Myrepsi descriptione subtractis, semina tamen frigida majora uno consensu indunt, & cùm species componant in formam confectionis cum syrupo, aut julepo rosato, non erat quòd dubitarent, ne, si cum aliis in pulverem cum saccharo cando ducerentur, & miscerentur, rancidam conciperent qualitatem. At nobis, qui in pulveris formam servamus, ut in necessitatibus ex iis tabellis formatis illis uti possimus, id ipsum difficultatem facit; & ob hanc causam & Fernelius *lib.* 4. *Meth.* & Sylvius *lib.* 3. *Pharmacopœæ*, & Dessenius *lib.* 1. suadent, semina hæc mundata non nisi usûs tempore reliquis immiscenda esse, & factis calculis Bergomensis, duabus specierum drach. addendum singulorum granum unum, & paulò plùs tertiâ parte alterius, sicut in speciebus

In Diarrhodone semina frigida quomodo, & quâ mensurâ indenda.

 trium

Triumſantalorum, in quibus cenſent idem ſervandum, ſingulis drachmis ſingulorum dictorum ſeminum majorum frigidorum grana tria, & paulò plùs ſemiſſe indenda. Quæ opinio, quamvis non rejicienda, quòd illud incommodum eâ ratione effugiamus, nihilominus, quia ſæpenumerò evenit, ut ſtatim in uſum ducenda ſit, & aut ob brevitatem temporis, aut Seplaſiarii negligentiam, aut quòd neſciant quantitatem illorum addendorum, omittantur, & imperfecta remaneat compoſitio; & quia, ſi ſimul ab initio miſceantur, miſtio quædam inducitur, & qualitas propria, non dixerim fermentationem fieri, vel veram miſtionem, aut formam ſpecificam, qualem ex mixtione rerum in Theriacâ naſci ſcimus; ſi via aliqua, & modus aliquis inveniri poſſet, quo à rancidâ hac qualitate pulverem hunc præſervare poſſemus, meliùs ægrotis noſtris conſultum eſſe judicaremus. Diligentiſſimus Oviedus ob id hoc modo procedendum eſſe cenſuit: Seminum horum frigidorum majorum drachmam accipito, quæ ſint excorticata, in mortario poſitis ſuperpoſitâ papyro, blandè piſtillo ſuprà diducto miſceantur, donec in papyro viderimus contractam oleaginoſitatem; mox ſpathulâ elevatis ſeminibus, & dimotis à mortario, linteo humiditatem, ſi quæ contracta ſit ibi, abſtergemus, iiſque ibidem iterum repoſitis, iterúmque aliâ ſuperpoſita papyro, blandè adhuc piſtillum ducemus; hinc è mortario eximemus, alia denuo impoſita ſeminum portione, ſi magna ſpecierum copia ſit paranda; eodémque modo cum ea agendum, mox omnibus ſimul in mortario poſitis ſimul cum portione correſpondente zucchari candi, in pulverem ſubtilem, piſtillo vehementiùs ducto, deducentur, & aliis pulveribus admiſcebuntur. Hoc enim modo ſeminibus demolitis, ac oleaginoſa portione eorum in papyro excepta, unde tota ranceſcendi occaſio pendebat, incorruptæ, & viribus integræ ſpecies illæ conſervantur.

In Triaſantal. non zacchare, idest pſyllium indendum, ſed ſaccharum.

59. In compoſitione Triumſantalorum ne quis Nicolai Præpoſiti errorem ſequatur, qui, ubi auctor Myrepſus *zac.* abbreviando ſcripſit, intellexit *zac.* quod exponit pſyllij, quod intentioni auctoris refrigerandi repugnat, & omnibus ferè doctis; cùm potiùs zucchari intelligendum ſit; quod & ad gratificandum palatum, & ad faciliorem ſeminum triturationem inditum cenſemus: neque abſurdum eſt bis zuccharum indere, quoniam non in tabellis præparat, ut nos ſolemus, ſed cum julepo roſato in formam confectionis: neque tamen nos errabimus, ſi in formam tabellarum parantes bis ſaccharum indiderimus, ut in Diarrhodo factum eſt, quod duplici dicto uſui inſerviet.

Fuchſii error.

60. Neque etiam recipiendus erit error Fuchſij in traducendo Myrepſo; ubi enim quadruplum ſyrupi roſati ad ſpecies Nicolaus ad formandam confectionem poſuit, quadruplum roſarum rubearum ad

reliquas

reliquas ſpecies reponendum indicavit. In Myrepſo tamen, præter communem deſcriptionem, video inditam ſemiunciam florum violarum; quam ſi quis addiderit, addita ad proportionem debita quantitate zucchari, non fortè aberrabit.

61. Nollem in Diacymino illius quantitatem nos metiri, antequàm aceto infundantur cumini ſemina; ut in diaphœnico de dactylis faciendum docebimus; diverſa enim eorum eſt ratio: nam aceto infuſis dactylis, non levi illius inhibita quantitate, dactylorum quantitas imminueretur; quod ſemini cumini non accidit: poſt infuſionem enim eo exſiccato idem remanet pondus.

In Diacymino ſemina prius metienda, antequàm aceto laventur.

62. Sæpius in Pharmacopoliis reviſendis, cùm tabellas Diatragacanthi, adeò odore, ſapore, & colore differentes conſpicerem, ac diverſitatis cauſas inveſtigarem, non aliunde, quàm aut ex quantitate ſacchari, quo pulveres excipiuntur, aut modo illas componendi, aut ex aliquorum audacia provenire credidi; quamvis enim communi omnium conſenſu conſtitutum ſit, pro ſingulis ſpecierum unciis addendam eſſe ſacchari libram: regulam tamen hanc exceptionem pati plerique fatentur, ſi in pulveribus aliqua admiſceantur, quæ ſint ſubſtantiæ humidioris, aut ſemina humentiora; & boni ſaporis: tunc enim pulverum augenda erit quantitas, ut optimè Arnaldus Villanovanus *in principio ſui Antidotarij* annotavit. Cùm verò hanc pulveris ad ſaccharum proportionem, qualis eſſe debeat, non expreſſerit, non facilè Scriptores hac in re conveniunt, & in hac potiſſimùm compoſitione. Video enim, Anutium Fœſium innuere, tres pulverum uncias ad libram ſacchari eſſe ponendas; quem etiam ſequitur Braſſavolus: Alij verò ſolùm duas. Pro qua re determinandâ obſervandum erit, in hac compoſitione amylum ſolùm, cujus ſemiuncia, & pulverem liquiritiæ, cujus duæ drachmæ ingrediuntur, verorum pulverum vices ſubire poſſe; Tragacantha enim, & Arabicum Gummi, tum & ſemina majora frigida impropriè inter pulveres collocantur: quamvis enim Tragacantha & Gummi Arabicum ita actu ſicca ſint, ut in pulverem duci poſſint, cùm tamen potentiâ mollia ſint, & humori impoſita calido colliqueſcant, mediam quandam naturam obtinere dicemus; cùm verò Penidiorum tres unciæ ſacchari vices ſubeant; ſi pulverum veram quantitatem metiamur, cùm non excedant ſex drachmas cum dimidia, & ſic novem uncias ſacchari expoſcerent; ſi tres Penidiorum uncias tribus ſacchari unciis ſubſtituamus, in æquali pondere erunt, nempe ſex ſacchari, & ſex pulverum, cæteris cum penidiis collectis, & ſic perpenſa natura media Tragacanthæ, & Gummi, ſatis mihi eſſe videbuntur duæ unciæ horum pulverum ad libram ſacchari; ſi enim tres indantur, viſcidiores evadent, & ratione Tragacanthæ, & Gummi, tum & ob portionem Penidiorum. Sed in modo etiam, & ordine miſcendarum rerum videbam & Scriptores diſ-

Diatragacanthi varietas componendi, & cur adeo variè componatur.

ſentire, & in actu Practico Pharmacopœos.

Modus enim parandi, à Nicolao traditus, nec ſibi conſtans eſt, nec aptus: cùm enim omnia priùs ſyrupo violato excipienda docuiſſet, ut opiatæ formam tradere videretur, pòſt modum componendi tradens, ſemina cum aquâ ſaccharo ſuperponi jubet; aquam autem tantam eſſe vult, ut ſeminibus ſuperemineat; tamdiu autem ita permaneant, donec ſaccharum diſſolutum viderimus; mox factâ per rarum linteum colaturâ, vult ad ſyrupi conſiſtentiam cocta excipi pulveres: qui parandi modus quot habeat incommoda, quilibet obſervare poteſt: neque enim docet, an ſemina illa integra eſſe velit, an minutim trita; neque conſtat, cur fiat illa percolatio, & ſi tamdiu omnia excoquenda ſunt donec aqua cum ſaccharo ſyrupi conſiſtentiam habuerint; non video quomodo ſemina illa tantam admittere poſſint elixationem; nec quomodo cætera, ſyrupo illo excepta, in tabellas formari poſſint. Quas verò componendi rationes ponit Caleſtanus, non eſſe recipiendas ille ipſe, propoſitis incommodis ſupervenientibus, refellit; aut duriores, cruſtoſæ, & quaſi indiſſolubiles redduntur, aut, ſi hoc incommodum evitare velint, ingredientium quantitatem immutant. Alij Tragacanthâ & Gummi Arabico calidâ aquâ emollitis, ſaccharo addito, ſeminibus minutiſſimè contritis, & cæteris rebus, admixtis ſaccharo, ad proportionem libræ ad unciam excipiunt, & tabellas formant. Sed duo incommoda incurrunt; primùm, quòd effugere non poſſunt viſciditatem inſignem & grumoſam quandam inæqualitatem, ſecundò, quòd ob oleaginoſam illam ſeminum humiditatem effugere non poterunt rancidam illam qualitatem. Quod etiam incommodum evitare non poterunt, qui diligentiſſimè, ſeminibus minutim inciſis, & ſemel atque iterum per ſetaceum traductis, cæteris admixtis, omnia, ſaccharo diſſoluto, aut in aquâ ſimplici, aut violaceâ excipiunt, Penidiorum pondere pro æquali ſacchari quantitate ſuppoſito.

Placet igitur potiùs, ſi ſemina illa pro ſpeciebus indere voluerimus, ut ea eo modo ad triturabilitatem deducamus, abſumptâ humiditate, ut in Diarrhodone Abbatis docuimus, & pulverum quantitatem ad ſaccharum, ob traditam rationem augeamus, ſubeuntibus tamen Penidiis vices ipſius ſacchari ad ratam.

Placet tamen magis componendi modus Hiſpanorum Veletij, & Oviedi, qui æqualibus ſumptis ſacchari fini, & infuſionis violarum, ſi in vere præparentur, aut aquæ violaceæ, & infuſionis illius, aut aquæ levi portione aſſumpta, ex ſeminibus emulſionem parant; quâ percolatâ, & repetitâ, ſi oportuerit, ubi reliquiæ ſeminum ſuperſint, reliqua infuſioni aut aquæ admiſcent, & ſaccharum in illa diſſolvunt; mox excoquunt ad debitam conſiſtentiam, ut additis pulveribus, aut nullâ, aut levi repetitâ coctura, tabellæ formari poſſint.

 Sunt

Sunt verò, qui, ut albedine oculis ægrorum applaudant, & Medicos, ac assistentes decipiant, amyli augent quantitatem præter omnem rationem, sed impostura deprehenditur ex farinæ sapore.

63. Cùm tot, tam inter se varias, & differentes diamargariti frigidi descriptiones videam, & earum aliquas adeò sine ordine, & methodo institutas, alias congestas nimiùm, multas ita confusas; ut & Pharmacopœorum multi desperent illas posse componere, ac ignorent quam ex tam multis ad componendum eligere debeant; & Medici nesciant majori ex parte, quo utantur instrumento, decrevi hoc loco ex multis hanc eligere, quam Seplasiarij, ditioni nostræ subjecti, teneantur paratam habere. Recipit hæc margaritarum, non perforatarum, drach. vij. rosarum rubearum drach. iiij. sem. coriandrorum præparatorum, tragacanthi, gummi Arabici, glycyrrhizæ, doronici, santalorum citrinorum, alborum, & rubeorum ana drach. j. & med. rasuræ eboris, cornu cervi, & ossium de corde cervorum ana drach. j. coralli rubri drach. iij. foliorum auri numero xij. Ducantur in mortario, & fiat pulvis subtilissimus, qui exceptus sacchare, quantum ex arte constitutum est, dissoluto in aquâ florum citri, aut aurantiorum, fiant tabellæ. In quâ illud annotabo, cornu cervi, ne vires cordi amicas amittat, non esse cremandum, ut fit passim, sed tenuissimâ limâ in pulverem redigendum, móxque cum aliis in mortario conterendum, & in pollinem reducendum.

Diamargariti frigidi variæ descriptiones, & quæ eligenda.

64. In Morsulis Diaireos simplicis, qui soli sunt in usu, qui ex Iridis semiunciâ, sacchari candi, & tragacanthæ ana drachmis duabus, & saccharo finissimo, quantum ex arte satis est, servatâ semper symmetriâ unius unciæ pulverum ad libram sacchari; primò illud servandum, radices Iridis virides non esse excoquendas ad amatoris deperditionem, mox per setaceum traducendas, & tragacantho pulverizato, additóque saccharo formandas tabellas, ut quibusdam placuit; vires enim radicis per longam adeò cocturam exsolverentur, nec commodè in tabellarum formam conformari possent, sed radicem siccam Iridis Florentinæ, aut Illyricæ sumemus, & in pulverem subtilissimum ducemus, ut & Tragacanthum cum saccharo cando; mox superaddito saccharo tabellas formabimus, de hoc detrahentes drachmas duas pro duabus illis sacchari candi pulverizati cum tragacantho, quæ simul cum pulveribus inditæ sunt.

Diaireos simplex in morsulis quomodo parandus.

65. In Dialaccâ majori Mesue ne nunc consideremus, quod apud multos controversum est, an Arabum Lacca sit Canehamum Græcorum, quòd nihil ad propositum negotium faciat, cùm in medicamento versemur, ab Arabe scripto, in quo Laccam Arabum recipere debemus, à Serapione descriptam: quam esse proculdubio illam credere debemus, quam passim in officinis habemus, gummi modo parvis lignis adhærentem, rubro colore, splendescente, quâ antiqui Patres

In Dialaccâ, quæ Laccâ imponenda.

nostri ante usum Cociniglia ad inducendum rubeum colorem pannis utebantur: Illud potiùs perpendendum, cùm Laccam lotam in hacce compositione indat Mesue, qualis lotio hæc Laccæ esse debeat, & quæ partes ex lotione, & elicitæ, & relictæ in hunc usum sint ducendæ. Video enim Serapionis verba *lib. Simp.* 181. ubi de Laccæ lotione agit, adeò in varios sensus distorqueri, ut in duas sententias inter se omninò contrarias sint distracti auctores; asserentibus aliquibus, aquam, in quâ cocta sit Aristolochia rotunda, & juncus odoratus, quâ Laccam lavandam esse præcipit, donec ruborem contraxerit, esse servandam, & excoquendam ad mellis consistentiam; mox in fictili vase servandam, & in umbrâ siccandam, ut in formam trochiscorum redigi possint: quoniam autem videbant aquam, etiamsi ruborem contraxerit, per elixationem ad mellis consistentiam reduci non posse, si vera sunt quæ de cocturâ aquæ ab Arist. 4. *Meteor.* scripta sunt, ut præter colorem etiam crassitiem ex Laccâ conciperet posset, quindecim Laccæ uncias, tribus libris superstitis decoctionis Aristolochiæ, & junci odorati, incoquere, ut per ulteriorem elixationem, crassescente aquâ, formari possint trochisci. Secuti sunt hanc opinionem Valerius Cordus, qui, contrariâ derisâ opinione, modum hunc Laccæ lavandæ tradidit, quem secutus est Anutius Fœsius; ut & Bergomates, & Romani in suis Antidotariis. At Jacobus Sylvius *lib. 2. suæ PharmacopϾ*, quem secuti sunt, & Bernardus Dessenius, reverendi Patres, in Mesuem scribentes, Costæus, Oviedus, Augustani (quin ne Bergomenses quidam illam sententiam rejecerunt) ij omnes meliùs esse putant, si Lacca trita aquâ fontanâ, cui Aristolochia, & Schœnanthos ad æquas partes incocta fuerint, lavetur pistillo, semper agitando quoad clarescat: quod resedit, coletur, & siccetur; sic namque magis aperit, húncque loturæ modum, vel ex Pandectario desumptum, facilè quilibet intelliget, qui loturæ Laccæ illius modum diligenter perpenderit: lotura enim & ad abstergendas ligneas partes, alas muscarum, & similia excrementa fit; tum etiam, ut solvens in eâ facultas, quæ in igneis illis, & rubescentibus partibus reposita est, quæ omnia in aquâ relinquuntur, dissolvatur; at abstergens, & attenuans illi congenea, adjuta tamen etiam à junci odorati, ac Aristolochiæ qualitatibus magis ac magis vigescat, & confectionem reddat, ad edomandos illos affectus magis idoneam.

Laccæ abluendæ ratio.

66. In hac Dialaccæ magnæ compositione cùm bis schœnum ingrediatur; dubitandum non est, & paleas, earúmve summitates primo loco, tum & flores, cùm postea Schœnanthi meminit, esse imponendos: non negandum tamen, sæpe per vocem Schœnanthi, quæ verè florem junci odorati significat, totam plantam & paleam significari, ut videre est apud Gal. 8. *Simpl. cap.* 128. ubi sub illo nomine primò plantæ, mox & florum vires posuit, ut & fecit Avic. *lib. 2. Tract. 2. cap.* 598. Et

In Dialaccâ, & flos schœnu, & palea indenda, cùm bis schœnu ponatur.

598. Et quamvis, ubi in compositis ponitur Schœnanthos, si flos benè constitutus reperiatur, is sit imponendus, tanquam verè flos schœnu, & tanquam pars valentior, ut videmus fecisse Andromachum seniorem, qui in Theriacâ cùm sex drachmas schœnu posuisset, junior filius tantundem florum schœnu posuit, ut videre est apud Gal. *cap.* 18. *primi lib. de Antidotis*, & *lib. de Theriacâ ad Pis. cap.* 17. per schœnu flores intelligendos docet, ut & *lib. ad Pamphilianum cap.* 10. Quin & Damocrates, apud Gal. 1. *de Antid. cap.* 37. flores junci ex Arabiâ sumens, non paleam. Et quamvis Gal. fateatur, suo tempore paucissimam horum florum quantitatem reperiri, & paleas eorum loco sumi posse: cùm tamen temporibus nostris non levis illorum copia deferatur, cùm Schœnanthos scribitur, flos erit indendus, si modò odoratus sit; ob tenuem enim eorum substantiam facillimè illorum facultas exsolvitur; in quem casum præstabit paleas imponere. Verùm cùm in hac compositione, & summitates junci odorati, & flores requirantur, omnino præstabit non solùm culmos junci imponere, sed etiam flores.

67. Diasatyrion secundum Mesuen, quod in usu est, adeò diligenter ab auctore est descriptum, & accuratè ab expositoribus explicatum, ut superfluus sim, si in meis his animadversionibus longiori uterer oratione; illud solùm animadvertam, eum per cepam humidam intelligere multi succi: & cùm ceparum aliquæ sint acriores, ut rubentes; aliæ mitiores, & bulborum naturam referentes; illas, quamvis mordacitate magis stimulare aptæ videantur, has tamen potiùs esse eligendas, & tanquam magis succi plenas, & flatulentas, minúsque, & odore, & sapore ingratas. † Has tamen crudas cùm sciamus quàm minimum succi ob visciditatem substantiæ dare posse, ex iis, sub cineribus mediocriter eo modo coctis, quem Gal. docuit, *cap.* 3. *lib.* 1. *de comp. med. sec. loc.* illum faciliùs extrahemus, & sic facilè quantitatem illam succi habere poterimus.

In Diasatyrione per cepas humidas, succi plenas, intelligendum est, sed non nimis acres.

† A Cepis succi extrahendi modus Gal. 1.

68. Philonij Romani compositio omnino ea recipienda est, quæ communiter est recepta, parum ab eâ diversa, quæ à Gal. 9. *de comp. med. per loca* tanquam Philonis Tarsensis descripta est; quanquam aliqui, & in ingredientibus, & in mensuris, retento nomine, Græci, Arabes, & Latini eam immutârint; nos communem sequendam censemus, in quâ nihil mutatur, nisi Euphorbio in Castoreum mutato.

Philonij Romani compositio sit communiter recepta cum pipere.

69. Majori longè animadversione indiget Philonij Persici compositio, quam Mesue *capite de sputo sanguinis* tradit ex suâ inventione, omnino diversam à Philonio Romano, & Philonio Persico Avicennæ, cùm seminum papaveris albi drachmas viginti posuisset; multi autem observassent in Romano piperis albi tantundem esse impositum, errorem subesse existimârunt, & loco papaveris albi substituendum

In Philonio Persico pro pipere indenda semina papaveris albi.

tuendum censuerunt piperis albi, inter quos ferè primi fuère Patres Commentatores Mesuæi, quos secuti sunt Sylvius, Calestanus, & alij complures: quæ opinionum diversitas cùm magna secum invehat incommoda, & in medendo damna; optimum esse censui rem hanc diligentiùs ad examen deducere. Moventur igitur, qui loco papaveris albi legendum putant piperis albi, tum quòd Philonis Tharsensis narcotica compositio, à Gal. tradita, & *lib. de Antidotis*, & *9. de comp. med. loc.* & quæ sub eodem nomine à Græcis Scriptoribus, tum & à Mauritanis, piperis albi drach. xx. recipit: tum verbis Mesuæi *sexto canone capitis tertij intentionis tertiæ*; ubi inquit: *Timentur autem ex narcoticis nocumenta plura, sunt enim omninò contraria rei vitæ, congelantia, & stupefacientia, & mortificantia, ruda quidem magis; adhuc magis recentia.* Ars verò, & societas regunt eorum nocumenta, & removent: verùm trium intentionum res, admixtæ eis, ipsarum operationem rectificant, sicuti verbi gratiâ, rectè miscentur iis castoreum, piper & crocus; sunt enim hæc Theriaca narcoticorum. Sed piper & castoreum faciunt ad resolvendum, & carminandum; crocus verò maturat, & sedat vim narcotici. Cùm igitur compositio hæc opium contineat, quod inter narcotica primum locum obtinet; non aliud narcoticum, qualia semina papaveris albi, debet superaddi, sed potiùs quod vim habet corrigendi damna opij, quale est piper. Deinde, cùm opium jam inditum sit, nulla videtur ratio superaddendi semina papaveris albi, quæ eandem habent facultatem. Si tamen verba Mesuæi, ubi tradit hanc Philonij Persici compositionem; si morbi, cujus curationem ibidem tradit, indicationes curativas; si gravissimorum virorum sententiam observaverimus; si denique vim rationum contrà sentientium perpendamus, facilè in eam veniemus sententiam, papaveris albi semina indenda esse, non piper album. Curabat ibi Mesue sputum sanguinis ex pectore, & inter remedia ponit hoc cum semin. papaveris albi, & jure quidem meritò: non enim ad hujusmodi morbum curandum calorificis egemus, quale hoc esset, si drach. xx. piperis albi contineret præter res tam multas alias, sed refrigerantibus, & adstringentibus, ut *lib. 5. Meth. cap. 3.* admonuit Galenus: ut etiam colligere licet ex Hippocratis *libro 7. Aphorism. 37.* Et reverà, si sanguinis per tussim ex pulmone rejectationes majori ex parte, aut ex sanguinis abundantiâ, aut caliditatis excessu eveniunt, unde & rupturæ, & corrosiones venarum producuntur, quæ refrigerant, incrassant, & adstringunt, conveniunt; non quę calorificant sanguinem, acuere possunt. Et si quis experimento ex tactu linguæ id cognoscere tentaverit, facilè ex vehementi linguæ mordicatione cognoscet, id potissimùm vi piperis inditi evenire; quod quomodo in sputo sanguinis convenire possit, expertorum Medicorum sit judicium. Neque dicatur, piper requiri ad infringendam vim opij.

Id

Id enim à castoreo, croco, euphorbio, pyretro optimè præstari posse omnibus est manifestum. Quibus si quis drach. viginti piperis addiderit, compositio excalefaciens redderetur, quod in sanguinis per tussim excretione omnino fugiendum esse præcipit Hip. 5. *Aphor.* 19. Auget nostram conjecturam Mesuæi compositionis modus, qui cum drach. xx. hyoscyami non debere piperis albi tantundem conjungi ait, frigido calidum. Assentiendum igitur potiùs erit Petro And. Matth. qui 5. *suarum Epist.* defendit in hac Philonij Persici compositione non ponendas esse piperis albi drach. xx. sed semina papaveris albi, quam opinionem etiam sequuti sunt non pauci; & si multis per quinquaginta sex annorum spatium meis experimentis aliqua fides habenda est, testari ingenuè possum, non paucis sanguinem exspuentibus, potissimùm ex causis externis, tum & ex catarrho salso, & in fracturis venarum salutem parasse medicamento hoc, cum seminibus papaveris albi parato; Aliis autem dato Philonio cum pipere albo, querimoniam subsecutam esse ob ardorem in faucibus, gulâ, & ventriculo. Cùm igitur Philonium Tarsense, aut Romanum, in Pharmacopoliis paratum ex pipere albo, habeamus; præstabit in nostrâ hac Mediolanensi provinciâ, curæ nostræ commissâ, Philonium Persicum habere ex viginti drachmis seminis papaveris albi; illo quidem, ut Colicis doloribus, & ventriculi, & aliarum partium; hoc verò ut hæmoptoïcis, & aliis cruentis fluxionibus reservemus ad incrassandos & refrigerandos humores, ad sistendas fluxiones, adstringenda ora venarum, & ad conciliandum somnum. Neque est, quòd quispiam rationibus à Patribus illis, & Fuchsio, moveatur ad asserendam primam illam sententiam: ut enim concedimus ad opij, & narcoticorum corrigendam vim optimum esse piper, castoreum, & crocum; ita negamus, semper tria illa conjunctim ad munus illud præstandum requiri: alioqui reprehendendus esset Mesue in Athanasiâ magnâ, & in compositione ex styrace, in quibus opium inditur, corrigente solùm castoreo, & croco sine pipere: & in compositione Diasulphuris, in quâ cum opio piper solùm, & crocus jungitur, ut & Nicolaus in compositionibus, Adrianâ, Acharistâ, & in Aureâ Alexandrinâ, in quibus cum opio ex tribus illis corrigentibus duo solùm indidit. Quinimo in Trochiscis de alchechengi Mesues opium imponitur sine ullo ex tribus illis, vim opij corrigentibus. Neque video, si in Antiquis abbreviatè legat P P., cur magis piperis, quàm papaveris, intelligi debeat: quinimo diligentissimus Oviedus contrà evincit, quod in syrupo de papavere, ubi in suo antiquo libro est similis abbreviatio, non potest aliud intelligi, quàm papaveris. Neque convincit, quod dicunt, absurdum esse, ubi est opium, semina papaveris albi addere: Mesuen enim ipsum in Athanasiâ magnâ, in Trochiscis

de Alchechengi, & Carabe utrumque indidiſſe facilè, ſi volent, cognoſcere poterunt.

Scendenegi in Philonio Perſico eſt lapis Hæmatites.

70. In eâdem compoſitione cùm ponatur Scendenegi, quæ vox eſt Arabica, dubitatum eſt quid nobis repræſentet, aliis alia intelligentibus. Ego cum potioribus intelligo lapidem Hæmatitem. Moveor autem, quia apud Meſuen *capite de curatione cruenti ſputi* ante traditam hanc Philonij Perſici deſcriptionem Scendenegi, ait, *præſtantiſſimum ad hoc eſſe remedium puriſſimum, ſi lotum exhibeamus*; quæ lotura magis lapidibus convenit, quàm ſemini cannabis, aut ſimilibus. Si prætereà conſideremus facultates lapidis Hæmatitis, traditas à Dioſc. *lib.*5.*cap.*101. & Galeno 9.*Simpl.cap.*9. eáſque iis comparemus, quas Meſue ſuo Philonio Perſico tribuit, proculdubio Hæmatitem indendam indicabimus, cùm facultatibus iiſdem propemodum ornatam utramque eſſe obſervemus.

Eſt tamen, quòd hac in re non levem faciat difficultatem, quod idem Meſue in Trochiſcis de terrâ ſigillatâ poſt lapidem Hæmatitem imponendum addidit & Scendenegi, tanquam differentes res inter ſe. Sed non multùm urget hæc objectio, quia non ſemel contingit rem eandem, variatâ menſurâ, uni medicamento imponi, ut apud Meſuen *in Diacinnamomo*, ubi & Cinnamomum, & Darſeni, quod idem eſt, imponit: & *in Diaſenâ Nicolai*, ubi bis Caryophyllos imponit. Quæ ſi alicui non ſatisfecerint, loco Scendenegi indere poterit ſemina granati ſylveſtris, quæ facultate refrigerante cum adſtrictione facilè ſatisfacient.

Sem. hyoſcyami in Philonio quomodo triturantur.

71. In Hyoſcyami albi ſeminibus in pulverem deducendis non levis ſubeſt difficultas, ſi ſimul cum aliis triturationi in mortario ſubjiciantur: oleaginosâ enim ſuâ qualitate, aliis pulveribus communicatâ, impedient tranſitum per ſetaceum. Ut igitur huic incommodo occurratur, per ſe in mortario triturari poterunt, & pòſt levi aquæ additâ quantitate in maſſam reducentur, quâ cochleari extracta, & exſiccata, iterum cum aliis pulverizandis admixta, compoſitioni huic inſervire poterunt; aut jam exſiccata, & pulverizata per ſe cæteris adjungentur.

Philonium Perſicum non ante ſextum menſem in uſum ducendum.

72. Neque in uſum duci debet compoſitio hæc ante ſeptimum menſem, ſic docente Galen. 12. *Meth.* & 2.*ad Glauc.* & ſecundo, tertio & quarto anno perfectas omnino, & integras vires poſſidet, licèt ad annum uſque decimum non omnino remaneat inutilis.

IN MEDICAMENTA SOLVENTIA *Animadverſiones.*

In Diaphœnico dactyli abeyron quid ſint.

73. MUlta ſunt, quæ in Diaphœnico componendo animadverſione ſunt digna.

Et primò, nisi, quid per Dactylos cheyron sibi velit Mesue, intelligamus, compositionem hanc inutilem habebimus, & eâ utentes Medici suo frustrabuntur fine. Jacobus enim Sylvius, quem secuti sunt Bernardus Dessenius, Renodæus, & alij multi, immaturos intelligunt; tum quòd nomine illo flavos intelligant, quales non nisi sunt immaturi; tum, ait Dessenius, quia immaturi potentiores adstringendi, & roborandi vires retinent: nam illiusmodi exigua qualitas, aliis purgatoriis mixta, efficaciùs movet, Gal. testificante *3. Simpl. cap. 14.* sed malè Sylvius ex voce Græcâ κιρρὸς, quæ fulvum nobis significat, cheyron Arabicam colligit, quam si immaturum interpretemur, in absurditatem ducimus Mesuen *in Looch de pino*, in quo cùm ponat carnem dactylorum cheyron, si carnem immaturorum dactylorum imponeremus, nescio quomodo antiquæ tussi, sputo glutinoso, asthmati, & spirandi difficultati per tale medicamentum succurreremus; cùm ob immaturitatem potiùs hos affectus augeret, neque Dessenij ratio id persuadere potest. Galenus enim dicit, levem adstrictionem medicamentorum purgantium actione adjuvare, quod facilè etiam persuadet, tantam quantitatem valenter adstringentium non esse huic medicamento indendam, quâ vis aliorum medicamentorum solventium infringeretur, ac cohiberetur; quinimo in Emplastro Diaphœnico Alexandri adstringenti cùm immaturos dactylos sumere vellet, non cheyros dicit, sed maturationi vicinos. Eligendos igitur censemus dactylos maturos, bonos, pulposos; & per vocem *cheyron* præstantissimos, & selectos intelligere esse Mesuen crediderim.

Cheyron non significare immaturum.

74. In aceti quantitate, in quâ infundi debent dactyli, servari debet, quod à Mesuæo *cap. de infusionibus* traditum est, ut tanta solùm sit, quanta à dactylis infusis absorberi possit. Docebat enim duplicem esse finem infusionum; unum, ut facultates & vires medicamentorum infusorum, aquæ aut liquori communicentur; & tunc liquoris tanta esse copia debet, ut materiæ infusæ supereminεat per duos, inquit, digitos; ut meliùs, & perfectiùs contrahere liquor vires possit; alterum, cùm infusio fit, ut res infusa liquorem, & ejus vires concipere queat, in quo casu tantum liquoris adhibendum est, quantum majori ex parte absorberi possit, ne, si quantitate excedat, quod superest projiciendum, simul partem virtutis rei infusæ disperdat; cùm omni actioni reactio conjuncta sit: cùm igitur hîc dactylorum fiat infusio in aceto, ut id absorbeatur, tantum concedendum erit, quantum absorberi à dactylis possit, quàm minimâ illius parte superstite.

In Diaphœnico aceti quæ mensura pro dactylorum infusione.

75. Neque ex hoc loco, ubi infusionem hanc dactylorum in aceto voluit fieri per tres dies & noctes, quis colligat, ubi Mesue, aut alius auctor per diem infusionem esse faciendam, per duodecim horas solùm intelligi debere, ut ex hoc loco collegit Brassavolus

Diem 24. horarum intelligendum esse.

in examine syrupi de menthâ. Id enim adversatur doctrinæ Gal. 7. *de comp. med. sec. loc. cap. de compositione ex capitibus papaveris* adversus Heram, ubi per diem semper intelligendum censet diem cum nocte; ut & 8. *Meth. med.*

Per partes in compositione medicamentorum quid intelligendum.

76. Per partes etiam, quibus in hoc medicamento ingredientia metitur, intelligendæ sunt mensuræ, & pondera, libranda juxta quantitatem medicamenti componendi, per partes drachmas, uncias, vel libras intelligentes, ut optimè annotavit Gal. 3. *de comp. med. per gen. cap.* 5.

Dactylos ponderandos ante infusionem in aceto.

77. Neque hîc Mesuæi verba, cùm dicit, dactylorum *cheyron*, aceto per triduum maceratorum, interpretanda sunt, ac si vellet ad libram pendendos esse dactylos, postquam aceto macerati fuerint, ut Joanni Costæo, & ante eum aliis visum est, quòd & verba Mesues id persuadere videantur; quòd nimia dactylorum videatur quantitas respectu aliorum ingredientium; quòdque denique in Diacymino, cùm semina cymini per diem in aceto infusa sumit, fateantur omnes, libranda esse post infusionem siccata. Nam & auctoritas magnorum virorum, & ratio omnino contrà persuadent, centum partes dactylorum, antequam infundantur, esse pendendas. Sequitur hanc opinionem Brassavolus, Patres Commentatores Mesuæi, Dessenius, & pleraque Medicorum Collegia; sed & Avicenna, & Serapio in suis compositionibus ex dactylis, quamvis ab hac diversis in reliquis, dactylos ante macerationem pendunt. Et rationi id etiam consonum est, tum quoniam non dactylorum substantia penderetur, sed aceti sæpe major quantitas: sed nec certa unquam in hac compositione haberi posset dactylorum quantitas; pulposa enim, vel arida eorum substantia, multam, aut paucam aceti quantitatem dactylorum sæpe variabit; nec semper eadem aderit quantitas dactylorum, nec eadem proportio mensuræ eorum ad alia ingredientia. Neque familiarem Mesuæi illum loquendi modum aliud significare is intelliget, qui *librum Simplicium* perlegerit, quàm quantitatem rhabarbari, asari, & senæ per infusionem traditam. Neque Costæi argumentum urget, à proportione quantitatis dactylorum ad alia desumptum; si enim Medicina securitatis esse debebat, sique ad eam quantitatem assumendi medicamenti perveniendum erat, imponenda erit ea quantitas; potissimùm nobis, qui Scammonij drachmas viginti duas indendas esse judicamus, neque dicant præter dactylos acetum imbibitum medicamentum ingredi; percolandi enim erunt post infusionem dactyli, per setaceum traducendi, & igni lento apponendi, ut ex parte acetum evaporet. Nec cumini, aut coriandrorum infusionis similitudo aliquid concludit, eorum enim sicca substantia efficit, ut post infusionem siccata eadem sint.

Scammonij quantitas in Diaphœnico sit drach. xxij.

78. In Scammonij quantitate quanquam plerosque videam drach. xij.

xij. solùm imposuisse, quoniam tamen scio, Collegium nostrum celeberrimum, jam ferè ducentis ab hinc annis, drachm. xxij. indendas decrevisse, ab ejus sententiâ recedere quasi impium esse censui. Et quamvis videam, difficultatem augeri, quòd si cum drachm. xij. non phlegmagogum, ut Mesue censuit, sed cholagogum aliquibus visum sit, si drachm. xij. addiderimus, multò magis bilem evacuare credendum erit: nihilominùs, si quæ à Diosco. de viribus Scammonij traduntur, consideraverit quis, qui non solùm bilem, sed etiam pituitam evacuare scribit, & quæ ab Alex. Tralliano, qui Scammonium ex cotonio, quod Diacridium dicimus (cujusmodi omnino indendum censemus) magis pituitam, quàm bilem educere scribit; si præterea Turbith naturam & vires consideraverimus, nullam res hæc faciet difficultatem, quod his positis etiam inter phlegmagoga poterimus enumerare. Et reverà affirmare possum, inter solventia medicamenta nostrum hoc cum drach. xxij. Scammonij, spatio hoc quinquaginta quinque annorum clementissimum me esse expertum.

79. Pro amygdalis malè aliqui amaras intelligunt, quòd eas magis in usum duci pro medicamentis dixerit Diosc. *lib.* 1. 139. cùm alioqui ibi nil aliud sibi voluerit, quàm amaras solùm pro medicamentis, dulces verò præter id pro cibo sæpius usurpari; & si per amygdalas absolutè amaras intelligere deberemus, in unguento rosato Mesuæi utique amaræ præter omnem rationem essent indendæ. Nobiliores igitur, quales sunt dulces, erunt eligendæ, ut *in suo Diaphœnico* fecisse videmus Avicennam, & Serapionem.

Amygdalæ in Diaphœnico intelligendæ dulces.

80. Non placet Bernardi Dessenij sententia, qui, cùm cum Mesue hæc omnia trituratione bonâ esse conterenda scribit in subtilissimum pollinem, & per subtilissimum setaceum has res esse triturandas, intelligendum esse censuit; cùm ex simplicibus iis aliqua, si per se trituranda fuerint, crassiorem, alia mediocrem, alia subtilem requirant triturationem. Propterea per bonam triturationem horum omnium simul mediocrem intelligit, omnibus aliquo modo convenientem, ac quasi dixerit ex arte.

Triturationem bonam intelligendam esse mediocrem.

81. Melle despumato excipiendos pulveres præcipit hîc Mesue: ubi non placet, si sicco igne mel solum despumetur; sic enim sæpe adustionem quandam, acredinem, & amarorem contrahit: conveniet magis, quod à plerisque fit, si aquæ admixtum despumetur per elixationem spuma elicita & sublata, ut docuit Gal. 3. *de alim. fac. cap.* 39. Quoniam tamen fieri non potest, quin aliquid aquæ admixtum relinquatur, quod conservationi confectionis adversabitur, præstabit igitur alio modo mel despumari, veluti eo, quem tradit Gal. 7. *lib. de comp. med. loc. cap.* 2. *in septimâ Arteriacâ*, in duplici vase factâ mellis ebullitione, & despumatione; sic enim nullum subest periculum

Mellis despumatio quomodo facienda.

aduſtionis, aut ingrati ſaporis acquirendi, ſuámque ſervat naturalem conſtitutionem, ſecuriúſque ea, quibus admiſcetur, aptum eſt conſervare.

Mellis quantitas quæ in Electuarij compoſitione, cùm dicitur, quantum ſufficit.

82. In mellis quantitate determinandâ, quòd Meſue dixerit, tantum mellis indendum, quantum ſufficit, & in aliis compoſitionibus ſæpe, quantum ſit ex arte; efficit, ut in hoc compoſito, ut & in aliis, Scriptores adeò inter ſe diſſideant, aliis duas libras imponentibus, aliis tres, aliis quatuor, aliis quinque, & aliis ſex. Joannes Coſtæus novâ ex menſurâ, & doſi exhibendi hujus medicamenti, & enumeratione purgantium ingredientium, & reliquis, ſupputatione ſuo modo factâ, concludit ſupputatis partibus pro drachmis, cùm totum Electuarium aſcendat ad drachmas octingentas, & decem, & novem, id eſt, uncias nonaginta & unam, cùm ingredientia omnia pendant drachmas ducentas, & duas ſupra quinquaginta, ſcilicet, uncias octo ſupra viginti; propterea quod deeſt, ad unius ſupra nonaginta numerum, id eſt, uncias tres & ſexaginta, ſupplendum eſſe melle: ſicque addendæ erunt libræ mellis quinque & tres unciæ; evadétque, ait, medicamentum tale, cujus ſumma doſis drachmarum erit decem cum dimidiâ ex auctoris præſcripto, à quo non eſt diſcedendum. Ne igitur in poſterum in tantâ varietate verſemur; ubi Meſue igitur, & alij ſcribunt mellis, aut ſacchari, quantum ſufficit, aut quantum ſit ex arte, operæ pretium facturos nos eſſe arbitramur, ſi hanc rem hoc loco examinemus.

Mellis ad ſpecies communis proportio quæ.

Arnaldus Villanovanus *in principio ſui Antidotarij*, Sylvius *in procemij Meſuæi præfatione*, Patres Commentatores Meſuæ *in Dialangâ*, Fernelius 4. *Meth. cap.* 15. quos recentiorum omnis turba ſequitur, communi conſenſu voluerunt in Electuariis formandis ad tres ſpecierum uncias addendam eſſe libram mellis, quam ſecutum videmus Meſuæum *in Diamoſcho dulci*, *& in Philonio ſuæ inventionis*. Quam tamen proportionem non ſemper ſervaſſe videmus *in Diacitonite ſolutivo*, & aliis, & Avic. *lib.* 5. *Tract.* 2. *in Hierâ*, Galeni ſpecierum, & mellis æquales ponit portiones, & *in Tripherâ magnâ* quatuor ſpecierum uncias librâ mellis excipit: & Galen. 2. *de Antidotis cap.* 14. *in Electuario de ſanguinibus* duplum ponit mellis ad pulveres. Scimus tamen, Andromachum in compoſitione, dictâ *Chermen*, priorem illam regulam ſervaſſe, libram mellis addendo ad tres uncias ſpecierum. Communiter tamen recepta hæc regula libræ mellis ad tres uncias ſpecierum ſuas habet cauſas, ex quibus etiam, cur quandoque ab eâ ſit recedendum, facilè colligere poterimus, ſi quæ à Damocrate tradita ſunt apud Galenum 2. *de Antidotis capite* 9. & à Nicolao *in principio ſui Antidotarij* conſideravimus, & quæ ab eodem Galeno 4. *de tuendâ* valetudine, ubi de mellis agit quantitate neceſſariâ pro compoſitione Diacalaminthes: ex quibus duæ cauſæ eliciuntur, cur mel compoſitionibus indatur: nempe, ut ſicca pulverulenta

Mellis & ſacch. in compoſitis admiſcendi cauſa.

lenta uniantur, & ut, servatis viribus, etiam palato blandiantur. Tertiam si addiderimus, ut medicamentum diutius incorruptum conservari possit, causas omnes hujusmodi proportionis habebimus. Sæpius igitur facto periculo majoris quantitatis mellis, & minoris ad tres specierum uncias, cùm experientiâ esset comprobatum, aut non uniri pulveres, aut ingratum nimis reddi medicamentum; aut, si gratum fuerit, viribus expectationi non correspondere, aut non conservari, communem illam regulam constituerunt: à quâ tamen aliquando recedendum erit, si aut species ipsæ per se corruptioni resistunt, & tunc mellis mensura est diminuenda, ut *in Hierâ Galeni*, aut augenda, ubi vim specierum aliquantulùm imminuere volumus. Quæ à Costæo proponitur proportio ad solventia ingredientia, & ad dosim assumendi medicamenti extremam; si non aliam inveheret difficultatem, saltem illam non effugeret, quòd ob difficultatem supputationis plerique, illâ relictâ, adhuc animo hærerent in quantitate eligendâ: illud tamen habet incommodi, quòd si in composito aliquo parando, quæ solvunt, si pauca fuerint, species autem adjunctæ multæ, quàm minimum mellis indi deberet: tuncque non possent species uniri: ut observari potest in Electuario Indo majori, & in Hierâ inventionis Mesuæ. Sed cùm ab initio docuerimus in mellis assumendâ quantitate adeò sæpe variasse Scriptores, conandum erit rationes invenire tantæ diversitatis præter eas, quæ proximè sunt enarratæ. Quas ut inveniamus, primò sciendum est, in his compositionibus tria ferè semper inveniri; species sive pulveres, mel sive saccharum, & res alias, quæ neque verè species dici possunt, neque mel; quæ extravagantes dicuntur, quòd aliquando cum speciebus conjungi possint; nunc mellis, aut sacchari vices obtinere ex parte possint, nunc in medio consistentes neutri annumerari: Pulveres & species cum Andromacho *in compositione Chermen* apud Gal. 2. *de Antid. cap.* 15. res siccas, quæ triturari, & per incerniculum transigi possunt, in quibus tamen ea non connumerantur, quæ quamvis actu sicca sint, si tamen triturentur, cùm potentiâ humida sint, duritiem, & siccitatem amittunt, ut saccharum, penidia, & similia. At intermediorum, quæ nec species pulverésve sunt, nec mel, cùm multa sint, quæ vices mellis subire possint, efficitur, ut mellis illa quantitas, & proportio quandoque non servetur, quæ communi consensu recepta est. Sed quoniam horum multiplex est substantiæ conditio, constituendum in universum erit, res eas omnes simplices, quæ medicamento ea dare possunt, quæ mel, aut saccharum præstare potest, mellis aut sacchari quantitatem imminuere. Quæ tria illa officia mellis, aut sacchari in medicamentis uniendi, conservandi, & dulcorandi præstare possunt, mellis vices subibunt, & pro melle mensurari poterunt: non secus ac in unguentis, & ceratis locum ceræ, aut terebinthinæ

Mellis quantitas quando minuenda.

Costæi de mellis ad species proportione sententia reprobata.

Mellis incompositis vices quæ suppleant.

binthinæ

binthinæ ea supplere dicit Gal. *3. med. comp. per gen. cap. 5.* in unguento ex metallis ad ulcera, & *cap. 6.* in quibus axungiam, sebum, picem, oleum, & similia ceræ, & resinæ vices supplere dicit, & à pondere horum esse minuenda; de quâ re suo loco. Sic fecisse videmus Mesuen in Confectione de Gemmis, Xyloaloës, Lætificantis, in quibus cùm tantam Mivæ aromaticæ, & mellis emblicorum posuerit, nullam mellis indendi facit mentionem, ut in multis aliis. Quinimo in confectione de Aromatibus cùm duodecim solùm imposuisset uncias mivæ aromaticæ, quæ quantitas ad tria illa mellis officia præstanda non satis erat, addit mellis, quantum satis est: sed in confectione Electuarij ex inventione nostrâ, cùm mivæ aromaticæ tantam indidisset quantitatem, quanta necessaria erat ad species uniendas, & compositionem conservandam, & dulcorandam, mellis nullam indidit portionem. Rerum denique, quæ nec species pulverésve sunt, quæ extravagantes dicuntur, quamvis aliquæ aliquando mellis, aut sacchari vires subeant; majori tamen ex parte, cùm mediam naturam inter dura, & mollia sortiantur, non alterant, aut mutant proportionem specierum ad mellis quantitatem, sed confectionis corpus constituentes aliqualem in consistentiâ constituunt differentiam; sub hoc genere continentur amygdalæ, pinei, avellanæ, semina carthami, quatuor semina majora, & similia. Ut igitur tandem ad id, unde nostra digressa est oratio, redeamus; Dactyli, & Penidia, quæ in multâ quantitate in Diaphœnico ponuntur, mellis locum ex parte occupabunt, & tanquam fundamentum medicamenti ponuntur; amygdalæ, tanquam mediæ, & ut extravagantes dictæ. His sic stantibus, optimè concludit Oviedus, pro partibus drachmas accipiendo; & uncias sumentes drachmarum novem, quindecim uncias, & mediam mellis esse in hoc Electuario indendas. Recipit enim octo solùm uncias pulverum, pro quibus mellis indendæ essent unciæ triginta duæ, à quibus detrahentes centum drachmas Dactylorum, & quinquaginta Penidiorum, † quæ mellis locum subeunt, quæ sunt unciæ sexdecim cum dimidiâ, supersunt mellis unciæ quindecim cum dimidiâ superaddendæ, ut numerum triginta duarum expleamus, quæ correspondent proportione. Verùm, cùm nos Scammonij non duodecim drachmas, sed viginti duas, ut jam docuimus, indamus, sicque pulverum plùs, quàm novem drachmas sumamus, mellis uncias saltem viginti imponemus.

Dactyli emellitii, & Penidia vices mellis in Diaphœnico obtinent.

† In Diaphœnico quæ mellis quantitas indenda.

83. In confectione Hamech non pauciores, nec faciliores sunt difficultates, nec minoris momenti animadversiones, & primùm Myrobalanos, sublatis ossibus, esse in decoctione hac omnino ponendos, & pensandos, secus quàm censuerit Platearius *lib. Simpl: cap. 18.* qui, ubi in compositis poni debebunt cum suâ substantiâ, abjicienda ossa esse censuit, in decoctionibus autem ossa esse retinenda,

In confectione Hamech à dactylis ossa eximenda.

nenda, potissimùm citrinorum, præter omnem rationem censuit.

84. In Rhabarbaro etiam excoquendo apud aliquos est difficultas, quòd Mesue *in Dist. Simplicium cap. proprio* levem admittere scribat coctionem: ne igneæ partes, in quibus pu g trix facult s reposita est, evanescant: quomodo igitur eandem patietur decoction m cum iis, quæ & solidioris sunt substantiæ, & longiorem admittunt coctionem, si vera sunt, quæ & à Mesue in Canonibus, & à nobis de graduatione decoctionum dicta sunt: ùt propterea aliquibus visum sit separatim infundendum esse Rhabarbarum, & excoquendùm. Sed & hoc iis repugnat, quæ ab initio de elixatione dicta sunt, non esse alterandas, aut mutandas formas decoctionum, ab auctoribus traditarum pro componendis aliquibus medicamentis; quòd permixtionem multarum illarum rerum aliquando unius natura per alteram immutetur. Addendum verò, sic admonente Brassavolo in examine syruporum; tantò magis id esse observandum, cùm elixationi præcedit infusio, per quam mixta quædam virtus extrahitur, & composita, quæ immutat naturam ingredientium, potissimùm si per longum tempus facta fuerit. Quod in hac pluribus rationibus evenire dicere possumus, tum quòd, infusione per quinque dies factâ, & calente conservatâ in occluso vase, purgatricem facultatem Rhabarbari aquæ communicatam esse verisimile est, tum quòd mixtione rerum aliarum compescitur dissolubilitas illa subtilium partium Rhabarbari. Et quòd ita sit, inde etiam colligitur, quòd rosas, & violas eâdem decoctione, quæ minimam admittunt elixationem, decoquendas docuit. Sed quod hac in re omnem tollit difficultatem, est, quòd post infusionem hanc, communem omnibus rebus, factam per quinque dies in vase angusti oris, & bene occlusi, levissimam jubet adjungendam esse elixationem, qualem omnino Rhabarbaro convenire jam docuerat. Desinant igitur nimis diligentes ij in rebus claris hujusmodi scrupulos injicere.

Rhabarbarum in decoctione Hamech cum reliquis decoquendum, & cur.

Decoctio non est graduanda, cùm sit præcedente infusione, & cur.

85. Et quamvis Mesue Colocynthidem & Agaricum simpliciter cum aliis infundendum jubeat, placet tamen Dessenij sententia in lineâ piceâ raræ texturæ alligata ea esse infundenda, ne filamenta quædam, quæ ab aliis per coctionem separari solent, liquori admixta, ventriculo si adhæreant, tormina, & æstuationes in ventriculo inducant: quod ut evitari posset, docuit Serapio *lib. Simpli. capitulo* 182. ubi coctione illius vires in liquorem aliquem extrahere velimus, integram esse excoquendam; si tamen diligentiam hanc adhibere noluerimus, sed crasso modo fractam in sero simpliciter infundere voluerimus, ut & Agaricum; post cocturam colatura per pannum lineum, benè contextum, & sine expressione erit facienda.

Colocynthis & Agaricus quomodo in confectione Hamech infundenda, & decoquenda.

86. † In seri etiam quantitate video Scriptores maximè dissentientes;

† Seri quæ quantitas in confectionis Hamech decoctione.

tientes; Dessenio viginti libras, Sylvio quinque tantùm ponente; alij tantum seri sumendum contendunt quantum supra res infusas serum per duos digitos, alij per quatuor eminere possit. Verùm, ut à posterioribus iis exordiar, non video, quomodo hoc signo mensuram metiri possimus, cùm illud certissimum sit, plerasque res infundendas ob siccitatem, & levem spongiosamque substantiam liquori supranatare. Viginti libras si cum Dessenio sumamus, vereor, ne ingredientium qualitates, communicatæ tantæ quantitati seri caprilli, imbecilliorem vim medicamenti reddant, potissimùm, cùm post infusionem illam quinque dierum levissimam elixationem, & fortem expressionem, additâ cassiâ, tamarindis, & mannâ, addito saccharo albo, iterum elixatio sequatur ad mellis consistentiam; in tam longâ elixatione purgatrix facultas omninò imminuetur. Quinque tamen libræ seri, quam mensuram Sylvius satis esse censuit, adeò parva quantitas videtur, ut, si sicco igne fiat, assationi potiùs, quàm elixationi inservire posse videatur, si in duplici vase calore humido, vasis ore bene clauso, vix mellis consistentiam acquiret. Experti itaque artificis judicio res hæc tota committenda est, qui, rerum substantiâ, & siccitate perpensâ, & modo incrassandi liquoris considerato, tantam apponat liquoris quantitatem, quantam necessariam cognoscet, ut, integris servatis viribus infusorum, ad illam consistentiam infusio cum additis rebus reduci possit, qualis est, quam in melle observamus.

Seri incorrupti per quinque dies conservandi ratio.

87. Quomodo autem serum incorruptum per quinque dies servare possimus, quod adeò brevi tempore acescere videmus, multis fecit difficultatem: adeò ut Galli Medici, inter quos Doctissimus Fernelius, illum immutârit, hanc Mesuæi sine arte concinnatam censens: Aliqui, ut periculum hoc corruptionis, aut acescentiæ effugiant, sæpius vas illud agitandum censent: quo remedio id obtineri non posse quilibet experietur, qui in aliis infusionibus, in sero factis, vel aliis liquoribus periculum facere voluerit. Alij calidum conservandum serum ducunt, conjecturâ ductâ ex verbis Mesuæi, qui in vase angusti oris, & bene occlusi infusionem hanc rerum in sero faciendam præcipit; quod factum à Mesue arbitrantur, quòd voluerit semper calentem infusionem conservare nos debere, ut conservetur sine putredine: si enim frigidam admitteret, non fuisset necessarium os vasis angustum esse, & bene occlusum, cùm à frigido nihil exhalet; calentem igitur conservabit; ut à putredine, mucore, & acetositate illam vindicet. Verùm si experiatur aliquis, sero in tali vase per quinque dies servato calente, an à putredine, vel acetositate vindicari possit, facilè cognoscet hanc sufficientem non esse viam præservandi seri in naturali suâ constitutione; cognoscent quidem & agitatione frequenti magis communicari qualitates infusarum rerum liquori, & item

item calore fovente easdem meliùs extrahi, at his solis præservari serum à corruptione, hoc est, in quo animus meus non acquiescit. Non negaverim, duo hæc ad id nonnihil conferre posse; at præcipuam, atque immediatam causam præservationis seri à putredine crediderim esse amaritudinem summam colocynthidis & absinthij, quam in Methodo universali Mesue professus est vim habere maximam præservandi res à putredine, & *lib. simp. cap.* 12. ex professo hoc absinthio maximè convenire professus est.

88. Per Cassiam fistulam puram, sive mundatam non possum non intelligere pulpam, & succum Cassiæ hujus nigræ, à fistulis extractum, à seminibus & laminulis purgatum; nescio enim, quomodo mundam, aut puram medullam illam dicere possimus, nisi à seminibus & excrementitiis laminulis sit spoliata. *Cassia in Hamech sit succus purus.*

89. Neque eorum opinio admitti debet, qui succum, sive medullam hanc Cassiæ minimè censent esse elixandam, sed sufficere, si paucâ aliquâ liquoris illius quantitate ad mellis consistentiam deducatur: quòd Mesue *in suâ universali methodo cap. de decoctionibus* asserat, lenientia & lubricantia, qualem Cassiam fistularem esse scimus, nullam, aut paucam ex decoctionibus acquirere utilitatem; quin ex aëre, extractam è fistulis, & aliquandiu in vase aliquo servatam, docet Mesue vim lenientem amittere: quòd in humiditate quâdam blanda vis illa reposita, ab aëre absumpta, dissolvatur: quantò magis hoc ab igne majoris activitatis id præstandum esse censendum erit. Sed hæc non faciunt, ut à modo componendi hoc medicamentum, ut Mesue hìc docet, recedamus, utque succum hunc Cassiæ non elixemus. Argumentum, ex Mesue *capite de decoctionibus* desumptum, si quis consideraverit, quæ ibidem proximè dixerat, cognoscet nihil concludere: docet enim, non easdem ex elixationibus omnium rerum obtineri utilitates; per rerum enim acrium elixationem, dissolutis igneis partibus, medicamenta illa mitiora redduntur, minúsque calida, & minùs mordacia; quod in elixatione lenientium, & lubricantium non contingit. Neque etiam ex elixatione pulpæ Cassiæ lubricans, leniénsve facultas tollitur perinde, ac si diutius in vase extracta conservetur: nam sic aëreæ partes, si quæ sunt igneæ in halitus dissipatæ aut exsiccatæ, in quibus leniendi vis inest, dissipantur. *Cassia elixata quâ ratione conservetur.*

90. In Catholico medicamento non est, cùm folia Senæ excipiantur, quòd aliquis folliculos indat, cùm ij vel fructus sint, vel seminum receptacula, neque æquè ac folia purgatricem habeant facultatem; neque etiam æquis portionibus cum foliis, quòd aliquibus ob aliqualem, quâ pollent, adstrictionem indamus; sed folia Senæ, quæ cùm benè mundata postulet Nicolaus, nobis insinuat, festucas, & pediculos omnino esse eximendos juxta doctrinam Gal. 4. *de san. tuendâ*, ubi de Diacalamento agit, & primò *de Antid. cap.* 24. ubi, si *In Catholico per Senam folia sumenda, non folliculi.*

folia, vel absolutè herbam aliquam elegerit quis, in compositis imponendam, folia imponenda censuit, à pediculis mundata; ut &, ubi semina, & radices nominantur, folia non erunt indenda, ut propterea in hoc medicamento & folliculi sint submovendi.

Cassia in Catholico mundata indenda.

91. Cùm octo unciis Cassiæ fistularis mundatæ posuerit Nicolaus, non censeat quispiam, extractam pulpam ex fistulis esse ponderandam cum seminibus, & tabellis; sic enim mundata non esset mensurata, neque debita quantitas illius imponeretur. Sicut nec placet opinio eorum, qui sublatis osficulis illam mensurant cum tabellis, à quibus posteà, dissolutâ cum syrupo ex polypodio, per setaceum eâ traductâ, conantur expurgare; sic enim non octo unciæ medullæ Cassiæ inderentur.

Rhabarbari trituratio quomodo varianda.

92. In Rhabarbari trituratione, & in hoc medicamento, & aliis, video adeò dissentientes sententias, an crasso modo, an subtiliter, an potiùs mediocri trituratione utendum sit, quibuslibet suam sententiam ex Galeni verbis, ex Mesuæi, & ex recentioribus confirmantibus; ut necessarium sit brevissimè hac in re meam proferre sententiam, ne tanquam in salo hæreant Pharmacopolæ: sed si substantiæ modum varium, si illius facultates diversas, si utendi modum, si finem Medici in illius usu consideraverimus, fortasse non ita difficili negotio veritatem eruemus. In varietate modi substantiæ variandum esse modum triturationis docuit Mesue *in capite de trituratione:* postquàm de Scammonij variâ trituratione pro varietate modi substantiæ disseruisset, de Rhabarbaro variè etiam triturando loquitur *in fine capitis*, dicens; *Rhabarbarum optimum, solidioris substantiæ, subtiliter pulverizatum, vegetius in purgatione esse; at si leve & laxum ita trituremus, penè omnem purgatricem facultatem amittere.* Si præterea facultates in eodem varias pro varietate partium, quibus constat, consideraverimus, variandam quoque esse illius triturationem dicemus: si enim igneas partes extrahere, & illis frui velimus, subtiliter erit pulverizandum; at austeris & terrestribus, & circa ventriculum & intestina crassiori modo triturabimus. Si præterea masticando in usum ducetur, cùm passulis, cùm masticatione illâ, & calore oris igneæ partes purgatrices, & per subtilitatem partium deobstruentes à terrestribus & subadstringentibus segregentur, incidendum potiùs erit, aut certè crasso modo triturandum; at si per infusionem erit exhibendum, aut minutim incidemus, aut crasso modo triturabimus, ne, si subtiliter pulverizetur, ad vias urinæ potiùs materias conducat, & igneis partibus ardorem in renibus & vesicâ inducat. Quòd si varios Medicorum fines in illius usu perpendamus, vario etiam modo triturandum esse cognoscemus: si solo utamur ad roborandum, exsiccandum ventriculum, & attenuandas subducendásque adhærentes materias, ut aliquandiu ubi commoretur, non triturabimus, sed minutim incidemus: si ad

si ad roborandum, & excalefaciendum hepar, & ad obstructiones, in eo consistentes, tollendas concedatur, mediocriter erit triturandum: at cùm in compositis ad evacuandos humores inditur, ut in hoc Catholico, mediocri trituratione opus est, ne, si subtilissimè pulverizetur, ad alvum & ad intestina materias non ducat biliosas & calidas, sed ad vias urinæ. At si denique eo utamur ad tollendas obstructiones in venis consistentes, & per vias urinæ deducendas, tanquam per commodiores & magis convenientes partes, ut fit in malo corporis habitu, & aliquando in hydrope, vel anasarcâ, cum Trochiscis de Rhabarbaro, de eupatorio: in similibus ego in eam venio sententiam, in eo casu, & compositis illis in tenuissimum pollinem esse deducendum Rhabarbarum. Harum differentiarum causas ex ratione non solùm quis deductas censeat, sed ex ipsomet Galeno tum 4. *de sanitate tuenda*, cùm in Diaspolitico explicando de cumini trituratione agit, tum *cap.13. lib.1. de simpl. med. fac.* & Mesue *in universalibus cap. de trituratione*.

93. Per quatuor semina frigida, quæ in hac compositione requirit Nicolaus, ne quispiam censeat minora indenda esse, cùm mundata requirat à cortice, quorum tamen nullus est cortex: cúmque ex Scriptoribus nullus, de seminibus minoribus frigidis agens, dictionem illam addiderit, ut in majoribus additam plerumque videmus. *Per Semina quatuor frigida majora intelligi debent.*

94. Hæc in mortario super papyrum sæpius mutatam triturata, ut aliàs dictum est, & per setaceum traducta, vel per se, vel cum portiunculâ decocti polypodij optimè ad hujus compositi constitutionem concurrent. Si enim cum Rhabarbaro & saccharo cando conterantur, & Rhabarbari triturationem impedient, & ob oleaginosam substantiam periculum inducent, ne compositum situm contrahat. *Semina frigida quomodo trituranda.*

95. Potissimùm, si singulorum unciam, ut communis ferè omnium auctorum est sententia, indamus, quicquid scioli quidam contrà sentiant, singulorum drachmas duas solùm admittentes, & unciam ex singulorum drachmis duabus constituentes. *Seminum frigidorum in Catholico quantitas.*

96. In Polypodij decocto, pro syrupo parando cum saccharo, qui fundamentum est hujus compositionis, quoniam video potissimùm in quantitate aquæ dissentire, neque ab auctore quantitatem esse determinatam, sed additum solùm, quantum sufficit, neque decretum, quanta aquæ quantitas per elixationem sit absumenda; cùm aliquos viderim ad libram polypodij elixandam quinque libras aquæ solùm addidisse; placuit etiam aliquid hac de re annotare. Polypodium cùm dura sit ac lignosa radix, adeò longam sustinet coctionem, ut, si longâ elixatione virtutem, in intimioribus partibus constitutam, in aquam educere tentamus; adhuc in fine solidiorem illius *In Polypodij decocto parando quæ aquæ quantitas indenda.*

 substan-

substantiam experiamur. Propterea pro decoctione hac parandâ, contusâ mediocriter hac radice, libram illius in duodecim aquæ libris excoquemus ad sex librarum consumptionem: mox octo libras sacchari addemus ad syrupum parandum ad spissitudinem mellis, indéque paulatim pulpam illam cassiæ, ac tamarindorum superaddemus, semper spathulâ admiscentes igni lento simul apposita, & levi factâ ebullitione, ubi refrixerint, pulveres addendi erunt senæ, violarum, & rhabarbari, atque ad electuarij consistentiam mediocrem reducemus.

Manna in Elect. rosato an elixanda.

97. Electuarium Rosatum descriptionis Mesuæ inter Cholagoga primum sibi locum meo judicio vendicavit. In ejus compositione video diligentiores hæsitare; quòd Mannam videant excoqui in succo rosarum ad lumen clarum ignis, qualis est candelæ, donec succus cum saccharo & mannâ in syrupum evaserunt ad spissitudinem mellis; quòd Mannam censeant non admittere elixationem ob tenuitatem substantiæ, ob quam per elixationem virtus solvens mannæ hebetari videtur, dissolutis aëreis illis partibus, in quibus evacuandis vis reposita est. Ob hanc enim causam scimus Galenum *6. de comp. medic. sec. loc.* crocum & myrrham non debere excoqui scripsisse; ne, resolutis tenuibus & odoratis partibus, vires amittant. Sed non animadvertunt, res illas voluisse Galenum in fine decoctionis imponi, ut facilè cognoscatur, non omnino illas à coctione excludi, sed à longâ elixatione. Sic mannam admitti ad coctionem Mesue in confectione Hamech, in Electuario de psyllio, in confectione de mannâ, quin *lib. Simpl. cap.* 8. coctam magis solvere scribit. Sed verissimum est, Mannam in principio decoctionis succi rosarum, dum addito saccharo paratur forma syr. ad mellis consistentiam, non esse imponendam; sed in fine decoctionis, quo tempore si addatur, faciliùs syrupus mellis consistentiam acquiret, & Manna suam conservabit integram evacuandi facultatem.

Scammonium an elixari possit.

98. Eandem, sed non ob eandem causam, difficultatem habent de Scammonio. Experientiâ enim compertum est, si elixetur, conglobari, & in grumos coïre: quòd si evenerit in componendis medicamentis, in illud incidemus incommodum, ut parte unâ medicamentum vehementiùs solvat, quàm alterâ, non æqualiter per omnes partes distributo Scammonio. Ut propterea Jacobus Sylvius 2. *lib. suæ Pharmacopœæ* non in decoctione Scammonium ponat, sed cum aliis pulveribus post præparatum syrupum, secus atque instituerit auctor. Sed si observaverimus, quæ à Nicolao scripta sunt in Electuario frigido secundùm Coplionem, ab Arnaldo Villanovano in Antidotario, in Electuario psyllitico, à Ioanne Costæo, tum & ab Oviedo in hoc electuario explicando, facilè cognoscemus, incommoda illa posse evitari, & modum componendi Mesuæi servari, si

in

in hoc electuario parando, in quo manna excoquenda præcipitur, ut in confectione Hamech, electuario de psyllio, & de mannâ, scammonium, ex arte benè contritum, in parte aquæ, aut liquoris excoquendi, ut in hoc, in parte succi rosarum frigidi dissolvamus,& dissolutum diligenter manibus perfricemus. Sic enim in liquorem evadet, lacti similem, qui si saccharo jam in succo rosarum dissoluto addatur, etiamsi simul cum syrupo illo elixetur, non ampliùs in grumos unietur, & uniformem reddet compositionem. At si quis objiciat, Scammonium hîc à Mesuæo requiri Antiochenum, id est, perfectissimum, quod *in Canonibus*, *capite de trituratione*, docet non esse subtilissimè conterendum, ne igneæ partes, in quibus vis inest purgatrix, evanescant: quamobrem cùm crasso modo contusum pro purgante in usum venire debeat, si eo modo excoquatur, non poterit ita in elixatione dissolvi, quin uniatur in grumos, nisi subtilissimè pulverizatum, & succo rosarum admixtum elixetur. At ob hanc ipsam causam dissolutum in succo diximus diligenter manibus esse perfricandum, ut, quod crassioris est substantiæ, dissolvi queat. At, inquiunt alij, sic dissoluto in succo admixto, & elixato posse Pharmacopœos nobis imponere, quòd nec tactu, nec visu cognosci possit; positum esse in compositione, & propterea laudant potiùs Sylvij consilium, qui Scammonium in succo illo cum saccharo non coquit, sed aliis pulveribus additum in fine admiscet. Sed difficile est omnes malorum insidias evitare: bonis nos artificibus, & Medicis hæc scribimus; & nobis satis est docere, quomodo compositio hæc præparari possit eo modo quo ab auctore nobis est tradita,& quomodo incommoda illa, quæ difficultatem faciebant, possint superari.

99. Per Trochiscos hîc de spodio intelligimus, non qui secundâ descriptione dicuntur Trochisci de spodio cum seminibus acetosæ, ut quibusdam placuit;sed qui in primâ descriptione traditi sunt, qui simpliciter Trochisci de spodio dicuntur. *Trochisci de spodio, sive cum seminibus acetosæ.*

100. Cùm Galliarum quatuor species constituantur, ut in sectione de Trochiscis videre est, diu multúmque dubitatum est, cùm in hoc Electuario Galliam imponendam doceat, quænam indenda sit, an Moscata, an Aloëfangina: aliis moscatam, aliis Aloëfanginam asserentibus, qui tamen nullis rationibus suam firmant opinionem: & propterea aliqui asseruerunt, ubicunque absolutè sine specificatione unius aut alterius Gallia ponitur, ad libitum posse nós alterutram imponere: cùm enim alteram ex iis eligendam auctores censent, se ipsos, addendo Moscatam, aut Aloëfanginam, explicant;at ubi nihil referre cognoverit, utram illarum indamus, absolutè sine specificatione Galliam ponunt. Ego verò, ut uniformiter Pharmocopœi, meæ provinciæ subditi, in componendis medicamentis procedant, gravissimorum etiam virorum fretus auctoritate, Patrum, Mesuæi *Gallia moscata in electuario Rosato indenda.*

Commen-

Commentatorum, *capite primo de Trochiscis*, Iacobi Sylvij *in explicatione obscurarum vocum Mesuæ*, Brassavoli *in examine Electuariorum*, & aliorum plerorumque Italorum, & Germanorum, tum & ratione, censeo Moscatam eligendam esse, tum quòd, ut nobilior, primo loco est à Mesue descripta; quod verò absolutè profertur, per Antonomasiam semper de nobiliori intelligitur; tum quoniam, cùm compositio hæc sit ex inventione Mesuæi, cùm Galliam simpliciter profert, intelliget Galliam illam, quæ etiam suæ est inventionis, qualis est Gallia Moscata: Aloëfangin am enim ibidem docet Antiquiorum esse inventum.

Rosatum Mesuæ non sit nimis liquidum.

101. Aberrant prætereà non parum Pharmacopœi illi, qui ut aptius habeant hoc medicamentum ad formandas Pilulas Aggregativas, liquidiùs, illud minùs excoquentes, syrupum efformant; non animadvertentes corrumpere eos formam, ut accidenti succurrant. Mesue voluit syrupum illum ex succo rosarum, saccharo, & mannâ eòusque coquendum esse, ut mellis obtineat consistentiam; ipsi liquidum adeò formant, ut electuarij non habeat consistentiam; non animadvertentes, scammonium, cùm leviorem habeat substantiam, superiores partes petere; potissimùm si, ut multi faciunt, cum aliis pulveribus in fine apponatur; sicque non æquè omnibus partibus facultatem tribuet purgatricem.

In Elect. de succo rosarum indendum Diagridium, non Scammonium.

102. In Electuario de succo rosarum Nicolai, cùm auctor Diagridium imponendum scribat, nescio, quid in mentem venerit diligentissimo Oviedo, cùm Scammonium, non in cydonio præparatum, sed simplicem succum, nempe plantæ illius lacteum, Sole condensatum potiùs indendum voluit. Ut enim illi, & Ruellio *l. 3. de naturâ plantarum c.* 148. concedamus, aliquibus Antiquis aliquando Diagridium dictum fuisse Scammonium, ut libro de Dinamidis, Gal. tributo *cap. 9. de Simplicibus ad Paternianum cap.* 249. & aliis aliquibus, barbaram sectantibus Medicinam; Verum tamen est, Antiquos nunquam pro Scammonio Diagridium sumpsisse; quin si illi recentiores, de Scammonio agentes, Diagridium appellarunt, id fecerunt, ut intelligeremus, vix unquam Scammonio utendum ob vehementiam, nisi cotoneo coctum esset præparatum. Quomodo correctum huic medicamento imponendum censeo, si non aliâ ratione, saltem ob multam quantitatem illius, in eo positam.

Per Spodium in electuariis quid intelligatur.

103. Spodij loco hîc non Græcorum Spodium metallicum imponemus, sed Arabum, ab Avic. traditum *lib. 2. Tract. 2. cap.* 617. & Serap. *lib. Simpl. cap.* 242. ex radicibus cannæ crematis; vel Plateatij ex ossibus elephantum crematis, vel Anti-spodium Dioscoridis.

In Elect. Indo minori sacchari drachm. non sint pro

104. In Electuario Indo minori, quod apud nos solum est in usu, illud solùm est animadvertendum, cùm sacchari fini drachmæ centum ingrediantur, & cùm mellis quadruplum ad pulveres ad formandum corpus

corpus Electuarij ex arte ſumi debeant, tantundem mellis quantitate demendum eſſe, quantum ſacchari menſura pendet, ne impotens nimiùm reddatur medicamentum.

ſpeciebus, ſed imminuant quantitatem mellis.

105. † In Benedictâ laxativâ, ſive Nicolai, ſive Villanovani, illud ſolùm annotabo, nonnullos, quòd ſupponant ſolùm in uſum venire in clyſteribus, cenſuiſſe, non eſſe multùm trituranda ingredientia, quòd eorum vires non altiùs penetrare debeant, ſed craſſo modo. Imò eòuſque Pharmacopœorum aliquorum progreſſa eſt avaritia, ut ob hanc unam cauſam cenſeant, non neceſſarium eſſe delectum eorum, quòd per ſedem ſolùm injiciatur. Quaſi verò etiam per ſedem injicienda perfecta, incorrupta & ſelecta eſſe non debeant; cùm ex malis, aut vitiatis ſimplicibus ingredientia damna producantur maxima; & dolores ſæpe intolerabiles. Sed præterea reprehendendi ſunt in eo, quòd ſupponant per os non exhiberi, cùm ad ſubducendos craſſos humores, & ab obſtructione liberandis renibus, & in nephriticis doloribus per os exhibita commendetur, & apud nos ſæpiſſime hoc modo uſurpetur.

† In Benedictâ ſpecies benè terendæ.

106. In Diaſenâ cùm ſerici uſti drachmæ duæ indantur, vel cremandum erit ſericum, ut ex Galeno jam docuimus in lanâ 11. *ſimpl. cap.*25. aut, cùm Avic. doceat, eâ ſolùm ratione ſericum aduri, ut trituratione in pulverem reduci poſſit, alioqui non crematum meliùs corroborare; ſine hac aduſtione ita in pulverem reducetur, ſi primò forcipe minutiſſimè globuli, intimâ ſuperficie, & vermiculo expurgati, in mortario diutius conterantur, & per ſetaceum traducantur, iterúmque craſſior ille pulvis cæteris triturabilibus admiſceatur, & iterum ſimul trituretur: ſic enim ſine aduſtione in pulverem reducetur.

Sericum in Diaſenâ cremandum, ut triturari queat, ut lana apud Galen. 11. ſimpl. 25.

107. Pro lapide Armeno, quo hoc tempore omnino caremus, tantundem lapidis Lazuli ſubſtituemus loti; cujus lotio quomodo ſit facienda, jam docuimus ex Meſuæo *lib. Simpl. cap.*28.

Pro Armeno lapide lapis Lazuli.

108. Non ſolùm ſæpe mirari contigit tot, támque varias Hierarum deſcriptiones à Mauritanis Scriptoribus, & à recentioribus Barbaram ſectantibus Medicinam, invectas fuiſſe; ſed in Hierâ, Picrâve Galeni deſcribendâ cæcutiiſſe, & ab inventore Andromacho, Archigene, Themiſone, quin ab ipſomet Galeno, cui illam acceptam referunt, illiúſque nomen adjungunt, adeò diſcrepaſſe. Quorſum enim addere, vel demere quicquam attinet, quando Galeni nomine & auctoritate celebratum iri volumus? Aliàs non Galeni, ſed Rhaſis, Serapionis, Avicennæ, Meſuæi, Præpoſiti, Arnaldi, Placentini, aut aliorum eſſe dicetur. Ubinam carpobalſamum xyloaloë, & caſſiam aloë admiſcuiſſe in ſuâ picrâ Galenum inveniemus? Ubi abſinthium, violas, agaricum, turbith in ſuum medicamen adjeciſſe videmus? Denique, ubi duplum ex aloë pondus tantùm appoſuiſſe inveniemus? Turbidis

Hiera Gal. vera quæ.

bidis igitur rivis omissis ex vero fonte quæso hauriamus.

Hiera Gal. ex quot drachmis aloës constare debeat.

109. Aliquam quidem video in pondere potissimùm aloës decernendo diversitatem. Siquidem aliquando illius solùm drachmas nonaginta imposuisse visus est, ut *lib. 2. de comp. med. sec. loc. cap.9.* ubi agens de curâ doloris capitis per consensum ventriculi, propositâ compositione Hieræ picræ ex centum aloës drachmis, & sex aliorum aromatum, videtur magis eam commendare, si ex nonaginta drachmis solùm aloës componatur, quinque croci, aut etiam quatuor, & sex aliorum quinque, & eâ ipsum scribit potiùs uti. At *septimò Meth. capite* 11. eam maximè commendat Hieram, quæ ex centum drachmis aloës constat, & sex aliorum aromatum ad roborandum ventriculum laborantem, & materiam, in eo contentam, attenuandam & evacuandam; háncque 6. *de tuendâ val.* dicit esse, quæ passim in Pharmacopoliis Romæ parata suo tempore conservabatur: quam etiam, tanquam meliorem, recepit 8. *de comp. med. S. loc. capite* 2. ubi, licèt aliquando in usum traducendas jubeat aliquas Hieras cum octuaginta drachmis aloës, aliquando cum centum viginti pro variis Medicis indicationibus; in fine tamen magis eam commendat, quæ ex centum aloës, & sex aliorum componitur. Hanc etiam magis recipit *lib. de sang. missione per sectam venam, cap.*17. Hanc, tanquam Galenicam, commendavit Oribasius, agens de promovendis mensibus. Paulus *lib.7.cap.*11. Alex. Tralli. *lib.7.cap.*10. Actuarius *cap. de purgandis humoribus,* & ante eum Aëtius *lib. 6. cap.* 10. ex Themisone eam prædicat, & *cap.* 45. tanquam Galenicam approbat, ut & *lib. 9. cap.* 10. Et si consideremus locum Gal. 2. *de comp. med. sec. loc. cap.9.* ubi sibi magis placere videtur asserere hieram hanc picram cum nonaginta aloës drachmis, & quinque, aut quatuor croci, & sex aliorum, eáque ipsum maximè uti solere, facilè cognoscemus, non ita nobis adversari, si scopum Galeni eo loco considerabimus: Curabat ibi capitis dolorem ex consensu ventriculi, repleti multâ crudâ materiâ; verebatur, ne crocus in eâ quantitate caput, jam affectum, & laborans offenderet, minuit idcircò croci quantitatem; & cùm maximè crudi illi humores attenuatione indigerent, quinque alia aromata in suâ quantitate sex drachmarum relinquit, proportione verò quâdam ad diminutam croci quantitatem aloës mensuram imminuit. Illud tamen pro certo ex ejus sententiâ omnino retinendum, ex centum drachmis aloës, & sex aliorum aromatum hanc compositionem esse parandam, cùm passim aliis in locis ita sentiat.

Species in hierâ quomodo triturandæ.

110. Animadvertendum præterea, aliquam subesse posse difficultatem in specierum trituratione: cùm enim sæpissime in usum veniant ad roborandum ventriculum, & attenuandam, educendámque materiam in ventriculo consistentem, illíque, ut cerebro molestiam inferentem, aut communicantem, ut 7. *Meth. med.* docuit, & 2. *med. s. loc. cap.9.*

cap. 9. crassiori trituratione opus esset: sed cùm ad urinas promovendas, & menses ducendos in usum ducitur, subtilissimè essent triturandæ, ut de Hierâ Themisonis docuit Gal. 8. *de comp.med.loc.cap.*3. & *lib. de cur.rat. per sang.mis. cap.*17. Ne ergo Seplasiarij duplicem hanc formam specierum Hieræ paratam tenere graventur, censeo ad manus paratas habere debere crassiusculè paratas, quas ubi Medicus in usum traducere velit ad lotium, vel menses promovendos, statim in pulverem tenuissimum traducere poterit.

III. In pilulis Aloësanginis multa sunt, quæ omnibus, & Medicis, & Seplasiariis non parvam fecerunt difficultatem: & primò, cùm in aromatum primâ illâ decoctione quàmplura decoquantur odorifera, cortices, ligna, semina, fructus, radices, folia, & flores, an omnia simul imponenda sint; an potius gradatim unum post aliud, à lignis, corticibus, & radicibus exordiendo, ad semina, folia, & flores sit descendendum juxta ea, quæ à Mesuæo *in Canonibus* tradita sunt, & à nobis *in primâ parte hujus libri.* Scio Brassavolum, Calestanum, & plures graduatam hanc decoctionem aromatum requirere: & in iis componendis pilulis cùm videant Mesuen nullam hujusmodi decoquendi mentionem fecisse, sed simul omnia excoqui mandasse, ad suam tutandam opinionem dicunt, satis esse, si semel in universalibus decoctionum modos tradiderit, nec videri necessarium in particularibus ea repetere. Ego verò, cùm Mesuæi verba considero, nullo modo graduatâ hac decoctione utendum censeo; sed omnia simul esse excoquenda. Sic namque habet antiquus interpres, qui ex Arabico traduxit. Terantur contritione grossâ, & fundantur super ea aquæ libræ xij., & coquantur usque ad consumptionem duarum tertiarum. Si enim iis, crasso modo contusis, superinfundenda est aqua, nullus datur graduationis locus. Sed quod omnem tollit difficultatem, est, quòd Lampon Pelusiota, cujus nobilem mentionem fecit Galenus, tum 2. *de compos.med. local.* 3. *num.* 8. *ejusdem cap.* 2. à quo, quibusdam mutatis, video Mesuen suas deprompsisse, dùm aromata ferè eâdem in aquâ excoquit, ut decocto illo imbuatur aloë, simul omnia in aquâ excoquit; & fortè, si intimiùs rem perscrutemur, non erit modus decoctionis omnino à ratione alienus. Cùm enim ea, quæ hìc elixantur, etiamsi diversum habeant substantiæ modum, duplici constent facultate, igneâ unâ, in superficie positâ, facilè exhalabili; alterâ terrestri, subadstringente, & corroborante, in centro constitutâ: Lampon & Mesue, prioris illius non multùm habitâ ratione, alteram conati sunt longâ ebullitione extrahere, & curare, ut aquæ communicari posset, ut in aloë excipi posset; ut hoc modo præparata minus solvere, & magis ventriculum roborare posset. Id verò meliùs obtinere poterant, si simul excoquerentur, ut, eorum omnium viribus inæqualibus unitis, mixta quædam facultas progigneretur,

In Aloësanginis pil. decoctio non graduanda.

quæ meliùs indicationi illi curativæ satisfacere posset.

Quæ aquæ quantitas adhibenda in decoctione pilularum Aloëfanginarum.

112. In eâdem Pilularum præparatione illud etiam est perpendendum, quæ aquæ quantitas pro aromatum eâ elixatione sit sumenda. Quæ enim quantitas à Mesuæo proponitur, librarum duodecim pro 136. drachmis aromatum excoquendis, nimis multa videtur. Quamvis enim roborans hæc facultas, in iis medicamentis consistens, non superficialis sit, cùm in centro reposita, ac inde longiori, ut aquæ communicetur, indigeat coctione, ut extrahi possit; tanta tamen non est, ut majori indigeat aquæ quantitate, & longiori coctionis tempore, ut extrahatur virtus, & aquæ communicetur, quàm res aliæ solidioris substantiæ, quales sunt majori ex parte radices, & ligna, aliáque, quæ & firmioris sunt substantiæ, & in centro repositas habent facultates. In more autem positum est, majori ex parte pro librâ, puta radicum, sex aquæ libras ponere, atque tamdiu excoquere, quamdiu medietas absumpta sit. Cùm igitur hîc res habeamus, maiori ex parte minùs solidas, minúsque compactæ substantiæ, etiamsi non superficiarias, sed intimiores, & in centro repositas virtutes extrahere curemus; non videtur majori opus esse quantitate aquæ, neque longiori coctione. Propterea pro drachmis centum triginta sex horum aromatum excoquendis, censerem satis esse libras sex aquæ, atque dimidium illius coctione esse absumendum. Hoc enim modo magis ad illam elixandi rationem accedimus, quam radicibus plerumque convenire dicebamus; ac ferè imitabimur excoquendorum aromatum rationem, quâ in suis efformandis pilulis usus est Lampon ille Pelusiota apud Gal. 8. *de comp. med. local. cap.* 2. & 3. à quo suas has desumpsisse Mesuem crediderim, cùm in aromatibus multùm excoquendis, in eisdem seligendis, in aloë lavandâ & nutriendâ, in modo componendi, & in utilitatibus videam in paucis utrumque dissentire; cùm sextarij illi tres aquæ, quos pro 140. drachmis aromatum elixandis sumit Lampon, si variæ sextariorum mensuræ rationem habere voluerimus, paulò minùs sex librarum mensuram suppeterent. Quam etiam aquæ quantitatem in hac decoctione à plerisque receptam esse observavi, quâque ad dimidias etiam absumptâ, si aloë superinfundatur in diebus Canicularibus, non adeò difficili negotio ab aloë excipietur, neque tam longo tempore indigebit, & ad imbibitionem & absumptionem exsiccationémque.

Aromata in decoctione Aloëfanginarum quomodo tamdiu coquantur.

113. Quamvis autem ex dictis tolli possit difficultas, quæ gravissimorum virorum animos jamdiu torsit, quomodo & Lampon, & Mesue dici non debebunt regulis, & ab ipsis traditis, & à nobis explicatis, adversari; quibus ex communi omnium sententiâ constituitur, in faciendis decoctionibus illud esse observandum, ut crassa, & solidiora corpora multùm infundantur, & multùm coquantur; aromata verò, & flores parùm; cùm alioqui uterque hic auctor in decoctione

ctione horum aromatum faciendâ pro hoc medicamento præceperit eam esse faciendam : Lampon quidem ex sex libris aquæ ad consumptionem medietatis; Mesue autem ex duodecim ad duarum tertiarum consumptionem, ita ut manifestè videantur recessisse à regulis, & præceptis traditis. Brassavolus duplici datâ responsione conatur huic difficultati satisfacere : primò, morem fuisse Mesuæ, & optimis quibusque Scriptoribus, ut, ubi semel tradiderunt præceptum aliquod, non ampliùs repetant, sed illud supponant; & propterea in ejusmodi compositione Mesuen supposuisse decoctionem aromatum fieri debere secundùm artem, semel ab ipso traditam; ut scilicet primò crassiora infunderentur, secundò mediocria, & tertiò tenuia, atque idem in decoctione servaretur. Quæ quidem etiam suas habet difficultates. Jam enim ostensum est, & Lamponem, & Mesuæum omnia illa uniformi, nec graduatâ decoctione excoxisse. Præterea verò ex ingredientibus illis nullum esse durioris substantiæ, agallocho excepto : florum autem conditio, ut rosarum, non multùm distat à cæteris aromatibus. Placet igitur magis responsio ejusdem, aromata si tenuiter contrita fuerint, ad igneas & aëreas partes extrahendas levi elixatione esse coquenda; at si crasso modo contrita fuerint, ut terrestres partes, & roborantes extrahantur, longam admittere posse decoctionem. Accedit (quod non video à quoquam animadversum) in Mesuæi descriptione bis Mastichem indi, semel etiam in majori quantitate, ad eundem quidem finem roborandi ventriculi; sed fortè etiam cùm gummata, quæ per se ex Gal. 5. *med. loc.* 1. & 2. *per gen. cap.* 9. excoqui non debeant, hîc illam cum aliis aromatibus excoquendam apponit, ut suâ glutinositate, & oleaginositate quasi supernatans exhalationem subtilium partium aliquantisper reprimeret. Addit posteà etiam pulverizatam, ut roborandi vis, quæ elixatione erat imminuta, adaugeretur. Sed doctissimum Mercurialem video adversus hanc responsionem disputantem *lib.* 3. *de compos. med. cap.* 10. his verbis: *Si aromata crasso modo, sive subtiliter contusa accipiantur, facultas ipsorum semper posita est in partibus tenuibus, quæ facilè destruuntur ex multâ coctione, ita ut non minùs offendantur facultates aromatum, si crasso modo sint contusa, quàm si subtiliter : Attestatur quotidiana experientia, quia, si coquamus piper, aut cinnamomum, vel cariophyllos, ad minimam quamque coctionem videmus statim aquam infici odore & sapore horum aromatum. Imò verò, si rationem Avenzoaris, & Averrois insequi velimus, non essent ullo modo aromata terenda: etenim Avenzoar, lib.* 1. *Tract.* 16. *cap.* 6. *& Aver. lib.* 5. *cap.* 31. *loquentes de modo conficiendi aquam hordei, præcipiunt, ut caveatur, ne grana conterantur; eò, quia si faciendum est decoctum optimum & infusio, inquiunt, debere grana illa trahere in sese aquam, quod non possunt, nisi vivida sit eorum facultas attractrix, quam inquiunt consistere in totalitate, & continuis partibus granorum : quare, si contundantur,*

facultas attractrix labefactatur. Quâ offensâ, non potest attrahi aqua à granis, & proptereà non fiet optima coctio. Quòd autem à contusione facultas attractrix diminuatur, atque etiam extinguatur, probant, quia grana, quæ mandantur terræ contusa, sunt inefficacia; ubi verò sunt solida, nascuntur: unde colligitur, in fractis abolitam esse facultatem, & in integris conservari. Hac igitur gravissimorum virorum auctoritate sustinere possemus, etiam in decoctis faciendis potiùs aromata integra esse coquenda, quàm ullo modo fracta. Hactenus Mercurialis. Verùm, cùm ipse passim profiteatur, potissimùm *libro* 3. *capite* 13. aromata vix admittere decoctionem, quòd aromaticæ, odoratæ, & igneæ partes ex longiori ebullitione evanescant; quomodo in decoctione hac, & Lamponis, & Mesuæi illud ipsum incommodum effugiet, non satis video: potissimùm, cùm adversus Brassavolum asserat, quomodocunque contrita fuerint aromata, si diutius decoquantur, vires suas amittere, ac in nihilum abire; posteà verò in decoctione hac aromatum ad dimidiæ aquæ consumptionem excoquenda esse docet, neque rationem reddit, cur id sit faciendum. Exemplum autem, ex granis hordei decoctis desumptum, & improportionatum est, nec sapit Philosophum naturalem. Quæ enim proportio esse potest inter grana hordei, & inter cortices, ligna, flores, & similia? inter rem, quam coquimus, vel ad alimentum, vel ad refrigerandum, & ea, quæ coquuntur, ut, igneis partibus absumptis, terrestres cum aliquo calore ad corroborationem extrahi possint. Sed præterea video principia naturalis Philosophiæ destruere, atque attractricem facultatem, quæ altrici, aut vegetanti facultati inservit, granis hordei, quæ coquuntur, tribuere; quin & corticibus, lignis, & aliis jam mortuis tribuere: cùm aromata integra potiùs excoquenda censeat, ut facultas eorum attractrix integra remaneat; quasi & cinnamomum, quod cortex est jamdiu exsiccatus, ligni aloës fragmenta, cubebæ, macis, cariophylli vegetantem adhuc facultatem retinuerint, & subinde attractricem, &, si Deo placet, facultatem generandi sibi simile. Censeo igitur, in his componendis pilulis discedendum à communi canone, & hanc esse exceptionem in particulari hoc casu, quia non igneas illas in decoctione eâ exposcebant partes, sed terreas, roborantes cum mediocri calore, quod proculdubio ex decoctione, hoc modo factâ, obtinere poterant.

Succotrina aloë quomodo lavetur in Alëfanginis, cùm id ei neget convenire Dioscorides.

114. In finis hujus decoctionis confirmationem, quòd scilicet facta sit ad roborandum ventriculum, afferre possumus aloën, quam, sive Indica sit, vel succotrina, quòd purissima sit, arenâ, saxis, & lignis carens, sine lotione in usum ducendam esse præcipit Diosc. & Mesue, cùm eam sæpius aquâ pluviâ abluendam, & Sole exsiccandam præcipiunt; quod non aliâ ratione factum censendum est, quàm ut subluendi vim imminuerent, & roborandi facultatem augerent, atque exsiccandi: quod in lotâ aloë contingere docebat Gal. 7. *Meth. med.*

med. & 8. *de compos.med.loc.cap.*2. Aquâ autem pluviâ potiùs lavandam censuerunt, quòd abstergenti facultate magis sit prædita, tum exsiccanti & attenuanti, & quòd hoc verum sit, quilibet colligere poterit ex Galeni discursu, 8. *loc. cap.* 2. ubi comparans hieram Andromachi, & medicamentum Lamponis, dicebat, ad exsiccandum & purgandum præstare hieram Andromachi, ad siccandum verò sine purgatione melius esse medicamentum Lamponis.

Scio hîc multos, ut quantitatem aquæ, à Mesue præscriptam, observent, & duo incommoda inde provenientia effugiant, nempe longam illam aromatum elixationem, quâ lento igne ex libris duodecim aquæ octo absumuntur, & ne, dum dimidium superstitis decoctionis aloë pro imbibitione superinfunditur, altera pars corrumpatur, quod in Canicularibus diebus facilè contingit; dimissis aromatibus, & bipartitâ aquâ duplici decoctione rem hanc transigere: sed præter auctoris mentem, tum etiam contra rationem; quia jam docuimus in decoctionibus, ut aquæ virtus rerum decoctarum communicetur, non solùm quantitatis aquæ habendam esse rationem; sed maximè longitudinis, & brevitatis temporis, & durationis illius actionis; quòd longiori tempore factâ ebullitione meliùs communicentur facultates medicamentorum aquæ; sed verò etiam quantitas major medicamentorum unita magis imprimit vires suas aquæ, quàm minor, quantumcunque & aquæ, & temporis servetur proportio. Propterea, si quis quantitatem Mesuæ sequi vellet, potiùs consulerem, ut, duabus ex quatuor superstitibus libris aquæ priùs affusis, duæ aliæ in vase strictioris conservarentur, superinfuso oleo; & in loco frigido conservato vase, ut, primâ absumptâ, reliqua superinfundi denuò possit. Quod etiam ab iis fieri debebit, qui ex Lamponis, & nostro præcepto, sex solùm aquæ libris assumptis, & dimidio absumpto, decoctionem hanc parant. Neque enim placet, quod ab aliquibus præcipi video, totas illas tres libras unicâ vice affundere. Periculum enim immineret, ne ex longo in imbibitione temporis intervallo aliquam contraheret corruptionem: neque etiam huic periculo occurritur, si, ut aliis visum est, in vase multùm expanso, & lato dispersæ aloë sub ardenti Sole in diebus Canicularibus affundatur aqua, ut citiùs assumatur: id enim imbibitionis non erit actio, & effectus, sed absumptio, à radiis Solaribus facta; neque aloës vim illorum medicamentorum in se trahet, aut concipiet, sed in insensibiles halitus tota illa decoctio vi Solis abibit sine fructu conceptæ medicamentorum facultatis. Neque ita facilè id obtinere poterit, quod ab eis expetitur, cùm insolatio hæc aloës cum hac decoctione fieri debeat superposito setaceo, quod adeò citam etiam absumptionem retardabit, sicque corruptionis semper aliqua supererit suspicio.

115. Non

Aloëfanginæ inuncta pergamenæ chartæ non involvendæ.

115. Non placet, quod quàmplurimis video esse familiare, pilularum harum unitum corpus pergamenæ chartæ, oleo perunctæ, involvere, ne nimiùm exsiccetur: contrahit enim nescio quid oleosi & rancidi magdaleon; illud quod effectibus propriis harum pilularum immediatè repugnat.

Pil. ad ventriculum roborandum minutissimæ sint.

116. Pilulæ eæ, quòd majori ex parte ad roborandum ventriculum instituantur, in minimos globulos erunt efformandæ, ut & quæ ex aloë lotâ, ex succo rosarum, & quæ ex inventione nostrâ rosatæ ad eundem usum institutæ sunt, ut ab imbecillo illo calore actuari, & dissolvi faciliùs possint.

In Aggregativis species minutissimè terendæ contra Oviedum.

117. In Pilulis Aggregativis, earúmque materiâ triturandâ video dissentientes doctissimorum hominum sententias. Brassavolus enim species subtilissimè triturandas censuit, non minùs quàm in Electuariis, ut meliùs, & ad longinquiora vires suas exerere possint. Quem eo titulo reprehendit Oviedus, quòd, cùm pilulæ majori ex parte instituantur, ut crassiores humores à longinquis partibus trahant, ideóque in ventriculo diutius retineri debeant; si subtiliter adeò earum materia trituretur, citiùs è ventriculo in intestina effluent, nec rectè officio suo attrahendi crassiora à longinquis fungentur. Sed non animadvertit vir is, in multis fortasse nimis diligens, qualitatem triturationis potiùs ex naturâ rerum triturandarum pendere, quàm ex modo evacuationis, si Canones Mesuæi consideremus, & quæ de trituratione colocynthidis, & rhabarbari, & quæ à Gal. scripta sunt, tum 4. *de san. tuendâ*, tum *in lib. de comp. med. per gen.* Ut enim diutius in ventriculo moram trahant, & crassa à longinquis evacuent, non in crassiores particulas materiæ contentæ in medicamentis referunt Scriptores, sed in formam potissimùm: scimus enim, liquidiora faciliùs effluere, & per alvum subducere; mollia aliquantò tardius; solidiora verò, diutius in ventriculo firmata, & à longinquis magis, seu crassiora attrahere. Docet hoc Fuchsius 3. *de comp. med. cap. 9. in principio tractationis de pilulis*, à Medicis eas introductas asserens, ut & faciliùs assumi possent, diutiúsque in ventriculo contineri, unde à longinquioribus humores attrahere possent: ob earum enim duritiem tardiùs evacuationem promovent. Vnde etiamsi citiùs evacuationem promovere velimus, & molliores reddimus, & minores mole paramus, potissimùm, si ventriculum debilem præ manibus habuerimus; & è contrà, si & à capite, & à longinquis trahere crassiora voluerimus, ut longiori tempore in ventriculo residentes meliùs id facere possint, crassiores parare solemus, & hanc ob causam catapotia hæc injunxit Mesue in crassiores globulos esse formanda; ut è contrà Aloëfanginas minutiùs efformari debere docuimus.

† Succi absinthij, & Eupatorij pro Aggregativis non liquidi, sed densati sunt indendi.

118. † In iisdem tamen peccat idem Brassavolus; succum absinthij, & eupatorij depuratum quidem ponit, sed liquidum, nec condensatum, contra

contra ea, quæ ipsemet docet, agens de Trochiscis rhabarbari; *ubi in compositis succos herbarum impositos in paucâ quantitate vidimus, non liquidos indendos esse, sed Sole, aut igne condensatos.* Quod etiam observandum monuit Fuchsius, *lib. 2. de compos. med. cap. 32.* & Mesue, in *lib. simpl. de succo absinthij agens*, & eupatorij, docet modum condensandi hos succos Sole, vel igne, ut iis in compositis suis uti possimus. Cùm autem in his pilulis singulorum drachm. solùm duas imponat, quis negaverit, condensatos potiùs esse imponendos?

119. In Cocchiis parandis pilulis duo solùm annotanda sunt; primùm, hieram picram, quam, veluti earum basin, ab initio imponendam præcipit, non Galeni picram accipiendam esse, sed eam quam ipse Rasis descripsit; non parum à Galenicâ diversam: & secundò, cùm non doceat Rasis, quo molli, aut liquido exceptæ species in massam deduci debeant, censeo, aut syrupo de stœchade, aut de absinthio species illas excipi debere.

Cocchiæ picram Rasis excipere debent.

120. Pilularum de Agarico compositio hoc loco me invitat ad signa tradenda, quibus bonum à malo, vel, ut meliùs dicam, recentem à veteri discernere possimus, cùm multùm id referat; quod recens humanis miseriis multis in rebus inserviat, senescens autem venenosam contrahat qualitatem. Vnde etiam crediderim evenire, ut nostris iis temporibus illius operationes sæpenumerò nostræ expectationi non correspondeant, & , eo assumpto, non leves, nec parvi momenti in ventriculo succedant læsiones. Neque tamen nigredo in eo conspecta semper inveterati agarici signum est adeò certum, ut aliquibus visum est. Si enim diutius truncis arborum adhæreat, sæpe talem colorem concipit; nullo tamen modo in medicamentis, etiamsi recens collectus sit, admitti debet, quòd ex morâ putredinis genus aliquod contraxerit. Neque etiam inveterati signum est, si ad tactum pulvere albo manus inficiat; cariem enim concepisse inde colligunt. At nostris iis temporibus, externo cortice detracto, cùm pulvere agarici undequaque asperso perpoliatur, quod curare Pharmacopolæ appellant, non est, quòd inde bonum, aut malum esse colligamus. Senescentis igitur & venenosi est signum, si in substantiâ citrinum quendam colorem conceperit. Sed maximè, si impressis digitis in agaricum ad aliquam illius portionem extrahendam, & contrectandam, foveæ impressæ in agarico remaneant. Signum enim id erit absumptam omnem esse humiditatem, quâ mixtione colligabantur heterogenea, & pulverem, eâ absumptâ, & siccitate introductâ, omninò esse genitum; cujus evidentius apparebit indicium, si pars agarici, digitis expressa, atque compressa, in pulverem abeat, non autem resistens compressa resideat; hoc enim humiditatem, partes colligantem, absumptam esse ostendet. Masculum aversamur, longum, nigrum, gravem, succi plenum, durum, ac densum: bonum

In Agarici pilulis quale eligendum.

 eligemus,

eligemus, fœminam, album, levem, friabilem, rarum, porosum, primò ad gustum dulcem, mox subamarum.

Cùm hieram picram in his, & in iis, quæ de rhabarbaro dicuntur, ponat, nolim quempiam censere, indendam esse hieram illam, quam ex inventione nostrâ ab eo descriptam habemus; eo ductus argumento, quòd in cocchiis Rasis non hieram simplicem Galeni indendam censuerimus, sed eam, quam idem ille Rasis descripserat. Solet enim Mesue passim, cùm hieram picram nominat, eam intelligere, quam duobus iis nominibus insignivit Gal. 2. *med. loc.* 9. Suam autem hieram simpliciter appellat ex inventione nostrâ. Sic per hieram picram Avic. Galen. intellexit *lib.* 5. *Tract.* 2. *summâ primâ*, & Serapio *lib. de Antid. Tract.* 7. *cap.* 9. Rasis autem seipsum explicat, in Cocchiis suam poni debere.

Rob absoluiè quid significat.

121. Parandas scribit pro unione pulverum cum robub, quod Rob dicitur: quæ duo nomina si adjungantur alicui succo, intelligi debet succus ille decoctus ad crassitudinem quandam: at si simpliciter rob, aut robub reperiatur apud Arabes, intelligendus est succus uvæ maturæ; sicque hunc intelligit hoc loco Mesue. Intelligendus autem succus is coctus ad spissitudinem syruporum, ut levi illius portione species unire possimus; ne, si coctione inspissetur magis, cùm in eo casu major illius portio necessaria esset, imminueretur pilularum harum facultas purgatrix.

Rhabarbari Electio.

122. In Pilulis de Rhabarbaro aliquantulùm mihi immorandum est, ut aliquod de ejus basi, Rhabarbaro, quod in materiâ Medicâ adeò frequenter in usum venire solet, annotare possimus. *In colore*, ait Mesue, *subnigrum esse debere*, & *rubescentem*, quod de externâ parte optimè intelligit Matthiolus. Quod vel ex sequentibus verbis colligitur, cùm fractum ait ex rubro & glauco alternare: per glaucum autem intelligere debemus subalbidum cum viridi rubescente. Vidi tamen aliquando Rhabarbari radicem magnam, omnibus boni Rhabarbari notis insignitam, in quâ apertâ venulæ quædam nigræ per substantiam erant dispersæ.

Rhabarbarum quomodo grave cum raritate.

123. Sed quomodo grave esse poterit cum raritate, cùm levitas semper raritati juncta esse soleat; ut & gravitas cum densitate, ut etiam Mesue in universali Methodo cognoscendorum medicamentorum docuit. Et ratio est, quia gravitas in medicamentis fit ex multâ materiâ, in parvâ extensione collectâ; quod nihil aliud est, quàm partes valde unitas esse, quæ etiam causa est densitatis. Hinc etiam fit, ut medicamenta, quæ, ut bona eligantur, gravia esse debent, densa semper esse observemus. Quia levitas producitur, quòd pauca materia, multùm extensa, amplius spatium occupat, nec partes materiæ multùm inter se sint unitæ, & condensatæ, unde raritas producitur; fit ut rationi consonum sit, leve omne rarum esse. Non tamen è contrà

contrà infertur, omne rarum leve esse debere: quamvis enim hoc verum sit ubi corpora sunt rara, laxa, & porosa, ut in spongiâ contingit, & colocyntide, & similibus; at ubi partes non porosæ, sed quasi continentes sunt densæ, & bene compactæ, optiméque commixtæ, gravitare possunt; quia harum partium gravitas levitatem partium evincit, quæ ex raritate pendet: sicque aliud rarum & grave reperiri poterit, ut in scoriâ ferri evenire observamus. Sin igitur, cùm partes in Rhabarbaro reperiantur densæ, & bene compactæ, prævalentes raris, quæ quodammodo *continentes* dici possunt, non absurdum dixisse Mesuen asseremus, qui cum raritate pondus in eo exposcit. Quòd si non, ut antiquus Mesuæ interpres vertit, *sit grave cum raritate suâ*, interpretemur; neque ut Sylvius, *sit grave, tamen rarum*; sed ut alij, *sit grave pro raritate suâ*; facilius erit satisfacere, si dixerimus (pro) significare secundùm, id est, grave esse debere pro ratione raritatis, id est, plùs grave, quàm exposceret, aut indicari videretur illius raritas.

124. Quoniam autem, ubi inveterascit, illius facultates languescunt, optimum erit notas tradere, quibus senescentem à recenti discernere possimus: neque enim levitas excedens sola, quod aliquibus placuisse video, sufficiens erit signum hujus; cùm in recenter eruto, si nimis maturum sit, levitas illa reperiatur. At nec si vividus ille color adsit, sed subalbidus color cum subflavo in eo conspiciatur, censeri poterit antiquatum; in acerbo enim etiam recenti talis sæpe color conspicitur: Verumtamen si duo hæc simul signa jungantur, verè signa esse dicemus jam senescentis rhabarbari: innatâ enim illius absumptâ humiditate, levitas relinquitur; absumptis verò igneis partibus, & nativo calore, flavities remittitur, pallescit, & vis ejus quasi emoritur. Recens igitur tunc erit, cùm gravis pro naturâ suâ erit, cùm apertus vividum habuerit, & cùm intensum in coloribus propriis colorem, & confractum, Solis radiis appositum, in eo gummosi nescio quid splendescere viderimus, quod humidum illius pingue nativum conservatum optimè ostendit. *Rhabarbari antiquati, & optimi signa.*

125. Cum succo fœniculi uniendas species has in massam præcipitur; At Dessenius, Fuchsius, & alij quàmplures, ne duritiem magnam contrahant, succum hunc in syrupi formam cum melle excoquendum censent, & eo sic utendum ad formandum magdaleonem. At non animadvertunt, quòd, præterquàm quod id faciunt præter auctoris sententiam, in illud incurrunt incommodum, quod vires medicamenti imminuunt, locum specierum occupante melle: succus fœniculi, quo excipiuntur species, medicamentosus est; & inter ingredientia connumerari debet; at melle addito ad unionem, minuetur vis ingredientium, saltem pro tertiâ parte, sicque dosis major esset concedenda. Quòd si dixerint, exsiccatâ massâ, si pilulæ pro usu erunt formandæ, nonne necessarium erit melleum aliquid addere, *Rhabarbari pilulas succo fœniculi, non syrupo excipiendas.*

ſicque in majus incidemus incommodum? Reſpondendum erit; cùm in uſum infraſcriptæ pilulæ erunt deducendæ, quantitatem eſſe pendendam, mox verò ad formandas pilulas tantum liquoris eſſe addendum, quantum conveniet pro illis formandis. Quod omnino in aliis omnibus formandis in maſſam pilulis, in quibus auctores ſuccis utendum præcipiunt, erit obſervandum. Quòd ſi quis non ſuccum fœniculi, ſed aquam ſumere voluerit, ut multis placere video, non repugnarem; ſed ſuccum glycyrrhizæ & abſinthii condenſatum ex tali aquâ placeret diſſolvere pro maſsâ formandâ, ut acquireret viſciditatem quandam, quâ ex parte impediretur, ne adeò dureſcerent.

Pil. de Fumaria.

In pilulis de Fumariâ Avicennæ animadvertendum, non aquam fumariæ eſſe affundendam, & ſuccum pulveribus excipiendum, ſed ut Braſſavolo, Fuchſio, Deſſenio, Cordo, Colonienſibus, & pleriſque viſum eſt. Quamvis enim ſtillatitiarum aquarum aliquam eum habuiſſe cognitionem fatendum ſit, ut *ex capite de roſis*, & *de curâ ophthalmiæ* quilibet colligere poteſt: cùm enim ad evacuandos ſalſos, & melancholicos humores inſtitutæ ſint, ſuccus potiùs aſſumendus erit, ut id obtinere poſſimus; familiare autem Mauritanis, potiſſimùm Avicennæ, eſſe ſcimus, ſuccum aquam nominare, ac loco aquæ ſuccum indere ſæpiſſime.

In Pil. de fumariâ hujus ſuccus indendus, non aqua.

126. In ſucci fumariæ quantitate eligendâ cùm eam non expreſſerit auctor, ne aberremus, eam colligemus ex ejuſdem verbis, cùm pulveribus tantam ſucci quantitatem indendam præcipit, quantam iudicaremus ſufficere ad formandam ſorbitionem: id eſt, ut eam ſolùm habeat conſiſtentiam, qualis reperitur in potionibus ſorbilibus. Docuit autem Gal. exemplo melicrati, & ptiſſanæ, differentiam inter potionem, & ſorbitionem.

Sorbitionis forma in Pil. fumariæ quæ.

127. Ex myrobalanis eximantur nuclei, & additâ aloë, & ſcammonio pulverizentur, mox in expanſo vaſe ſpeciebus repoſitis, affuſo ſucco, & mixtis omnibus ad conditionem ſorbitionis, in diebus Canicularibus ſuperpoſito aut ſetaceo raro, aut cannabinâ telâ rarâ, Soli exponatur, donec abſumpta humiditate exſiccentur, iterúmque iiſdem lævigatis tantundem ſucci affundatur, & Soli expoſita omnia exſiccentur; &, tertio eodem præſtito, in maſſam redigantur.

Pil. ex fumariâ parandi ratio.

128. Scio aliquos, ne ad ſaxeam illam duritiem reducantur, utque à putredine, ut ipſi ajunt, vindicentur ſpecies, in ultimâ infuſione ad imbibitionem, non ſuccum fumariæ, ſed ſyrupum ex melle, vel ſaccharo appoſuiſſe; ſed præter Avicennæ intentionem, & præter rationem. Neque enim durities virtutem medicamenti retundit, &, dum in uſum duci debent, aut pulverizari poſſunt, vel ſyrupo aliquo emolliri, ſervatâ ſuâ doſi, quam ex mixtione mellis, aut ſyrupi imminui certiſſimum eſt. Sed & ſiccitas illa, & durities, tum & ea, quæ

in

in has pilulas pro speciebus ingrediuntur, vim habent à putredine eas vindicandi, succique fumariæ facilitatem ad putredinem corrigendi.

119. Quoniam autem video aliquos, laboris, & diligentiæ inimicos, ne tantum temporis in imbibitionibus iis succi fumariæ insumant, unicâ factâ per Solem imbibitione, massam more aliarum pilularum efformare, magno ægrotantium damno: ut negligentiam hanc detegere possimus, observandum erit, errorem hunc inde comprehendi; si massâ apertâ, & aloës, & scammonij substantia, quasi segregata, oculis subjiciatur: quæ enim bene paratæ erunt, nullam talem substantiam, aut separationem ostendunt, sed myrobalanorum chebulorum potiùs colorem, & substantiam repræsentabunt. Cujus rei ea censenda est causa, quòd docuerint Mesue, scammonium, si aquâ, aut salivâ attingatur, in lactis formam dissolvi, & Dioscorides *lib.* 3. *cap.* 22. aloën in aquâ facillimè dissolvi. Si igitur diutius utrumque hoc in succo fumariæ commoretur, non dubitandum erit ita dissolvi, ut distinctè cognosci non possint; ut etiam in *pilulis sine quibus* quilibet observare potest, quòd succo fœniculi scammonium dissolvatur: quod in aliis pilulis non contingit. *Imbibitio succi fumariæ in Sole pilulis repetenda, & neglecta quomodo cognoscatur.*

130. In Pilulis Fœtidis cùm cum succo porri depurato excipienda sint simplicia, quæ compositionem ingrediuntur; non porri parvi, non transplantati succus, ut aliquibus visum est, sumendus erit, sed capitati, tanquam præstantioris, ut optimè collegit Matthiolus, & Lacuna ex Diosc. *lib.* 2. *c.* 143. & Plin. *lib.* 6. *cap.* 29. Hinc Lonicerus, *lib. de virib. plant.* & Marcellus Virgil. *lib.* 2. *in Diosc. cap.* 166. Porrum capitatum antiquitatem simpliciter nomine porri appellasse scripserunt, quòd medicamentosas magis in se contineat facultates. *In Fœtidis Pil. succus capitatorum porrorum sumendus.*

131. Per aquam porrorum non stillatitiam aquam intelligemus, quæ nusquam ex porris extrahi solet, sed succum, quem nomine aquæ Arabes sæpe intellexisse jam docuimus, nam quòd Mesue *Tract. de ægrit. ocul. in Sieph. viridi* ex Rasi aquam rutæ sumit; Rasis in *Antid. Tract.* 17. succum ponit; & quòd Serapio in iis pilulis sumendam aquam porrorum dicit, Isaack, eo antiquior, succum injicit, & sic in aliis. *Pro porrorum aquâ in Pil. fœtidis succus intelligendus.*

132. Per Alscebram Esulam minorem intellexisse manifestum est, cortice tenui, levi, fragili, subrubro, & ante sex menses collectam, quam Dioscoridis Tithymalum Cyparissiam esse crediderim: quam innoxiam magis esse censeo quàm majorem, quam Pityusam esse Dioscoridis quilibet cognoscet, qui quæ à Serapione scribuntur *capite* 371. comparaverit cum dictis Dioscoridis. *Alscebra in fœtidis pil. quid.*

133. Et quamvis minor illa minùs noxia sit, non debet tamen in usum duci, nisi præparata: quod fiet, aut, ut docet Mesue *in canon. & simpl.* factâ radicum illarum infusione per horas viginti quatuor in *Esulæ præparandæ ratio.*

aceto, in quo infusa, & excocta fuerint cotonea poma, mox iis exsiccatis; aut ut Avic. *cap.* 673. & Serapio *c.* 371. factâ earundem infusione triplicatâ in lacte vaccino, recenter emulcto, per horas viginti quatuor; quæ mox exsiccatæ in usum duci poterunt. Ego ut postremum hunc recipio, ita priorem ex aceto magis amplector.

Harmel non cicuta, sed ruta sylvestris.

134. Per Harmel, aut Alcharmel mirum est, quomodo Quiricus de Augustis in suo Luminari cicutam passim intellexerit, deceptus errore Matthæi Sylvatici, qui *cap.* 322. per Harmel, cum aspiratione scriptum, apud Arabes censuit cicutam significari, sine aspiratione rutam sylvestrem: cùm quomodocunque scribatur, semper rutam sylvestrem significare constet apud omnes qui legerint Diosc. *lib.* 3. *cap.* 44. & Avic. *lib.* 2. *cap.* 140. & Serapionem *cap.* 185. Illi enim errandi occasionem dedit corruptus Averrois textus 5. *Collect. cap.* 42. ubi pro Harmel cicuta intelligi videtur, quam etiam tertio gradu calidam & siccam constituere videtur: ex quo nullus est, in Medicâ materiâ vel mediocriter exercitatus, qui non cognoscat, mendum hîc subesse, cùm omnes sciant, cicutam esse frigidam & humidam, non autem excedentem in calore & siccitate.

Fœtidæ pil. quomodo componendæ.

135. In iis componendis is ordo servandus erit. Primo loco gummata, succo porri bene calefacto, macerabuntur, & si ob duritiem, aut impuritatem grana dissolvi non poterunt, omnia ita calentia in mortario ponantur, & ferreo pistillo calido aliquamdiu ducantur, & ob impuritatem percolentur: deinde his etiamnum calidis euphorbium contritum admisceatur, calidiori adhibito pistillo; mox aloën, scammonium, & colocynthin, seorsim trita, addemus; postremò alia aromata, ut, iis ex arte in pulverem redactis, fiat massa.

Fœtidæ pil. quomodo formandæ.

136. Sed illud animadvertendum erit, præstare pastam in modum Trochiscorum separatim formare, ne, si in massam unam formentur, ob gummata, partibus externis nimis citò exsiccatis, & crustâ obductâ, internæ partes cùm difflari non possint humiditate retentâ, situm & mucorem contrahant.

Pil. sine quibus per aloën bene olentem Nicolaus quid intelligat.

137. Cùm in pilulis *sine quibus* Nicolaus aloën requirat bene olentem; aliqui lotam cum decoctione aromaticâ pilularum Aloësanginarum intelligunt, præter auctoris intentionem; cùm rei hujus nullam faciat mentionem: ex aquâ enim intelligenda est lotio, si simpliciter ponatur; per bene verò olentem puram & perfectam, intelligit odorem perfectum aloës redolentem.

Pil. sine quibus scammonium quomodo miscendum.

138. In iis conficiendis Nicolaus scammonium præcipit subtiliter esse pulverizandum, atque succo fœniculi diligenter commiscendum, & per lineum pannum traducendum cum succi tantâ quantitate, quæ satis sit ad massam ex speciebus parandam, manibus oleo violato priùs inunctis. Hîc video, Calestanum, Oviedum, & alios dissolvendi scammonij modum hunc non probare, quòd dicant, non levem scammonij

ſcammonij portionem in hac diſſolutione & percolatione diſperdi, doſinque illius imminui: propterea cenſent præſtare, ſcammonio, in mortario ſubtiliter pulverizato, affundere ſuccum fœniculi depuratum, & ita manibus, & piſtillo admiſcere, ut lactis ſpeciem acquirat; mox verò pulveres paulatim eſſe addendos, ſicque maſſam eſſe formandam. Verùm præterquàm id eſt præter inſtitutum auctoris, à quo recedere, niſi urgente neceſſitate, abſonum ſemper cenſui; ſi conſilium illius conſideraverimus, illi repugnare hos obſervabimus. Succo illo ſcammonium eſſe diſſolvendum cenſuit, ut æquali menſurâ omnibus partibus communicetur, quod non aliâ ratione meliùs fieri poterat, quàm eâ; neque minùs deperditur ſcammonij ſubſtantia, ſi probè pulverizatum ſit alio modo, quàm præſcripto à Nicolao.

139. Duo in Aureis Pilulis ſunt animadvertenda; primum, in tragacanthæ diſſolutione tantam aquæ roſaceæ quantitatem eſſe ſumendum, quæ pro formando magdaleone ſatis ſit, ita, ut non nimis citò in externis partibus dureſcente materiâ cruſta inducatur; ſic enim internæ partes muceſcerent, ſicque alij ſex, alij ſeptem, alij octo uncias aquæ adhibent, & paulatim humorem abſumendum cenſent, ut ubique humor abſumatur, maſsámque oleo inunctis manibus formant. *Pil. aureæ quam aquæ roſaceæ quantitatem requirant.*

140. Si tamen, quod ſecundò obſervandum eſt, in cicerum formam efformentur, aut in Trochiſcorum, compreſsâ materiâ, minori quantitate aquæ pro tragacanthâ opus erit, ut docuit Nicolaus: quia nec ſic externa incruſtantur, nec interna humiditate muceſcent. *Pil. aureæ quomodo formandæ.*

141. In Pilulis de Cynogloſsâ Meſue, cujus omnino deſcriptionem præſtat ſequi, quàm Nicolai, aut Bononienſium, radices cynogloſſæ ſiccas indere debemus, vel ipſomet Meſue auctore *in capite de catarrho*; ab Alex. Tralliano fortè mutuatus eſt *lib.5.cap.4.* *Pil. de cynogloſsâ eligendæ, quæ à Meſue traduntur qui radices ſiccas indit.*

142. † Ubi etiam errorem Alexandri Vercellenſis notare debemus *in ſuo Apolline*, qui pro drachmis quatuor opij, & ſeminis hyoſcyami albi indendam cenſet ſolùm ſemidrachmam utriuſque, præter omnium codicum lectionem, & communem omnium ſententiam: & ſi croci, myrrhæ, & thuris quantitatem perpendamus, ac ad adeò levem opij, & ſeminis hyoſcyami albi comparemus; facilè cognoſcemus, vix ullam incraſſandi catarrhi facultatem habere poſſe. Sed in eo magis decipitur, cùm pro drachmis quatuor radicum cynogloſſæ quatuor uncias imponit. *† Apollinis error maximus in pil. de cynogloſsâ in quantitate opij, hyoſcyami & earum cynogloſſæ.*

DE TROCHISCIS.

NVnc reliquum eſt, ut Trochiſcos omnes, officinis neceſſarios, & Pharmacopœis diſpenſandos, examinemus, ſive aliorum medicamentorum,

camentorum, quorum compositionem ingrediuntur, causâ parentur; sive ex seipsis dentur, nec aliis famulentur; & sive sint purgantia sive roborantia. Omittemus autem Trochiscos de Viperâ, Hedichroos, & Scilliticos, tanquam ad Theriacam, & Mithridaticam compositionem magnam ingredientes, quæ peculiarem requirunt considerationem, & longiorem, quàm tractatio hæc nostra requirat; potissimùm, cùm viri doctissimi ex professo hac de re editis libris diligenter pertractârint.

Gallia Moscata Tragacanthæ quàm minimum recipere debet.

143. Inter hos igitur agmen ducat Gallia Moscata Mesuæ, in quâ componendâ primò illud animadvertendum, tragacantham, quâ excipiuntur cum aquâ rosatâ lignum aloës, ambra, & moscus in minori, quàm fieri potest, quantitate, ponendum esse: ne, dosi institutâ, medicamentis admixtâ, eæ facultates ex medicamentis ingredientibus resultent, prævalente tragacanthâ.

Ambra non oleo dissolvenda, sed aquâ rosaceâ.

144. Non placet, quod aliquibus visum est, ambram oleo balanino dissolvi, quod quamvis minùs rancescat, humentiores tamen reddit Trochiscos, unde etiam mucidi redduntur; præstabit igitur aquâ rosaceâ dissolvere, & cum eâdem omnia unire.

Pro Ambrâ, cam, non camfora addenda. Calestani, & Patrum error.

145. Non est recipienda sententia Patrum Commentatorum Mesuę, quam Calestanus adeò mordicus defendit, ambræ camphoram æquali pondere addentium, cùm legatur ambrecam: dictionem postremam, cam, camphoram explicantes, cùm, cam, epithetum optimæ ambræ sit, vel communi omnium loquendi modo receptum: atque ideo plerique, & quidem doctiores, quorum opinionem sequendam censemus, agallocho, ambaro, & mosco contenti, tragacanthâ, aquâ rosaceâ dissolutâ, trochiscos formandos optimè censent.

Per Galliam simpliciter non Aloëfanginam, sed Moscatam intelligi.

146. Ut nec recipi Calestani opinio debet, qui etiam in compositionibus Mèsuæi, ubi Gallia simpliciter requiritur, non moscatam, sed Aloëphanginam indendam esse censuit, eâ ductus conjecturâ, quòd in hac dicat Mesue: *Et hæc est illa, de quâ Antiqui considerant, & de quâ plurimi loquuntur:* & inferiùs; *Et ingreditur in Medicinis magnis*, & hoc est, quod intelleximus. Sed ex his verbis nihil ampliùs colligitur, quàm Aloëphanginam Galliam perfectam esse, & iis admiscendam, ubi aromatica, sive Aloëphangina experitur: primo tamen loco Moscatam, tanquam præstantiorem, & per Antonomasiam tali nomine simpliciter dignam. Hujus sententiæ fuit Collegium Florentinum in secundo syrupo de calamento, in syrupo de menthâ, in mivâ aromaticâ, in Electuario rosato Mesuæ, & in diamosco. In iisdem idem censet Borgarutius, & in syrupo de thymo, ut & Valerius Cordus, & Cronenburgius, & alij plerique.

In Galliâ Aloëfanginâ infusio fiat in rosaceâ.

147. Quamvis diligenter Mesue Galliæ Aloëphanginæ compositionem descripserit, aliqua tamen sunt, quæ animadversione indigent: & primò, aquâne communi, an rosaceâ stillatitiâ utendum sit; ego stillatitiam

ſtillatitiam roſarum viridium præferendam cum Sylvio, & aliis cenſerem, eâ ductus ratione, quòd ex odore denominentur, & commendentur; ſi cum roſaceâ fiat infuſio roſarum ſiccarum, & corticis citri, magis id obtinebimus. Accedit, quòd ſi in Galliâ Sebellinâ pro infuſione gummi Arabico utitur in aquâ roſaceâ; cur etiam in hac eâdem non utemur?

148. Sed adhuc quæ proportio erit roſarum ſiccarum, & corticum citri ſiccorum ad aquam roſaceam, & quæ hujus quantitas? Aliqui in decem & octo unciis duas roſarum uncias, & duas drachmas corticum citri ſiccorum infundunt: at cùm utraque ſimul infundenda præcipiant, cauſam non video, cur roſarum ſiccarum duas uncias ponant, corticum verò citri ſiccorum ſolùm duas drachmas; cùm ſoleat Meſue, cùm duas res, ſimul junctas, infundendas docet, æquali pondere eas imponere. Seſquilibræ igitur aquæ ſingulorum unciam, aut ſex drachmas ſaltem indendas eſſe cenſerem. *In infuſione Aloëſanginæ Galliæ, quæ roſarum, & corticum citri ad aquam proportio.*

149. Sed in quantitate myrobalanorum Emblicorum, quibus hæc infuſio eſt affundenda, video etiam apud doctiſſimos viros non levem ſubeſſe controverſiam: cùm enim paſſim in impreſſis libris legatur myrobalanorum Emblicorum bonorum, abjectis oſſibus, uncias quatuor: aliqui, inter quos eſt Coſtæus, nimiam cenſens eſſe eorum quantitatem ad mediam infuſionis illius libram, quam Emblicis ſuperfundendam præcipit, quòd ſtatim abſorberetur, loco unciarum quatuor drachmas quatuor ſubſtituendas eſſe cenſet. Sed præter veterum omnium codicum fidem id facit, & etiam præter rationem: quamvis enim in triduali illâ primâ infuſione abſumi poſſit, & abſorberi liquida illa ſex unciarum affuſio, quâ molliores Emblici redduntur; in repetitis illis ejuſdem infuſionis, affuſionibus cùm octo unciæ ſuperaddantur, & facultas myrobalanorum meliùs elicitur, & tantum liquoris ex expreſſione obtinemus, quantum ſatis eſt ad excipiendas ſpecies, & formandum medicamentum in formam Trochiſcorum. *Emblicorum quæ proportio ad aquam decoct. pro Aloëſang.*

150. Sed magis in errore verſantur Coſtæus, ut & Franciſcus Veletius Hiſpanus, credentes in primâ illâ trium dierum infuſione totam, & integram quantitatem infuſionis eſſe ponendam; mox verò quarto die factâ ebullitione cum expreſſione, rejectis quatuor illis drachmis Emblicorum, tantundem Emblicorum eſſe addendum; ut & quinto die, his projectis, quatuor itidem drachmas addendas cenſeant, factâque expreſſione eâ ſpecies excipi debere. Hoc enim modo credunt adimpleri quod à Meſue expetitur, quòuſque Emblicorum virtus in aqua impreſſa ſit. Videtur enim illis, ſi ter novi Emblici apponantur, ter incaleſcat, & excoletur cum expreſſione, meliùs vim Emblicorum aquæ imprimi poſſe. Sed non animadvertunt, id eſſe omnino contrarium artificio Meſuæi, qui non repeten- *Coſtæi & Veletij error in infuſione & decoctione Emblicorum.*

dam myrobalanorum appositionem scripsit, sed affusionem novæ infusionis, iisdem myrobalanis primò per tres dies in vase angusti oris, & bene occlusi infusis: nec minùs sperandum est, virtutem Emblicorum imprimi aquæ posse per infusionem illam quinque dierum, quàm per repetitam illam Emblicorum additione, & repetitam coctionem & expressionem.

Veletij error in mensurâ Emblicorum.

151. Minùs placet ejusdem Veletij opinio, qui myrobalanorum horum Emblicorum accipit uncias quatuor, pòst glandibus extractis, & abiectis, crasso modo iis contritis, illis affundendam infusionem illam censuit; cùm, antequàm ponderentur, ossa detrahenda, & abjicienda ipse censeat, ut cuilibet, qui æquo animo verba Mesuæi legere voluerit, manifestum esse potest. Si enim post glandes extrahantur, tantum de decreto pondere deficiet quantum ossa illa pendebant.

Trochisci Rhabarbari succum Eupatorij condensatum, non liquidum recipiant.

152. In Trochiscis de Rhabarbaro formandis cùm succi Eupatorij drachmas solùm quatuor imponat, & ea quantitas ad excipiendos pulveres cùm esse satis non possit, censerem succum condensatum esse imponendum; species autem tum excipiendas crediderim succo absinthij, tum amygdalis amaris, à cortice expurgatis, & cum illo in mortario commixtis.

In Trochiscis Eupatorij in mannâ, & succo Eupatorij Nicolai, & Brassavoli error.

153. In Trochiscis de Eupatorio aberrant Nicolaus præpositus, & Brassavolus in mannæ, & succi Eupatorij pondere, pro unciis drachmas substituentes.

** Herbarum succus quid significet in Trochiscis Eupatorij*

154. * Sed magis peccant, qui per succum herbarum, quo omnia excipienda censuit Mesue, succum Eupatorij intelligunt: ut enim mannam electam, in mortario positam, succo Eupatorij pistillo excipiendam concesserim, ita ad Trochiscos formandos cùm tantâ copiâ pulverem cum mannâ satis esse unciam succi eupatorij omnino negaverim: cúmque succos herbarum requirat, hìc verò solius herbæ agrimonij mentionem faciat, de eo intelligi non potest. Optimè igitur à plerisque per succos herbarum constitutum est, eos succos herbarum intelligi, qui alibi tali nomine declarantur, ut in syrupo de Byzantiis cum aceto, ubi borraginis, lupulorum, apij & cichorii succos herbarum appellat: & in syrupo ab eo *distinctione sextâ*, acetoso cum succis herbarum appellato; & *in distinctione septimâ*, dum docet infusionem succi herbarum. Crediderim tamen non esse semper ad hos formandos necessarios succos illos quatuor herbarum, sed aut unum, aut plures, ut placet; quòd succi herbarum ad illos formandos levis requiratur quantitas: quod idem ipsum in Trochiscis de absinthio intelligendum erit.

Terenebiabin quid, & ejus loco substituenda.

155. In Trochiscis de Berberis illud solùm observandum erit, velle Mesuen excipi pulveres, & formari Trochiscos cum mannæ specie, quæ *Terenebiabin* dicitur; quæ quoniam Serapioni, & Avicennæ liquida

quida in formam mellis erat, optimè præstare poterat: nos, cùm eâ careamus, illius loco mannâ nostrâ, dissolutâ in formam mellis, ex decocto Berberorum uti poterimus.

156. Per succum liquiritiæ, quem exposcit Mesue in hac compositione, non liquidum quis assumat, sed siccum, ut in pulverem duci possit. Neque huic repugnat Gal. 2. *de Antid. cap.* 32. ubi succos siccos reprobare videtur: ibi enim succos vetustate siccos, exoletos, & facultatibus ideo carentes reprobat, non bene à Sole exsiccatos, & recentes.

Berberorum Trochisci succum liquiritiæ requirunt siccatum.

157. In Trochiscis de capparibus illud solùm difficultatem afferre potest, quod à Mesue in fine descriptionis pro modo compositionis additum est. *Ammoniacum dissolvatur in aceto, & aliarum rerum pulvis conficiatur cum eo.* Cùm enim drachmæ solùm duæ Ammoniaci imponantur, ut illa quantitas dissolvatur ex arte, in aceti frigidi tantâ quantitate emolliri debet, ut dissolvi possit, & linteo percolari; quod ut faciliùs obtineri possit, post horas illas viginti quatuor, in quibus facta fuit illa infusio, debet aliquantulùm excalefieri & tunc acquisitâ liquiditate aptum erit ad excipiendos pulveres: sed quomodo tantillus ille liquor satis esse poterit ad drachmas viginti sex pulverum excipiendas, maximè, cùm verè liquor dici non possit, cùm unguenti, aut linimenti formam acquisiverit? Scio aliquos tantum aceti apponere, ut cum parvâ illâ Ammoniaci quantitate satis esse possit ad uniendos pulveres. Sed non animadvertunt, dissolutionem hanc Ammoniaci non esse ex arte; neque pulveres excipi Ammoniaco, aut eo formari Trochiscos hos, sed potiùs aceto præter intentionem autoris. Ut igitur incommodum hoc effugiamus, hoc modo in componendis iis Trochiscis procedendum erit. Primò, amygdalæ amaræ cultro erunt excorticandæ, pinsendæ, & per rarum setaceum traducendæ, & mox in mortario reponendæ, levi aceti portione superinfusâ, & tamdiu in mortario ducantur, donec in lactis formam evadant; deinde, succus eupatorij condensatus superaddi debet, & dissolvi; mox portio pulverum adhibebitur, quæ in subtilissimum pulverem erit traducenda; postremò, Ammoniacum, jam aceto emollitum, & in linimenti formam redactum, cum eâ pulverum parte, quæ superest, addi debet, & cum eo Trochisci formandi erunt.

Capparorum Trochisci quomodo cum adeò pauco Ammoniaco formari possint.

158. Trochiscorum de Terrâ Sigillatâ Mesuæi descriptio suas quoque habet difficultates, & primò non esse, quòd dubitemus de terrâ sigillatâ, sive Lemniâ, quæ ex aulâ Turcici Imperatoris sæpe ad nos defertur, an vera ea sit, aut viribus similis Galenicæ, quòd colore differat, quódque non ex eodem loco effodiatur, ut tempore Galeni, quod video aliquibus fecisse negotium, cùm ex eâdem insulâ deferatur. Si exhauriuntur venæ metallorum in auri & argenti-fodinis, aliquando autem in viciniâ, aut in aliis locis ejusdem provinciæ aliæ

In Trochiscis de terrâ Lemniâ vera nostra recipienda, etsi à Gal. colore & loco differat.

novæ inveniuntur, cur idem in venis terræ medicatæ evenire non poterit? neque differentia coloris quicquam concludit; quia diversitas soli diversitatem coloris introducere poterit, eâdem virtute consistente; quam longa experientia, & magnorum auctoritas confirmat.

Eufistidos nomine quid significetur, quidque substituendum.

159. Et quoniam in Arabicis verbis versamur, nonnisi ex Arabibus etiam colligere debemus, quid & ea significent, & iis deficientibus, quid loco illorum sit substituendum: cùm hîc imponat Mesue hefistidos, seu eufistidos drachmas duas, constet autem rem esse diversam ab hypocistide; cùm hoc loco, tanquam res inter se distinctas, utramque ponat, ut & Avicen. *lib.* 2. *cap.* 332. pro eufistide succum barbæ hircinæ arbusti intelligit; ut & Serapio in synonymis, cùm de hypocistide Avic. agat *lib.* 2. *cap.* 694. Non igitur omittenda eufistis, tanquam eadem cum hypocistide, ut video Placoromo, Cordo, Apollini, Bononiensibus, & Cistæ Mantuano placuisse, sed eo deficiente, aut tantundem hypocistidis imponemus, aut acaciam, quam ejusdem facultatis constituit Diosc. *lib.* 1. *capite* 109. cum hypocistide: imò alterutrâ deficiente succus balaustiorum substitui potest, cùm eandem habeat facultatem ex Dioscoride, *l.* 11. *cap.* 127.

Sedenagi quid, & quid ejus loco.

† Cautione 71.

160. Sedenegi etiam, quod in hac compositione ponitur, non levem facit difficultatem; cùm enim in Philonio Persico dixerimus per hanc dictionem intelligere Mesuen lapidem † Hæmatitem; cùm hîc & lapidem hæmatitem ponat, & sedenegi, videtur asserendum, res esse diversas, quæ duobus iis nominibus significantur: & quamvis jam docuerimus aliquando auctores bis easdem res in eâdem compositione posuisse, mutatâ quantitate, præstat tamen asserere, sedenagi hîc scribi, non sedenegi, quod significat semen granati sylvestris; quod tali nomine insigniri, & synonyma Avicennæ antiqua ostendunt, & Coloniense Dispensatorium, & Christophorus de Honestis, & postremò Franciscus Veletius receperunt; & rationi maximè consonum est, si seminum illorum natura perpendatur, ac comparetur cum fine hujus compositionis, nec repetitionis ejusdem rei erit arguendus auctor.

In Alchechengi Trochiscis quid per grana Alchechengi intelligatur.

161. Quid per grana Alchechengi, quæ in Trochiscis, ab iis denominatis, primo loco ponuntur, intelligendum sit, non una est opinio: cùm enim halicacabus, seu vesicaria, folliculos in summitate, sive vesiculas gerat, grana continentes, in quibus etiam, ut in ventre, semina minora continentur, dubitari posset, ex tribus iis quid esset imponendum; an folliculus, sive cortex, cùm Gal. 5. *de comp. med. per gen. cap.* 7. in descriptione Trochiscorum de vesicariâ Sylvij Hieratij Thebani vesicariæ corticem imponat. Sed non animadvertunt, qui hoc sentiunt, paulò pòst, cùm eosdem, ab Andromacho descriptos, referat, id ipsum explicari per corticem, non autem eum vesiculas has intelligere,

gere, sed corticem radicum. Sed cùm hîc Mesue grana exposcat, eum ea intelligere manifestum est, quæ vesiculis continentur. Ex quo etiam eorum refellitur opinio, qui semina illa solùm parva, & alba, quæ granis illis includuntur, imponenda censent, cùm grana ipsa requirat.

162. An verò in iisdem Anguriæ semina, an Melonum, cùm Albatecæ, sive Batecæ semina requirit, sint imponenda, non una est sententia. Per Batecam enim Mainardus, Sylvius, Christophorus de Honestis, & alij Anguriam intelligunt. Fortasse præstabit Peponem nostrum, seu Melo-peponem, & ejus semina intelligere: cùm enim Dullaca Arabibus sit Anguria, ut constat ex Serapione *cap.* 144. ubi Dullacam Melonem dicit esse viridem, cujus coloris esse Anguriam scimus, & tres illi Melonem viridem Anguriam esse asserunt, cùm capite præcedente de Batecâ loquens, tanquam de re diversâ, Melonem describat. Hujus sententiæ fuisse constat Andream Belunensem *in interpretationibus dictionum Arabicarum*, & Matthiolum *lib.2.in Diosc. cap.*128. & Patres Censores Mesuæ. *Batecæ semina quid sint.*

163. Bis Bolum Mesuen in hac compositione cùm viderint aliqui posuisse, primò cum additione Boli Armeniaci, ponderis drachmarum sex; mox Boli sine ullâ additione, ponderis drachmarum duarum; secundum hunc superfluum censentes, abstulerunt præter rationem; cùm per primum Bolum Armenum Orientalem intellexerit; per Bolum autem Rubricam Sinopicam, vel Pannonicam cum Mainardo, aut cum aliis terram Lemniam. *Bolus simpliciter quid.*

164. † In Trochiscis de Myrrhâ ex Rhase 9. *ad Almans.* aliqui legunt pulegij cervini, quod, quid sit, vix ullus est, qui sciat, quidquid dicat Amatus Lusitanus *lib.* 3. *in Diosc. cap.* 39. esse nempe pseudodictamnum: propterea magis placet, quod aliquibus visum est, quódque firmatur aliquorum etiam impressorum Rhazæ librorum auctoritate, in quibus legitur, pulegij, cumini, quam lectionem sequitur Dessenius, Clusius, & Fuchsius, maximéque lectio hæc est rationi consentanea, cùm cumino non levis insit facultas urinas, & menstruas purgationes promovendi, quin fœtus mortuos propellendi. *† In Myrrhæ Trochiscis quid per pulegium cervinum intelligendum.*

DE SYRUPIS.

CUm institutum nostrum sit in hoc libro non Antidotarium integrum vobis dare, sed animadversiones aliquas more nostro circa communem componendorum medicamentorum modum: quemadmodum in aliis non omnes recensuimus compositiones, sed eas solùm, in quibus aliqua suberat difficultas, aut controversia, illas omittentes, quæ nihil controversum in se habent: ita in censuram syruporum, quam hoc loco præ manibus habemus, eos solùm exa-

minabimus, in quibus aliquid ſubeſt controverſum, quod ferè evenit in iis, qui *compoſiti* paſſim appellantur, non omittentes etiam *ſimplices*, ſi quid in iis erit, quod cenſurâ meâ indigeat.

Syrupo de pomis ſimplici ſericum crudum indendum, tinctum in Chermes.

165. In ſyrupo de Pomis ſimplici ſericum tinctum cum cocco Baphico, Chermes dicto, ſit præparatum, ut in *Alchermes* compoſitione; crudum enim ſericum omnino indendum Auctor præcipit.

† Miva ſimplex, ex melle, vel ſacchare paranda.

166. † In Mivâ ſimplici Meſuæ, licèt mellis, vel ſacchari, vel quantitatis illorum nulla fiat mentio, alterutrum tamen eſt indendum, & in Mivâ ejuſdem aromaticâ. Nam poſtrema verba, *in ſimplici hac*, ubi non malè eos facere ſcribit, qui loco mellis ſaccharum imponunt, hoc facilè oſtendunt.

** Miva quam requirat zucchari quantitatem.*

167. * Quantitas illorum ſit librarum tredecim ad libras viginti quinque ſucci, ad dimidias ex libris quinquaginta cocti, & viginti vini.

† Syr. de cichoreâ cum rhab. Nicol. in decoct. parandâ quæ aquæ quantitas ſumenda.

168. † In ſyrupo de Cichoreâ cum Rhabarbaro Nicolai examinando multùm mihi eſſet laborandum in ſimplicibus examinandis, & recognoſcendis, niſi recentiores Itali, Hiſpani, & Germani omnem hac in re removiſſent difficultatem. Major fortè relinquitur difficultas in aquæ quantitate pro decoctione parandâ; ſi enim ſimplicia medicamenta, quæ ingrediuntur decoctionem pro parando ſyrupo, unciis commenſurarentur, cùm dicit Nicolaus *in ſufficienti quantitate aquæ*, non ita difficili negotio quantitas aquæ cognoſceretur; ſed cùm pleraſque herbas per manipulos metiatur, confuſionem parit: Si tamen conſideraverimus, quæ doctiſſimus Fernelius, 4. *Method. cap.* 11. qui herbarum manipulum ad unciam reducit, non erit difficile quantitatem invenire aquæ; quamvis enim non idem ſemper pondus obtineat manipulus rerum omnium, cùm alia aliis ſint graviora: cùm tamen hîc in verbis ſolùm verſemur, quarum non ita multa in pondere eſſe poteſt differentia, pro manipulis uncias recenſentes, & duodecim, aut tredecim uncias enumerantes, reliquíſque, per uncias dimenſis, addentes, vigintiquatuor unciæ omnium, id eſt, libræ duæ evadent; ad quas excoquendas ſexdecim aquæ libræ ſumi poterunt, quarum decem in hordeo excoquendo inſumentur, & radicibus, iis inditis, ubi ſeptem libræ aquæ in illo elixando erunt inſumptæ, ſex ſuperſtitibus; ſex aliis ſacchari additis, parari poterit ſyrupus, in cujus librâ quâlibet dum excoquitur, infundi debent rhabarbari electi, & bene maturi, drach. 4. & ſpicæ ſcr. 4. in raro linteolo, ſæpius, dum elixatione paratur ſyrupus, forti factâ expreſſione. Si tamen in portiunculâ ejuſdem decocti ſeparatim fieret rhabarbari infuſio per horas duodecim, & fortis expreſſio, &, dum fit ſyrupus, adderetur, ut perſuadet Caleſtanus, non repugnarem.

† Syr. de cichoreâ cum rhabarbaro Gulielmi non duas drachmas rhabarbari indendas, ſed uncias.

169. † In ſyrupo de cichoreâ cum rhabarbaro Gulielmi cùm videam, pleroſque rhabarbari drach. ij. ſolùm infundere; in more

autem

autem apud nostros esse uncias loco drachmarum addere, ídque etiam Bergomensi Collegio magis placere: ita in nostrâ etiam provinciâ observari debere præcipio, atque probattisescerâ cyanum, in frumentaceis campis nascentem, flore cyaneo sive cælesti, omnibus noto, indendum censemus.

170. In syrupo de Polypodio Suessani illud solùm animadvertam, quod à Melichio optimè est observatum: quòd solventia majori ex parte in syrupis fundum petant, dum in usum ducitur, spathulâ, antequam è vase educatur, diligenter undequaque esse commiscendum.

Syr. de Polypodio Aug. antequam in usum ducatur, semper spathulâ commiscendum.

171. † In syrupo de pomis Sabor Regis cum succi borraginis & buglossi requirantur, ex quibus vix succi elici possint, aut certè glutinosi adeò, ut aut dissolvi, aut in syrupi saltem mediocris substantiæ formam deduci non possint, non erit præter rem nostram, si aliquid de modo succi eliciendi ex herbis iis viscidæ substantiæ, qualis & est portulaca, proposuero: potissimùm cùm videam hac in re gravissimos viros non multùm inter se consentire. Galenus enim *primo de comp.med.sec.gen.cap.6.* succum ex iis commodè extrahi non posse censuit, nisi tenuiori aliquo, dum pistantur, liquore superaddito; quod *6. de tuendâ valet.* de portulacâ repetiit. Sed modus is illud habet incommodi, quòd nec syncerum habebimus succum, nec illum in vitreis ampullis cum oleo per annum conservare poterimus ad syrupos parandos, cùm aliquando, ut hyeme, herbæ non reperiantur, aut exsuccæ sint. Oviedus *lib. 1. Methodi cap. 10.* & copiosum & syncerum, nec tamen glutinosum ex his verbis sine alterius succi mixtione habere nos posse censuit; si in mortario contusis herbis, illis à mortario extractis, in aliquo vase sine expressione ita sinamus calido tempore per triduum, frigido per quatriduum: liquorem enim sic aliquem subtilem effluere, móxque expressis herbis, quod reliquum est humidi, extrahi; qui mixti simul & visciditate carent, &, si elixentur, ad consumptionem medietatis à putredine vindicabuntur, & in vasis angusti oris vitreis, superposito oleo per totum annum, ad usum conservari poterunt. At quomodo æstivo tempore contusæ herbæ per triduum, aut quatriduum conservari possint sine putredine, vix intelligi potest; & experientia omnino repugnat, & si attenuatur humiditas, & augetur, sobólem dicemus esse introductæ aliquo modo putredinis, dissolutâ compage mixtionis, & dissolutis partibus humidis à siccis per corruptionem, ut ex Arist. colligere possumus 4. *Meteo.* Alij, ut Fernelius 4. *Meth. cap.* 11. meliùs, herbis pistatis in mortario, iísque in vase aliquo positis, & flammâ levi excalefactis, statim exprimunt; unde & copiosum, nec adeò viscidum succum, eo vi caloris attenuato, exprimunt. Meliùs fortasse & feliciùs alij, viscidis iis herbis, antequam pistentur, in duplici vase igni blando expositis, succum

† In Sabor regis syrupo herbarum, quæ viscidum succum habent, illius extrahendi modus.

ſuccum extrahunt, illis in mortario pòſt contuſis, qui nec adeò craſſus erit, aut viſcidus. & ſyrupum reddet non adeò obſcurum, & conſervari, adhibitâ ſolitâ cum oleo diligentiâ, per totum annum poterit, potiſſimùm, ſi poſt expreſſionem eum per ſex horas ſinamus reſidere, levíque pòſt adhibitâ ebullitione, deſpumetur.

Syr. de pomis quomodo ex iis ſuccus extrahendus.

172. In ſyrupis de Pomis poma ſint dulcia, matura, & redolentia, Apia, aut noſtratia, ex agro Papienſi Popina dicta; aliquandiu priùs reponantur in acervo, mox cortice detracto piſtentur, & ſuccus exprimatur; & in aëre frigidiori, ſi aliquantulùm incaleſcant, & majorem dabunt ſucci quantitatem, & ſuaviorem guſtui dabunt ſaporem.

Crocus in ſyrupo de pomis quomodo indendus.

173. Non placet modus indendi croci in hoc ſyrupo, traditus à Braſſavolo, qui, eo ſubtiliſſimè pulverizato, ut ſubſtantia ſimul cum virtute cæteris communicetur, & in fine decoctionis, admixto ſaccharo, dùm forma ſyrupi concipitur, illum admiſcet. Eſt enim contra intentionem auctoris, qui virtutem ſolam cum partibus igneis vult communicari, & propter eà in linteo raro involutum ſolùm voluit in fine decoctionis imponi, ut ſubtiliores illius partes, eo modo conſervatæ, ſyrupo communicarentur.

Syr. de pomis compoſitus quæ aquæ quantitatem requirat.

174. In ſyrupo de pomis compoſito Meſuæ, in decoctione parandâ, video aliquos aquæ ſolùm libras tres, aut quatuor ponere; quæ quantitas parva nimis eſt, & ad res ingredientes excoquendas, & adducendam elixationem ad conſumptionem tertiæ partis, túmque poſtremò factâ colaturâ, ad libras duas ſacchari excipiendas, etiamſi ſucci pomorum in fine unciæ octo addantur, qui ſanè paulatim ſpathulâ permiſcendo addendus erit.

Menthæ ſyrupus ſiccam mentham requirit.

175. Syrupus de Menthâ compoſitus Meſuæi, ut utiliſſimus eſt, atque ſæpe in uſum traductus, ita multas habet difficultates: & primum, quid per ſiccam mentham intelligere debeamus. Aliqui enim per ſiccam intelligunt, non actu ſiccam, ſed in locis ſiccis natam, ut potentiâ ſit ſiccior. Sed ſi obſervaverint, quæ ab eodem ſcripta ſunt *in principio ſui Grabadin*, in Electuario de aromatibus, ad eoſdem affectus ſanandos inſtituto, ubi mentham ſiccam imponit; per ſiccam intelliget ſignificari actu ſiccam, cùm inter triturabilia eam reponat: non negaverim quidem eligendam eſſe, quæ in locis ſiccioribus naſcitur; attamen ſiccam etiam actu dicimus eſſe imponendam, talémque requirere Meſuæum.

Mentham verè ſiccam expoſcere ſyr. de menthâ contra Veletium.

176. Nec recipienda eſt Veletij Hiſpani ſententia, per mentham ſiccam eandem, à quâ ſolùm ſuperflua humiditas ſit in umbrâ abſumpta, intelligentis: ſic enim & Serapionem, & Virgilium ſiccari res dicere conſueviſſe dicit; quo modo, ſi ſiccam mentham intelligamus, non erit nimia menthæ illa quantitas ſeſquilibræ ad eam ſuccorum quantitatem ſeptem librarum cum dimidiâ, quòd ſic parvam ſuccorum

corum quantitatem absumeret. Quòd si è contrà siccam sumamus, experientia docet nimis parvam esse succorum quantitatem, quòd sui siccitate multam illius portionem ita absumeret, ut ad parandum syrupum cum duabus libris mellis, aut sacchari non satis esse posset. Sed nemo est, qui mentham, ex quâ solùm aliqualis absumpta sit humiditas, siccam dixerit: siccari quidem dici poterit, quòd in viâ sit ad siccitatem; at siccam sic esse nullus dixerit, neque ob paucitatem succorum, atque quòd ob id parari non possit syrupus, mentham, hoc modo paratam, indere debebimus, sed alia via erit ineunda.

177. Non placet tamen Calestani opinio, qui, ut hoc incommodum effugeret, servatâ quantitate succorum, loco sesquilibræ semilibram indendam censuit, præter auctoris & omnium Scriptorum sententiam: media enim libra menthæ siccæ pauca nimis est quantitas ad roborandum ventriculum, & eos affectus evincendos, ad quos vel syrupum de menthâ simplicem accommodatum esse dicit: & in simplici libram menthæ siccæ in libris quatuor succorum ponit, cur in composito sesquilibram non ponemus in libris septem cum dimidiâ succorum? Dessenius & Fœsius, ut hanc absorbitionem succorum effugiant, libram solùm menthæ siccæ adhibent. Ego in syrupo hoc, à menthâ denominato, nunquam menthæ quantitatem imminuerem, cùm libram in simplici posuerit; sed potiùs singulis succis sex uncias adjungendas cum plerisque censerem. Quòd si consideremus modum, quo conficiendum syrupum hunc docet Mesue, ut succi hi decoquantur cum facilitate, vel lento igne post infusionem, fortasse optimè pararetur, si in duplici vase excoquerentur. Sic enim per longam elixationem virtus menthæ succis imprimeretur, nec tanta succi quantitas elixatione absumeretur, & syrupus cum facultate ingredientium conservaretur, etiamsi ad dimidias non absumerentur.

Calestani in Menthæ quantitate in syr. de Menthâ metiendâ refutata sententia.

Decoquendæ Menthæ in suo syr. vera ratio.

178. Sed quam Galliam assumemus, ut aromatizetur syrupus is, & quâ quantitate; cùm Mesue simpliciter dicat, *aromatizetur cum Galliâ*? Ego nobiliorem inderem Moscatam; non aberrabit tamen etiam, qui Aloëfanginam imponet. Quantitatem colligemus ex eodem in syrupo de succis herbarum, *in secundo de calamentho*, & in eo, qui est *de thymo*, ut pro librâ sumantur scrupuli duo, & hîc utemur duabus drachmis.

Gallia quæ imponenda, & quanta in syr. de Menthâ.

179. Vix dici potest, quantùm Scriptores in syrupo Jujubino varient, & in mensurâ Jujubarum; & aquæ, tum & in modo decoctionis: an simul omnia ingredientia sint imponenda, an gradatim pro ratione coctibilitatis, & partium jujubarum extrahendarum; aliis libras decem imponentibus; aliis numero sexaginta aquæ; aliis libras quatuor, ut in omnibus codicibus Mesue; aliis libras centum, ut

Iujubarum syr. parandi varij modi, variata quantitate jujubarum, & aquæ.

Mainardus, habitâ ratione librarum decem jujubarum, & hordei, quem adeò longam cocturam postulare alibi docuerat; alij libras duodecim, ut Oviedo placuit; plerisque sex libras. In decoctione servandos multi dicunt esse canones universales, etiamsi in singulis descriptionibus distinctè id non explicetur: alij verò id in decoctionibus quidem, quæ per se in usum veniunt, esse servandum fatentur: at in decoctionibus pro componendis medicamentis non semper graduandum esse, sed sequendum illud, quod ab auctore est in eo composito describendo institutum; hæcque quilibet eorum aliquibus conjecturis conantur persuadere. Ego, ne in iis immorer, non libras decem, sed numero LX. imponendas censerem, ut communis est omnium sententia, facili lapsu interposito puncto inter L. & X. quod ex sexaginta in L. X. mutatum est. Aquæ quantitas librarum centum nullam habet proportionem: neque enim drachmarum octo hordei quantitas, & jujubarum tantam requirunt aquæ quantitatem: librarum duodecim mensura ad hordei quantitatem, & jujubarum nimia est, nimísque recedit à traditâ ab auctore, etiamsi graduatâ utendum esset decoctione: minùs recedunt ab auctore, qui sex sumendas esse censent: sed qui præter hordeum considerabit nullas excoqui res, quæ longam requirant decoctionem, etiamsi graduata adhibeatur decoctio, non recedet ab instituto auctoris, potissimùm, si lento igne administretur.

Tragacantha & semina malvæ quomodo excoquenda.

180. Quomodocunque tamen fiat, semper illud erit observandum, debere Tragacantham, & semina malvæ, in lineâ telâ rarâ inclusa excoqui, & sæpius exprimi, ut eorum virtus sine multâ viscíditate communicetur; simúlque ob hanc unam causam percolari debebit, dum calida fuerit: quòd si refriguerit, antequàm saccharo addito paretur syrupus, iterum calefieri debebit, & percolari.

Hyss. syr. quantitas aquæ quæ indenda.

181. Ne quis tamen censeat in syrupo de Hyssopo adeò parvam aquæ quantitatem sufficere, cùm quantitatis aquæ nullam faciat mentionem Mesue: cùm enim præter hordeum contineat fructus crassæ substantiæ, ut & semina viscidiora; cùm radices, & tragacantham; cùm præterea loco sacchari Penidia ad syrupum parandum assumat, nisi sufficiens aquæ quantitas indatur, formam potiùs elegmatis parabimus, quàm syrupi. Proinde placet eorum opinio, qui octo libras aquæ sumendas censent, ac graduatam parari debere decoctionem.

Absinthij syr. quando cum Romano, & quando cum Pontico parandus; quando cum melle, & quando cum saccharo.

182. In Syrupo de Absinthio primùm dubitant, quodnam absinthij genus indendum sit; cùm Romanum hîc exposcat Mesue, & *lib. Simpl.* cæteris præferat; cùm Diosc. & Galenus & *6. simpl. cap. 1.* & *in libris Methodi* Pontico potiùs, etiam in iis, ad quæ conferre hîc Mesue asserit hunc syrupum, primas tribuat. Ego certè cum Romano componendum cum Mesue censerem, si & materias, in ventriculo

contentas

contentas attenuare, in tunicis ventriculi imbibitas & attenuatas, detergere, & subducere per alvum voluerimus: at si ventriculum roborare voluerimus; si epar infarctu liberare decreverimus, & materias attenuare, cúmque aliquâ adstrictione mediocriter excalefacere, Pontico utemur: & quemadmodum primum illum cum melle parabimus, ita alterum cum saccharo componendum judicamus.

183. Sed an cum sicco, an cum viridi parandus? Dessenius, & alii qui alij viridi utuntur, ut succorum minorem absorbeat quantitatem. At in iis, quæ adstringendo roborant, humiditas obest, & propterea in syrupo de cydoniis, & in mivâ aromaticâ, cùm succi actu humidi sint, ut aliquam potentialem acquirant siccitatem, Mesue cùm actu id obtinere non possit, elixatione potentialem auget. Sic mentha, sic absinthium, cùm humiditate adstrictionem impediant, exsiccari debent, & decoctis sicca imponenda, ut adstrictionem adaugeant.

Absinthium siccum in syr. imponendum.

184. Sed quoniam experientiâ constat, si absinthij, succi rosarum, & eam quantitatem spicæ in libris quinque vini odoriferi, & succi granatorum excoquamus, tantum succi absorberi, ut ea non supersit vini & succi quantitas, quæ cum libris duabus mellis possit verum syrupum constituere, potissimùm factâ per horas vigintiquatuor rerum earam infusione: Alij quantitatem absinthij imminuendam censent ad uncias quatuor, alij augendam potiùs vini & succi granatorum mensuram. Oviedus, si cum Romano præparetur, censuit absinthij imminuendam esse quantitatem, ne adeò ingratus & amarus reddatur; si cum Pontico, augendam liquorum mensuram. Ego potiùs, servatâ & ingredientium, & excipientium eâ quantitate, quam tradidit Mesue, crediderim optimè syrupum parari posse, infusione in duplici vase, bene occluso per diem & noctem, factâ, & ebullitione in duplici vase ad balneum maris, neque absumptâ medietate liquorum, ut sæpius Galenus *in libris de comp. med. sec. locos, & genera* docuit.

Absinthij & liquorum quantitate servatâ in infus. & decoct. quomodo parari syr. possit.

185. Hoc modo si decoctionem paraverimus, præcedente infusione, non erit facienda per graduationem, neque partienda, ut Oviedo & Sylvio placuit. Jam enim docuimus, optimè hac in re attigisse scopum Brassavolum *in examine Syruporum*; etiam, ubi decoctio fit præcedente infusione, non esse graduandum, potissimùm si occluso ore vasis fiat: quicquid dicat Oviedus, verum id esse, ubi levis fiat elixatio: oppositum enim collegimus in confectione Hamech, & pilulis Aloësanginis.

In syr. de absinthio decoctio cur non graduanda.

186. Et quamvis verba illa (*in vase lapideo*) à Mesuæo apposita, reverà qualitatem vasis in quo infusio & decoctio paranda sit, respiciant, ne, in cupreo vase si fiat, vinum & succus granatorum ex ære malam acquirat qualitatem; verum tamen etiam est, inde colligi

In syr. de absinthio decoctio non esse bipartienda.

posse, non esse bipartiendam infusionem & decoctionem, absinthio in vino, & rosis in succo infusis, ut ij voluerunt; qui graduatam exposcunt decoctionem; sed unciam unico vase posuit.

Eupatorij syr. parandus cum succo Agerati.

187 Nolim nobilissimum syrupum de Eupatorio, compositum ejusdem Mesuæ ob eam causam omitti, quòd controversum sit, quid sit Eupatorium Mesuæ, omnino diversum à Galenico, & eo, quod descripsit Diosc. quódque non ita facile sit scire, quid per Bedeguar, & quid per Suchaha sibi velit Mesue: cùm diligentissimus Matthiolus Eupatorium Mesue validissimis conjecturis ostenderit, non differre ab Agerato Dioscoridis, cujus copiam ex agro Romano, aut saltem succum condensatum habere poterimus. Per Bedeguar autem cum plerisque radicem albæ spinæ intelligimus, & Suchaha spinam Ægyptiam significat, quæ apud nos non nascitur, cùm ejusdem sit cum spinâ albâ facultatis; hac deficiente, spinæ albæ quantitatem duplicare poterimus: quâ etiam deficiente video alia alios substituere, nam aliqui fumariam, alij radicem caryophyllatæ, alij radicem cardui sancti, alij carlinam, sabinam alij pro Bedeguare; & pro Suchaha polypodium. Ego certè eorum magis probo sententiam, qui pro Bedeguare radicem cardui sancti substituunt. Præter enim facultates, cum spinâ albâ & Ægyptiâ consentientes, exsiccantes cum aliquâ adstrictione habemus spinosas plantas, & pro radice semper melius est radicem substituere.

Bedeguar & Suchaha quæ, & ejus substitutum.

In Eupatorij syr. quæ succorum quantitas indenda.

188. Quæ sit quantitas sufficiens succorum apij & endiviæ, cùm non decreverit hîc Mesue; ex iis, quæ alibi tradidit, colligendum erit, & cùm decoctis succos rarò admodum admiscuerit ad parandos syrupos, ex syrupo de fumariâ majore id erit colligendum, servatâ tamen proportione ad quantitatem sacchari; sicque singulorum illorum succorum duas libras sumemus, ut proportio servetur ad quatuor libras sacchari.

In Eupatorij syr. succi priùs coquendi, & cur.

189. Cùm ad præparandum hunc syrupum & concurrant succi & decoctum; cùm succi crassioris sint substantiæ, longiorique ob id indigeant coctione, ut attenuentur, aliquantò priùs erunt excoquendi, ut purior & clarior syrupus evadat.

Coctio ad tertiam, & ad tertias quid significet, & quomodo distinguuntur.

190. Coquenda statuit simplicia hæc in libris octo aquæ ad tertiam. Hîc digladiantur viri sanè quàm diligentissimi, an per hæc verba (*ad tertiam*) intelligendum sit ad consumptionem tertiæ partis, an potiùs ad duarum partium. Ego consumptionem *ad tertiam* intelligo tertiæ partis: ubi verò ex tribus partibus duæ absumi debent, *ad tertias* scribendum erit. Colligitur id ex Gal. *lib. 3. de compos. med. s. gen. cap. 5.* ubi loquens de decoctione vini novi dulcis ad spissitudinem, quam *Sircaeon* vocant, nos *sapor d'uva*, dicit; *Si ex vino dulci, primò ex uvis expresso, paretur, quia tenuioris est substantiæ, ut inspissetur, excoquendum esse ad tertias; si verò ex secundo crassioris substantiæ, ad dimidias*

midias: per tertias non aliud intelligere poteſt, quàm ad conſumptionem duarum tertiarum; ſi vera ſunt, quæ à Theophraſto ſcripta ſunt *lib. 6. de cauſis plant. capite* 17. ubi *craſſiora* dicit, *& viſcidiora citiùs condenſari.* Sic è contrà ſapam, quam nos *muſtum coctum* dicimus, ad tertiam elixatione conſumimus. Sed excoquendarum etiam radicum conditio id perſuadere videtur in quibus excoquendis communi uſu libram in ſex aquæ libris ad dimidias excoquimus. Si nunc tantam ingredientium quantitatem in duodecim libris aquæ & ſucci elixaremus ad duarum partium conſumptionem, & ſucci non attenuarentur, ſed craſſeſcerent, & vis radicum attenuans & aliorum tenuiorum evaneſceret, etiamſi graduationem admittamus.

191. In ſyrupo de Fumariâ majori cùm caſſiæ fiſtulæ uncias duas indendas eſſe præcipiat, non placet Oviedi ſententia, qui non medullam metiendam ad eam quantitatem eſſe cenſuit, ſed integram caſſiam cum fiſtulâ, è quâ, detracto cortice, tabellis, & ſeminibus, ſuccum tantùm, qui ſuperſit, indendum cenſuit, nixus ſolo modo dicendi, & Plateari auctoritate; cùm tamen id communi omnium ſententiæ repugnet, & parva ſucci quantitas, quæ inde extrahitur, diſſuadeat; nec, quæ contrà proponit, ullius ſint momenti: quamvis enim aliquando medullam caſſiæ, & quandoque ejuſdem pulpam expoſcat; & quandoque caſſiam fiſtularem, quam à ſeminibus expurgandam præcipit; non negandum tamen per caſſiam fiſtularem etiam ejus medullam ſignificâſſe.

In Fumariæ ſyr. majori per caſſiam fiſtulam puppæ eam quantitatem indendam.

192. Non placent etiam ij, qui ſuccum hunc Caſſiæ, & Tamarindos, non in decoctione ponendos cenſent, ſed poſt, cùm ſyrupum paramus, quòd elixatione cenſeant aëreas, & lubricantes partes diſſipari; & non animadvertunt in confectione Hamech in ſero elixari, & in hoc ſyrupo ſcribi: Coque in libris iiij. aquæ, pòſt ſimul recenſitas res ingredientes; quamvis, cùm non præceſſerit infuſio, & res diverſiſſimæ ſint ſubſtantiæ, graduata ex arte ſit facienda decoctio.

Graduanda decoctio, ubi ſine infuſione res diverſæ ſubſtantiæ coquuntur.

193. Cùm in ſyrupo de Epithymo poſt enumerata & demenſa ingredientia, nullâ factâ mentione liquoris, in quo facienda ſit decoctio, neque ſubinde ejuſdem quantitatis; quamvis omnes conveniant, in aquâ faciendam eſſe decoctionem, in illius tamen quantitate diſſentiunt; aliis octo libras aſſumentibus, aliis tredecim, aliis decem, quam Braſſavolus ſequendam cenſuit, ac quantitatem, quam omiſiſſe Meſue cenſetur, colligere poſſimus ex ſyrupo de Fumariâ majori; Nobis hæc opinio magis placet, tùm ob illam cauſam, tum quòd inter extremas illas media ſit; maximè verò, quòd cum illâ quantitate commodè admodum graduata illa decoctio parari poſſit.

Epithymi ſyr. decoctio quantam aquam requirit.

194. At & in ſacchari quantitate etiam diſſentiunt, aliis Braſſavolo, & Sylvio, Cronenburgio, Cordo, Florentinis, & Mantuanis

In Epithymi ſyr. quæ ſacchari quantitas indenda.

libras quatuor indentibus; aliis, ut Suardo, Caleſtano, Borgarûtio,& PP. Comment. Meſuæ, ſolùm tribus; ego quatuor impoſitis meliùs ſyrupum parari poſſe cenſerem.

In Stœchadis ſyr. parando quanta aqua ſumenda.

195. Non eſt etiam, quòd in dubium vertamus, decoctionem pro parando ſyrupo de Stœchade ex aquâ,tanquam communiori liquore pro decoctis parandis, eſſe faciendam: at in dubium vertitur illius quantitas, quæ ex quantitate ingredientium colligi poteſt: quæ cùm ſit tredecim unciarum, requiret libras octo, aut novem aquæ, atque, graduatâ factâ decoctione, reduci debet ad libras tres, & tres uncias, aut ad libras tres cum ſemiſſe; quòd ingredientia, cùm ſiccæ & calidæ ſint temperaturæ, actu ſicca imponi debeant, & ob id aquæ multum abſorbendum, Non ſatis erunt ſeptem, ut aliquibus placuit.

Liquiritiæ ſyr. decoctio non ſit graduata.

196. Cùm in ſyrupo de Liquiritiâ Meſuæus in libris quatuor aquæ per diem & noctem infundat Liquiritiam, capillum Veneris,& Hyſſopum, móxque ad conſumptionem medietatis excoquat; dubitârunt aliqui, an poſt infuſionem in decoctione parandâ graduanda ſit decoctio, cùm tria illa diverſa ſint ſubſtantiæ, nec eandem admittant coctionem. Aliqui ſingulorum ſingulas faciunt infuſiones, & decoctiones; alij, unâ factâ infuſione, graduatam faciunt decoctionem, poſtremo loco capillum Veneris imponentes. Sed non placet recedere à verbis & ſententiâ Meſuæi, & ab iis, quæ alibi conſtituta ſunt; præſtare tamen ſemper auctoris componendi modum ſectari, qui ſimul tria illa infundenda in aquâ præcipit, & excoquenda in aquâ ad dimidias, nullâ factâ mentione ſeparatarum harum infuſionum, & decoctionum, aut graduationis: & jure meritò, cùm decoctio hæc infuſionem habeat præcedentem, per quam res infuſæ, quandam acquirentes unionem, uniformiter poſſunt excoqui; ut in confectione Hamech, & pilulis Aloëſanginis, & pòſt in aliis eſt demonſtratum.

† In liquiritiæ ſyr. parando roſacea ſit ſtillatitia.

† Liquiritiæ ſyrup. ſit craſſioris ſubſtantiæ ob aquam roſaceam in fine addendam.

† Papaveris capita in ſyr. ſint recenter collecta, & media inter ſicca & humentia.

197. † Aqua roſacea, quæ in fine,parato ſyrupo, addenda eſt,ſtillatitia eſſe debet ad balneum Mariæ; non per infuſionem facta, ut PP. Commentatoribus Meſuæ viſum eſt; nam *lib. ſimplicium cap. 22.* dum de aquâ abſinthij ſtillatitiâ loqueretur, talem eſſe debere ſcribit, qualis eſt aqua roſacea.

198. † Ubi etiam annotandum, ſyrupum hunc, cum melle, ſaccharo, & Penidiis ita paratum, craſſioris ſubſtantiæ eſſe debere, ut, additis unciis ſex aquæ roſarum, non indigeat ulteriori coctione, ne virtus aquæ roſarum evaneſcat, ſed, eâ additâ, fervore aliquo levi ignis ad perfectam ſyruporum conſiſtentiam reduci poſſit.

199. † In ſyrupo de Papavere obſervandum, melius eſſe illum æſtate parare, quo tempore capita, recenter collecta, indi debent; ita tamen, ut ab illorum collectione dies intercedat, ut ſuperflua illa humiditas

humiditas absumatur, nec tamen ad siccitatem deducantur: & hæc est Galeni doctrina 7. *com. med. sec. loc. cap.* 2. ex Andromacho, Herâ, & Democrate: quod confirmavit Paul. *lib.* 7. *cap.* 11. & Aëtius, *lib.* 2. *ser.* 1. *cap.* 135. quem secutus est Mesue *in compositione de Iacur*, Decem capita papaveris recentia sumit, media inter humentia & sicca, & hoc est, quod sibi voluit Avic. *lib.* 5. *summâ* 1. *Tract.* 6. capita papaveris pro hoc syrupo ponens, quæ matura cum semine in plantâ quasi sint siccata.

200. In proportione capitum papaverum ad quantitatem aquæ si quis varias cupiat videre antiquorum, Andromachi, Heræ, Damocratis, Critonis, Sorani, & Galeni per numerum capitum, & sextarios aquæ, legere poterit Gal. 7. *sec. loc. cap.* 2. Nos, qui in Mesuæi syrupo de papavere expendendo versamur, qui non capita, sed drachmas sexaginta horum capitum in quatuor libris aquæ, illud solùm animadversione dignum ducimus, aquæ quantitatem illam quatuor librarum, quam multi non satis esse posse censent ad sexaginta drachmas capitum excoquendas, ita ut libra cum dimidiâ supersit; si capita non sicca sumpserimus, & eam quantitatem satis esse cognoscemus, & eâ portione, quæ superest, decoctionis posse optimè parari syrupum, quòd non multam absumant humiditatem, citiusque excoquantur. *In Papaveris syr. ex siccis capitibus quomodo parandus.*

201. Quamvis autem æstatis tempore, dum capita papaveris viridia demeti possunt, syrupus is parari debeat; quòd si siccis uti velimus, major quantitas capitum ad drachmas sexaginta constituendas requireretur: quòd capita nigri papaveris sicca semina non contineant, & denique, quòd sicca, cùm longiorem requirant, & infusionem, & decoctionem, majori indigeant aquæ quantitate: urgente tamen necessitate, ex siccis, etsi non ita validus, parari poterit: quod ut meliùs præstari possit, quantitatem illam capitum in eâ aquæ quantitate infundemus, ut illis, arte depressis in aquâ calente, hæc illis per digitum superemineat per quinque dies, ut emollescant: mox eòusque excoquentur, ut compressa digitis dissipentur, tunc excolabuntur cum expressione, cum quâ syrupus parabitur. Sed semina papaveris nigri, quæ in decoctione viridium in capitibus continebantur, ne deficiant in hac, quæ ex siccis paratur, cùm excidere ex siccis soleant, triginta drachmas seminum nigri papaveris adjungemus. *Papaveris syr. ex siccis capitibus quomodo parandus.*

202. In syrupo de duabus radicibus illud pro certo constituendum est, è radicibus cujuscunque speciei eximendas esse ligneas omnes substantias internas, tanquam minùs utiles, & quasi excrementitias; quod manifestis verbis docuit Gal. *lib.* 2. *de Antid. cap.* 105. Ut non recipi debeat Brassavoli & Dessenij sententia, qui id solùm in radicibus cal. facientibus præstandum esse crediderunt, quòd in illis cortex *Radices in syr. & decoctis à ligneis partibus internis repurgandæ.*

calidioris sit substantiæ ; non in frigidis, quòd lignosa pars frigidior sit : quasi, si ratio valeret, non sit concludendum, tunc in frigidis solùm internâ lignosâ parte esse utendum, cortice abjecto; prætereà non negabunt, lignosam partem in frigidis esse siccam, & prætereà quasi excrementitiam.

Radices calidæ siccæ, frigidæ humidæ in decoctis eligendæ.

203. Sed radices humidásne & recentes, an siccas? Id enim multùm refert, tum ob variationem qualitatum, tum pro quantitate aquæ, in quâ excoquendæ sunt. Ego in universum censerem, radices calefacientes, aperientes, deobstruentes, abstergentes, & siccas potiùs esse eligendas ; quòd tamen munia illa meliùs exercere possint; Refrigerantes autem, humectantes, mollientes, & laxantes, recentes & humidas esse sumendas ob eandem rationem. Doctrina hæc est Gal. *lib. de attenuanti victus ratione*, confirmata à Fernelio *lib.* 4. *Meth. cap.*9. Ita ut in hoc syrupo radices apij,& fœniculi siccæ sint indendæ, cichorei verò virides; & cùm sicca humidioribus difficiliùs coquantur, graduanda erit ex arte hæc decoctio.

Aceti quæ quantitas in syr. de duabus radicibus.

204. At quæ aceti quantitas erit indenda,cùm quantitatem determinatam non decernat, sed dicat, sufficientem quantitatem? Secundùm doctrinam supradictam communiter omnes quantitatem colligendam censent ex iis, quæ de syrupo acetoso tradita sunt, ubi simpliciorem ex aceti duabus partibus, fortiorem ex quatuor, medium ex tribus ; & cùm unum in Apothecis paratum habere debeant, medium elegerunt: ita, cùm triplicem quoque aceti mensuram, proportione servatâ, in hoc indere possemus, mediam eligemus, addentes ferè duas libras ad proportionem decocti & sacchari.

Per syr. de duabus rad. simpliciter cum aceto intelligendum.

205. Si Medicus in schedulâ scripserit syrupum de duabus radicibus simpliciter, sive additione,cum aceto,aut sine; cùm alicubi etiam sine aceto paretur, non eum intelliget Pharmacopola, qui sine aceto est paratus, sed eum, quem absolutè syrupum de duabus radicibus appellavit Mesue, in quo acetum ponitur: si enim Medicus in aliquo morbo præscribere voluerit, ubi acetum non convenit, addere debebit (*sine aceto.*)

In Byzantino quid sit ebullitio una.

206. Syrupum Byzantinum componens Mesue, tum simplicem cum aceto, tum compositum cum succis, dicit, *bulliant ebullitione unâ:* quibus verbis licet aliàs intellexerit simplici uno fervore, hoc tamen loco simul unâ & continuatâ, nec divisâ,aut separatâ ebullitione esse excoquenda omnia, despumatione factâ, intelligit.

Coctio cum facilitate quid significet.

207. Quòd autem dicit, (*cum facilitate*) blando igne & lento vult succos esse excoquendos : docuerat enim *in Canonibus*, quæ valido igne elixantur, liquida, impetu ignis violenti subito, quasi multâ spumâ elevatâ, evanescere, & vires, in tenuioribus partibus consistentes, absumi ac dissipari.

† In Mivâ cydoniorum quæ mellis aut sacchari quantitas.

208. † In Mivâ cydoniorum simplici,licèt Mesuæus nullam mellis indendi

indendi mentionem fecerit, cùm tamen in fine aliquos non malè loco mellis saccharum posuisse dicat, ex iis alterutrum indendum demonstravit. Sed quæ illius apponenda erit quantitas? Optimè P P, Commentatores Mesuæ ex proportione mellis cum succo & vino in Mivâ aromaticâ colligunt, mellis, vel sacchari libras indendas esse viginti septem; quam opinionem etiam plerique sunt secuti. Si quis tamen Mivam simplicem eam censuerit ac composuerit, quæ in compositâ descripta est: remotis speciebus, non aberrabit.

Aromatizatio syruporum quomodo fiat.

209. Duplici modo observatum est, decocta, syrupos, & similia dici aromatizari: aut aromaticis speciebus, raro linteo impositis, & in globum ligatis, liquoribus, dum decoquuntur, impositis; quomodo sæpe Avicennam, Serapionem, & Mesuæum usos esse passim observamus, fortasse Soranum Græcum Scriptorem imitati apud Gal. 7. *de comp. med. 5. loc. cap. 2.* Aut speciebus ipsis, aut per se, aut liquore aliquo dissolutis, liquoribus effervescentibus admixtis, ut factum videmus à Mesuæo *in syrupo de Menthâ, de Thymo, de Calamentho*, & alibi sæpius. In Miva cydoniorum aromaticâ utrumque genus hoc aromatizationis conjunxisse videmus. Primo quidem, dum species Aloëfanginas, sive aromaticas, linteo raro involutas, vino, succo granatorum, & melli, dum servent, imponit; altero, cùm in fine decoctionis ad communicandum suavem odorem Mivæ imponit moschum & Galliam: quomodo etiam duplici usum scimus Serapionem *lib. de Antidot. T. 7. cap. 23.* & Avicennam in Mivis.

Miva aromatica quomodo aromatizanda.

210. Sed quo tempore species eæ aromaticæ, linteolo involutæ, ut aromatizentur syrupi, erunt imponendæ? non, ut Brassavolo placuit, in principio coctionis, ut & caliditatem, & odorem majorem nanciscantur; potiùs enim nimiùm longâ coctione exolescent, & minùs odorem communicabunt: sed cùm mel aut saccharum clarificatur: tunc enim hoc loco Mesue Galliam & Moschum in linteolo, succis & vino cum primis aromatibus ebullitis, imponenda docuit. Hoc etiam docuit Avicenna *lib. 5. Tract. 6. summâ primâ in parando syrupo cum seminibus, in Iuleb cum aquâ rosatâ*, & alibi, & est doctrina Arnaldi de Villanovâ *in suo Antidotario in tractatu de Syrupis.*

A quibus omnibus docemur, ut, cùm horum fit decoctio, sæpe globulus is cochleari ad latera vasis comprimatur.

Aromatum globuli in vase non servandi.

211. Neque tamen placet, quod aliquibus visum est, quódque video placuisse Brassavolo; ut, cùm post confectionem syrupi, dum in vase proprio reponitur, globulus ille simul in eo vase reponatur: crassities enim Mivæ id nec admittit, & sine fructu esset, linteique conditio ei repugnat. Neque verba Mesuæi (*suspende in syrupum*) id persuadent: neque enim verba illa respiciunt tempus repositionis, sed coctionis.

Aromata pro aromatizatione parum trituranda.

212. † Quæ verò ad aromatizationem imponuntur species, & aro-

mata, crasso modo esse terenda Mesue hoc loco præcipit, & communis est omnium componentium opinio. Neque iis repugnat Avic. *lib.* 5. *Tract.* 6. *Summâ primâ in Rasat.* ubi species aromaticas subtilissimè conterit. In proximis enim compositionibus aromata crasso modo conterit, in hoc verò subtiliter, ut cum odore, & qualitatibus eorum quoque substantia liquori communicaretur.

Crocus quomodo decoquendus.

213. Sed cùm aromata alia, crasso modo contritâ, ponat, Crocum integrum imponendum duxit, quod & à Serapione, & ab Avicenna in suis Mivis factum videmus: cùm in aliis syrupis, & decoctionibus crasso modo contritum sæpius positum observaverimus. Causam colligemus hujus varietatis ex Gal. 6. *med. local. capite* 1. ubi dicit, *crocum tenuium adeò esse partium, ut, si diutius in aliquo liquore excoquantur, vires illius exsolvantur*: cùm hîc autem adeò longo tempore perduranda sit hæc succi cydoniorum, & vini decoctio, ut libræ illorum viginti quatuor absumi possint; cùm ob hanc causam aromata crasso modo conterenda decrevissent, integrum crocum imponunt, quòd illis adhuc subtiliores habeat partes. At ubi in fine decoctionum ponitur, aut leviter effervere in liquoribus debet, satis duxerunt, si crasso modo contereretur.

DE EXTERNIS.

Animadversiones hactenus cùm simus prosecuti, quæ ad medicamenta composita pertinent, quæ per os sumuntur, quæque in compositione aliquam, & Medicis, & Pharmacopolis invehere solent difficultatem; nunc aliqua attingere animus est circa ea, quæ extrinsecus apponuntur, & ex iis solùm olea, unguenta, & cerata, à nostris dicta, persequemur; ea solùm eligentes, quæ aut aliquam in eorum compositione habent difficultatem, aut declaratione aliquâ indigent: ab Oleis auspicantes, à quibus cerata, unguenta, & emplastra magnam suæ compositionis partem mutuantur; primúmque attingam, quæ per expressionem trahuntur: deinde ea examinabimus, quæ per impressionem, seu infusionem parantur; pauca in simplicibus annotantes, fusiores aliquantò plus futuri in compositis: postremò aliqua etiam attingemus in iis, quæ per ascensum & descensum eliciuntur.

Oleum olivarum novum quomodo ad veteris naturam reducatur.

214. Oleum, ex olivis expressum, tanquam commune, primùm veniat considerandum, quod cùm multùm differat, novúmne sit, an vetus; ùm illud humidum magis, & moderatè calidum; vetus verò magis calidum, humidum minùs, 6. *simpl.* Gal. & Diosc. *lib.* 1. *cap.* 28. Utrumque igitur Pharmacopola paratum habere debet ad varias medicamentorum externorum parandas compositiones. At ubi vetus ad manus non fuerit, Galenus 6, *Simplic.* & 1. *localium med. cap.* 3.

Cicinum laudat; sed quia hoc etiam ferè caremus, ibidem Gal. oleum elixatum; non tamen, ut Dioscoridi placuit *c.27. primi libri*, à quo accepit Serapio *lib. Simpl. cap. 5.* hoc spissari debet ad mellis consistentiam: præterquam enim, quod impossibile esse docuit Arist. 4. *Meteor. cap. 9.* oleum elixatione incrassari, per eandem potiùs scimus partes crassiores attenuari, quod contrarium est naturæ olei veteris.

215. Oleum ex olivis immaturis, quod omphacinum appellant, quódque cum adstrictione nonnihil habet refrigerationis, si in usum primo anno ducatur, illas servat facultates: at, si diutius conservetur, illas amittit, & non secus, ac dulce, contrarias acquirit facultates. Ne igitur fine nostro frustremur, colore viridi non contenti, sapore potiùs experimentum de eo faciemus. Est hæc Gal. animadversio. 6. *Simp. cap. proprio*, & Avic. *lib. 2. cap. 530.* *Oleum omphacinum tempore marcescit.*

216. Quoniam tamen olearij, quòd ex immaturis olivis parum olei exprimant, ut nos decipiant & colore, & sapore; dum maturas exprimunt, folia tenera admiscent, ut & oleum viridem acquirat colorem, & adstrictionem: quod, quamvis similem ferè inducat qualitatem, sic docente Gal. 6. *Simpl.* cognoscitur tamen, quod cum colore viridi junctam non habeat limpiditatem, nec saporem, illam acerbitatem præ se ferentem. *Oleum omphacinum quomodo adulteretur, & adulteratum cognoscatur.*

217. Ferenda tamen magis est hæc industria, quàm eorum, qui, ut colorem illum viridem oleo communicent, maturo oleo æreo vasi per longum tempus imposito, & operimento ejusdem metalli pòst superposito, atque temperato igne oleo excalefacto, viridem colorem oleo conciliant: cujus usu quanta ægris damna induci possint, vel idiota quilibet intelligere potest. Sed fallacia detegitur ex crassiori substantiâ, viriditate sine luciditate, potissimùm autem sapore non acerbo, sed acri, & linguam vellicando mordicante. *Olei omphacini falsificandi ratio, & illius detectio.*

218. Oleum licèt fiat ex amygdalis, cortice exspoliatis, & in mortario contusis, item per torcular expressis, cùm vario modo cortice spolientur, variatur etiam perfectione: nam quod per ignem, exsiccato cortice, extrahitur, nonnihil emphyteumatis acquirit, &, si bibatur, aut lambatur, acrimoniam vellicando ostendit: quod per aquam calidam detracto cortice fit, aliquantò crassius conspicitur; ut & quòd per evaporationem ex aquâ effervescente in linteo, in orificio posito, cortice privantur amygdalæ, satis laudabile est, sed nec adeò clarum, nec tenue relinquitur. Quod igitur ex amygdalis, aquæ frigidæ immersis per quinque saltem dies, cortice spoliatis, & in mortario contusis & calefactis, exprimitur, primas tenet, nisi illi præponatur, quod ex iisdem cortice cultro deterso fit. Sed quoniam sæpenumerò urget necessitas brevi tempore ob vehementissimos dolores recens habere oleum amygdalinum, ut per os exhiberi statim possit, omissâ primâ specie, quâ amygdalæ, per ignem exsiccatæ, *Olei amygdalini extrahendi variæ rationes, & quæ recipiendæ.*

 cortice

cortice amisso pistatæ, oleum compressione nobis dant, conveniet magis, aquâ calente amygdalis exspoliatis, & in mortario contusis, statim oleum exprimere.

Olei rosati parandi modus, & rosarum ad oleum quæ esse debeat proportio.

219. Inter olea, quæ, per infusionem simplicem fiunt, agmen ducet oleum rosatum; cujus parandi modi cùm varij à Mesue tradantur, primus solus à Pharmacopolis debet, & solet eligi; sed cùm nullam rosarum & olei quantitatis mentionem faciat, neque proportionem rosarum ad oleum apponat, video olea rosata inter se adeò differentia perfectione; sed neque solùm ob hanc causam: sed quòd impatientes laboris non eam adhibeant diligentiam, quam Mesue requirit, neque in numero infusionum, neque in insolatione, neque in coctura in duplici vase. Quinimò multi, ut diligentias has & labores effugiant, omisso hoc Mesuæi componendi modo, Gal.modum sectantur, traditum *cap.1.lib.2.de comp.med.sec.gen.* Ne igitur ob ignorantiam quantitatis rosarum, & olei, & eorundem proportionis, perfectissimus ille componendi modus omittatur, censeo, eam quantitatem rosarum ad oleum in hac infusione esse servandam, quam in earundem infusione in aquâ pro syrupo parando servavit, sex nempe librarum ad quindecim. Sed quoniam aquæ ob tenuitatem faciliùs imprimitur rosarum facultas, quàm fieri possit in oleo; ut in illâ octo horæ infusionis satis sunt, ita in hac in oleo septem dies requirit; postque exposcit, ut in duplici vase etiam simul elixarentur, & ob hanc ipsam causam ter id esse præstandum censuit, ut oleo meliùs rosarum virtus imprimeretur. Hanc autem rosarum ad olei proportionem esse, ex mente Mesuæi colligitur ex compositione *olei de Alcannâ*; quam faciendam præcipit, ut fit oleum rosatum, in quâ quatuor uncias florum ponit in decem olei, quibus in libras mutatis, facilè quilibet intelliget, omnino in oleo rosato parando eam esse rosarum ad oleum servandam proportionem.

Olei Rosati Galenicus parandi modus imperfectus.

220. Sed multi, ut Mesuæi diligentiam effugiant, Galenicum parare profitentur, traditum *libro 2. de comp.med.sec.gen.cap.1.* Sed video eos in majores incidere difficultates, cùm ibi nec quantitatis rosarum infundendarum, nec olei excipientis, nec temporis moræ rosarum in oleo, nec ebullitionis in duplici vase, nec expressionis ulla fiat mentio: sed solùm dicit, Soli per duos, aut tres menses esse exponendum, vase vitreo sæpius agitato: qui modus parandi oleum rosatum cùm obscurior sit, minoríque diligentiâ paratus, minorem quoque afferet utilitatem. Propterea Mesuæi modum omnino insequendum censeo.

Oleum rosatum simpliciter ex olivis maturis.

221. Sed quo oleo utemur, an maturo & dulci; an omphacino & acerbo? Placuit aliquibus omphacinum; moti hi sunt Gal. auctoritate *cap.1.lib.2.de comp.med.loc.* & *lib.3.cap.1.* At non animadvertunt, eum curare ibi dolorem cap. ex æstu, in quo ab initio dicit convenire

oleum

oleum ex oleis immaturis; ut & *lib.3.cap.1.* ubi curat inflammationem instrumenti auditûs, in quibus casibus tali oleo utendum docet. At cùm absolutè oleum rosatum expetitur, ex dulci & maturo factum intelligi debet. Gal.enim,2. *Simpl. cap.* 27. agens de oleo rosato in communi, nullâ habitâ ratione alicujus morbi, aut partis particularis, dicit, oleum eligendum esse naturæ mediæ: quod omphacino convenire non potest, quod frigidæ est naturæ, & adstringentis. Quod verò mediæ est naturæ, neque frigiditate, neque calore debet prævalere, ut, frigidis admixtis, frigidum reddi possit, & calidis, calidum:ut docet Gal. 2. *Simpl. cap.* 21. qualis est cera in unguentis & ceratis. Rectè autem præparatum esse, & respectu quantitatis rosarum, & moræ, tum debitæ decoctionis, cognoscemus ex odore; tum etiam, si telam aut papyrum eo intingamus, colore rosarum inficiet: malum etiam erit, si rancidum, nescio quid, aut acidum oleat.

222. Hæc quanquam in præparando oleo rosato, primo modo Mesuæi tanquam præstantissimo, proposita sint, frustra tamen Pharmacopœis proposita ferè video, quòd ob laborem & dispendium jam desierit esse in usu, Galenicum potiùs sectantes per insolationem: sed utinam etiam & infusionem repeterent! & præcederet elixatio in duplici vase, mox sequeretur adeò longa insolatio. Sic enim saltem odorum haberemus oleum, quod sæpe nonnisi rancidum quid olere sentimus. *Olei rosati Galenici verus parandi modus.*

223. Violaceum cùm plerumque in usum veniat in mitigandis inflammationibus, etsi non more Mesuæi parare voluerint per infusiones, decoctiones, & insolationem; sed solùm per longam insolationem, censeo tamen ex oleo omphacino esse parandum, & si aliâ in re Mesuen imitari in hoc volumus, saltem eum sequamur in eligendo oleo, qui viride eligit, quale potiùs esse scimus omphacinum, quàm maturum; id enim (*viride*) cùm plerisque significare censeo, quicquid Oviedus censeat, qui (*viride*) id est, recenter factum interpretatur, quòd recenter collecta folia, aut flores, *viridia* dici soleant; non animadvertens, folia *viridia* dici ad differentiam siccorum, quæ pallida & cineritia exsiccata redduntur, cùm recentia essent viridis coloris; quod in liquoribus dici res est à ratione aliena. *Violaceum oleum fit ex omphacino.*

Multa essent, quæ, & ad simplicia olea, tum expressione, tum infusione, tum extractione per descensum, & composita pertinent, à me hoc loco apponenda, sed brevitati consulens, ea omittenda censui.

224. In Vnguentis aliquantisper est versandum, non quidem sic à Græcis appellatis, sed iis, quæ à Mauritanis sic sunt appellata: quæ sunt compositiones molles ex herbis, partibusve earum, metallis, & mineralibus, terris, partibus animalium, & substantiâ mediocres inter dura cerata & mollia: quæ & ratione rerum ingredientium, & *Vnguenta Mauritanis quæ sint, & ex quibus.*

modi componendi, & ratione proportionis ceræ, olei, & aliorum, puta, axungiæ, gummatum, & pulverum varias obtinent componendi rationes, quas etiam ex tempore anni aliquam habere debere differentiam ex eo constat. Nam æstate ceræ quantitas semper major esse debet, quàm hyeme: quæ ceræ mensuræ varietas ex ceræ conditione pendebit, si recens, an ætate siccata; si mollis & pinguis, an macra; & ex ratione pulverum magis, aut minùs siccorum & absorbentium, ut in iis potissimùm cognoscatur artificis peritia.

Apostolorum unguento pro flore æris ærugo indenda.

225. Unguentum Apostolorum Avic. quamvis videamus florem æris continere, quem ab ærugine differre docuit Diosc. *l.5.c.*42. communis tamen omnium scribentium est sententia, intelligere æruginem; sic P P. Comm. Mesuæ; sic Matthiolus *lib.* 5. *c.* 48. Sic Dessenius, Sylvius, Cordus; sic alij omnes.

Ærugo aceto priùs semper macerandа.

226. Debet autem, & in hoc unguento, & in aliis, antequàm in usum ducatur, priùs subtilissimè ea pulverizata, & aceto acerrimo excepta, Soli per multos dies exponi: hæc est doctrina Gal. 2. *comp. med.5.gen.cap.*1. *in emplastro viridi Potamonis*, & *lib.*3. *ejusdem, cap.*5.

Ærugo post alia in unguento Apostolorũ indenda.

227. Æruginem hanc non ante, sed post aliarum rerum mixturam imponendam præcipit Galenus *loco citato*, & Paulus *lib.* 7. *cap.*17.

† Avic. error in Apostolorum unguento parando.

228. † Optimè animadvertit Oviedus in hoc unguento Avic. errorem, quòd æstate in parando hoc unguento duas olei libras, hyeme tres imponat. Sic enim iisdem viribus, aut æqualibus utroque modo paratum non experiemur: imbecille enim semper erit illud, in quo olei major ponetur quantitas, aut ceræ; quæ admiscentur solùm ad constituendum corpus unguenti. Sic vera sunt, quæ à Galeno tradita sunt, 3. *de comp.med.sec.gen.c.* 6. *in compositione medicamenti ex Euphorbio*, & *lib.* 5. *ejusdem, cap.*1. *in fine*. Quem etiam optimè corrigit, eodem modo tam hyeme, quàm æstate respectu olei & ceræ illud parans, & duas semper olei libras addendas censens.

Avic. error in unguento Apostolorum in ceræ quantitate.

229. Errasse etiam constat in ceræ quantitate, quatuordecim tantummodò drach. illius addens, quæ tantilla quantitas quomodo cum aliis ingredientibus possit in unguenti formam alligare duas, aut tres olei libras, vix peritus artis potest intelligere; si Galeni sequamur doctrinam 3. *de comp.med.sec.gen.*6. quâ statuitur pro quâlibet librâ olei addendas esse tres uncias ceræ. Cui errori sic occurramus, cùm libræ duæ olei, & drachmæ quatuordecim ceræ constituant uncias viginti quinque, drachmas sex: cùm oleum, & ceram minimum quid in medicamentis cum Gal. 3. *de comp.med.* 5. *gen.cap.*3. & *lib.* 6. *cap.* sed materiam ac consistentiam parare dixerit; nihil referre videtur, si in eâdem simul mensurâ consistentes, quadruplum olei ad unam ceræ proportionem servantes, uncias viginti & mediam, & paulò plùs unciis ceræ admiscentes, unguentum paraverimus. Quæ

regula in aliis quoque unguentis, ubi urgeat necessitas, servari tutò semper poterit.

230. Jure meritò Dialthææ, à Nicolao descriptæ componendi modus à plerisque reprehenditur, quamvis unguentum tale, tanquam præstantissimum, commendetur. Neque enim ex libris quatuor cum semisse rerum viscidarum in aquæ libris septem commodè mucilago exprimi potest; potissimùm, cùm res illas in aquâ calidâ non infundat. Docet enim experientia, libram unamquamque viscidarum rerum pro mucilagine extrahendâ libras quatuor aquæ exposcere: quòd si pro singulâ librâ duæ solùm aquæ sumantur, vix exprimi mucilaginem ob visciditatem posse experiemur. *Dialthææ compositio Nicolai defectuosa in proportione aquæ ad extrahendas mucilagines.*

231. Neque probatur, quod, ut huic fortasse incommodo occurrat, facit, addere post factam mucilaginem post tres dies infusionis duas libras aquæ calidæ, ut mucilago liquescat. Cur enim potiùs ab initio debitam non posuit aquæ quantitatem? septem præterea parare mucilaginis, ut duabus solùm utamur, res videtur superflua. Semina terere amethodum est; percolationem enim mucilaginis impedient, & propterea omnes in mucilaginibus eliciendis integra ponunt. Ob difficultates has tot sunt hujus unguenti varij modi componendi, quot sunt Pharmacopolarum tabernæ. Cui incommodo ut occurramus, hoc modo parari poterit, totâ Nicolai quantitate ad quartam deductâ. Recipe radicum althææ mundatarum, lotarum, & tusarum unc. iij. sem. lini & fœnugræci an. unc. iij. scillæ albæ recentis, mundatæ, & cultro ligneo, vel osseo incisæ unc. unam, & med. infundantur in libris tribus cum dimidiâ aquæ calidæ, semel, aut iterum singulis tribus diebus macerationis agitando; quarto die igni apponantur, donec ferbuerint, & tunc per cannabinam telam raram ita calentia percolentur, servato liquore; mox adhuc calentia exprimantur torculari, aut etiam pòst manibus, ubi refriguerint, exprimantur, ut totam reddant mucilaginem, adhibitâ etiam in subsidium portione liquoris, qui priùs defluxit, donec tota mucilago extracta sit: tandem olei libra una addatur, & tamdiu simul excoquantur, quamdiu liquorem aqueum exhalasse viderimus; mox addentur ad proportionem semper quartæ partis resina pinea, & cera flava, & ab his liquatis terebinthina; deinde admiscebitur galbanum, vino Cretico flavo liquatum, mox Colophonia pulverizata, & gummi hederæ, & per setaceum traducta, unguento frigido addantur, & spathulâ agitentur ad unguenti consistentiam. *Nicolai alter error in Dialthæâ.* *Dialthææ vera descriptio.*

232. In unguento de plumbo, neque hîc quomodo comburatur plumbum, neque quomodo lavetur tam non combustum, quàm combustum, neque quomodo in usum duci possit sine combustione, neque similia de Antimonio scribere est necesse, quòd & à Diosc. & à recentioribus diligenter sint tradita; Solùm perpendemus, quâ men- *Vnguenti ex plumbo vera parandi ratio.*

surâ apponendum sit oleum rosatum, cùm solùm apponatur, quantum ex arte satis est. Sunt qui in unguentis, ex metallis paratis, & in oleo pro singulâ illorum unciâ semilibram ponunt, sicque, cùm mineralium sex unciæ hîc imponantur, tres olei essent indendæ. Sed quia hoc modo paratum minimæ est efficaciæ, crediderim, duplo olei rosati ad metalla addito, validius, & magis ex Mesuæi decreto parari, calenti oleo metallis admixtis, & ferreâ rudiculâ permixtis.

Unguentum de plumbo sine cerâ quomodo rectè paretur.

233. In parando eo sine cerâ, ut plerique faciunt, duplici viâ proceditur: metallis enim, & oleis simul in mortario positis, sæpius simul agitatis diutius, denique ad formam unguenti reducitur; aut si in vase, iisdem igni appositis, diutiúsque rudiculâ commixtis, tandem unguenti consistentiam acquirunt. Sed primus modus illud habet incommodi, quòd repositis in vase, brevi metallica subsidere videmus, & oleum supranatare: secundus modus illud habet incommodi, quòd, dum super linteum extenditur, oleum undecunque dispergitur, ac ulceri impositum, oleo ex se segregato, & relictis in ulcere pulveribus, exsiccatur. Præstat igitur, ceræ aliquâ portione additâ, & tantundem olei, & sublatâ quantitate, nempe novem unciis ceræ additis, & duabus solùm olei rosati libris cum tribus unciis impositis, unguentum formare.

In unguento de tutiâ solatri succus unde extrahendus.

234. In unguento de tutiâ, sive de Cadmiâ illud solùm addendum animadversis ab aliis, non succum granorum rubeorum solatri imponendum esse, ut Guidoni placuit, sed folia herbæ Morellæ, dictæ Solatrum.

In unguento rosato quota quantitas olei amygdalarum dulcium indenda.

235. Unguentum rosatum Mesuæ maximè usitatum est, sed sæpe observavi negligenter esse paratum, non adhibitâ diligentiâ in axungiæ electione, in ejusdem lotionibus non repetitis, & in quantitate olei amygdalarum. Sed si quis diligentiam Galen. *lib. 1. comp. med. sec. gen. 6.* in electione axungiæ, fibrarum ablatione, & lotione observaverit, & modum componendi Mesuæ, non aberrabit. Quod magis difficultatem facit, est quantitas olei amygdalarum dulcium: cùm enim in aliquibus traductionibus legatur olei amygdalarum dulcium partes sex, & in aliis pars sexta, maximam inducit varietatem; nam si per partes libras sumamus, & axungiæ rosarum; si partes in libras sex mutemus, & succi rosarum in tres; si partes sex olei amygdalarum legamus, libras triginta sex indendas censeremus, si vera est doctrina Gal. *lib. 3. de comp. med. sec. gen. cap. 5.* Sed si sextam partem legamus, libra una indenda solùm esset, quod ut illud absonum rationi, ita hoc maximè est Canonibus Mesuæi correspondens. Quoniam si etiam sextam partem illius imponamus, liquidus redditur, & facilè rancescit. Multi oleum illud omittunt, sed si non discedere à Mesuæi præscripto voluerimus, minuemus solùm illius quantitatem, ídque

ídque ex arte, cùm pro ratione conditionis substantiæ axungiæ augenda, aut minuenda sit.

236. In unguento Agrippæ non est, quòd dubitemus, per rad. succid. intelligere radicem cucumeris asinini, de quâ re valde dubius erat Dessenius, cùm in unguento Aragon, quòd hîc abbreviavit, ibi extendit, *succidis*, quod cucumeris asinini significare anteà docuerat Ruellius *lib.3.de nat.plant.*140.& Hermolaus *in* 4. *Diosc.cap.*366.

In Agrippæ unguento per radices succidas cucumis agrestis intelligitur.

237. Tribuli marini non folia, sed radices assumi debent, & in ejus defectu terrestris radices sumi poterunt, quod ejusdem utrumque constituunt virtutis Diosc. *lib.* 4. *cap.* 13. & Gal. *lib. Simpl.* 8. *cap.* 140.

Tribuli marini non folia, sed radices indendæ in unguento Agrippæ.

238. † Populeum unguentum, ut commune inest omnibus Pharmacopoliis, ita non uno consensu præparatur; aliquibus per oculos Populi intelligentibus leves illos lanugine plenos fructus arboris ipsius, ad modum racemi cohærentes; qui quamvis ob similitudinem quandam cum oculis excusari aliquo modo possint, in errore tamen versantur; cùm per oculos Populi Nicolaus intelligat globulos illos, in primâ germinatione frondium apparentes, quæ initio augmenti concavitate quâdam oculi formam repræsentant, ut optimè contra Ruellium ostendit Matthiolus *lib.* 1. *in Dioscor. cap.* 93. in quem etiam errorem inciderat Hermolaus Barbarus in *corollario cap.* 117.

† In populeo unguento quid oculi populei.

239. Quoniam autem modus componendi hujus unguenti, à Nicolao traditus, impossibilis est, cùm tertio die post pistatos oculos Populi, collectis omnibus herbis & pistatis, misturæque oculorum cum porcinâ axungiâ remixtis, per novem dies omnia in librâ unâ vini odoriferi excoquenda docet; cùm tempore eruptionis oculorum Populi, quod est circa principium Aprilis, aliæ herbæ pleræque nondum eruperint, potissimùm Solatrum, quod est herba Morella dicta, quæ in suo vigore esse non solet, nisi ad principium Augusti; propterea ita in componendo erit procedendum. Oculi Populi, suo tempore collecti, pistentur, & axungiæ porcinæ, à membranis expurgatæ & lotæ, permisceantur, & vase figulino vitreato operculato excepti, reponantur eò usque, dum cæteræ stirpes expetitæ possint haberi satis adultæ & vegetæ: quæ, ubi collectæ fuerint, & à sordibus purgatæ, in pilâ teruntur, & mixturæ priori asservatæ & fermentatæ concorporantur, atque rursus in loco tepidiori per integram saltem hebdomadam fermentantur: postea in cacabo ponuntur cum librâ unâ vini, & bulliant ad consumptionem usque vini, cum spathulâ semper agitando; posteà per sacculum bene omnia colentur, abjectísque herbis, nocte integrâ dimittatur liquor: nocte quicquid coagulatum supernataverit, vase unguentario reconditur,

Populei unguenti parandi modus.

Comitissæ unguenti componendi ratio.

240. Comitissæ unguentum, à Varignano inventum, ut efficacissimum, & propterea maximè usitatum, ita in eo componendo multas continet difficultates. Primùm enim, cùm medicamentorum primam decoctionem ingredientium, licèt æqualem esse debere mensuram per dictionem (*ana.*) demonstrârit; certam tamen mensuram eorum non præfixit, ut nec aquæ: quamvis, quantitate medicamentorum cognitâ, aquæ quantitas per canones decoctionum cognosci possit; quòd tamen non leve subsit discrimen, si magna sit medicamentorum & aquæ quantitas, aut parva, quia in magnâ, cùm longior fiat ebullitio, efficacior redditur decoctio. Secundò, in formando unguento ceræ, & olei quantitatem non apposuit, quod animos Pharmacopolarum ambiguos reddit. Tertiò, quæ sit quantitas medicamentorum illorum; quæ pulverizata, & ceræ, & oleo admixta constituere unguenti formam debeant, non est perscripta. In lotione præterea aliqua etiam annotanda sunt, & aliqua in medicamentis ingredientibus. Ut igitur iis satisfacere possimus, primò tertiæ difficultati satisfaciendum erit, ex cujus explicatione aliis faciliùs satisfiet. Cùm per partes, non per determinatam mensuram medicamenta simplicia ingrediuntur compositum aliquod, docuit Gal. 3. *de comp. mod. sec. gen. c.* 5. posse nos sumere, quam velimus quantitatem, modò servemus in reliquis proportionem. Si igitur in dicto unguento pro pulverum primorum parte unâ uncias duas sumamus, & secundarum parte mediâ unciam unam, ex quibus resultant unciæ; si ex iis pulveribus partes faciamus, iisque partem unam pendentibus, ut alterutram earum partium addamus pulveris Trochiscorum de Charabe, quæ erit unciarum quinque cum semisse, sic constituentur omnium simul unciæ sexdecim cum semisse. Ex quo etiam, quæ ceræ & olei quantitas indi debeat, non ita difficili negotio decerni poterit, cùm sua pulverum cum oleo, & cerâ sit ex arte proportio, quam primo docuit Gal. 3. & 6. *cap. lib. de comp. med, sec. gen.* & Paulus *lib.* 7. *cap.* 17. Posteà verò Neoterici etiam explicârunt, ut ad libram olei quarta pars ceræ, nempe uncię tres, & pulverum quartę partis media pars, quod est uncia una cum semisse; quibus huic unguento applicatis, cùm pulveres constituerimus uncias sexdecim cum semisse, olei libras undecim imponemus, & cerę libras undecim, & uncias novem. Cùm autem Varignanus non pręfixerit certam quantitatem pulverum, sed per partes medicamentum constituerit, & descripserit, certam neque medicamentorum simplicium, in decoctione ingredientium; neque aquę quantitatem pręfigere poterat, quia hęc decernenda erat ex quantitate unguenti parandi. Cùm igitur per partes uncias sumpserimus duas, singulorum uncias quatuor, unde omnium simul resultabunt librę tres, & uncię octo. Ad quam quantitatem elixandam requirentur librę

quinde-

quindecim aquæ, & illius tribus libris per elixationem absumptis; sicque duodecim libræ supererunt, quæ in novem partes dividendæ erunt ad novies lavandam ceram, & oleum myrthinum. In corticibus castanearum eligendis mediam eligemus inter spinosam, & internam, vestientem fructum. In glandibus illam eligemus, non externam duriusculam, sed internam subtilem, glandem vestientem; ex ligno etiam pelliculam sumemus, sub cortice crustaceo lignum vestientem. Sorbos & mespilos immaturos etiam sumemus, qui acerbi collecti statim exsiccari debent Sole, vel furno, ne maturescant.

241. Vnguentum de Arthanitâ majus Mesuæ dignissimum est quod paratum in officinis conservatur, sed in eo multa sunt animadversione digna: primum, ut Cyclaminis eam speciem sumamus, quæ major dicitur: & ex cyclamine radicem eligemus ex Avic. *lib.* 2. *cap.* 62. unde virtutes cyclaminis recensens Diosc. *lib.* 2. *cap.* 156. radicum illius solùm virtutes recenset. *Arthanitæ unguentum Cyclaminis majoris radicem recipiat.*

242. Oviedus optimè animadvertit, quòd quamvis Mesuæus *capite de Cucumere asinino* doceat ex eo elicere succum, & exsiccare in modum scammonij, & Diosc. *libro* 2. *cap.* 156. succum ex radice cyclaminis doceat per elixationem deducere ad mellis consistentiam; in hoc tamen unguento succos utriusque, ex radicibus expressos & percolatos, indendos esse: si enim pulveres succis iis sunt immergendi per dies octo, & pòst levi ebullitione elixandi; neque concreti, neque ad mellis consistentiam deducendi erunt: & si, addito sagapeno & myrrhâ, excoquendi sunt ad succorum ferè consumptionem, crudi & liquidi erunt imponendi. *Succi crudi Cyclaminis sumendi in Arthanitâ.*

243. Quamvis etiam scammonium docuerit Mesue vario modo esse triturandum *cap. de trituratione*: rarum enim, & leve parum conterendum; multùm autem crassum & durius; id tamen solùm intelligitur in medicamentis per os assumendis; non tamen in externis, in quibus, ut vis purgatrix ad interna permeare possit, subtilissimè semper erit pulverizandum. *Scammonium in externis semper bene triturandum.*

244. In unguento de Lithargyrio, quod & Triapharmacum dicunt, & Vnguentum Nutritum, si sine coctura fiat, quod & frigidius remanet, per diuturnam in mortario ductionem consistentiam acquirit; exsiccantem magis facultatem acquirit, si coquatur, ut docet Gal. 6. *med. loc. cap.* 1. Animadvertendum tamen, ne longâ coctione utamur, ne caliditatem acquirat, ut docet idem 1. *med. sec. gen. cap.* 5. *Lithargyrij unguentum crudum, & coctum.*

245. In unguento de Calce Avic. *l.* 4. *Fen.* 4. *Tract.* 2. *cap.* 14. excepto à Gal. 6. *Meth. med. cap.* 2. annotandum, non esse formandum unguentum, nisi tempore usus; alioqui nimis durescit. Lavatur autem calx, ut calidam & acrem amittat qualitatem, idque toties, quatenus *In unguento de calce Gal. & Avic. diversitas.*

tenus aqua nullam ſapiat calcis qualitatem ; potiſſimùm, ſi ad ambuſta, & inducendam cicatricem paremus : hîc Avic. ſepties eam lavandam præcipit, & oleo roſato cum pauciſſimâ cerâ illam excipit. At Gal. ibi ter ſolùm lavat, & oleo communi excipit, quòd ad ulcera nervorum curanda illud in uſum ducat ; cùm in iis non ſit refrigerandum, ſolùm bis, aut ter lavat, ut cum ſiccitate aliquâ relinquatur caliditas ; ſicque non roſaceo, ſed communi oleo calcem ita lotam excipit.

Albo unguento oleum roſatum imponendum.

246. In unguento Albo, ſive de Ceruſâ, ſive ſimplici, ut Rhaſis 9. *diviſionum cap.* 136. ſive Caplicrato malè Pharmacopolæ faciunt, qui pro oleo roſato commune oleum ponunt, &, ut oculis imponant, ceræ albæ loco citrinam imponunt, cùm tamen eâ arte olfactum decipere non poſſint.

Ceratum refrigerans Gal. ſemper de novo parandum.

247. In unguento, ſive cerato Galeni *lib.* 10. *Meth. med. cap.* 9. Refrigerante, ex cerâ alba, oleo roſato omphacino, & aquâ fontanâ, illud ſolùm annotare libet ; ſatius eſſe urgente neceſſitate illud parare, potiſſimùm æſtivo tempore, quàm compoſitum in vaſe in Pharmacopolio ſervare ; quòd ex æſtu adeò exſiccetur, ut ampliùs nec uſui ſit, nec refrigeret.

Oeſypi Philagrij parandi ratio.

248. Ceratum Oeſypi Philagrij Oeſypum habeat optimè paratum, ut docet Meſue. Boum medulla excipienda erit, non hyberno tempore, ut Galeno placuit, *l.* 11. *Simpl. cap.* 5. Tunc enim maximè ſanguine affluit, & fit inepta ad ea munera præſtanda ; ſed in fine æſtatis ; & autumno inchoante : tunc enim alba eſt, ſolidior, & pauciſſimo ſanguine referta, ut docuit Dioſc. *lib.* 2. *cap.* 66. & Plin. *lib.* 23. *cap.* 9.

Sed quia ſæpe cerati ſolidioris formam non habere cernimus in Apothecis, ſed unguenti; id evenire obſervatum eſt, aut ratione œſypi mollioris, aut gummarum nimis emollitarum, aut nimiæ quantitatis olei Nardini. Primò occurremus, ſi coctione ad ceræ conſiſtentiam deducatur : ſecundò, ſi poſt gummas emollitas elixatione, craſſefaciamus : tertiò, ſi olei illius ſemunciam ſolam indamus.

In Diachylone gluten Alzanach quid.

249. In Diachylone majori Meſuæ nihil eſt, in quo magis hæreant Pharmacopolæ, quàm in glutine Alzanach, aliis gummi hederæ, aliis piſcium collam, aliis viſcum intelligentibus ; ego cum Melichio viſciditatem cochlearum intelligo, cujus extrahendi modum habemus apud Servitorem *in fine ſui libri:* neque enim video, quomodo ex gummi hederæ gluten elici poſſit.

Diachalcitis non excipiat chalcitin aduſtam.

250. Diachalcitis, ſive Diapalma nobile eſt emplaſtrum, ſive ceratum à Gal. traditum *libro* 1. *de med. comp. ſec. gen. cap.* 6. ac noſtris maximè uſitatum. In eo lævigati Chalcitidis uncias quatuor ponit. An verò aduſtum indi debeat, in dubium aliquibus vertitur, aſſerentibus

id ob Gal. auctoritatem, *9. Simpl. cap. 26*. De Chalciti agens, meliorem omnino dicit crematam Chalcitin, quàm non adustam. Quod, ut in plerisque verum esse concedendum est, ita in hoc emplastro non est concedendum, manifestè hoc eodem Gal. asserente, *2. de comp. med. sec. gen. cap.* 1. Chalcitin diligenter lævigatam, & per multos dies in acerrimo aceto ardentissimo Soli expositam easdem vires acquirere, ac adustam; sed prætereà hoc in se melioris conditionis habere, quòd non conceperit empyreuma illud, & acrimoniam, quæ in adustâ posteà lotione tolli debet; quod confirmavit *eodem libro cap. 9. & lib. 3. cap. 3.* & alibi sæpius.

251. Si Chalcitin ab initio cum Gal. posuerimus, nigerrimum habebimus medicamentum; quod si minùs nigrum habere voluerimus, cum Paulo *lib. 7. cap. 17.* in medio coctionis addemus: quòd si post cocturam indatur, albidius emplastrum remanet. Ex cocturâ enim magis attenuatur, & miscetur Chalcitis, magísque nigro colore inficit. Si enim in Theriacâ Andromachi drachmæ quatuor, in cocturâ admixtæ, compositum illud adeò in nigrum tingunt, quid in hoc unguento facient quatuor unciæ?

Chalcitis in unguento an coquenda.

252. Cùm Gal. dum coquuntur simul res istæ, remiscendas censeat bacillo palmeo; cùm apud nos palmeus ramus viridis, qualis esse deberet, haberi non possit; quid illius loco supponere debemus? Aliqui radice cannæ utuntur, quâ Mesue in secundo palmeo emplastro utitur. Sed cùm nullâ adstrictione prædita sit, ob quam palmeo ramo utitur Gal. ut colligitur ex Gal. *lib. 1. med. comp. sec. gen. cap. 6.* ea non erit substituenda, sed ex arbore mespili, sorbi, corni, vel similium ramum eligemus.

In Diapalma quid pro palmâ.

253. In emplastro de Meliloto licèt sciam passim totam herbam sumi, lignosis rejectis partibus, præstare tamen censeo vaginas imponere semine gravidas, Serapione id persuadente *libro Simpl. capite 18.* Viriditas autem intensa emplastri herbæ impositæ signum erit.

Meliloti emplastrum vaginas obtineat semine gravidas.

254. Caricæ, per se diligenter tritæ, in mortario sunt terendæ, & per setaceum sunt traducendæ, & ad faciliorem traductionem, si viscidiores fuerint, si opus erit, levis aliqua portio decocti meliloti, & aliorum erit addenda; ut etiam erit observandum in radice althææ, detracto ligno: pistanda enim est, eodémque modo per setaceum traducenda.

Caricæ in emplastro meliloti quomodo traducendæ.

255. Qui non radices althææ, aut semina fœnugræci in eodem censent esse imponenda, sed mucilagines inde extractas, præterquam, quod id præter auctoris sententiam faciunt, brevi etiam experientur, quòd quàm facilè emplastrum situm contrahat eo modo paratum.

† In Emplastro meliloti non althææ mucilago, sed radix indenda.

256. † In emplastro de Baccis Lauri duo annotanda sunt. Primùm,

† Emplastrum de baccis lauri quomodo parandum.

in baccis, sive granis semper esse exuendas extremo cortice; secundò mel, quo excipiendos esse pulveres subtilissimos paulatim in mortario dicit, non mel requiri colatum; sic enim attenuatum, & visciditate privatum acciperemus, quod emplastri hujus naturæ repugnat; sed mel calidum, & in variâ quidem quantitate, & pro variâ mellis consistentiâ, ac pro varietate temporum anni.

Emplastri de pelle arietinâ parandi modus optimus.

257. Emplastrum de Pelle arietinâ, sive ceratum dicamus Villanovani, quia præstare, quod pollicetur, non videmus, quòd ficciorem acquirat substantiam, ita ut in pulverem duci possit, & ideo non adhæret; multi, ut huic occurrant incommodo; varia quæsiverunt remedia. Quidam enim aut augendam quantitatem ceræ & terebinthinæ, aut saltem olei alicujus adstringentis libram indendam censent; aut certè uncias novem unguenti Comitissæ. Sed oleum, aut unguentum adhæsioni non inservient, neque visciditatem addent: cera autem ne effluat, ceratum efficit, sed minimam addit visciditatem. Calestani modus, quo putat, his se posse difficultatibus contraire, suas quoque habet oppositiones. Observatum enim est, gluten, gummata, viscum; & viscida hujusmodi, igni apposita, ad cocturam magis magisque durescere, minúsque apta reddi adhæsioni. Quòd si tam multa sicca adeò paucis humidis misceamus, atque viscidis, igníque apponamus, quid aliud expectandum erit, quàm ab igne, ubi detracta fuerint, lapidescere? Alij lapidosum hoc ceratum, ubi in usum ducendum est, in pulverem ducunt, &, levi aquæ, vel aceti portione additâ, igni apponunt, sicque mollius reddunt. At non animadvertunt, mollius quidem reddi, sed non tenacius, viscidiúsque. Placet magis diligentissimi Oviedi sententia, quòd, cùm Gal. sit sententia, ubi validissimum volumus habere ceratum, ceræ quantitatem duplicandam esse ad pulveres *lib.3.med.sec.gen. c.57.* ceræ & resinæ ad pulveres duplicemus quantitatem; sic enim & adhærebit, nec effluet. Cùm igitur pulveris unciæ triginta duæ concurrant ceræ, & Colophoniæ sexaginta quatuor uncias imponemus: à quibus si detrahamus decem uncias picis navalis, picis Græcæ, terebinthinæ, ceræ, & resinæ unciæ quinquaginta quatuor ferè remanebunt indendæ. Gummi enim, viscus, & pellis arietina cocta, quasi additamenta & extravagantia, concurrent, adhæsioni tamen inservientia.

Sanguis humanus in cerato de pelle arietinâ quomodo imponendus.

258. Sanguis humanus, qui exposcitur, sani sit hominis, sicut ob plenitudinem aliquibus extrahitur, non tamen liquidus; nam sic neque uniri res siccæ cum cerâ & resinâ possint, neque imputre, & sine situ conservari emplastrum posset. In Guidonis Cauliacensis compositione, qui unicam sanguinis copiam apposuit, liquidum indere, non esset præter rationem: at in Arnaldino, in quo libra inditur, illa inferet incommoda. Præstabit igitur siccum imponere; sed quâ quantitate? Calestanus pro quâlibet unciâ drachmam imponit. Securius tamen

tamen erit, librâ unâ ſanguinis libratâ, & mox exſiccatâ, ſic imponere; quod idem de lumbricis erit intelligendum.

259. Triapharmacum, à Meſuæo traditum, ex unciâ unâ lithargyrij, alterâ aceti, & duabus olei, quamvis laudari poſſit, præſtaret tamen Galenicum componere,traditum *c. 9. primi med. ſec. gen.* Quin ex tribus, ibidem traditis, triapharmacis ex iiſdem compoſitis, ſed eorum quantitate & proportione diſtinctis, poſtremum magis eligendum cenſemus; ex unâ parte lithargyrium, & tribus aceti, & tribus olei, cujus ſummas laudes & facultates ibidem recenſet. Cùm autem aceti & olei, reſpectu habito ad lithargyrium, majorem contineat quantitatem, quàm illud, quod à Meſuęo traditur, & propterea ad conſiſtentiam cerati acquirendam longiori indigeat coctione, nigrius evadit, ſed etiam validius redditur.

Multa alia in hac materiâ, adeò ab ingenio meo aliena, addere poſſem; ſed hęc ad adimplendum multorum deſiderium, qui & in parte Chirurgicâ Medicinę, & in eâ, quę ad componenda medicamenta pertinet, à me etiam Cautiones, Animadverſiones, & Additamenta (libro hoc modo adeò Medicis omnibus recepto, ut ſpatio tredecim annorum quinquies ſit impreſſum, quod fortaſſe nulli alij libro poſt Chalcographiam repertam accidit) ſępe adeò poſtularunt, ſatis eſſe poſſunt. Quę etiam jure majori erant à me pręſcribenda, quo per Proto-medici munus,mihi à potentiſſimo Rege,à Domino meo impoſitum, corrigendi mihi erant multi Practicantium Chirurgorum errores in Dominio hoc Mediolanenſi, ut Pharmacopolę, poſtquàm nullum adhuc certum Antidotarium habeant, quod ſequi neceſſariò debeant, viam ſaltem aliquam ineant, per quam incedentes, minùs in componendis medicamentis à recto tramite aberrare poſſint;donec aut novum Mediolanenſe inſtituatur,aut certè ex editis aliquod elidatur, quod, ſervatis iis Animadverſionibus, omninò ſervetur.

Triapharmacum Gal. præligendum, quod quomodo formetur.

FINIS.

INDEX



INDEX RERUM.

Prior Numerus Paginam *designat* , *Posterior* § Articulum.

A.

Abortus.



ANGUINIS ex utero fluor cum non semper accersit, nec semper sistendus. 506.193

Acetaria.

Creber usus noxius. 41.27

Acida.

Eorum usus utilis in acutis febribus. 58. 37.

Æger.

Medici domestici cura præsertim committendus. 5.19

Æger non intempestivè cibandus. 37.11

Situs dum cibum sumit. 62.46

Os abluat ante cibi sumptionem. 62.47

Stragulis non nimis cooperiendus acutè febriens. 69.64

Aër.

Frigidus acutè febrientibus an convenit. 69.63.

Aloë.

Quando exhibenda & quibus. 91.47

Vera præparatio. 91.48

Usus ne sit frequens. 104.19

Duplex inest facultas. 201.19

Varia est dozis si leniendum aut purgandum. ibid.

Varij lavandi modi & fines. 650.33

Dum verè abluitur aqua projicienda. 34

Lotio secundùm Quercetanum. 652. 35.

Alkermes confectio.

Vide Electuaria.

Alscebra.

Quid in Pilulis sit. 999.32

Alvi fluor.

Diuturni causa sæpe à cerebro. 381.123

Διάθεσις ῥευματικὴ. 382.126

Temerè non sistendus. 127

Asinini lactis usu repressus. 383.126

Spumantes dejectiones non semper cerebrum affectum arguunt. 127

Pinguia suspecta. 128

Frigidæ potus *sæpe convenit.* 129

Fugienda si sint inflāmata intestina. 130

Abstergentibus quando utendum. 131

V. S. non semper impedit. 135.38

Alvus adstricta.

Plenior diæta sæpe remedium est. 379.119

Vehementia remedia nocent. 380.120

Et acria enemata. 381.121

Lenientia qua hora assumenda. 122

Ambra.

Quomodo dissolvenda. 702.144

Ambrecam.

Quid. 702.145

Anasarca.

S. M. noxia. 419.244

Nisi sit à mensium suppressione. 245

In Leucophlegmatia urina ardor S. M. non requirit. 421.247

Angina.

Laryngotomia necessaria. 293.299

V. S. non est in quavis necessaria. 293 300.

Copiosius sanguis demendus quàm in pleuritide. 149.7

Quæ vena secanda. 294.301

Iteranda S.M. 294.302

Potiones conveniunt potius quàm solida medicamenta. 295.303

Sacculi ex discutientibus nocent. 295 304

Animi deliquium.

Causa aliàs est calida, alias frigida. 352.203.

Facile deficientes cautè medicandi. 352.204.

Anthrax.

Pestilente apparente potest secari vena. 207.36.

Quæ aperienda. 207.37

Apoplexia, Aphonia.

Aliquando illico secanda vena, *aliquando præmittendus fotus.* 251.129

Hippocr. *venam secat in aphonia si sine febre sit.* 252.130

Cucurbitulæ *supra musculos abdominis non admovendæ.* 253.130

Theriacæ usus non tutus. 253.131

Agitatio corporis suspecta. 253.132

Sternutatoria noxia in materia cruditate. 253.133

Statim mittendus sanguis. 254.134

Repetita S.M. utilis. 254.135

Concutiendum & perfricandum corpus. 254.136

In secanda vena vulnus sit amplum. 254.137.

Vena frontis quando secanda. 254.138

Cucurbitulæ *quando & quomodo applicandæ.* 254.139

Ligatura quales esse debent. 254.140

Cauterium *in sutura coronali inutile.* 254.141.

Cucurbitulæ *vel* vesicatoria *raso capiti admota conveniunt.* 254.142

Clysterum *quantitas.* 255.143

Vomitus *fugiendus.* 255.144

Antimonium noxium. 255.145

Purgantia *sint valentissima.* 255.146

Sternutatoria *& valida medicamenta quando usurpanda.* 255.147

Litus *initio lenes sint.* 255.148

Cera illis addenda. 255.149

Olea stillatitia sola in usum ne ducantur. 255.150

Aqua.

Ejus potus noxius. 40.24

Quæ coctione emendanda. 41.28

Aqua fontana non cocta convenit pro potu in acutis. 62.48

Aqua hordei. 62.48

Aqua hordei non in omnibus morbis convenit. 62.48

In febribus affatim non bibenda. 68. 60.

Quando porrigenda in continuis. 166.33

In ejus exhibitione consuetudini attendendum. 166.34

Arthritis.

Humor ejus causa aliis quàm primis qualitatibus peccat. 523.1

Non semper frigidus. 524.2

Fotuum calidorum noxa. ibid.

Oleor. Chymicor. ibid.

Non semper è capite fluit humor. 525.3

A visceribus sæpe originem ducit. 4

Focus est in ipsis articulis sine humorum affluxu. 5

Non semper medendum cùm à morbis vindicet. 526.6
Cur sæpe ægrescit medendo. 7
V.S. & Purgatio sæpe nocent. 527.8
V.S. potior purgatione. 528.9
V.S. cur utilis. 10
Crebra utilis fuit. 11
Aliquando noxia. 529.12
Purgantia nocent dum humor est in motu. 13
Clysmata ne sint acria. 530.14
Verè diuretica *noxia.* 15
Lactis asini ni dotes. 16
Cauterij in inio utilitas. 17
Vinum noxium. 18
Litus hydrargyri potest conferre. 531.19
In Podagra initio quando purgandum. 32.
Purgatio si convenit statim fiat. 534.33
Quando sanguis mittendus quando non 34.
Frequenter infestatis rarò sanguis mittendus. 533.35
Repellentia rarò conveniunt. 36
Oleum salitum in fine optimum. 37
Ante declinationem malum. 38
Lilij frictio addenda. 536.39
Sal oleo commiscendi ratio. 40

Assatio, Vstio.

In ea sola humiditas superflua absumitur. 653.37
Assa quomodo elixis humidiora. 38
Vstione omnis absumitur humiditas. 39.
Vstionum varij modi pro rerum varietate. 140

Atrophia.

Non solis analepticis, sed & vacuantibus aliquando locus. 416.236

Aurium affectus.

Sunt graves. 285.271
Tinnitus *suppuratione sanatus.* 286.272.
Auditui imminuto *variè medendum juxta causas.* 286.273
Oleosa injecta nocent. 286.274
Suffituum abusus noxius. 286.275
Injecti liquoris ne minima sit quantitas. 286.276
Dolor *pyrotico sanatus.* 286.277
Sanies *non omnino supprimenda.* 287.277.
In Inflammatione *repellentia vix conveniunt.* 287.279
Applicanda actu ne sint frigida. 287.280.
In dolore *à materia frigida insigniter calefacientia usurpanda.* 287.281
In Tinnitu *à morbo Italico valentiora non applicanda.* 287.282
Remedium. ibid.

B

Batecæ Semina.

Quid sint. 707.62

Battrachium.

Curatio. 292.298

Bedeguar.

Quid, & ejus succedaneum. 714.187

Bilis.

Biliosi febricitantes quomodo curandi. 162.22

Bolus *Terra.*

Simpliciter quid. 707.163

Bubones.

Pestilentibus apparentibus potest secari vena. 207.36
Vnde mittendus sanguis. 207.37
Audacter purgandum in non pestilenti aut Venereo. 544.62
Bubone Venereo apparente quomodo in cura procedendum. 626.350
In contumaci aliquando purgandum. 351.

C

Cachexia.
A sanguinis corruptione. 417.237
Clysteres noxij. 238
Et clysterum usus. 239
Cura difficilis si febris juncta. 240
Cacochymia.
Cacochymi purgationes ægrè ferunt. 84. 33.
Cæpa.
Extrahendi succi ratio. 669.67
Calvitium.
Succedens dolori capitis neglecto. 229. 39.
Cancer.
Mitius cum eo agendum. 546.75
Quomodo purgandum. 76
Pyrotico attingendus locus vicinus. 77.
Mammæ contusio neglecta in cancrum abit. 547.78
Galenica medicandi methodus. 79
Caput.
Ejus affectus cognitu & curatu sunt difficiles. 221.1
Metasyncriticis cautè utendum. 222.4
Canon observandus ad capitis tutelam. 223.5.
Mediocriter tegendum. 223.6
Cogitationes intensæ illi nocent. 223.7
Capitis dolor.
Præceps cura nocet. 223.8
Vires debiles non impediunt remedium generosum. 223.9
Gravitas non solis primis qualitatibus adscribenda. 224.10
Inductus usu pilul. ex hydrargyro. 224. 11.
V. S. larga non sit. 224.12
Sectio arteriæ temporalis & venæ puppis cum pyrotico juvit. 225.14
Arteriotomiæ *quando locus.* 225.14
Quidam purgatione irritantur. 225.15
Pilulæ *noxiæ si sit à flatu.* 226.16
Pilularum usus etiam præsente febre contulit. 226.17
Pertinax pilulis sine quibus & hidrotico sanatus. 226.18.20
Periodicus curatus. 226.19
In hemicrania danda medicamenta tempore paroxysmi. 226.21
Narcoticis quidam sedandus. 227.23
Fonticuli *in initio utilitas.* 227.24.
Pipionis admotio quando ex usu. 227. 24.
Lotio prudenter administranda. 227.25
Oxyrrhodina sæpe noxia. 227.26
Sacculis paregoricis levatus dolor pertinax. 228.29
Frictio capitis quando utilis. 228.30
Balneum aliquando confert. 228.31
Incipienti commodum emplastrum adstringens. 228.32
Vinum suspectum. 228.33
Inedia cuidam speciei noxia. 228.34
Dolor sincipitis in mulieribus ferè semper est ab utero. 229.35
A seri dominatu ortus. 229.36
A tetro vapore forinsecus adveniente ortus, immedicabilis. 229.37
In bilioso à validis abstinendum. 229. 38.
Neglecta cura succedaneum habuit calvitium. 229.39
Febris capitalis. 229.49
Stillicidia utiliora oxyrrhodinis. 230.41
Oxyrrhod. *applicandi ratio.* 230.42
Narcotica *vix his admiscenda.* 230.43
Ratione vigiliarum utilia potius quàm doloris. 230.44
Per os non sunt assumenda. 231.45
Insigniter frigida quædam capiti non admittunt. 231.46
In dolore ab intemp. calida aceti portio in

in oxyrrhod. sit exigua. 231.47

Acetum quale conveniat. 231.48

Ol. rosat. ne sit omphac. in dolore ab intemp. cal. 231.49

Graveolentia fugienda. 231.51

Ol. rosac. sit recens. 231.50

Si sit à morbo ven. cavendum ab errhinis. 231.52

Quando à repellentibus *cavendum.* 231.53.

Crisi imminente quando à capite repellendum. 232.54

Masticatoriis *quando locus.* 232.56

In vehementissimo utilia sunt vesicatoria. 252.58

Cardialgia.

A causa alibi latente quàm in orificio. 360.30.

Iuvat aliquando V. S. 361.31

Purgationi potius cedit quàm cardiacis. 362.32

Initio repellentia conveniunt, non adstringentia. 363.38

Quando vomitorio aut dejectorio locus. 363.39.

Acres humores quomodo educendi. 363.40.41.

Hiera quomodo exhibenda. 364.42

Cassia.

Elixata qua ratione conservetur. 681.89.

Noxa. 91.44

Catalepsis.

Impensè calida fugienda. 245.105

Cataracta.

Absit tussis cùm removenda acu. 285.268.

Ea decussa sternutatio impedienda. 285.269.

Cautio ante remotionem. 285.270

Catarrhus.

Viscera & calida & frigida vapores fundunt in caput. 270.206

Non omnis causam agnoscit frigidam. 271.207.

Aliter agendum si febris pracedat, aliter si sequatur. 271.208

Obnoxij V. S. non ferunt. 271.209

V. S. quando utilis. 272.210

Cuinam maximè convenit. 272.211

A sero maligno excitatus, S. M. sedatus. 272.212.

Defluxioni frigida in brachia noxia V. S. 251.151.

In ferino à validioribus purgantibus abstinendum. 272.214

Corroborantia aliquando utiliora purgantibus. 273.215

Pilula quandò conferunt in calido. 273.216.

Cerebri laxitas confirmanda. 273.217

Hidroticum non omni convenit. 273.218

Sudor provocandus si sit à sero. 273.219

Post hidrotica metasyncriticis utendum. 274.220.

Rosa vis in sistendo. 274.221.

Aqua pluvia sistit. 274.222

Salicis vires. 274.224

In faciem & os decumbens per os derivandus. 274.225

Causticorum & fonticulorum usus. 275.226.

Aromatum suffitus improbandus. 275.226.

In nitroso externa balnea conveniunt. 275.228.

In ferino Topica incrassantia admovenda. 276.229

Non omnis calidis curandus. 276.230

Liquida quando conveniunt, quando non. 276.231.

Nocet inedia. 277.232

Fonticuli inutiles in sutura coronali. 277.233.

Si fluit ad pulmones noxij gargarismi. 278.234.

Et cùm thoracis regio plena. 278.235
Et imminente tabe aut in asthmate. 278.236.
Quando utiles. 278.237
Sistentibus quando locus. 278.238
Fluxiones variæ ab Austro excitatæ S. M. sedatæ. 279.239
Ferinus in thoracem decumbens sudoribus & alvi fluore sedatus. 279.240

Causa.

Morbi externa primò removenda. 105.33

Cerevisia.

Est insalubris. 40.28

Chalybs.

Colliquandi mira ratio. 654.38

Chlorosis.

Morbi idea in quo statuenda. 461.10
Præter causas manifestas abdita latet. 462.13.
Multa symptomata comitantur quibus propria cura debetur. 14
Hypochondriaca affectio sæpè jungitur. 461.11.
Cura difficilis. 12
Prudenter instituenda. 462.15
Agendorum indicationes non in omnibus eædem. 16
Hypochondriorum palpatio fallax. 17
Splenis ratio habenda. 463.18
Febris comitis natura obscura. 19
Diæta quàm medicamentorum potior habenda ratio. 464.20
Purgatio prudenter decernenda. 21
Si ἄχροια non est purgandum, sed si κακόχροια. 87.35
An Lienosi purgandi. 425.274
Lienis affecti causa an purgandum. 464.24
Potiùs alterandum quàm purgandum. ibid.
Capitis dolor comes purgantibus, præsertim pilulis exasperatur. 465.25
Quibus spleniçis purgatio cōvenit. 465.26
Sennæ usus initio noxius. 465.27
Cassia & Catholic. nocent. 28
Syr. rosar. quando convenit. 29
Hiera mirificè confert. 466.30
Enemata crebra sint. 31
Vomitus quandoque conducit. 32
V. S. quando locum habet. 33
An in cacochymia vena secanda. (*Vide* Sangu. missio) *An in cruditate sanguinis,* Vide ibid.
S. M. confert præsente febre. 468.37
Quæ vena secanda. 38
Valde calefacientia & attenuantia suspecta. 39
Consulendum vitiis hepatis & lienis. 40
Croci martis vis. 469.42
Enulæ Camp. 43
Iusculorum usus aliquando nocet. 44
Diæta qualis. 45
Aromatum usus non noxius. 46
Ventriculi ratio habenda. 47
Balneum utile. 48
Scabie superveniente desinens. 470.49
Gravedo & ulcera si accidant non curanda. 50

Cholera.

A purgantibus abstinendum. 369.66
Enemata ex pinguibus conveniunt. 67
In sicca valet Balneum. 68
Quando per suprema, quando per infima vacuandum. 370.69
Vomitoria sint ex levibus. 70
Vomitoria varianda juxta materiam. 71.
Ex manna & saccharo parata suspecta. 72
Vomitoria dentur parva quantitate. 73.
Repellentia quando & quomodo in usum ducenda. 74

Clysteres.

Noxij cùm sunt distenta hypochondria. 96.63.

Pingui-

Pinguibus careant cùm cacochymia multa in intestinis. 96.64
In eorum usu cautiones. 104.20
Gravidis cautè injiciendi. 104.21
Et renum affectibus laborantibus. 104.22.
In præpinguibus quales. 104.23
Si flatus urgeant quomodo miscendi. 104.24
Cum faces adsunt induratæ quales esse debent. 104.25
In communibus dictis cautio. 104.26
Communium incommoda. 105.26.27
Major sit quantitas in mulieribus. 105.28.
Sal an semper addendus. 105.29
Pro pueris oleis careant. 105.30
Venæ sectio an semper præmittenda. 105.31.
Vix tepidi injiciendi in febribus ardentibus. 197.3

Coctio.

Omnis incrassat. 72.3
Non est solius putredinis repressio. 72.4
Non semper expectanda. 72.5
Coctionis ventriculi tardæ nota. 78.16
Concocta medicanda. 107.48

Cœliacus fluor, Chylosus.

Non est sistendus. 384.132
Cautè purgandum. 133
Qui est ab inflammatione, hac sedata cessat. 385.134
Aperientium utilitas. 135
Ortus sæpe à mesenterij angustia, non ventriculo debilitato. 136
In mesenterico ab obstructione nocent sorbitiones succulentæ. 137
Mesaraicus alvi fluor citra hepatis aut lienis vitium. 138

Columella in sinu pudoris.

Quid. 460.8

Colicus dolor.

V. S. aliquando conducit. 371.75
Vomitus non compescendus. 371.76
Carminantes clysteres cum judicio infundendi. 77
Syrupi ex aqua vitæ vis. 78
Euporeston. 79
Caustico sanatus. 80
In bilioso valet lactis usus. 81
Punctio abdominis in dolore à flatu tentanda. 372.82
Nothus febribus succedens. 83
Quidam calidis & acribus irritatur. 84.
Adstringentibus quidam curatus. 85
(De colicis doloribus nothis, vide tit. de hypochondr. Affectibus) *à linea Initio valenter discutientia noxia.* 86
Clysteres ex vino aut sapa sæpe noxij initio. 87
Valde calida actu noxia. 373.88
Clysteres non injiciendi repleto ventre. 89.
Stupefacientia *optima præsertim si materia sit calida.* 90
Dentur viribus valentibus. 91
Purgantibus initio utendum. 92
Usus olei, *non vacuata prius materia, inutilis.* 93
Quando optimum est præsidium. 94
Miscenda olea *abstergentibus aut purgantibus.* 95
In dolore à flatu etiam ab initio sunt utilia. 96
Vomitoriorum usus & abusus. 97
In Cucurbitulæ *magnæ applicatione cautio.* 98
Umbilicus muniendus cùm admovetur. 375.198
Si sit à flatu valenter discutientia noxia. 199
Si à flatu purgandum ante cucurbitulæ admotionem. 100
Frigida aliquando præbenda. 101
In colica ab inflammatione purgatio lethalis.

lethalis. 376.102

Cassiæ usus tunc utilis. 103

Secta vena in talo aliquando utilis. 104.

Calidorum usu Iliacus factus. 105

Confectiones.

Vide Electuaria.

Convulsio.

Ab alia causa sæpe fit quàm ab inanitione & repletione. 260.166

Cucurbitulæ *quando & ubi applicanda.* 261.167.

Quomodo. 261.168

Iis detractis pars fotu calido indiget. 261.169.170.

Sudor si supervenerit quid agendum. 261.171.

Corpus.

Corpora dura & compacta ægrè purgantur. 88.37

Sana ægrè purgantur. 89.38

Crisis.

Criticis diebus quando purgandum. 114.57.

Crisi non succedente quomodo procedendum. 114.58

Critica die, sine crisi nihil movendum. 157.59.

Crocus.

Quomodo decoquendus. 720.213

Cruditas.

Cruditatis humorum differentia. 71.2

Vbi crudi succi abundant quid agendum. 75.9

In cruditate morbi quomodo purgandum. 77.11

Crus.

Dextro inflammato quæ vena secanda. 152.18.

Cucurbitulæ.

Cautio in scarificatione. 153.24

Scarificatio quando levis aut profunda. 153.25

Parti ne diutius adhæreant. 154.26

Cutanei affectus.

Vide Habitus corporis. Scabies.

Perpendendum morbine sint an abscessus. 606.289

Efflorescentia cutanea alia à cœlo, alia à corpore. 607.290

Detergentia conveniunt. 608.293

D

Decoctio.

In Decoctione simplicium per se aut pro diluendis syrupis, canones Mesuæ servandi. 642.20

Si præcedat infusio non est observanda graduatio. 21

Aquæ quantitas incerta. 643.22

Facta in duplici vase minorem vult aquæ quantitatem. 23

Pro componendis medicamentis non est mutanda aquæ quantitas. 24

Quæ fit occluso vase minorem vult aquæ quantitatem & minorem ignem. 25

Decocta sicco igne facta valentiora quàm quæ in duplici vase. 26

Elixationum termini varij. 644.27

...tio rerum substantiâ diversarum, qu... proportionem requirit temporis ignis, & aquæ. 28

Vasa ænea sæpe omittenda. 649.29

Duplici vase utendum ubi pauca aquæ quantitas præscribitur. 30

Deglutitio læsa.

Ab arteria aspera siccitate inducta. 353.1.

Morbus Tiq, equis proprius. 354.2

In puero curata. 520.16

Dentium affectus.

Evulsio periculosa. 291.293

Carie vitiatus *eximendus.* 291.294

Pyrotica dolori conveniunt. 291.295

Dentientis pueri curatio. 518.22

Desipientia.

Quædam est ab exhausto. 238.85

Diabetes.

Diabeticæ affectioni qui maximè obnoxij. 448.336

Imminentis per S. M. & lenientia præcautio. 337

Ortus post repressum muliebrem fluorem. 491.120

Diæta.

Exquisitissima temerè non præscribenda. 30.2

Cibus subtrahendus urgente dolore. 31.3.

Cibi adjectioni quando locus. 32.4

Victus in Pulmonis inflammatione tenuior sit quàm in pleuritide. 33.5

Tenuissimus sit in inflammatione hepatis & ventriculi. 35.6

In accessionibus quinam cibandi. 35.7

In paroxysmis cibus non dandus. 35.8

Lentarum febrium diæta qualis. 36.9

Attendendum idiocrasiæ in victus institutione. 37.10

Post S. M. largius non cibandum. 37.15.

Non quemvis potum ab ægro expetitum concedat medicus. 37.16

Sanorum diæta. 39.19

In numero cibationum consuetudo ægrorum non immutanda. 41.29

Æstatis initio plurimum comedendum. 42.33

Benevalentium qualis. 46.46

In castris qualis. 47.47

Victus tenuis sit in acutis. 48.1

Virtuti debili qualis. 48.2.3

Mutandus ratione habitus corporis. 47.4.

Ratione dispositionis ventriculi. 47.5

Quantitas mutanda ratione sexus, temperiei &c. 47.6

Ætatis. 47.7

Regionis. 47.8

Hyeme plus concedendum. 47.9

Æstate quomodo plus concedendum in acutis. 47.10

Hyeme quando minus nutriendum. 48.11.

Victus forma varianda in acutis secundùm regiones. 48.12

Metiendus ex anteacta vita. 49.14

Si morbus ignotus, attenuandus. 49.15

Initio cur tenuius aliquando alendum. 149.16.

In acutis febribus tenuius alendum quàm in aliis acutis. 49.17

Victui tenuissimo in statu quando locus. 49.18.

Pestilentibus morbis tenuissimus non convenit. 50.19

Victus formam in acutis quæ doceant. 50.20.

Errores in tenui victu qui graviores. 51.21.

Errores in forma. 51.22

Errores in quantitate. 52.23

Cibus suavior an salubrior. 53.24

Gratificandum ægris in cibatione, quando. 53.25

Pessimus cibus quando ægro concedendus. 53.26

Cibos aversantes eorum præparationem ne videant. 54.27

Victus humidus febricitantibus. 54.28

In longis accessionibus quomodo & quando cibandum. 54.29

Victus tenuis in acutis quotuplex. 58.38

Victus crassus rejiciendus in acutis, & fructus horarij. 59.39.

Dolor.

In repentino & magno utilis V. S. 145.67.

Dolor partium externarum.

Dorsi & scapularum quomodo sedatus. 615.307.308.

Curatu difficilis. 615.309

A mucilaginoso humore circa ossa, membranas & nervos collecto vix medicamentis cedit. 310

In repente oborto cautè procedendum. 616.310.

Vagi origo. 311

Colli dolor ad humerum protensus S. M. facta in eodem latere curatus. 312

Formicationis sensus in dorso V. S. desinens. 617.313

Fluxio in spinam dolorifica purgatione & topicis curata. 314

Manui dolenti profuit V.S. in eodem brachio. 315

In brachio dolente pyrotici vis. 316

Fluxioni in brachium dolorifica hidroticum contulit. 618.317

Litus ex aqua vitæ cum theriaca in brachij dolore utilitas. 318

Fluxiones in tibias dolorificæ reprimentium usu ingravescentes. 319

Doronicum.

In Diambra an recipiendum. 661.54.

Non est venenum. 662.55

Dysenteria.

Variè medendum pro causæ varietate. 386.139.

Non illico sistenda, præsertim initio. 387.140.

Alvus sicca remanet ea suppressa. 388.141.

Vacuandum ante usum adstringentium præsente multa cacochymia. 142

An supprimenda in prægnante febricitante. 143

Intempestivè suppressa S. M. sanata. 389.144.

Assiduus clysmatum anodynorum usus noxius. 145

Clysteres ex oleis sæpe noxij. 146

Purgandum aliquando cassiâ & tamarindis. 390.147

Diuretica quando conferunt. 148

Liquidorum usus non semper noxius. 149.

Lac quando concedendum. 391.150

Si nocet quomodo innoxium fiat. 151

Quando purgandum, quando abstinendum à purgantibus. 392.153

Si purgandum, citò id fiat. 154

Si sit ab humore atrabilario, ante purgationem temperetur. 155

Rhabarbari usus suspectus. 156

Syr. de cichor. cum rhab. admitti potest. ibid.

Torrefactum rejiciendum. 393.157

Raro convenit S. M. 158

Quando admittenda. 159

Lactis usus qualis. 394.160

Clysteres abstergentes cautè usurpentur. 161.

Horum abusus morbo declinante. 162

Narcotica *etiam in principio quando conveniant.* 395.163

Iis parcè utendum. 164

Pinguibus quando utendum. 165

Clyster ut retineatur, quid agendum. 166.

Dysenteria Hepatica.

Cum crassæ & atræ dejectiones succedunt, intemperies Iecoris frigida in calidam transit. 391.152

Remedium singulare. 396.169

Dysuria.

A pituita calculum mentiente. 443. 328

Inducta admotione Empl. vesicatorij. 450.342

Diuturna hydromelitis usu sanata. 343.

E

Ecthymata.

Iis apparentibus cessandum an agendum. 603.287

Si

Si sint ab humore maligno conveniunt cauteria. 606.289

Electuaria, Confectiones.

De Gemmis. 654.39
Hyacinthina. 655.40
Lætificans Rhazis. 41
Alkermes. 656.42
Sericum, quod eam ingreditur, quale. 43.
Chermes quantitas, ad sericum. 657. 44.
Aquæ quantitas pro coquendo chermes. 45.
Serici tingendi ratio. 46
Chermes quale eligendum. 658.47
Succus pomorum quomodo purgandus. 48.
Diamoschum. 660.51
Seri cremandi ratio. 52
Diamoschi in morsulis dozis. 53
Diambra. 661.54
Aromaticum Rosat.Gabr. 663.56.57.
Diarrhod.Abb. 58
Triasantalon. 664.59.60
Diacyminum. 665.61
Diatragacanthum. 62
Diamargaritum frig. 667.63
Diairis simplex. 64
Dialacca. 65.66
Diasatyrion. 669.67
Philonium Romanum. 68
Persicum. 69.72
Diaphœnicum. 672.73.74.75 *ad* 83
Confectio Hamech. 678.83.84.85.86.88
Catholicum. 681.90.91
Rosatum Mesuæ. 686.101.
Elect. de succo rosar. 102
Elect. Indum. 104
Benedicta laxativa. 687.105
Diasenna. 106
Hiera Galeni. 107.108.109.110

Elephantiasis.

Interiora sæpe culpâ vacant. 609.294
Medetur hydrargyrum. 609.295
Lacte asinino an curetur. 296
Carnis viperinæ usus utilis. 297
Frequenter sanguis non educendus. 610 298.
Balneum sanguinis humani an utile. 299.
Elephantiaci examen. 300
Castratio non medetur. 613.300

Empyema.

Quæ vena secanda. 139.45.
Paracentesis tentanda in desperatis. 323. 89.
Materia *Empyematis non potest per alvum expurgari.* 323.90
Diuretica cur conveniunt. 324.91
Quando urendum aut secandum. 324.92
Vomitus periculosus. 324.93
Quomodo provocandus. 324.94
A natura curatum. 324.90

Emulsiones.

Frequentiores nocent. 96.97

Epilepsia.

Hippocrates in paroxysmo Venam secat. 245.107
Aëris vis in ea cienda. 246.108
Quando ex cruribus mittendus sanguis. 246.109.
S. M. quando confert. 247.110
Elleborismus & vinum emeticum in paroxysmo. 247.111
Cassia & catholic.nocent. 247.112
Alteratio cerebri potior vacuatione. 247.113.
Calida & attenuantia noxia. 247 114.
Castoreum nocet. 248.115
Balneum quando juvat. 248.116
Diæta, aëris præsertim, magna vis. 248. 117.
Cibi ratio habenda. 249.118
Vinum innoxium. 249.119
Interna remedia sæpè inutilia. 249.120

In paroxysmo caput non operiendum. 250.123.
Lignum ori non indendum. 250.124
Vomitus *non concitandus.* 250.123
In præservatione quando ex pede sanguis mittendus. 250.125
An mittendus sanguis si sit ab aura elevata. 250.126
Vomitoria in præservatione semper mala. 250.127
Vesicantia toti capiti admota utilia. 251.128.

Epiphora.

Adstringentibus initio utendum. 283.256
Errhinis rarò. 283.258

Errhina.

Cautè iis utendum. 222.2
Quomodo usurpanda. 222.3
Laborantibus oculis vitanda. 232.57

Erysipelas.

S. M. facta intus foras prodiens. 544.63.
Phlegmonodes terna V. S. sanatum. 64
Camphora nocet. 65

Esula.

Præparatio. 699.133

Eusistis.

Arabibus quid sit. 706.159

Εὐχροια.

Non semper plethoræ index. 115.1

Extracta.

Purgantia periculosa. 103.14

F

Fames nimia.

Causa sæpe in Liene cancrosa affectione infecto. 364.42

Febris.

Febricitantibus vinum an concedendum. 36.5
Lenta diæta. 36.8
Somnus in febribus quomodo regendus. 37.17.
In synocho quando cibandum. 55.30
Quando in intermittentibus. 31
Initio accessionis quando. 56.32.33.
Horæ tres à cibatione ad accessionem non sufficiunt. 57.34
In accessione quando & quibus dandus cibus. 57.35
Cibus quando offerendus initio accessionum. 57.36
In putridarum declinatione non semper purgandum. 113.53
Quando. 113.54
Purgandum in ipsa declinatione. 113.55.
Utiliter injicitur clyster ante purgationem. 114.56
Criticis diebus quando purgandum. 114.57.
Focus febrilis rite noscendus. 154.1
Datur particularis Febris. 155.2
Biliosa ex splene. 156.4
Biliosa habet materiam tenuem & crassam. 156.8
Purgatio crebrior noxia. 158.6
In essentialibus habenda ratio partis morbum foventis. 158.7
Hyemales fallaces. 158.8
Autumnales pessimæ. 158.9
Diurna medicatu difficilis. 158.10
Quædam occultè nocent. 159.13
Hyeme paucus sanguis mittendus. 161.15.
Putrida S. M. postulat. 161.16
In longis parca sit sed iterata. 161.17
Quibusdam potius S. M. Aliis purgatio debetur. 161.18
In omni præmittenda S. M. purgationi. 161.19.
In paroxysmo aliquando secanda vena. 161.10
In symptomatica nocet. 162.21
In periodicis confert V. S. paroxysmi initio. 162.23

Pertina-

Pertinaces quædam cur. 163.24
Ad purgationem in biliosis sufficit in urina nubes alba, lævis & æqualis. 198.6
Rhabarbari usus suspectus etiam in declinatione febrium æstuantium. 198.7
Si in usum id ducendum, quomodo præparandum. 199.8
In æstuosis scammonij usus cavendus. 199.9.
Valida purgantia raro in usum veniant. 202.21
Levius purgandum quàm in aliis morbis. 203.23

Febris Continua.

Vacuitas febris fallax. 164.27
Acutorum causa aliquando calida, aliquando frigida. 164.28
In ardentissimis S.M. princeps est remedium. 165.31
In S.M. venarum delectus an habendus. 165.31
Ardenti hæmorrhagia confert. 166.32.
Aqua quando porrigenda. 166.33.34
Non confert vomitus. 166.35
Vomitus in iis, & cardiogmoi, non semper cardiaca requirunt. 167.36
Symptomatum vehementia non semper celeritatem remediorum requirit. 167.37
Cavendum ne acuta fiat chronica. 168.35.
In recens nupto purgatione sanata. 168.40.
In quibusdam hidroticis locus. 168.41
Commodior evacuatio per urinam quàm per sudorem. 197.2
Usus rhei in æstuosis febribus est suspectus. 198.5
Sacchar. ros. post Purgationem noxium. 199.12.

Causus.

Focus est multiplex. 163.25
Sitis non est pathognomonicum. 163.26
S.M. princeps est remedium. 165.29
Post purgationem seri lactis usus convenit. 199.11

Febris Hectica.

Varia sit medela pro causæ varietate. 195.120.
Refrigerandum etsi adsit obstructio & phlegmone. 196.120
Hectica putrida lac asininum non omnino prohibet. 196.121

Febris Hæmitritæus, Tritæophyea.

Die exacerbationis feriandum à remediis. 188.94
Τριταιοφυὴς *ab humore heterogeneo nascitur.* 188.95

Febris Intermittens.

Sudorum provocatio potior quàm urinæ. 197.1.

Febris lenta.

Ejus extinctioni non citius attendum. 189.96.

Febris maligna.

Fallax est. 169.42
Alterandum potius quàm vacuandum. 169.43.
Qualiscunque excretio juvat. 169.44
Sanguis parcè detrahendus. 170.45
Vomitus in malignis constitutionibus non coercendi. ibid.
In horrifica non semper S.M. locus 170.46.

Febris Pestilens, Pestis.

Sæpius potest mitti sanguis, & quando. 205.32.
Sed non ad animi deliquium. 206.33
Solum in principio debet mitti. 206.34
Etiam maculis erumpentibus sanguis potest educi. 206.35
Scarificatio *crurum utilis.* 208.38
Cucurbitulæ scarificatæ *aliquando vicaria S.M.* 208.39.
Cucurb. scarificata frequenter admoveantur. 208.40

Cucurbit. dorso quando admovendæ. 209.41.

Vesicatoriis *quando locus.* 209.42

In pestilentibus sine peste ne usurpentur. 209.43.

Si comatosi affectus adjungantur admoveantur partibus superis. 209.44

In principio febrium pestilentialium non conveniunt. 210.45

Pessimè in febr. pestil. passim usurpantur. 210.45

Purgatio *in peste locum habet.* 210.46

Purgandum initio. 211.47

Pestis materia cruda dici non potest. ibid.

Non omnis putrida dici debet. ibid.

Alexipharmacis quamdiu impurum est corpus, non utendum. 213

Pestilentes febres sine peste coctionem exposcunt : Non in principio purgandum. 215.48.

Purgantia valida in peste non conveniunt. 216.49

Stibij vitrum in peste pessimum. 216.50

Peste laborantibus non semper convenit sanguinis missio & purgatio. 216.51

Sudorum provocatio in peste initio pessima. 216.52

Quando promovendi. 217.52

Theriacæ *quando locus.* 217.53

Lapidum pretiosorum usus an conducit. 217.54

Pulveres cardiaci *cibis an intermiscendi.* 217.55

Aurum *ore potest assumi.* 218.56

Aurum jusculis &c. *incoquere absurdum.* 218.57

Placenta ex arsenico detestandæ. 218.58.

Lentium *decoctum in peste & variolis probatur.* 219.59

Febris Quartana.

Mitè agendum. 178.63

Quinam S. M. facilius ferunt. 178.64

In corpore frigido sicco vena non secanda. 179.65

Salvatellæ sectio confert. 179.66

An purgandum. 179.67

Purgandum tempore paroxysmi. 179.68.

Α᾽δροτέρως *quando purgandum.* 180.68.

Quædam neglecta facilius sanatur. 181.69.

Sudores non supprimendi etsi febri finem non imponant. 181.70

Non sollicitandi. 181.72

Theriacæ quando locus. 182.73

Cuidam humectantia conveniunt, non attenuantia & calefacientia. 182.74

Hydrargyri litu sanata. 182.75

Amuletis non est intercipienda. 183.76

Lienis & cancrosæ in eo dispositionis ratio habenda. 183.77

Fomes non semper est in parenchymate hepatis aut lienis. 184.78

Victus quomodo instituendus. 203.25

Salsamentorum usus. 204.26

Venæ sectio quando convenit. 204.27

Medicus adsit cùm secatur vena. 204.28.

Sanguis etsi bonus non statim supprimendus. 204.29.30

Quando ex brachio dextro extrahendus. 205.31

Febris Quotidiana. Epiala.

Aliquando magis habenda est ratio febris, aliquando materiæ. 184.79

Aliquando sanguinis eductio confert. 184.80.

In Epiala *causa magis quàm febri attendendum.* 184.81

Febrilis calor non est sistendus. 185.82

Concoctio humorum non est necessaria ante purgationem in Epiala. 185.83

V. S. non confert cùm oritur vitio alimenti

alimenti crudioris. 186.83
Pilulæ quomodo conducunt. 186.84
A Cassia abstinendum. 186.85
Rhabarb. quando conducit. 186.86
Hieræ usus confert. 186.87
Ventriculi habenda ratio. 186.88
Chinæ decoctum aut Salsæ utile. 187.89
Horrores leniendi fotu sedis febrilis. 187.90.
Quotidiana *à pituita vitrea validiora poscit remedia.* 187.91
Oxymel quando ex usu. 187.92
Iusculorum abusus nocet. 187.92
Sudoriferis quando locus. 187.93
In principio tenuius alendum quàm in statu. 200.15
Pituita salsa abundante quale regimen. 200.16
Vomitio an conducat. 200.17
Mel convenientissimum. 200.18
Aloes usus valet. 200.19
Attenuantia initio ne sint validiora. 202.20.
Repetita purgatio confert. 203.22

Febrium Symptomata.

Eorum vehementia non semper celeritatem auxilij requirit. 167.37
Manuum συνολκή. 168.38
Vomitiones & cardiogmoi *in tertiana non sunt à maligno.* 177.60
In omni febre cavendum capiti. 189.97.
In capitis dolore *oxyrrhodina noxia.* 189.98.
Delirium *unde aliquando fit.* 189.99
Hæmorrhagia *in ardentibus non cohibenda.* 190.100
Dyspnoea *unde.* 190.102
Leipothymia purgationem non prohibet. 190.103
Ischuria *nec diuretica nec catheterem poscit.* 191.104
Mensibus fluentibus *in febre laboriosa vena secanda.* 191.105
Lassitudo *ossaria à sero excitata hidroticis curanda.* 192.106
Membrorum dolor *V. S. curatus.* 192.107.
Diuturni dolores abscessum minantur nisi purgatio prævertat. 192.108
Hypogástrij dolor *acri clystere sedatus.* 192.109
Horror *frequens non semper suppurati nota.* 192.110
Sudorum *eruptio remediorum usum non semper impedit.* 192.111
Sudor vi non exprimendus, nec rigores *in paroxysmis coërcendi.* 192.112
Ventriculi *dolor.* 194.113
Sitis *carentia unde.* 194.114
Alvus *aliquando liquida in febribus, aliquando non.* 194.115
Alvi fluxiones symptomaticæ aliquando juvant. 194.116
Alvus liquida in causo. 194.117.
Anasarca longis febribus succedens vix curatur. 195.119

Febris Tertiana.

Post diem tertium facienda S. M. 175.46.
Hujus omissio lethalis fuit. 177.57
Quædam Notha non admittit V. S. 177.58.
Hidroticis quando locus. 177.59
Externa refrigeratio noxia fuit in paroxysmo. 178.62
Ante coctionem quandoque purgandum. 198.4
Etiam intermissionis die victus à Galeno institutus nocet. 200.13
Vini usus an conducat. 200.14

Flores.

Electionis tempus, & conservationis ratio. 638

Fluor muliebris.

Fluor ex articulis quid Hippocr. 479.83

Non omnis supprimendus. 479.84
Vterus obnoxius variis fluxionibus, variè curandus. 85
Verus non statim cohibendus. 480.86.
Biliosus tardè. 87
Morbi origo noscenda ad rectam medelam. 481.88
An fiat utero trahente vel suscipiente. 483.89.
Quinam sistendus. 90
Purgantia fluxum augent. 484.91
Clysterum utilitas. 91.92
Calidorum & humidorum usus suspectus. 93
Omni modo desiccandum. 94
Oleis clysteres *careant.* 485.95
Refrigerantes aliquando prosunt. 96
Pilulæ aromaticæ nocent. 97
Si materia acris leniter purgandum. 486.98.
Hydragoga suspecta. 99
Syr.magistralis optimus. 100
Pil. de bdellio vis. 101
Bolus utilis. 102
Non omnia diuretica *conveniunt.* 103
Quando utilia. 487.104
Adstringendi *tempus.* 105
Coagulum quomodo confert. 106
Tartarum quomodo conducit. 107
Cardiaca semper ex usu. 108
Roborantia à purgatione dentur. 109
Pulveres siccantes prosunt. 488.110
Ventriculo consulendum. 111
Infusio per metrenchyten non semper inutilis. 112
Eboris ras. vis. 113
In fluxione acri quid agendum. 114
Curatio Galenica in Vxore Boëthi. 115, *& pag.*492.121.
Fluor à cerebro non semper mordacitatis expers ut vult Hippocr. 491.116
Leipothymia comes alexipharmacis non curanda. 491.117
Diæta exquisita necessaria. 118
Fluoris materia aliquando cum urina excernitur. 119
Repressus diabeten intulit. 120.
Albo profluvio non semper convenit curatio Galenica. 122
An laborantes juvet sepultura in arena. 493.123
Vera curandi ratio. 124
Humor non semper frigidus, neque calidis curandum est. 125
Adstringentium usus omnino fugiendus. 494.126.

Fotus.

Calidis non abutendum. 106.39
Frigidis diu non insistendum. 106.40
Ex frigida in fluxu sanguinis. 106.41

Fructus Horarii.

Vsus nimius noxius. 41.27
Et in acutis. 59.39

Furor Vterinus.

Refrigerandum. 503.181
Hypnotica valent. 182
Philonij Romani vis. 183
Narcotica suspecta. 184
*Anacollemata quando admovenda.*504.185.
Semen extinguentia calida quomodo conducunt. 186
Atra bilis in utero. 187

G

Gingivarum affectus.

Epulis cancrosum quid resipiens non attingenda. 292.296

Gonorrhœa.

Intempestivè suppressæ damna. 450.345.
Inveteratæ remedium. 346
Quid in hac agendum. 346
Purulenta illuvies ab ulcere vesicæ gonorr.

gonorrh. specie imponit. 450.347

Aliquando calefacientibus curanda. 348.

Causæ ratio habenda. 351

Venerea non statim reprimenda. ibid.

In venerea quomodo procedendum. 626.349.

Gracilitas.

Graciles quomodo purgandi. 86.33

Quando paucus, quando multus sanguis detrahendus. 151.12

Gradiendi impotentia.

Relicta post morbum diuturnum. 533.30.

Graviditas vera & falsa.

Repentina sanguinis effusio, falsi conceptus nota. 505.192

Narcotica suspecta in falsa. 154.

Sanguis à pelliculis quomodo distinguendus. 195

In sanguinis profluvio cum conceptus opinione quid agendum. 196

An partus promovendus superveniente sanguinis fluxu. 507.197

Gravidis sanguinis liberalis vacuatio aliquando confert. 198

Sectio venæ purgatione tutior. 199

Non omnis alvi fluor periculosus. 508.200.

Si ventris & renum adsit dolor, clysteribus & topicis cautè utendum. 201

Gravidæ pleuriticæ an partus provocandus. 313.49

Gummi, Lacrymæ.

Quomodo paranda ut in usum veniant. 640.14.

H

Habitus corporis affectus.

In ejus affectibus interiorum cura non semper habenda. 602.286

Cautè tractandi. 608.292

Hæmoptysis.

Orta à jecore & liene illæsis pulmonibus 330.122.

Non semper formidanda. 331.123

Non semper vena secanda. 331.124

Purgatio validior aliquando confert. 332.125.

Adstringentia quando utilia. 333.126

Syrupi ex stercore asinino vis. 333.126

Diæta aliquando sit plenior. 333.127

Aëris mutatio juvat. 333.128

Gargarismi adstringentes utiles. 334.129.

Quæ vena secanda. 334.131

Si à retentis mensibus quæ vena secanda. ibid.

V.S. in talo fiat affatim & copiosa. 334.132.

Cucurbitulæ quando juvant. 334.133

Quando glutinantia. 334.134

Adstringentia quando utilia. 335.135

Suspecta sunt si adsit febris. 335.136

Si sit ab acri humore statim purgandum. 335.137

Valida medicamenta fugienda. 335.138.

Aloë vitanda. 335.139

Rhabarbarum *suspectum.* 335.140

Quando siccantia valenter usurpanda. 335.141.

Acetum solitarium non usurpandum. 336.142.

Topica *sæpe mutanda.* 336.143

Frigidissima ne sint thoraci admota. 336.144.

Valenter siccantia emplasticis admiscenda. 336.145

Hæmorrhagia.

Critica non est sistenda. 289.287

In debilibus à morbo quomodo sistenda. 289.288.

Cautè reprimenda. 289.289

Sanguis serosior incrassandus. 289.290

Narium hæmorrhoides *non sistendæ.* 290.291.

Hæmorrhoides.

Quando sistendæ. 398.178

Exacta purgatio convenit in nimio fluore. 179

In nimio fluore, an omnes occludendæ, an una relinquenda. 180

Harmel.

Quid. 700.134

Helleborus.

An periculosus. 92.53

Hepatis affectus.

In calido quando vena secanda. 131.25

In illius inflammatione parcior sit S. M. quàm in peripneumonia & pleuritide. 149.7

Hepatis dolor S. M. & purgatione curatus. 405.196

Quibus id grandius, febricitantes de dolore pleuritidi simili sæpe conqueruntur. 409.210.

ζύμωσις ejus V. S. præsertim curatur. 410.211.

Fœdus faciei color non semper ejus obstructionis index. 411.212

Rheum aliquando illi noxium. 213

Aloë non semper calefacit. 214

In dolore *rad. hederæ vis.* 412.215

Ejus phlogosi iterata S. M. convenit. 216.

Omnibus remediis adstringentia addenda. 413.217

Victus debet esse tenuissimus. 218

In calida intemperie *quando purgandum.* 219

In hac manna non conducit. 414.220

Rhabarbarum suspectum. 221

Refrigerantia & adstringentia impensè noxia. 222

In Intemperie frigida, *calida & sicca remedia suspecta.* 223

In obstructione *cur attenuantia ante prandium applicanda.* 224

Linimentis fotus calidi cum spongia præmittendi. 225

Dolor post V. S. in sudorem & hæmorrhagiam desinens. 226

In inflammatione *repellentia ante V. S. non conveniunt.* 415.227

Si sit in cava parte purgandum, sed in declinatione. 228

Si sit in gibba, ante diuretica lenienda alvus. 229

Repellentibus attenuantia initio miscenda. 230

Actu frigida fugienda. 416.230

Hepate inflammato sine materia, repellentia sola conveniunt. 232

In Erysipelate *repellentia sola conveniunt.* 233

Frigida actu applicanda. 234

In declinatione puris resolventibus utendum. 235

Hernia.

Interna remedia inutilia. 455.357

Ramicosi cur colicæ obnoxij. 358

Sanata post abscessum in inguine suppuratum & cicatrice obductum. 359

Desperata continua & pertinaci contrectatione reducta. 360

Herpes.

Herpetis curatio. 544.66

Hordeum.

Pro ptisana quale eligendum. 59.40

Aliud sine cortice, aliud cum nascitur. 59.41.

Quomodo parandum pro ptisana. 59.42.

Hordei quantitas ad aquam pro ea paranda. 60.43

Humores.

Cùm turgent non convenit purgatio. 79.18.

Orgasmus S. M. sedatur. 139.19

Magnæ perturbationi utilis V. S. 145.66

Hydragoga.

Cautè danda. 93.55

Hydrops.

Non semper est ab Hepate. 418.241

Qui in fine morborum purgationem recusant, hydropici fiunt. 242

Inebriatio convenit & per cibos refectio. 243

Si febris juncta hydropi, cujus potior ratio habenda. 244

Valida purgantia nocent. 421.248

Alvi fluor quando salutaris. 249

Diæta siccans non semper utilis. 250

Iulepi & apozemata nocent. 251

Paracentesis sæpe inutilis. 252

Abdominis puncti in tympanitico mortuo tumor subsedit. 422.253

Sudore sanatus. 254

Sectione unguium. 255

Serosi humores ab initio purgari possunt, sed levioribus. 257

Post hydragoga valentia ventriculus roborandus. 258

Attenuantibus utendum ut humores per lotium secedant. 259

In attenuantibus diu non insistendum. 423.260.

Nec aliquando diureticis. 261

Potulenta in ascite sæpe suspecta. 262

Rhabarbarum inutile. 263

Repetita sæpius hydragoga noxia. 264

Vesicantia cruribus applicata periculosa. 265

Hydrops Pulmonum.

Signa. 322.84

Hypochondriaci affectus.

Fomes est potius in prava partium diathesi quàm humorum vitio. 400.181

Quædam affectio pendet ab adustione humorum. 182

Variæ causæ eam inducunt quæ contraria remedia postulant. 401.183

Contrectatio hypochondriorum fallax. 184

Epicerastica & acria aquè nocent. 402.185.

Humectantia & refrigerantia conferunt. 186

A vomitoriis validis abstinendum. 403.187.

Sudorifica nocent. 188

Ventriculus laborat per consensum. 189

Lien sæpe culpâ vacat. 190

Si adsit phlogosis noxia purgatio. 404.192.

Et inflammationis & humorum turgentium simul ratio habenda. 193

Fluor alvi V.S. non impedit. 405.194.

In dolore à dispositione inflammatoria V.S. noxia. 195

Falsa sæpe accidit pleuritis. 406.197

In virginibus quomodo curanda. 198

Lacti asinino quando locus. 199

Ἐυεξία procuranda. 407.200

Curationis summa capita. 201

Quæ Topica in illorum Tumoribus *conveniunt.* 202

Hypochondriorum dolores *profundi, timendi.* 408.203

Hypochondrij dextri dolor terna V.S. sanatus. 204

Topicorum usus suspectus in hypochondriorum affectibus. 205

Colicis doloribus *nothis V.S. confert.* 206.

Balneum utile. 409.207

Cautè adstringentibus utendum. 208

Flatuum proventus V.S. curatur. 264.179.

Hysterica suffocatio.

Erysipelas uteri aliquando causa. 494.127.

Aliquando flatus maligni. 128

A pravis humoribus in vetulis. 129

In gravidis curatio diversa est. 130

Cucurbitulæ inguinibus admovendæ. 494.131.
Vomitus confert. 495.132
Suffitus sæpe noxij. 133
Imi ventris repletio πάθος simile aliquando infert. 496.134
In Virginibus, viduis, vetulis diversimodè agendum. 497.135
In gravidis suffitus graveolentes noxij. 136.
Cortex rad. lauri fœtum necat, aliàs utilis. 137
Unguis odoratus an conferat. 138
Odorata in os quando infundenda. 139
Pessi quibus indendi. 498.140
Pil. de Sagapeno vis. 141
Pulver. agni casti. 142
Castorei. 143
Concubitus confert. 144
Olea capiti inuncta valent. 145
Cauterij vis. 146
Flatus ventriculi discutiendi. 147
In suffocatione à nimio fluore quid agendum. 148
In gravida. 149
Agendorum indicationes. 150
Si uterus sit aversus quid agendum. 151.
Alia curatio debetur semini suppresso, alia semini. 152
Continuandum in remediis etsi affectus remittat. 153
V. S. fotus crurum præmittendus. 154
V. S. in brachio quando facienda. 155
In paroxysmo aliquando vena secanda. 156
Si suppressum semen à V. S. cavendum. 500.157.
Syr. rosar. pall. vis. 158
Febris utplurimum abest. 159
Purgatio valida confert. 160
Si sit à retento semine odoratis vulva non inungenda. 161
Facies frigidâ non aspergenda. 162
Nec aquis odoratis. 164
Nec vino. 165
Vinum quando concedendum. 166
Titillationes cavendæ. 167
Et pessi odorati si sit à semine. 168.
Cerata ex tacamah. &c. quibus conveniunt. 169.
Moschus umbilico impositus affectum auget. 170
Cucurbitulæ ubi affigenda. 171.
In paroxysmo quando vena secanda. 173.
Quando non. 174
Si sit à flatu, Cucurbitula magna confert. 502.175.176.177.178

I

Icterus.

Cholagoga nocent. 424.286
Purgatione sanatus in febre continua. 267.
Initio non purgandum, sed præparandi humores. 268
Quando valenter purgandum. 269
Quando non. 270

Infantium Affectus.

Dentientis & tabescentis *regimen.* 518.22.
Oris ulcera à *brevitate papillarum inducta.* 519.23
Pueri pleuritidi *obnoxij.* 520.24
Lateris dolor à vermibus. 521.26
In tumore ventris *V. S.* 27
In obstructionibus *rhei usus.* 28
Purgandum audacter. 29
Nephritidis *in pueris signa.* 30
Hernia *gentilitia sponte sanationem recipiens.* 522.31
Pe[illegible]um tumor *medicamentis repressus necis causa.* 32

Infan-

Infantium Regimen.
Quamdiu lactandi. 514.1
Non statim post exhibitam pultem somno tradendi. 2
Cura difficilis. 3
Pueri ablactati sæpe graviter laborant. 4
Vena potest illis aperiri. 5
Nutricibus ad illorum purgationem scammoniata non danda. 6
Dentientis regimen. 7

Ileus.
Quidam calorificis curandus. 376.106
Si sit ab intestini prolapsu, alvus movenda, sed lenibus. 377.107
Confert S. M. & inedia. 108
Etiam reducto intestino ægri summa ratio habenda. 109
Clysteres aliquando augent affectum. 378.110.
A vermibus excitatus. 111
Vomitus non semper exitialis. 112
Confectio Hieræ eximia. 113
Laxativa periculosa si sit à prolapsu intestini. 374.114
Roborandum in ea specie. 115
Fæces hamo quandoque extrahendæ. 116.
Medicatio per follem juxta Hippocr. 117.
Regimen post curationem. 118

Impetigo.
Curatio. 544.66
An curanda. 67

Inappetentia.
Vomitu chyli corrupti desinens. 364. 44.

Insania.
Insanus scarificatione brachij sanatus. 264.178.
Mania non semper expers febris. 268. 198.

Ischiadicus dolor.
Origo non repetenda à capite. 531.21
Ischias ab utero. 22
Vomitus egregiè confert. 531.23
Mochlica initio noxia. 24
Repellentia non admovenda. 532.25
Suppurato sanata. 26
Clysteres potiores catarcticis per os sumptis. 27
In admotione vesicantium cavendum à dysuria. 28
Consilium pro Ischiadico. 128

Iuscula.
Usus quibus noxius. 37.14
Frequens usus sanis an conducat. 39. 19.
Consumpta ex quibus paranda in febribus. 61.45

L

Labor.
Nimius nocet animo & corpori. 46. 45.

Lac.
Non omnibus æquè confert. 41.26
Ab ejus usu non statim desistendum etsi initio nocet. 96.66

Lacca.
Abluendi ratio. 668.65

Lapis Lazuli.
Electio pro confectione chermesina. 658. 49.
Quantitas in confectione Alkermes. 50.

Leipothymia.
Imminens in S. M. quomodo præcavenda. 146.72

Lenientia.
Utilia initio morborum. 99.4
Exhibendi tempus & ratio. 5

Lens.
Hippocrati *est frigidissima.* 220

Lethargus.
A pulmonibus ortus. 235.74
Cum syncope & cardiaca complicati curatio. 236.75
Theriaces suspectus usus. 236.76
Quando secanda vena. 237.77
Cucurbitulæ *quando applicandæ.* 237.78.
Sternutatoriis *non utendum in principio.* 236.79
Errhinorum usus. 237.80
Repellentia parcè applicanda. 237.81
Vesicantium usus optimus. 237.82
Theriaces usus non tutus. 253.131
Lienis affectus.
Errat sæpe in opere sine tumore. 425.272
Ren tumens mentitur splenem. 273
Quidam lienosi non purgandi, ex Hippocr. 274
Cineritia hypostasis in urinis lienosis familiaris. 275
Noxia sunt remedia valentia. 276
Medicamentis addantur roborantia. 278.
Aceti usus periculosus. 279
Nimis resolventia nocent. 427.286
Frigidorum admotio quando prodest. 287.
Vinum convenit. 428.282
Eo obstructo non est validis attenuantibus utendum. 283
Si sit obstructus & durus, primò molliendum, postea resolvendum. 284.285
Emollientia attenuantibus miscenda. 286.
Laxantibus aliqua adstringentia miscenda. 287
Lien vix per lotium repurgatur. 429.288.
Lingua.
Observanda in febribus. 160.14
Linguæ affectus.
Batrachii *carcinodis curatio.* 292.297
Sordida *non semper malam portendit.* 292.298.
Lochiorum suppressio.
Periculosa etiam paucorum dierum. 513.218.
Cuidam innoxiè suppressa. 219
Sanguinis missio profuit. 220.146.71
Lotio.
Varij modi & usus. 649.32
Lotione vera semper à re lota aliquid decedit. 653.36
Luna.
Irradiatio ejus noxia. 44.38

M

Mania. *Vide* Insania.
Manuum Torpor.
Inductus à thoracis vitio. 533.31
Medicamenta.
Miscendorum causæ. 636
Proportio inter miscibilia servanda. ibid.
Recentiorum errores in formulis componendis. ibid.
In simplicibus eligendis quid observandum. 637
Mutanda. p.98.1
Mel.
Despumatio. 675.81
Proportio ad species in Elect. 676.82
In compositis admiscendi causa. 82
Quæ vices ejus suppleant in compositis. 677.82.
Medicus.
Sit pietatis cultor. 24.1
Sanitatem præ se ferat. 24.2
Non sit valetudinarius. 24.3
Studiosus sit munditiei. 24.4
Non excedat in ea. 24.5
Vestitu utatur decoro. 24.6
In odoribus qualis. 25.7
In omnibus præstans, qualis. 25.8

Non inani gloria aut philautia teneatur. 26.9
Nullius sit secta. 25.10
Qualis in congressibus. 25.11
Consultationes sectetur. 2.5
In iis candorem ostendat. 2.6
Fiant seclusis arbitris. 26.12
Sylvâ medicamentorum instructus sit. 26.13.
Arcana communicet. 26.14
Sit re & opere, non nomine tantùm talis. 26.15
Exerceat se sub perito Medico. 27.16
Modestè domos ingrediatur. 27.17
Cum mulierculis & imperitis de rebus medicis non disserat. 27.18
Gratis aliquando curet. 27.19
Mercedem promptè accipiat. 27.20
De ea non paciscatur. 27.21
Ingratos in necessitate ne deserat. 27.22.
Non sit jactabundus & nimius pollicitator. 28.23
Doctrinâ & usu polleat. 28.24
Non sit severus. 28.25
In sermonibus varius pro ægrorum varietate. 28.26
Peritiæ propriæ ne nimium tribuat, sed in dubiis alios adsciscat. 1.1
Inter securitatem & timiditatem medius incedat. 1.2
Discendi semper sit cupidus, Et eorum quæ scit aliis copiam faciat. 2.3
Nec sit timidus, temerarius, vel ostentator. 2.4
Generalium propositionum ne nimium sit tenax. 2.7
In generalibus ne hæreat, sed ad tecmarsin veniat. 3.8
Empiricorum aliquando sit imitator. 3.9.
Ad experimenta aliquando confugiat etiam repugnante ratione. 3.10
Analogismo & epilogismo utatur. 4.11
Audax sit duce ratione. 4.12
Nihil ad pompam, omnia ad praxim referat. 4.13
Videat ne obsit ubi prodesse nequit. 4.14.
Faustum eventum non semper præstare tenetur. 4.15
Ne reddat rationem imperitis œconomiæ suæ erga ægrum. 5.17
Imò artis peritis. 5.18
Medicus amicus aliis præferendus. 5.20.
Remediis ægrum ne oneret & fatiget. 5.21.
Ægro ad interitum vergenti remedia ne præscribat. 6.22
Culpæ immunis est etsi desperatos non sanet. 6.23
In morbis ne sit nimis securus. 6.24
Caveat ne similitudines morborum imponant. 6.25
Morborum fraudes & insidias perpendat. 6.26
Accuratus sit ubi signa adsunt communia. 7.27
Exploret an affectus sit per se vel per consensum. 7.28
Morbos nascentes agnoscere satagat. 7.29.
Ad morbos complicatos attentus sit. 7.30.
Pertinaces obstinatè impugnet. 7.31
Principiis obstet. 7.32
Muliebrium cognitioni & curæ præsertim incumbat. 7.33
Indoli morborum in rufis attendat. 7.34.
Autumnalium infidam naturam observet. 9.35
Notet gentilitios. 10.36
Difficilium curam ne respuat. 10.37
Morbum ex se longum abbreviare non

non tenetur. 11.38

Etiam incogniti curam suscipiat. 12.39.

Negotij tamen magnam partem naturæ committat. 12.40

Productum naturæ relinquat. 13.41

Partes affectas sedulò exploret. 13.42

Ex habitu exteriore de interno judicium non ferat. 13.43

Cautus sit in affectibus partium principum etiam inchoantibus. 13.44

In iis qui sequuntur partium διαφθοράν *prudens sit in prædictione & curatione.* 14.45.

Morborum causas sedulò rimetur. 14.46.

Humorum qualitatem propriam noscat. 14.47

Qualitatibus primis ne nimis tribuat. 15.48.

An Divinum quid insit morbis inquirat. 15.49

Κακοηθείας *indolem & originem exploret.* 16.50

Admirabiles vires seri & flatuum perpendat. 17.51

Procatarcticarum causarum providentiam habeat. 17.52

Efficaciam anni tempestatum in producendis morbis observet. 18.53

Astrologiæ non sit imperitus. 19.54

Prognosin ne temerè instituat. 19.55

Cautus sit in ea instituenda. 19.56

Ægros desperatos ne deserat sed pro virili sublevet. 20.57

Obstinatos morbos generosè oppugnet. 20.58.

Dolori illico succurrat. 20.59

Ne vatem agat ex urinis. 20.60

Earum inspectioni plus nimio ne credat. 21.61

Pulsum diligenter exploret. 21.62

Illorum falluciæ sit attentus. 22.63

Ex pulsus inæqualitate, & intermissione ne illicò sinistrum augurium colligat. 22.64.

Sit cautus in pulsu senum. 23.65

Et gravidarum. 23.66

Ne terreatur in augmento symptomatum, vel gaudeat eisdem remittentibus. 23.67.

Melancholia.

S. M. quando confert. 261.172

Vitium sanguinis V. S. non semper emendatur. 262.173

In hypochondriaca V. S. est ἡγεμονικόν. 263.174.

In melanch. Cutabuth convenit usque ad syncopen. 263.175

Vesperi mittendus sanguis. 263.176

Melancholicus hæmorrh. fluxu liberatus. 263.177

Incumbendum potius tollendæ vitiosæ diathesi quàm purgationi. 264.180

Crebrò & leniter purgandum. 265.182

Purgatio quando valida esse debet. 265.183.

Purgandum per epicrasin. 265.183

Per helleborum. 92.53

Humor melanch. ante purgationem coquendus & mitificandus 265.186

Confectio Hamech efficax. 266.187

Adustionis ratio habenda. 266.188

Εὐεξία *procuranda.* 266.189

Inedia nocet. 267.150

Vinum convenit. 267.191

Balneum *cuinam convenit.* 267.192

Spleni consulendo reliquo corpori injuria infertur. 267.193

Cucuphæ quibus nocent. 267.194

Morbi diuturnitas officit famæ Medici. 267.195.

Medicamentorum usu sæpe exasperatur. 267.196.

Dolores qui accidunt non sunt à catarrho. 268.197

Non semper expers febris. 268.198
Indulgendum ægris. 269.199
Animus variè moderandus. 269.200
Dolor brachij quomodo sanatus. 269.201.
Purgatio sit liquida. 269.202
Quando mittendus sanguis, quando supprimendus, & quando sistendus. 270.203
Sectio venæ sit ampla. 270.204
Cautio in vena secanda. 270.205

Menses muliebres.

In biliosis vacuatio immodica sistenda. 470.57.
In febre vena secanda, si illi febri finem non imponant. 472.58
Eruptione instante nihil moliendum. 471.56.
In febribus &c. si anticipent, vena quando secanda. 60

Mensium nimius fluor.

Adstringentia & frigida admota nocent. 476.74
Digerentia & metasyncritica juvant. 75.
Obnoxiæ valetudinariè vivunt, & cautè tractandæ. 477.76
Agarici usu augetur. 77
Sanguinis missio repetita eodem die facienda. 78
Aliquando purgandum. 478.79
Medicamenta purgantia sint cum adstrictione. 80
Rheum noxium. 81
Remedium efficax. 82

Mensium suppressio.

Quæ colorata sunt facie facilius sanantur. 470.51
Difficilius quibus fœdata. 471.52
Vena quando secanda. 53
Si juncta febris, vena poplitis tamen secanda. 54
Ventriculi dolor comes V. S. potius quàm aliis remediis curatur. 55
Curatio in iis quibus accidit ob robur partium. 473.61
Non movendi quibus sanguis non redundat. 474.62
Quæ vena secanda. 63
Quando in brachio. 475.65
In diminutis quando & ubi vena secanda. 66
Quibus mulieribus non mittendus. 67
Ad promovendos repetenda S. M. 476.68.
V. S. in talo fiat sub noctem. 69
Ante V. S. crura abluenda & fricanda. 70
Præcedat exercitatio. 71
Fovenda ante S. M. uteri regio. 72
Assumenda multa quantitate dentur. 73

Mercurius.

Ignavia in purgatione. 97.69
Usus ad ptyalismum excitandum. 96.68.

Mesenterij affectus.

Abscessus symptomata & signa. 409.209.

Metalla, Metallica.

Varij lævigandi modi. 641.15
Acrium perfectus lavandi modus. 16
Metallica quomodo, & cur variis liquoribus abluenda. 17
Adusta aquâ abluenda. 642.18
Ut mitiora fiant elixanda. 19
Quando prosunt. 93.54

Mictio cruenta.

Aliquando periculi expers. 450.344

Morbus.

Acutorum victus accuratè instituendus. 29.1
Autumnalium diæta. 37.13
Initio non semper movendum. 76.10
A sero acri ortus quomodo curandus. 78.17.
Si causa complicatur huic primo attendendum. 105.32

In complicatis quomodo agendum. 106. 34.35.

Mucilago.

Extrahendæ ratio. 640.13

Muliebres affectus.

Cur mulieres morbis magis obnoxiæ quàm viri. 457.1

Aliter ac viriles curandi. 2

Uterus an omnium morborum muliebrium author. 458.3

Similitudo totius corporis cum utero in quo statuenda. 459.4

Mulieres decolores malè habent à detractione sanguinis. 5

Mulieri ob ætatem sterili crebrò vena secanda. 6

Betonicæ vires in affectibus uterinis. 460.7.

Mulsa.

Quomodo & ex quibus paranda. 63.50

Ex saccharo parata. 64.51

N

Narcotica. *Vide* Vigiliæ p. n.

In dolore temerè non usurpanda. 96.65

Rarò iis utendum. 107.43

Nunquam applicanda suturis capitis. 106 44.

Nec intra aures. 107.45

Pueris non conveniunt. 107.46

Narium affectus.

Fœtor *aliàs alteratione, aliàs purgatione emendatur.* 288.283

Siccantia aliquando ex usu, aliquando humectantia. 288.284

Siccis naribus *Balneum utile.* 288. 285.

Vibrissarum *evulsio periculosa.* 288. 286.

Natura.

Quò vergit eò ducendum, Explicatio. 107.47.

Cùm symptomaticè operatur, quid agendum. 114.60.61

Nausea.

Quando humores vomitu, quando per secessum vacuandi, prius etiam præparandi. 369.64

O

Obesitas nimia.

Creta & aceti usus ad curationem nocuit. 615.306

Oculorum affectus in genere.

Eorum morbi difficiles. 280.241

Euphragia non omnibus eorum affectibus conducit. 280.242

Siccantia nimium noxia. 280.243

Et Errhina. 280.244

Quies mentis convenit. 280.245

Alvus semper sit libera. 280.246

Purgatio nimia nocet. 281.247

Et frigida admota. 281.248

Lacrymas cientia an conducant. 281. 251.

In doloribus aliquando feriandum à remediis. 282.252

Decubitus supinus confert. 283.255

Mitioribus agendum in iis quibus glauci sunt oculi & venæ amplæ. 283.257.

Sternutatoria fugienda. 283.259

Oculorum dolor. Ophthalmia.

Humor causa mistus est. 281.249

Collyria repellentia nocent. 281.250

Aliquandò feriandum à remediis. 281 252.

Lacte qua cautione utendum. 283. 260.

Opij usus neque frequens neque multus sit. 284.261

Adstringentia valida fugienda. 284. 262.

Lentore prædita nocent. 284.263

Albumini

Albuminis ovi usus ratio. 284.263
Emplasticis quando utendum. 284.264
Fœnugraci herbâ utendum, non semine. 284.265.
Fœnugr. abluendum ante decoctionem. 285.266.
Paucissima externa remedia admovenda. 285.267

Oleum.

Olivarum *recens quomodo veteris naturam induat.* 720.214
Omphacinum *tempore maturescit.* 721.215.
Omphacini adulterati dignotio. 216
Falsificatum. 217
Amygdalini *extrahendi ratio.* 218
Rosati *parandi modus.* 722.218
Galenicus improbatur. 219
Fiat ex olivis maturis. 221
Galenici verus parandi modus. 723.222.
Violaceum *fit ex omphacino.* 223

Orgasmus humorum.

S. M. sedatur. 130.19
Purgatione irritatur. 79.18

Oris Fœtor.

Curationis capita. 290.291

Orthopnœa.

A calculo in renibus. 433.303

Oxymel.

Parandi ratio. 65.52
Seplasiariorum quid. 65.53
Est sorbitio. 66.54
An humectet. 66.55
Imbecille ad crassa incidenda quodnam. 66.55
Galenicum in acutis non ita commodum. 66.56
Paretur ex aceto non acerrimo. 66.57
Usus nimius noxius. 75.8
Usus in vomitu ciendo. 95.61

P

Palpitatio cordis.

Oritur sæpe à frigiditate ventriculi & calore hepatis. 347.181
A muco in cor illabente. 347.182
Ab aneurismate in Liene. 347.183
Omnis V. S. juvatur ex Galeno. 347.184.
Qua vena secanda. 348.185
Cassia necem intulit. 348.186
Rheum qua ratione juvat. 348.187
A vermibus inducta. 348.188
Ab abscessu interno, pyrotico curata 348.189.
Quando & quatenus sanguis mittendus. 349.190
Quæ cautio in S. M. si ab hujus copia. 350.191.
Cucurbitulæ quando applicandæ. 350.192.
Qua vena secanda. 350.193.
Arteriotomiæ quando locus. 351.194
Quæ arteria ferienda. 351.195
Cucurb. quando dorso affigendæ. 351.196.
Si à flatibus ventriculo consulendum. 351.197.
Si sit à flatibus calidis non utendum præsente materia. 351.198
In M. S. repellentia cordi admovenda. 351.199.
Corde laborante, in crassis humoribus, diuretica & hidrotica vitanda. 352.200.
Si ex serosis, optima sunt. 352.201
Carminantibus miscenda subadstringentia. 352.202

Panatella.

In acutis quomodo conficienda. 61.44.

Paralysis.
Non temerè vena secanda *cùm humor frigidus est in motu.* 255.151
Vinum *noxium.* 256.152
Initio leniter agendum. 256.153
Quadam analepsi curata. 256.154
Sudorifica *aliquando prosunt etsi pars extenuata.* 257.155
Scorbutica missa initio postulat, renuit per os exhibita. 257.156
Quando ab initio purgandum. 257.157
Sudorifera *inutilia, Diuretica optima.* 257.158.
Olea calidiora nocent. 258.159
Vesicantia *utilia.* 258.160
Rubificantia *quando cōveniunt.* 258.161
Cucurbitularum usus. 258.162

Parotides.
An iis imminentibus vena secanda. 543.59.
Ad suppurationem deduci non debent. 60.
Alvus debet esse libera in iis qui vexantur. 61.

Paroxysmus.
Febrilis reducis causa. 156.3

Partus.
Moderatè præbeatur vinum hippocr. 510.207.
Excluso falso germine videndum an quid sit superstes. 511.211
Tormina medicamentum excitans. 208
Balneum adstringens puerperis noxium. 209.
Obstetricibus ne temerè credat Medicus. 512.211.212.
Non adjuvandus ob preces parturientium. 213
Promoventia sæpe noxia. 214
Fœtum excludentibus quando utendum. 215.

Pathemata animi.
Moderanda in ægris. 43.42
Vis eorum in excitandis morbis. 44.43.
Excandescentia quibus confert. 45.44

Peripneumonia.
Erysipelas Pulmonis. 317.71
Peripneumonia sicca. 299.9
Animi deliquium non impedit S. M. 318.72.
Illico secanda vena interna. 319.73
Nisi lateris dolor simul infestet. 319.74
Fotus conferunt. 319.75
Balneum an conferat. 319.76
Anacatharsis quomodo promovenda. 320.78.
Alia est à cerebro, alia à venis. 321.83.
Pulmonum phlogosis. 322.84

Pestis.
Cur sanguis semper detrahendus. 173.51.
Aliàs juvat V. S. aliàs nocet. 173.52
In pestilente constitutione præpurganda corpora. 174.53

Phimosis.
Chirurgiam non semper requirit. 456.363.

Phrenitis.
Orta à sanguinis effusione nimia. 232.59.
Vena capitis aperienda. 233.60
Narcotica conferunt ante purgationem. 233.61.
Galli exenterati solùm sub declinationem admovendi. 233.62
Statim vena secanda. 233.63
Si non potest secari vena in brachio, non secanda vena frontis. 233.64
Sanguis non mittendus ad animi usque deliquium. 234.65
Si secanda vena frontis, blandè collum stringatur. 234.66
Post appositas cucurbitulas *quid faciendum.* 234.67

Purgandum *ab initio & quomodo.* 234.68

Rheum non dandum in iis qui duriori sunt alvo. 234.69

Solis repellentibus *aliquando utendum ultra principium.* 235.70

Non diu frigidissimis utendum. 235.71.

Aceto parcè utendum. 235.72

Acidum citri aceto praeferendum. 235.72.

Phthisis.

Non omnis est ab affluxu è capite. 336.146.

An purgandum. 337.147

V. S. utilis iis qui ad eam vergunt. 337.148.

Aliquando siccantibus, aliquando humectantibus utendum. 337.149

Hypnotica cautè praescribenda. 337.150.

Syrupus optimus in metu tabis à catarrho. 338.151.

Balneum confert. 338.152

Diaeta. 338.153

Difficulter instituitur juvenibus tabescentibus quibus thorax malè conformatus. 338.154.

Iusculum medicatum supplet vicem lactis asinini. 339.154

Iuscula consummata aliquando noxia. 339.155.

Caloris excessus in phthisicis temperandus. 339.157

Lacti asinino quando locus. 339.158

Lacte quomodo utendum. 340.159

Vinum noxium. 160

Phthiseos à fluxione retrorsum facta curatio. 340.161

Non omnis lethalis. 341.162

Lacti sumpto indormiendum. 341.163

Blandè alvus mollienda. 341.164

Pingues.

Quomodo macrefaciendi. 42.34

Pilulae.

Ventriculum roborantes minutissimae sint. 694.116

Aggregativae. 117

Aloefanginae. 689.111.112.113

Cochiae. 695.119

De Agarico. 120

Rhabarbari. 697.125

De Fumaria. 698.125.126.127.128.129

Foetidae. 699.130.131.135.136

Sine quibus. 700.137.138

Aureae. 701.139.140

De Cynoglossa. 141.142

Aloeticarum abusus cuidam exitialis. 93.56.

Quando parvae aut magnae esse debent. 103.17.

Validissimae ne sint magnae. 104.18

Capitales à coena non dandae. 232.55

Potus.

In acutis qualis. 64.48

Pleuritis.

Variae sunt causae, hinc varia medendi ratio. 296.1

A diffusione seri à capite. 297.2

A sero & ichore ex hypochondriis expresso purgatione curanda. 3

A cacochymia ex hypochondriis expressa. 298.4

A flatu orta nocet V. S. 5

In ea quae fit à congestione à frigore, non purgandum. 299.6

Nocet S. M. si fit à flatu crudo & frigido. 7

Pulmonicis adveniens V. S. non curanda. 8

Pleuritis sicca à sero acri & maligno. 9

A sero acri orta purgationibus & ptyalismo antevertenda. 300.10

Inde orta sexto die sudore desinens. 11.

Lien affectus lateris dolorem infert. 12

Hepar tumidum pleuritidis speciem imponit. 300.13
Dolor lateris in febribus non pleuriticus. 301.14
In epidemia erysipelatode non convenit V.S. 15
A vermibus V.S. irritata. 16
Luis venereæ soboles litu & diatâ curanda. 302.17
Videndum an febris sit essentialis, an non. 18
Pueri rarò laborant. 19
Pleuritidis ex dorso *curatio.* 20
Robusti V.S. etsi repetita non juvantur. 303.21
In nutricibus est gravis. 22
Ascendens. Descendens. 23
Crebra V.S. juvat etiam præsente magna cacochymia. 306.24
S. M. abusus. 25
Fotuum & cataplasmatum noxa. 306.25.
Dolor etsi evanescat usu remediorum, non tamen esse securus debet Medicus. 26
Cuidam notha V.S. convenit. 307.27
Festinatio in S.M. aliquando noxia. 28.
Enixæ falsæ obnoxiæ S.M. curandæ aliquando. 29
In Gravidis gravis. 308.30
Ascendenti non semper V.S. convenit. 309.31.
Eruptione mensium sedata. 32
Parvo loco circumscriptæ S.M. convenit. 33
Frequens ab infirmitate partis S.M. sed parca curanda. 310.34
Biliosæ frequens S.M. non confert. 35
Sputum sanguineum quando. 36

Purgatio.

Canon observandus sive supra sive infra instituatur. 77.12
Bono habitu præditis non convenit. 13
Iis qui pravo utuntur victu cautè præscribenda. 78 14
Prohibetur à colliquativis dejectionibus. 79.15
Morbo crudo quando decernenda. 19
Purgandi indicatio ex urinis. 20
Ex lingua. 80.21
Die critico aut eo instante non convenit. 22
Purgantia accommodanda corporibus, non contra. 82.23
In purgantium præscriptione idiocrasia attendendum. 24
Purgantia sumendi consuetudo mala. 83.25.
Solennis non intermittenda. 26
Temerè præscripta salutarem sudorem inhibet. 84.28
Virium imbecillitas à cacochymia orta eam non impedit. 31
Cautè tum agendum. 32
Qui pravo victu utuntur eam ægrè ferunt. 85.33
Valenter purgantia quibus noxia. 34
Κακόχροοι purgandi, non εὔχροοι. 87.35.
Valida purgantia hyeme non danda, 89.39.
Diarrhœâ aut vomitu imminente ea non danda. 90.40
Neglecta noxa. 90.41
Ventriculus cùm respuit, quid agendum. 91.43
Purgans movens non excludens, noxium. 90.42
Purgantium vim quanam obtundunt. 92.51.
Blandum leniens scammonio aliquando præferendum. 93.57
Purgandus æger interrogandus. 98.23
Pharmaco sumpto an dormiendum. 100.6.
Purgans sumptum quomodo retinendum. 101.7.

Non

Non semper jusculum præbendum. 101.8
Non operantis excitatio. 9
Purgans glacie non refrigerandum. 102.13.
Purgantia sint ὁμοιοτροπα. 103.16
Blandis sumptis catharticis superdormire licet. 199.10
Debiles cùm purgantur è lecto ne surgant. 203.24.

Ptisana.

Quomodo condienda. 61.43
Sorbitio post purgans. 94.58

Ptyalismus.

Per mercurium excitatus. 96.68

Pustulæ.

Venereæ ad suppurationem non ducuntur. 624.343

Radices.

Quando eligendæ & quomodo conservandæ. 638

Raucedo.

Negligenda non est. 345.176.
An purgandum. 345.177
Aliquando siccandum, aliàs humectandum. 346.178
Unicuique causæ contrarium opponendum. 346.179
Ab Hypochondriorũ vitio orta. 346.180

Remedia.

Ubi copia decernenda, quomodo procedendum. 106.36
Valentissima in extremis morbis ab initio præscribenda. 106.37.38

Renum dolor.

Hæmorrhoidum fluxu sanatus. 434 308.

Renum inflammatio.

Quæ vena secanda. 429.289
Post sectam venam in brachio, secanda in talo. 290
Clysteres sint paucæ quantitatis. 291
Initio non purgandum sed blandè leniendum. 292
Rhabarbari usus suspectus. 430.293
Impensè refrigerantium usus & in initio malus. 294

Renum Calculus; Nephritis.

Eorum dolor specie Splenici imponens. 432.301.
Colicus specie nephritici. 433.302
Orthopnœa à calculo in renibus. 303
Non omnes arenulæ calculi sunt indices. 434.304
Non omnes sunt à renibus. 305
Urinæ fallaces. 306
V.S. eximiè confert. 307
Non eadem sint remedia in curatione & præcautione. 309
In pueris potius habenda est ratio causæ materialis, In viris efficientis. 435.310
Temperamenti diversitas variat remedia. 436.311
Generationis diversitas alia atque alia remedia postulat. 312
Diuretica sæpe noxia. 437.313
Uretica aliquando magis conveniunt quàm diuretica. 314
Refrigerantia admota sæpe nocent. 439 315.
Lignum decoctum quando ex usu. 316
Aquarum sit delectus ad præcautionem & ad curationem. 317
Victus ratio. 318
Exercitatio qualis esse debet. 319
Verè purgantibus aliquando locus. 440. 320.
Lenientia sola non sufficiunt. 441.321
Calculo ureteres occupante, diuretica mala. 442.322
Diuretica in præservatione sæpe noxia. 323.
Thermales aquæ in curatione sæpe suspectæ. 324

Renum ulcera.

Conducit ligni decoctum. 431.295
Aquæ naturales non conveniunt. 296

Citò

Citò cicatrice obducenda. 431.297

Validè exsiccantium usus malus. 298

Lac quomodo usurpandum. 432.299.300.

Repellentia.

Solis in initio quando non est locus. 107.42.

Respiratio difficilis.

Causa non semper in pectore. 225.95

Frequenti & valida purgatione curata. 326.97.

Rerum humidarum usus confert. 326.99.

Aquæ minerales noxiæ. 326.101

Catarrho non semper imputanda. 326.102.

A sero nitroso nervos thoracicos imbuente. 327.101

Causa sæpe latet in ventre inferiore. 327.102

Dyspnœa vitium sæpe transfertur à thorace ad imum ventrem. 328.103

Orta ab occulto diaphragmatis vitio. 328.104.

A corde. 328.105

In Asthmate *attenuantia & calidiora nocent.* 328.106

Siccantia nocent. 328.107

Diuretica mala. 328.108

Purgantia quomodo usurpanda. 329.109.

Vomitus noxius. 329.110

Ius veteris galli inutile. 329.111

Sudorem moventia quando & quomodo juvant. 329.112

Sudorifica sine dulcibus medentur. 330.111.

In paroxysmo purgans non dandum. 330.114.

Blandiendum in paroxysmo. 330.115

Hoc præsente vitentur clysteres. 330.116.

Et vomitus. 330.117

Supinus non sit decubitus. 330.118

Pectus nec fricetur nec foveatur. 330.119.120.

Medicamenta mutentur. 330.121

Rhabarbarum.

Initio morborum aliquando nocet. 91.49.

Ejus infusio in vino febrem excitat. 103.15.

Triturandi ratio. 682.92

Electio. 696.123

Boni signa. 697.124

Rheumatismus.

Descriptio. 536.41

Generatio. 42

Nec catarrhus est, nec arthritis. 53.38.43.

Humorum diffusio Rheumatismo affinis. 44

V. S. princeps est remedium. 540.45

Repellentia nocent. 46

Εὐδιαφόρησις procuranda. 541.47

Cucurbitulæ & hirudines juvant. 48

Purgatio nocet. 49

Enemata juvant. 50

Thermæ & hidrotica noxia. 51

Frigida admota nocent. 52

Et adstringentia valida. 53

Fonticulorum usus conducit. 542.54

Genuum superstitis tumoris curatio. 55.

Rob.

Absolutè dictum quid significat. 696.121

Sanguinis missio.

Cautè vena secanda in plethora impura. 117.2

Biliosa quomodo confert. 117.3

Parca sit in melancholica. 117.4

Et in pituitosa. 118.5

Quando convenit cùm sanguis in alienam naturam abiit. 118.6

Sanguinis cruditas quando V. S. respuit. 119.7

Mutatio in alienam naturam non prohibet. 117.8

Si simul sint cruditas & plenitudo non statim ad eam veniendum. 120 9

Non quo sanguis laudabilior, eo liberalior esse debet. 121.10

Impurissimus sanguis quibus viscera integra detractus fuit. 124.11

Formosis mulieribus impurus sæpe sanguis demitur. 125.12

Sanguis in superficie albicans corruptionem non indicat, hinc nec V. S. 125.12.

Indicatio iteranda S. M. ex hujus impuritate, fallax est. 125.13

Ad coloris usque mutationem quando fieri debet. 127.14

Urinæ biliosæ, uti nec biliosæ tincturæ expertes non semper eam insinuant. 128.15.

Qui longo tempore parum gignunt sanguinis, ij parcè vacuandi. 129.16

Humores bilefacit. 129.17

Quando pinguefacit. 130.18

Orgasmus humorum S.M. sedatur. 130.19.

In morbis acutis festinata sæpe nocet. 130.20.

In decoloribus mulieribus parca sit. 130.21.

Profusior damnanda. 130.22

Frequentior nocet. 131.23

Locum habet in extenuatis. 131.24

Ad leipothymiam sanguis non ducendus. 131.26.

Eam non tolerant quibus mobiles & tenues spiritus. 132.27

Virium infirmitas quanam non prohibet. 133.28

Si pigrè fluit sistatur. 133.29

Ægro credendum de facili aut difficili tolerantia. 133.30

Corporibus duris sæpe noxia. 133.31

Quidam robusti eam tolerant. 134.32.

Quibusdam biliosis confert, quibusdam non. 134.33

Vix tolerant ij quibus angusta vena. 134.34.

Autumno debet esse parca. 134.35

Si ardent & squalent viscera parca sit. 134.36.

Ne fiat quamdiu impura est prima regio. 135.37

Alvi fluor non semper impedit. 135.38.

Sudor initio morbi apparens eam non impedit. 135.39

Die critico potest institui, & quovis morbi tempore. 136.40

Puerilis ætas non prohibet. 136.41

Mulieres facilius tolerant quàm viri. 137.42.

Consuetudo non est indicans. 138.44.

Venarum delectus non negligendus. 139.45.

In latere sinistro periculosior fuit quàm in dextro facta. 139.46

Sterilitatem an inducat pone aures facta. 139.46

Quando præire purgationi debet. 140.48.

Cùm utriusque adest necessitas, non perinde est unde incipias. 140.49

Suppuratum sæpe impedit. 140.50

Noxia est partibus proximis ubi fit V.S. 141.51

Silente Luna noxia. 141.52

Non fiat noctu aut vesperi præterquam in melancholicis. 141.53

Somnus eâ factâ an concedendus. 141.54.

Ante, aliquid præsumendum. 142.55

Non statim ab ea plenè est alendum. 142.56.

Cùm vena secanda, omnia admota removenda. 142.57

Non omnis pulsus intermissio prohibet. 142.58.

Cum summa pulsus debilitate facta juvit. 143.59

Viribus summè infirmis potest celebrari. 143.60

Maturè facta impedit ne sanguis in ichorem & serum abeat. 144.61

Vitiosi emissionem minor debilitas sequitur quàm puri. 144.62

Multo sero dilutus non semper vitiosus. 144.63.

Ætas provecta non semper impedit. 144.64.

Immodica catarrhorum fuit causa. 4. 65.

Noxia siccis. 146.69

Facta post sudoris eruptionem noxia. 146.70.

In ea celebranda cautus sit Medicus. 46.73.

Non semper præmittenda alvi lenitio. 148.1.

Si sanguis malus minor dematur quantitas. 148.2

Coloris mutatio non semper expectanda. 48.3.

Nec in inflammationibus internis. 149.4.

Quando expectanda. 149.5.6

Si menses in ipsa S. M. fluant, quid agendum. 150.11

Carnosi à pinguibus distinguendi. 151.13

Vitæ instituti ratio habenda. 151.14

Repetita quomodo facienda. 151.15

Quando. 151.16

Revulsiva repetitio quando eodem die facienda. 152.17

Ad animi usque deliquium rarò facienda. 152.19

Quando præcedere debet fæcum eductio. 152.20

In morbo præcipiti illico facienda. 153.21.

Cautiones in sectione venarum brachiorum. 153.23

Quando per se à centro ad circumferentiam trahit, & quando per accidens. 206.35.

Scabies.

Per contagium excitata solis Topicis curanda. 608.291

Scammonium.

An elixari possit. 684.98

Adstringentia illi non addenda. pag. 92.§.52.

Scedenegi.

Est lapis hamatites. 672.70

Et pag. 706.§.160

Scroti affectus.

Abscessus ad suppurationem innoxiè deductus. 455.362

Semina.

Electio, conservatio. 639.4

Frigida quomodo trituranda. 689.94

Senna.

Quomodo infundenda. 91.45

Sericum.

Cremandi ratio. 660.52

Serum Lactis.

E lacte quomodo extrahendum. 112.51

Qua quantitate assumi debet. 112.52

Incorrupti servandi ratio per aliquot dies. 680.87

Singultus.

Non omnis est à repletione aut inanitione. 365.45

Adstringentia quando conveniunt. 366.46.

Usu vini Hippocratici sedatus. 366.47.

Cucurbitulis admotis. 366.48

Attenuantia & calefacientia sæpe nocent. 366.49

Sitis

Sitis immodica.

Quando frigida bibenda, quando calida. 369.65

Somnus.

Qualiter ineundus naturâ calido. 38. 17.

Somnus non capiendus corpore vestibus contecto. 43.40

In multam lucem productus nocet. 44. 42.

Somnus initio accessionum aliquando concedendus. 69.61

Immodicus in acutis quando permittendus. 69.62

Soporosi affectus. *Vide* Lethargus.

Comatosis acriora oxyrrhodina conveniunt, & diu usurpata. 238.38

Fotus ex oleis tutò non adhibentur. 238. 84.

Sterilitas.

Terebinthina vis. 508.203

Salvia. 509.204

Consultatio de sterilitate, Ex parte viri, an ex parte mulieris. 205

Strumæ.

Calidis non sunt curandæ. 545.68

Hydrargyrosi soli cedunt. 69

Suppuratio cautè promovenda. 646. 70.

Scrophularia nomine tenus sanat. 71

Conferentia. 72

In contumacibus quibus utendum. 73

Rad. gladioli vis. 74

Suchaha.

Quid, ejusque antiballomenon. 714.187

Succus.

Ex herbis quando extrahendus. 639.5

Non exprimendus ex iis collectis ante ortum Solis. 6

Succorum conservatio. 7.8

Quidam exsiccandi ut conserventur. 9

Soli expositi cooperiendi. 640.10

Incrassandi igne temperato. 11

Igne incrassandi ne excipiantur vase æneo. 12

Sudor.

Noctu erumpens non cohibendus insanis. 614.303

Particularis non semper malus. 304

Olidi remedium. 305

Purgationem non semper impedit. 83. 27.

Morbi prænuntius an eam prohibeat. 84.28.

Morbi initio apparens S. M. non semper impedit. 135.39

Syrupus.

Syr. rosarum vis. 91.46

Violati usus post purgans. 92.50

Rosar. solut. lenientibus non adnumerandus. 112.49

Quando in principio concedendus. 112. 50.

De Pomis simplex. 708.165

Miva simplex. 166.167

De cichor. cum rheo. 167.169

De Polypodio. 709.170

Regis Saporis. 171.172.173

De Pomis compositus. 710.174

Menthæ. 175.176.177.178.179.180

De Hyssopo. 712.181

Absynthij. 182.183.184.185.186

De Eupatorio. 714.187.188.189.190

Fumariæ. 715.191.192

Epithymi. 193.194

Stœchados. 716.195

Liquiritiæ. 196.197.198

De papavere. 199.200.201

Duarum radicum. 202.203.204.205.

Byzantinus. 718.206

Miva cydoniorum. 207

T

Tabes.

Tabescentis pueri curatio. 518.22

Temperantia.

Nimia sæpe insalubris. 42.32

Tereniabin.

Quid sit. 704.155

Terminthi.

Innoxiè sæpe erumpunt. 172.49

Tinea.

Inveterata curatio. 549.86

Tremor.

Initio morbi contingens vacuationem non respuit. 258.163

Cuidam multa anacatharsis contulit cum dejectionibus. 259.164

Σπασμότρομος quid. 260.165

Trochisci.

Galliæ moscata. 702.143

Gallia simpliciter dicta quid. 702.146

Gallia aloesangina. 147.148.149.150.151.

Rhabarbari. 704.152

De Eupatorio. 153.154

De Berberis. 155.156

De Capparibus. 705.157.

Terra Lemniæ. 158

De Myrrha. 707.164

Tumores p. n.

Non omnium origo à vitio interiorum partium repetenda. 542.56

Tumor fugax, flatus soboles, S. M. cedens. 57

Suppurationem V. S. impedit. 543.58

In fronte pyrotico sanatus. 624.342

Trituratio.

Præcepta rite facienda. 649.31

Tussis.

Causa non semper in capite quærenda. 342.165.

Ei quæ à vitio pulmonis latente oritur styptica nocent. 342.188

A frigida causa non semper inducitur. 342.189.

Quintana. 343.168

A pulmonum pruritu. 343.169

Narcoticis sedata & pilularum usu. 343.170.

Nocent styptica si humor serinus obsidet pulmones. 344.171

Si destillatio sit maligna cautè agendum. 344.172

Tussis in prægnante. 344.173

Vigiliæ an conducant. 344.174

Pilulæ à cœna non dandæ. 345.175

V

Varices.

Tutò aperire licet. 547.81

Variolæ. Morbilli.

Purgantia ante eruptionem utilia. 515.7.

Exanthemata quando promovenda, quando sinenda. 516.8

Febris superveniens qualis. 9

Vena quando secanda. 10

Cum ante febrem apparent nihil moliendum. 11

Non solis alexiteriis curantur. 12

Rubiolarum natura. 517.13

Epithemata regioni hepatis non admovenda. 14

Hidrotica prosunt. 15

Dolores quomodo sedandi. 16

Dyspnœa aliquando Rubiolarum indicium. 17

Potus exhibendus calidus. 18

Cardiaca in suspicione V. utilia. 19.

Exanthemata sine febre suspecta. 518 20.

Quibus promovenda. 21

Iis apparentibus facta S. M. innoxiè. 171.47.

Non semper malignitatem indicant. 172.48.

Ante & post eruptionem potest fieri S. M. 174.54

Febres adultorum morbillis vagantibus alexiteriis curandæ. 175.55

Lentium decoctum inutile. 219.59

Venerea.

Usus qualis. 45.45

Venus languida.

Abusus calidorum ad tardos excitandos. 453.352

Discrimen tardi, fatui, insulsi. 353

Varietas causarum perpendenda in curatione. 354

Congressus impotentia ob nimiam Venerem. 454.355

Semen gignentia & provocantia differunt. 356

Venerea lues.

In judicio ferendo num quis sit inquinatus, cautus sit Medicus. 618.320

Dolores in habitu pertinaces ut plurimum sunt venerei. 619.321

Fermentum Venereum vix aboletur. 322.

Inspicienda natura infecti & inficientis. 323

Curatio clàm facta infida. 324

Quidam fimo coopertus convaluit. 325.

Hidrocathartica repudianda. 326

In marcore litus hidroticis potior. 620.327.

Decocta hidrotica ex vino optima. 328.

Hydrargyrosis sola extinguit luem. 329.

Ad eam non deveniendum nisi in inveterato & rebelli malo. 330

Qua vi medeatur. 622.330

Quando convenit. 331

Non statim illinendum si aliquid efflorescit in cute. 332

Litus noxa quomodo præcavenda. 333

Universalis litus suspectus in pueris. 623.334.

Febris comes remediorum usum non impedit. 335

Ab inunctione labes in plurimis partibus remanet. 336

Aquæ naturales nocent hydrargyrosin passis. 337

Vini usus concedendus. 624.340

Litus intempestivi noxa. 341

Alia curatio debetur morbo inchoanti, alia in progressu. 625.344

Bubonibus non apparentibus, Diæta susque deque non habenda. 345

Morbo inchoante tenuis victus malus. 346.

Et exercitium validum. 347

Carie apparente qualis cura esse debet. 348.

Morbo progresso purgandum. 627.352

In principio lenientibus abstergentia & purgantia addenda. 353

In syrupis addenda alexipharmaca. 354.

Pilulis purgandum declinante morbo. 355.

Syrupi solventes commendandi. 356

Ut & Pulveres & Electuaria. 357

Guajaci electio. 628.358.359.360

Ejus scobs neque crassior sit, neque in pollinem redacta. 361

Vinum in parandis decoctis optimum. 362.

Vinum medicatum in cura luis. ibid.

Decocta solventia rarò in usus veniant. 363.

Sudores quomodo proliciendi. 364

Evaporatoriis in calidis & siccis naturis utendum. 365

Inter sudandum crebro non purgandus æger. 366

Sudores non statim ab assumpto sudorifero proliciendi. 367

Chinæ decoctum quomodo parandum. 368.

Salsæ guajaci portio semper addenda. 630.369.
Salsæ decoctum æstate quomodo parandum. 370
Guajaci decoctum non longâ coctura eget. 631.371
Zarza decoctum mirabile ad tabidos. 372.
Saponariæ decoctum. 632.373
Medicamentorum ex hydrargyro usus. 374.
Inunctiones & suffumigia prudenter administranda. 633.375
Inunctiones ex hydrargyro sint validæ, aliàs inefficaces. 376
Inunctio quando præferenda Suffumigio. 377
Suffumigij formula. 378
Ore aliquando excipienda. 634.380
Quæ præmittenda usui. 381
Hydrargyri quantitas. 382.
Crocus absit ab inunctionibus. 383
Olea calida unguentis quando addenda. 384
Sudorifera inunctionibus non præmittenda. 385
Inungendi modus. 387
Inunctio quando interpolanda. 635 388.
Sputo uberius erumpente quid faciendum. 389

Ventriculi dolor.

Aliquando dolet per consensum à thorace. 358.24
Imponit tanquam hypochondrij dolor. 359.25.
Topica nimis calida nocent. 359.26
Stomachicorum usu curatus. 359.27
Vini usus fuit noxius. 359.28
Causa aliquando obscura. 359.29
Hieræ usus. 362.37

Ventriculi imbecillitas.

Omnibus medicamentis roborantia addenda. 354.3
Cautè adstringendum. 354.4
Actu frigida inimica. 355.5
Caloris sicci usu offenditur. 355.6
Inunctio oleis chymicis inimica. 355.7
Remedia etiam posticæ parti admoveri possunt. 356.8
Hieræ quando locus. 356.9
Non purgandus nisi præmisso fotu. 356.10.
Purgetur per solidiora. 356.11
Purgantia quædam illi inimica. 356.12.
Medicamenta ne debiliora sint. 356.13
Quando vomitus utilis. 356.14
Vinum absynthites non semper conducit. 357.15.
Humiditas nimia quomodo emendanda. 357.16.
Rerum liquidarum usus noxius. 357.17.
Myrrha inimica. 357.18
Puelli ventriculo admoti juvant. 357.19.
Cavendum ne ab eo admoto excitetur sudor. 358.20
Vel pollutio nocturna. 358.21

Ventriculi inflammatio.

Adstringentia laxantibus addenda. 358.22.
Accuratissimus sit victus. 358.23.
Purgantia fugienda. 362.33
Quæ vacuantia conveniunt. ibid.
Rheum nocet. 362.34
Opiata quando juvant. 362.35
Frigida intus & extra quando convenit. 362.36

Ventus.

Per rimulam intrans noxius. 42.36
Austri vis malefica. 42.37

Vermes.

Hydrargyri usus suspectus. 396.170
Diagnosis difficilis. 171

Geniti ab obstructione cystis. 397.172
Cautio in usu vermes necantium. 173
Dulcia vel pinguia illis miscenda. 174
Ante emplastra necantia clysteres dulces injiciendi. 175
Emplastra ubi admovenda. 176
Iis enecatis per os assumpta quid agendum. 177

Vertigo.

Arteriotomia *quando confert.* 244.100.
Trochisci viperini eam inducunt. 244.101.
Balneum quando confert. 244.102
Variè medendum. 244.103
Sternutatoria & caput purgia fugienda. 245.104.

Verrucæ.

Portulacæ vis in iis exterendis. 547.80.

Vesicæ calculus.

Pituita in ea concreta calculum mentitur. 443.324
Et caro concreta in osculo vesicæ. 325
Catheter in exploratione fallax. 326.
Humor pituitosus putris in vesica eadem invehit symptomata quæ calculus. 327.
Dysuria à pituita calculum mentiens. 328.
Crassa vesicæ substantia calculi speciem exhibens. 329
Humor crassus in vesica itidem fallens. 444.330.
Cassia nocentissima iis quibus extractus lapis. 331
Clysteres blandi post lithotomiam noxii. 332.
Vulneri detergentia non imponenda. 333
Lithontriptica lap. in vesica fictitia. 334
Unica cura est per excisionem. ibid.

Vesicæ ulcera.

Injectiones in vesicam alia si adsit calculus, alia si ulcus conjunctum. 447.335

Vinum.

Jejunis non porrigendum. 39.20
Ejus frugalis sit usus in sanis. 40.22
Si noxium & tamen ventriculus exposcit, quomodo corrigendum. 40.23
Vinum acutè febrientibus non convenit. 67.58
Quibusdam in locis planè abdicandum. 67.59.
Ad decocta & infusa paranda idoneum. 94.59.

Vigiliæ p. n.

Narcoticorum usus suspectus. 239.88
In vigore morbi noxia. 240.89
Cavendum ab eorum usu in iis quibus cerebrum est frigidum. 241.90
Papaverum decocto cautè utendum. 241.91.
Hyeme hypnotica cautè præscribenda. 242.92.
Rigida hyeme contingentes hypnoticis sedata. 242.93
Somnifera qua hora exhibenda. 243.94.
Frequentior usus esse non debet. 243.95.
Parcè pueris danda. 243.96
Repleto corpore aut Capite non administranda. 243.97
Danda post parcam cœnam. 243.98
Non danda initio paroxysmi. 244.99

Visus hebetudo.

Non semper augetur facta V. S. 282.253.
Quibus debilis acies nativa ij sine remediis non sunt relinquendi. 282.254

Ulcera.

Vetera non claudenda. 548.82.
Pertinax ope hydrargyri curatum. 83
Aquæ minerales utiles. 549.84
Tumores supervenientes curationem non exposcunt. 85

Venerea vix curantur. 624.338

Vlcuscula cum Quartana febre simul curata post hydrargyrosin. 339

Vnguenta.

Mauritanis quid significent, Et ex quibus componantur. 223.224

Apostolorum. 724.225. ad 230

De Althaa. 725.230.231

Ex plumbo. 232.233

De Tuthia. 234

Rosar. Mesue. 235

Agrippa. 727.236

Populeum. 238.239

Comitissæ. 728.240

De Arthanita. 729.241

De Lithargyrio. 244

De Calce. 245

Album, sive de Cerusa. 730.246

Ceratum Galeni. 247

Ceratum Oesipi Philagrij. 730.248

Diachylum majus. 249

Diachalcitis. 250

Vomitus.

Vtilior purgatione quando. 94.60

Quando conducit ventriculo exonerando. 95.62.

Vtilius excitatur quàm purgatio. 102.10.

Tabidis inimicus. 101.11

Quibus non convenit. 102.12

Fugiendus frequentior. 367.54

Non diutius insistendum. 367.54

Potius repetendus quàm diu illi insistendum. 55

Repetiti quales esse debeant. 57

Qui singulo mense fiunt non habeant diem statutum. 368.58

Non illico sistendus. 366.50

Clysteres juvant & boli ex Rheo. 367.51.

Inanis rheo dato &c. sanatus. 367.53

Qui abstinendi. 368.59

Quando jejuno ventriculo, quando pleno vomendum. 60

Crassis humoribus in ventriculo existentibus à cibo vomendum. 61

Vomituri ne nimis repleantur. 62

Vomitorio assumpto quamdiu à vomitu abstinendum. 63

Vrina.

Tinctura biliosa expers non suadet V.S. 145.68.

Febricitantium intempestivum sedimentum aliquando habet. 159.11

Vrinæ suppressio.

Non omnis diureticis curanda. 448.338

Coitus fuit causa. 449.339

Antiparalyticis curata. 340

A tumore circa osculum vesicæ emollientibus curata. 341

Vterini dolores.

Excitati à Pilulis hystericis. 502.179

Narcoticis sanati. 180

Vteri gangræna.

Verus potest abscindi si hac sisti nequit. 460.9.

Veri Prolapsus, Descensus, Aversio.

Ejus aversio Ischiadem mentitur. 504.188.

Aliter agendum in descensu, aliter in procidentia. 505.189

Adstringentia removenda tempore fluxus menstrui. 190

Vteri Complicatio. 191

Vultus rubor.

In rubore fugaci Narium visceribus succurrendum. 613.301

Acetariorum & horariorum fructuum usus insaluber. 614.302

Vulnera.

Partium nervosarum tardè ad cicatricem deducenda. 549.87

Tumor superveniens in bonis duci debet, nec citius discutiendus. 88

In capitis vulnere *ex parte opposita vena secanda.* 550.89

Et purgandum metu abscessus in Iecore. 559.90
Simplicium in carne curatio. 567.113
Sanguis non statim exprimendus. 568.114
Sanguine fluente vulnus non consuendum. 115
Ante curationem peregrina corpora auferenda. 116
Fasciarum & deligationum utilitas & varietas. 117
Fasciarum latitudo, varietas & qualitas. 569.118.
Longitudo qua. 119
Qualitas qua. 120.
Substantia qua. 121
Sint coloris albi. 122
Sint munda & tenues. 123
Deligatio *quomodo facienda* 124
Ora vulnerum utrinque comprehendat. 125
Neque arcta neque laxa sit nimis. 126
Quando esse debet inaequalis. 570.127
Pulvilli triangulares maximè unioni inserviunt. 128
Labia vulneris quomodo adducenda. 129
In suturis quae spectanda. 130
Suturae non adhibendae in multum hiante vulnere. ibidem.
Celsi sententia refutata de sutura facienda non uniente. 571.131
Suturâ *ubi non utendum.* 132
Cruentis quando adhibenda. 134
Unionis per fibulas praestantia. 135
Fibularum diligentia ex Magato sumenda. ibidem.
Unitis labiis quid praestandum. 136
Fluxio quomodo inhibenda. 137
Defensiva communiter usitata non multum probanda. 138
Vulnera in sanis simplicia, S.M. purgationem & victum quomodo rejiciant. 139
Cavorum apud antiquos & recentiores curandi ratio. 140
Quae quidem recipienda sed non aequali modo curandi. 574.141
Sarcoticis non sunt per se adstringentia miscenda. 142
Agglutinantia & sarcotica varianda pro varietate naturae. 143
Stuppatae ad sistendum sanguinem rarò in usum ducendae. 575.144
Sanguinis sistendi rationes. 145
Vulneris cavi *nova curandi ratio.* 576. 146.
Medicamenta imponenda illi quae & qualia. 147.
Medicamenta à tota substantia addenda sarcoticis. 577. 148.
Olea tenuissima crassioribus liganda. 149.
Contusis *suppurantia praemittenda.* 150
Dum suppurantibus utimur, caloris naturalis est habenda ratio. 151
Vulnus detegendum quoties. 152
Vulnere repleto carne, quae apponenda cùm cicatrix inducenda. 578.153
In vulnere alio modo in principio curato quomodo procedendum. 154
Quomodo, si stuppatae aut turundae in usu venerint. 155
Quid agendum si vulnus diutius curatum fuerit antiquo more. 156
Si vulnus angustum sit & sine effluxu, quid agendum. 157
Detegenda saepius vulnera quando. 579. 158.
Vulnera detegenda in operationibus. 159
Aut ubi aliquid demendum. 160
Aut si mutandum medicamentum. 161
Aut si quid enatum sit quod auferendum. 162
Aut si caro enata sit nimis spongiosa. 163
Aut ob gangraenam. 165
Aut putredo, sordes & vermes genita. 166
Aut impeditus effluxus. 580.167
Et partis inflammatio. 168.

Retentum & corpusculum. 580.169
Et os separatum. 170
Abscessus. 171
Vehemens dolor. 172
Aut erosio & pruritus. 173
Vulnera solvenda non per se sed per alia. 174
Caeteroqui rarò solvenda. 175
Vulnera detegenda tempore cicatricis. 176.
Vulnere tecto quomodo cognoscantur quae solutionem persuadent. 177
Nervorum puncturis *valida exsiccantia adhibenda.* 582.179
Nervi caeca punctura *quid requirat.* 180.
In nervi punctura *quantitatis effluxae materiae habenda ratio.* 181
In punctura Nervorum *extremè siccantia fugienda.* 583.182
Si validis exsiccantibus utendum, quomodo procedendum. 183
Euphorbij quantitas varianda pro illius aetate. 184
Ut & pro varietate corporum. 185
Ad nervos punctos remedia nova inventa securiora quàm Galenica. 186
Dolore urgente prius is mitigandus. 584.187.
Aqua calens ad dolorem mitigandum admitti non debet. 188
Dolore sedato quomodo procedendum. 189.
Imminente phlegmone quid agendum. 190.
Denudato nervo quid agendum & quibus. 191
Olea tenuia crassis adjungenda. 585.192
Resinae punctis nervis applicandae laventur. 193
Nervis scissura per longum magis periculosa. 194
Contusis quomodo medendum. 195
Semisecti incidendi ne convellantur. 585.196.
Nunquam urendi. 197
Neque oleo calido adurendi. 198
Imò ne mediocriter calido fovendi. 199.
Olea stillatitia utilia cur. 586.200
Frigida omnia fugienda in vulneratis. 201.
Ne te pentia sint olea. 202
Vulnera in nervis etiam rarò detegenda etsi dolor adsit. 203
Putredinosa solvenda sunt citius. 204
In Capitis vulnere simplici *agglutinationes non sufficiunt.* 587.205
In bene sanis tamen aliquando sufficiunt. 206
Vulnera in musculo temporali *curanda ut nervosa.* 587.207
Contusio in capite *quomodo curanda.* 208.
Contuso musculo temporali *quomodo procedendum.* 209
Secantes in forma quantum peccent. 210.
Quando secanda cutis in vulneribus capitis. 211
Cutis capitis & pericranij sectio rarò facienda. 212
Sectio in formam crucis rarò facienda & quando. 213
Sectio in musculo temporali rarò facienda, & quando & quomodo. 214
Sectio in suturis rarò facienda & cur. 589.216.
Nec in occipitio. 217
Abrasio ossis cur fiat. 218
Abradendum rarius. 219
Superficies cranij emortua per se saepe dejecta. 221
Abrasio rarò esse debet profunda. 220
Sectio in fronte per rectum est facienda & cur. 216

Abrasio cranij quomodo administranda. 589.222.
Scalpro quomodo utendum. 590.223
Scalpro *sutura ne attingantur.* 224
Abradendum donec rima evanescat. 225.
Rima *longa non tota abradenda.* 226
In rima non semper abradendum. 227.
In sede *quousque abradendum.* 228
In sede sub rima quid præstandum. 591. 229.
In sede ex ictu punctivo quomodo curandum. 230
In ossis collisione quomodo abrasione utendum. 231
Calvariæ incisæ introcessio cum exitu quid requirat. 232
Calvariæ introcessio cæca quid requirat. 233
Introcessio calvariæ cum fractura ossis quomodo curetur. 234
Calvariæ parte abscissa quid agendum. 235.
Calvaria incisa, & materia collecta, quid agendum. 592.236
Calvaria in ictu integra, & sanguine subeffuso quid agendum. 237
Aquæ vitæ vel balsami usus derasis pilis, non recipiendus. 593.238
Terebratio aliquando facienda, & quando. 239
Rarò terebrandum. ibidem.
Terebrationis exercendæ signa demonstrativa. 240
Terebratio non semper facienda osse fracto. 241
Terebrationis exercendæ & temporis signa. 242
Excisio ossis quomodo præstanda. 243
Terebratio in suturis quomodo exercenda. 244
Terebratio fugienda in læsione ossis sub musculo temporali. 245
Terebrationis tempus. 246
In terebratione quando subsistendum, & quando mutanda terebra. 595.247
Perforatio primis diebus facta periculosa. 248
Terebrandum statim si collecta sit materia. 249
Terebratio sit recta & æqualis. 250
Terebrato & exciso osse quid agendum. 251.
Membrana sana neque aquâ ardente, aut melle rosaceo, aut oxymelite utendum. 596.252.
Osse exciso non sunt linamenta imponenda. 253
Osse exciso quid præstandum. 254
Effluxus quomodo parandus. 597.255
A terebratione solvendum aliquando vulnus. 256
Quibus vulnus terebratum abstergi debeat. 257
A terebratione si sanguis subsit, quid agendum. 258
Detegere vulnus quando debeamus. 259.
Sanguine concreto sub calvaria quid agendum. 260
Membrana denigrata quomodo procedendum. 261
Membrana ex frigore denigrata, quid agendum. 262
Fungo in membrana nato quomodo medendum. 598.263
Vulnere cerebrum attingente quomodo procedendum. 264
Cephalici pulveres sunt inutiles. 265
Nigredo calvariæ quomodo curanda. 266.
Purgationes in curatione vulnerum conveniunt. 599.267
Vulnera Oculorum quomodo tractanda. 268.

Adnata tunica vulnerata quomodo curanda. 600.269

Nasi vulnera quomodo curanda. 600.270.

Sternutatio quomodo arcenda. 271

Thorace vulnerato cum perforatione quid agendum. 272

Tubulo utendum pro materia expurgatione. 273

Per tussim malè educitur materia in vulnere thoracis. 274

Tubuli quantitas in vulnere thoracis. 275.

Tubulus qualis. 691.276

Tubulo quid superponendum. 691.277

Vt effluat materia quid agendum. 278

Curatio per injectiones rejicitur. 279

Lotionibus per injectionem quando utendum. 280

Tussis non prohibeatur in vulneribus thoracis. 281

Acetosa fugienda. 282

Pulmonibus vulneratis pro curatione nihil instillandum. 283

Vulnerariarum potionum usus. 602.284.

Diaphragmatis vulnerati curatio. 285.

FINIS.



LVDOVICI

LVDOVICI
SEPTALII
MEDIOLANENSIS,
TRACTATVS
DE NÆVIS.



LECTORI CVRIOSO ET CANDIDO

AVCTOR S. D.



EREOR equidem, ne, si quis ad Nævorum inspectionem vocatus accesserit, aut avertat velut à re vili oculos, aut cum tædio advertat. Quæ enim dignitas, inquiet, quæ utilitas, aut amœnitas esse in re deformi poterit; cùm naturâ omnes pulchrum, non sensus tantùm, sed animi quoque imperio usurpare appetamus? Nolim te absterreat composita, & efficta ad veritatem oratio: Nam si locum rationi feceris, etiam in Nævo pulchritudinem, & sic in ipsâ hac tractatione dignitatem, utilitatem, & amœnitatem invenies. Veneris, Amorisque ille Poëta Naso commendare faciem non dubitavit, in quâ nævum aliquem benigna Natura expressisset. Quòd si ad Universi contemplationem me conferam, in cœlo stellæ, in terrâ urbes, sylvæ, montes, & lacus, quid nisi nævi, & velut maculæ quædam sunt, ut Cicero ipse appellavit? quæ tamen omnia partim Natura, partim Ars ad pulchritudinem effinxit. Sed mirum profectò, & cognitione dignissimum, quo ordine per humanum corpus nævi isti sparsi conveniant, & quâ harmoniâ copulentur. Si rectè consideras, velut indices animi, internæque imaginis esse propositos fateare. Nævos igitur explico, & quid nisi ipsum hominem, quem in solâ facie beneficio nævorum repræsento? Sed ut concedam, humilioris argumenti, & secundùm tituli pretium tenuem scriptionem hanc esse; occupare tamen (sed non nisi per remissionem) me ipse tenui scriptione volui: cùm ut ingenii amœnitate quâdam, & publico, ut ita dicam, ludo, cives & amicos meos recrearem, quos severiore jam sæpius doctrinæ argumento occupasse videbar: tum (liberè enim dicam) ut parvo libro ostenderem, me non in re Medicâ solùm, sed etiam in Philosophiâ, in Astronomiâ, in cæteris etiam scientiis artibúsque mediocriter versatum. Te igitur compello, & rogo, Candide Lector, *ut, qui aliàs ingenium meum in gravioribus expertus es, nunc libellum istum inspicias, atque ames, in quo corporis animique tui imaginem non minùs feliciter, quàm diligenter expressam invenies: rogo, inquam, ut Nævos hos, Naturæ ipsius notas, inspicias; sed Nævos illos hominum, qui pallent, tument, desipiunt, fugias, atque detesteris. Ita bonus, & absque Nævo sis.*

LVDO-

LVDOVICI SEPTALII
MEDIOLANENSIS,
TRACTATVS DE NÆVIS.



ITAM, & conditionem mortalium huic uni necessitati in primis obstrictam esse Natura voluit, ut summâ quisque ope, & industriâ seipsum publicæ utilitati impenderet, déque ingenij sui arcâ publicum litterarum censum promoveret: Ita enim futurum erat, ne jam inventæ, paratæque à majoribus artes atque scientiæ intercideren t, néve apud posteros inertia atque ignavia nostra accusari posset, si ingenij aliquod monumentum profuturum seculis ipsi reliquissemus. Id verò etsi ad omnes omnino homines, præcipuè tamen ad eos spectare videtur, qui bonæ naturæ, fortunæ, & institutionis dotibus faciliùs, fœliciúsque scribendi, ac docendi munus exsequuntur. Hi enim, ut Beatus ille Horatianus,

Nec excitatur classico truci,
Nec horret iratum mare.
Forúmque vitat, & superba civium
Potentiorum limina.

ita remoti ab omni tumultu bellicò, à divitiarum studio, ab omni ambitu, ac invidiâ dominandi, bonas omnes artes discunt, ac docent, quibus & militem ad bella forment, & ad concordiam civem hortentur, atque de optimo vitæ genere disputantes, boni Principis prudentiam laudent, cupidinem, mali castigent. Quare, cùm & ego ab ineunte ætate tranquillam hanc Musarum & quietis viam ingressus sim: enitendum mihi pro virili censui, ut si non doctrinam, saltem investigandi desiderium, studiumque, quo publica utilitas juvaretur, publicè probarem. Quare in hanc quoque arenam prodii, rem aliquam naturâ suâ difficilem, scitu utilem, auditu jucundam, nulli hactenus pertractatam, nulli percognitam, curiosè diligenterque excussurus. Quia verò præcipuum hominis munus videtur esse, naturam hominis ipsius ante rerum omnium indagationem perscrutari, aque cognoscere (quemadmodum divino oraculo prodiit Γνῶθι σεαυτὸ) in animum induxi, de hominis naturâ in primis differere, atque secundùm varias corporis affectiones, latentes atque occultas à Naturâ tributas animo virtutes, in conspectum proferre: Quæ scientia cùm propria nostra censeatur, ac de nobis agat, inter omnes jucundissima ac gratissima esse mortalibus debet. Cùm verò hæc eadem, quid ad boni viri nomen

conse-

consequendum agere, quid vitare debeamus, doceat; inter omnes utilissima, & maxima censenda est. Cùm denique argumentum ipsum sit, homo animalium omnium perfectissimus atque pulcherrimus, scientia hæc quoque omnium perfectissima atque pulcherrima meritò habetur. Itaque velut è pectore hanc venustatem è Naturæ fontibus hauriamus, pro virili hanc perfectionem indagemus, utilitatem hanc capiamus, hanc denique dulcedinem delibemus.

2. Signorum, quibus natura nostra revelatur, scientia, à Philosophis observata, à Medicis celebrata, ab universo humano genere in pretio atque admiratione semper fuit. Sapientes Indi neminem olim ad Philosophiæ studia, aut ad Regnorum gubernationem admittere solebant, nisi, priùs exploratis corporis signis, aptum planè, dignumque tanto munere reperiissent. De hac igitur nobilissimâ scientiâ, quam φυσιογνωμίαν Græci appellant, dum disputare aggredior, in fortunam, consiliumque prudentis, ac periti nautæ mihi videor incidisse: hic enim, dum honoris honestâ quâdam cupidine obsessus, aut lucri desiderio correptus, vasta ac immensa Oceani spatia pererrat, ac fortè fortuna à recto tramite & cursu in ignotam terram tempestate depellitur, obsequitur ventis, cedit fluctibus, &, si ad terram feratur, oram, & extremam aliquam rerum faciem lustrat: Ita penitus mihi usuvenisse comperio, qui immensum illud, nec ex omni parte perlustratum pelagus naturalis Philosophiæ ingressus, ut Physiognomiæ amœniorem naturam, id est, corporis nostri exteriorem faciem, & delicias lustrarem, nimiùm laxans ingenii mei vela, & desiderio obsequens, quasi in ignota terrarum delatus videor; in Nævorum, inquam, scientiam, quibus & facies, atque adeò universum corpus distinguitur, & animus ipse quasi in apertum producitur. At scientiam hanc partem Physiognomiæ esse, aut huic subjectam, ex argumenti ipsius confinio comprehendi facilè potest. Cùm enim Physiognomia nihil sit aliud, quàm affectionum animi cognitio, ab universo corpore, & unâ quâque parte, in primis verò à facie sumptâ; cùmque à nævis, qui per universum corpus, præcipuè verò per faciem sparsi sunt, animi affectiones colligamus; manifestum est, nævos ad Physiognomiam pertinere. Tametsi verò mirum id cuipiam fortassis, & quasi longinquum à finibus Naturæ, atque Rationis videri possit; si quis tamen attentiùs, severiúsque rem ipsam pensitabit, non minùs admiratione dignum censebit, affirmare, nævum, in labris situm, hominem parasitum, & ad gulam projectum significare; quàm si in idem vitium, qui eminentibus, rotundis, tumidisque labris fuerit, inclinatum esse dicamus. Hac de re etsi Melampus, Medicus Atheniensis antiquissimus, ab Homerò *libro* XV. *Odyssea* nominatus, aliquid scripsit, qui solerti quâdam industriâ, quid nævi in quâque corporis parte significarent, edocuit; etsi quoque inter Arabes Abenragel, in eâdem arte majus quidpiam emolitus & consecutus sit: Neuter tamen eò penetravit, ut causam aliquam, saltem verisimilem reddiderit, sed quasi meri Empirici primâ quæstione universum laborem clauserunt: quæ quidem infra veri Philosophi dignitatem posita est, quia intra angustias ejusmodi conclusa. Est

enim in hac Physiognomiæ parte majus, & admirabilius quiddam, fœcundiore studio, & explicatione dignum. Quomodo scilicet, cùm per universum corpus nævi, velut casu, quodam sparsi sint, certum inter se ordinem, & veluti cognationem habeant: Ab illis enim, qui faciei inhærent, reliquos, qui per corporis partes diffusi sunt dependere, & velut regulâ certâ monstrari posse, experientia ipsa manifestum facit.

3. Res profectò mira, sed tamen certa: Nævus, qui in fronte conspicitur, comitem, & velut sodalem suum in thorace habet; sed illâ in parte, quæ collo proxima, cordis, & membrorum spiritalium regio est, universam illam partem, diaphragmate cinctam, & ab imo ventre, sive abdomine distinctam, comprehendens. Unde si in mediâ fronte nævus conspicitur, majori ex parte in medio pectore, aliquando in medio dorso inter scapulas reperietur: Quantò verò à rectâ illâ, & per medium frontis demissâ lineâ in dextram, sive sinistram partem nævus discedet, tantò etiam versus alterutrum brachiorum, sive humerorum deflectet: ita ut aliquando nævus, in extremâ fronte juxta tempora constitutus, alium in humeris repræsentet: atque id ratione quâdam confiniorum, seu vicinitatis, cùm aliæ, uti dicemus, partes sint, quæ humeros sibi nævorum ordine respondentes habeant. Quemadmodum verò dextra & sinistra, sic quoque superiora & inferiora pariter sibi respondent; ita quidem, ut si capillis vicinus nævus fuerit, vicinus quoque collo reperiatur: si juxta nasum & supercilium, in inferiori pectoris parte impressum observemus. Nasus verò quam partem corporis referat, lippis jam & tonsoribus notum est: Quare, quem situm in naso nævus habet, eundem etiam in vase, sive pene obtinebit; videlicet dextrum, medium, aut sinistrum in vase, ut in naso dextrum, medium, sinistrum occupabit; extremum præputium, si in orbiculo nasi situs fuerit: radicem virgæ, & ad pubem superiùs, & ad coleos inferiùs, si confinium frontis & nasi tanget. In muliere idem obtinet, eundemque, quem in naso nævus situm habebit, in labris naturę occupabit: si verò in pinnulâ nasi consistet, ferè in superiori parte, ubi nymphæ enascuntur, invenietur. Quòd si etiam hi nævi, sive verrucæ naturales in naso sint, sed juxtâ spatium, quo oculi distant, reperientur itidem inter scrotum & virgam secundùm dextræ, sinistræve partis situm. Si lens, aut nævus aliquis in palpebrâ supra pupillam reperietur, certo certius alius in eâdem parte scrotum juxta testiculum tenebit: item, si ille in superiori parte palpebræ, hic super testiculum in adversâ scroti parte erit. Si ille in palpebrâ inferiori, hic in scroti aversâ parte versus clunes. Nævus verò, qui in supercilio supra oculum hæret, sodalem suum in humero ejusdem lateris notat; ita quidem, ut si ille, supercilio extremo velut adhærens, aurem respiciat, hic in clivo humeri juxta brachium retrò occupaturus sit. Si verò supercilio inferior è regione oculi collocatus erit, confinium humeri, brachij, & pectoris habebit. Sæpius etiam evenire solet, frontis nævos quandoque ad illos, qui in thorace, quandoque ad illos, qui in dorso impressi sunt, referri, cùm ambæ illæ partes quasi una sint, iisdemque costis circumscriptæ, atque munitæ. Quæ quidem relatio cum accuratâ animadversione dextri, medii, sinistri; item superioris, atque inferioris accipienda

pienda

pienda eſt. Si verò in Genis nævus conſpicitur, etiam in coxis cònſpicietur ; ita quidem, ùt quantò ille naſo, tantò hic vaſi, & inguini propior : quantò verò ille mandibulæ verſus aurem, tantò hic natibus vicinior exiſtat : niſi quòd interdum tamen, cùm ſignum iſtiuſmodi latum ſolummodò digitum à naſo diſtat, etiam in ipſo pudendo nævus reperiatur. Quòd ſi ſubter oculos in cavitate ſupra malarum eminentiam ſignum erit, nævum ſub axillâ, concipe altiùs, humiliúsve, eſſe ſecundùm ſitum illum, quem in facie habet ; qui ſi altior erit, ſed ipſi quaſi oculo ſuccumbens, erit quoque nævus in ipſo armi, ut ita dicam, jugo : ſi verò altior, ſed à latere ſuperiùs, juxta orbes oculorum (ita tamen, ne eos tangat) armi poſterioris verticem occupabit. Nævi, qui juxta aurem ſiti ipſam quaſi tangunt, comites ſuos in brachii ſpatio, quod ab humeris ad cubitum protenſum eſt, oſtendit, dextro & ſiniſtro obſervato : Hinc ſi in ipſâ aure apparebit, ſecurior, faciliorque divinatio erit : ſi verò tres digitos ab aure abſit, lateribus clunium nævis adhærebit : ſi verò per duos tantùm digitos disjunctus, in ſignatâ brachii parte, ſed verſus dorſum reperietur. Nævus, qui ſuperiori labro imminet, naſumque ferè tangit, eo in ſpatio, quod inter pudenda, podicemque interjectum eſt, ſocium eſt, ſocium eſſe indicat : ſed qui ab interfinio narium pendebit, oppoſitum ſuum in perinæo, ſive in ſuturâ medium ſcrotum interſecante, oſtendet. Contingit verò non raro, ut cùm à naſo tres digitos remotus ſit, non ampliùs partem illam dictam, ſed pubem notet (etſi hæc, ut plurimùm à nævis, in inferiori labro atque mento conſtitutis, oſtendi ſolet) atque interdum etiam non ad pubem, ſed ad genu contemplantem remittat : quod tantò frequentius continget, quantò ſignum inferius erit. Nævi, qui à Naturâ in malis picti ſunt, infra labrum inferius, ipſumque non tranſcendùnt, oppoſitos ſuos in abdomine repræſentant ; in ipſo quidem abdominis medio, ſi in ipſarum genarum meditullio expreſſi fuerint : Quòd ſi tamen ſignum in extremo mento conſpicietur, nævus in pube juxta pudenda ſignabitur. Nævi qui Aures tenent, lacertos reſpiciunt : ac ſi anſa auriculæ nævum geret, nævus quoque carpo, ſive manui vicinus erit : ſi verò ex oppoſito ſummum capreolum occupabit, etiam in ſupremo lacerto cubito proximus exiſtet. Quòd ſi in ipſo meatu, ſeu conchâ, & interiore auris parte nævus hærebit, in volâ quoque manûs deliteſcet. Si in exteriori parte, eundem quoque ſitum in manu deprehendes.

4. Sed non Facies duntaxat, quæ nuda, & expoſita intuitui eſt, neque nævi, qui in facie reperiuntur, oppoſitos ſuos in reliquis corporis partibus denotant ; ſed manus etiam, & brachia, quæ & ipſa oculis ex parte ſubjecta ſunt, hanc vim poſſident. Quare ſi in brachio ſuperiori nævus deprehendatur ſupra cubitum, pro explorato habe, in crure juxta genu nævum quoque reperiri : at ſi in averſâ brachii parte erit, in ſurâ quoque eſſe : quòd ſi verò in lacerto hærebit, oppoſitum ſuum in medio crure reſpiciet : Si etiam prope manum, ſive carpum, in collo, ut ita dicam, pedis ſupra talos exiſtet. Si denique in digitis manûs, pariter quoque digiti pedum inſigniti erunt. Quâ quidem ratione etiam aures ex parte tibias demonſtrabunt.

5. Sed animadvertere oportet, regulas hasce non perpetuò veras, aut certas esse, cùm res naturales, sicuti & fundamenta hujus scientiæ, interdum fallant; quemadmodum Arist. 2. *de par. animalium* docet. Si enim res ipsæ naturales à veritate quandoque desciscunt, multò magis nævi, & signa hæc divinantem destituent; neque tantùm illa, quæ coæva non sunt, & post ortum casu aliquo adnascuntur, verùm & illa interdum, quæ in ipso utero materno finguntur, & à desiderio, sive malaciâ fœminarum originem habent.

6. Atque hactenus quæ dixi, alij etiam ante me complexi ingenio, & expressisse scriptis videntur, sed ita succinctè, ita etiam variè, & ineptè, ut quasi frivola, imò penitùs vana nævorum divinatio esset, suæ sibi scientiæ fidem, pretiúmque dempserint. Mirari autem satis non possum, neminem è Veteribus illis, qui summâ cum industriâ omnia scrutati sunt; neminem etiam ex Neotericis nostris, quibus indagandi curiositas superest, fuisse, qui causas aut rationes hujus scientiæ, si non necessarias, saltem verisimiles explicare tentaverit; cur, inquam, faciei nævi pares suos, per corpus sparsos, certo quodam ordine ac situ respiciant atque demonstrent. Itaque hoc ipsum Naturæ secretum explicare aggredior, difficile, extremis difficultatum tenebris involutum, ab Antiquis non tantùm neglectum, sed ne quidem nominatum. Quod dum facio, nihil mihi superbiùs tribuo, nec Antiquorum gloriæ quidquam detraho, non enim meópte ingenio invenisse glorior, quod non potuerunt Antiqui; sed tentâsse, & quæsivisse, quod de industriâ illi neglexerunt, aut tentare recusârunt. Neque tamen viribus meis ita confido, ut, quidquid voluntate concipiam, studio exequi possim; sed ut eruam, & sublevem mirandam hanc Naturæ molem & machinam, cui sustentandæ, atque firmandæ, optima deinde ac solida illa ingenia fulcrum faciliùs subjiciant, & Orbis ævúmque nostrum à nobis quoque accipiat, quod admiretur.

7. Rerum omnium Conditor Deus, postquam Mundi machinam creâsset, quam ob magnitudinem, & varietatem rerum lustrare oculorum obtutu, perscrutari mentis acie difficile erat, quasi peritus Geographus, in exiguâ tabula, id est, ipso homine magnam, ac admirabilem illam molem describere, imò compendio quodam perfectissimè comprehendere voluit, ut quasi typus Mundi, atque adeò μικροκόσμος, idest, *parvus Mundus* diceretur. Id autem ostendere, quâ scilicet ratione cuncta, quæ in Vniverso continentur, in homine aut repræsentata, aut expressa sint, facillimum mihi foret, nisi excedere dictionis & propositi mei limites viderer. Quia tamen duas homo partes habet, animam, & corpus, multíque fuerunt, qui in corpore seorsim Mundi similitudinem, ipsumque Mundum distinxerunt, non videbor longiùs ab instituto meo recedere, si animam ego considerem, & in eâ id ipsum faciam, quod in corpore alij fecerunt.

8. Principio igitur, ut à cælestibus illis corporibus, & sphæris æthereis, quemadmodum è certâ observatione constat, humanum corpus cùm concipitur, vim, virtutémque quandam propriam induit, quam Astrologi Jovialem, vel Saturniam dicunt; cùm aut benigno ambientis Jovis aspectu temperatus calore moderato sanguis mitiores mores producit: aut cùm aspero & sicco Saturni radio

radio arefacti humores, & quasi terrestres redditi, agrestes mores efficiunt: Ita quoque in animæ potentiis ipsa illa divina corpora quodammodo relucent. Luna quidem vi vegetandi, φαντασία, ingenióque Mercurius, potentiâ concupiscibili Venus, vitali Sol, irascibili Mars, naturali Iupiter, & inter hujus species retentrice Saturnus. Voluntatem verò haud dubiè octava & ultima sphæra repræsentat: ut enim hæc reliquas omnes motu suo orbes, ita illa reliquas affectiones animi movet, ducit, volvit. Itaque si dispositionem stellarum istarum, item vigorem, robúrque in ipso natali momento exploratum habuerimus, divinare non difficulter licebit, in quas potissimùm animi affectiones quis proclivis sit. Ita tamen, ut rationi, quæ, tanquam Princeps, regere & eminere imperio suo debet, locum suum concedamus: cùm in hunc finem liberum à Deo arbitrium acceperimus, ut ratione, veluti jure quodam, uteremur. Similitudinem præterea cum elementis anima habet: Cum terrâ quidem per sensus ipsos, in quam, velut per patentes aditus, rerum cognitio, & veritas se ingerit; cum aquâ ob imaginationem; cum aëre ob rationem; cum cælo denique ob intellectum. Quare ut corpore elementum alio aliud perfectius atq; potentius est; ita quoque in animâ aliud dominatur & eminet, aliud obsequitur & subest. Quando verò simul cuncta ita composita, & quasi expensa sunt, ut proportione suâ naturali simul consistant; in animâ quoque omnia composita, & moderata sunt, & quasi numeris quibusdam affectus omnes in harmonicam concordiam conspirant. Hac igitur ratione homo μικροκόσμος, sive parvus Mundus aut certè typus aliquis magni Mundi tam corpore, quàm animâ dici potest.

9. Quia verò in fabricâ hac humanâ, animi affectiones, interioresque corporis partes, miro ordine, ac magnâ sapientiâ dispositæ, conjunctæ, divisæ, sed oculorum indagationi subtractæ, naturam cujusque & inclinationem velabant atque occultabant; signa externa ista imprimere Deus voluit, quibus interna illa Facies hominis, sive conditio, & ad quas potissimùm affectiones, tam corporis quàm animi inclinaret, posset explorari. Unde mihi quidem videntur insigni injuriâ Deum Naturámque afficere, qui, utriusque defectum accusantes, apertum esse pectus desiderant, ad internum hominis statum dignoscendum: Imperfectè enim id ipsum eo modo, nec nisi cum periculo quodam communi fieri poterat. Deus autem mercatorem repræsentare voluit; Is enim, cùm universas tabernâ conditas merces exponere, aut producere in pergulam non possit, ex omnibus particulam in signum promit: ita Deus, cùm interna omnia subjicere oculis noluerit, signa tantùm produxit, quibus affectiones internæ cognoscerentur. Quia verò signa ipsa numero excedebant, varièque per universum corpus diffusa, alibi occulta, alibi velata, & velut abscondita erant, factâ quasi signorum congerie, eam in faciem dispersit, ac velut præ foribus suspendit, ad latentia & recondita signa omnia denotanda, animique ipsius affectiones, & statum explicandum.

10. Sed quid his longiùs immoror? Figuram Capitis videamus. Ecce rotunda est, id est, perfectissima, & ipsius Mundi quidam typus. Facies quid, nisi exemplar, & pictura Dei, ut rectissimè legislator Moses explicavit? Frons verò

in quâ actiones omnes intellectûs, velut per imaginem, expressæ sunt, & in quâ suprema illa animi potentia maximè actione elucescit, quid nisi supremos illos & Angelicos intellectus, cœlestémque ordinem ob oculos ponit? Iam ipsæ illæ frontis lineæ sex rectæ, una triangularis, à Metoposcopis ad septem Planetas referuntur: Prima quidem ad Saturnum, secunda ad Iovem, tertia ad Martem, quarta ad Solem, quinta ad Venerem, sexta ad Lunam, triangulus denique ad Mercurium, non sine vestigio (nisi superstitiosa sit isthæc curiositas) characterum sive notarum, quibus Planetæ figurantur.

11. Sed si propiùs Naturam ipsam consulentes, opinionum nebulas relinquamus, an non septem faciei aperturæ, per quas rerum species admittunt ad se sensus, & proprias obeunt operationes, septem Planetis aptè comparantur? Solem ecce, Lunámque cœli oculos vocamus: sic licebit oculos Solem, Lunámque hominis appellare. Iam Os, in quo prima venustas faciei consistit, Venerem repræsentat; Iovem & Mercurium Nares, cùm Nasus ipse pro Iovis sceptro, & Mercurij caduceo sit; Saturnum verò, & Martem Aures, ob similitudinem siccitatis. Nævi denique, per Faciem sparsi, sidera reliqua, sive stellas octavæ sphæræ.

12. Sed ut ad plagas elementares descendamus: Oculi & visus, ut Platonis, & Galeni dogma locum habeat, ignem referunt. Odoratum verò idem Galenus, *libro 7. de decretis Hippocratis, & Platonis*, existimavit aëreum esse; organum etiam Odoratûs vaporosum esse, & in qualitate aëreâ consistere. Gustus, docente Galeno *libro 1. de causis Symptomatum*, cùm instrumentum humidissimum omnium habeat, atque in qualitate humidâ consistat, aquæ potest comparari. Aures denique totæ cartilaginosæ, ac penè exsangues, terræ naturam & similitudinem ostendunt.

13. Vt autem composita ipsa consideremus, eorum insignis in capite, & præcipuè in facie typus relucet. Nam quod attinet ad mixta imperfecta, oculorum illæ caligines, & veluti fumi, quibus suffusiones producuntur, & præsagiri solent, aëris nebulas, caliginésque repræsentant: perfectæ suffusiones (vulgus Medicorum Cataractas nominat) & ὑποχύματα nubes densatas, & quasi gravidas commonstrant. Tonitrua & terræmotus ad sternutamenta & tussim: Pluviæ, nives, grandines ad lachrymas: Tempestates ad reliqua spissiora capitis excrementa: Irides ad genarum colores, qui variis ab anima modis proficiscuntur, referri possunt. Iam verò mixta perfecta ex absolutissimâ totius vultûs formatione nónne in cujusque, vel somniantis, oculos incurrunt? Res sanè animatæ in vultu ipsius Naturæ agitationibus innotescunt: Vegetativæ quidem, dum faciem alterari facillimè, augeri, imminui quotidie deprehendimus, neque per aliud instrumentum cibis, & potionibus recipiendis, & præparandis, quàm per os, & dentes aditus aperitur. Vbi porrò intimi, & extimi sensûs, nisi in capite, atque vultu, sedem esse videmus? Animam verò indagatricem rerum, illámque eximiam intellectûs facultatem, quæ νοῦς à Græcis appellatur, nónne docui in frontis ductibus, atque anteriori cerebri parte actionibus maximè elucescere, & lineamentis, tanquam in tabulâ, videri expressam? Quare nihil potest esse exploratius, quàm humani capitis, & maximè vultûs ornamentum, à summo illo re-

rum

rum Auctore Deo, tanquam operis hujus singulare exemplar, aut potiùs Archetypi illius, ac perfectissimi operis totius Mundi quodammodò formatum fuisse signum, & adumbratam imaginem: Non enim totius Orbis vastitas in hunc exiguum quasi gyrum compelli poterat, neque rerum omnium distinctionem hominis limitata structura, ac brevitas capiebat.

14. Hac igitur de causâ ita partes faciei Deus disposuit, & cum universo corpore comparavit, ut à nævis faciei ad alios corporis, velut à compendio, sive indice ad totius voluminis contextum, certissimâ divinatione duceremur. Ego verò ex hac admirabili totius oris dispositione, & cum reliquis corporis partibus conformitate, quam Græci ἀναλογίαν dicunt, exsolvam, ut opinor, naturalium causarum cœcos & latentes nodos, ac positam in medio difficultatem clarissimè expediam: quo scilicet pacto fieri possit, ut non solùm innatas animi affectiones, verùm etiam adhærentes corporis notas, & integumento vestium coopertas denudemus. Quod quidem negotium perarduum est, à nemine, quod sciam, hucusque tentatum, quâ nimirum ratione certis è partibus, & faciei maculis secretas, abditásque corporis labeculas colligere possimus.

15. Sed ἀναλογίαν, sive conspirationem, ut ita dicam, partium bifariàm solemus attendere; aut quantitatem, sive mensuram, aut substantiæ qualitatem, seu conditionem. Ex utrâque naturales causas eruere, atque in commune proferre constitui; alteram usurpato Proportionis nomine, alteram verò Similitudinis appellatione, ob majorem claritatem affecturus: ut si, exempli gratiâ, dicam; Nates eâdem analogiâ cum reliquâ corporis magnitudine mensurari, quâ genæ cum cæterâ vultûs parte conferuntur; isthæc quantitatis, sive mensuræ proportio erit: Sed si coxas, aut nates cum genis aliquo modo ostendam comparari, cùm sint torosæ corporis partes, cùm binæ, cùm eundem quasi situm obtineant; hoc ego similitudinis nomine pronunciabo. Quibus si causas, ex Astronomicis fontibus derivatas, adjungam, equidem existimo, tertiam me analogiæ conditionem daturum, lucémque aliquam difficili huic doctrinæ allaturum. Monitum tamen curiosum Lectorem volo, analogias ternas hasce simul in partibus omnibus faciei, & in partibus omnibus corporis pariter reperiri raro posse; sed cùm reperientur, tradita in principio norma, nunquam judicium tuum frustrabitur, nunquam nævorum divinationem infringet. In quibusdam verò binæ tantùm, aut proportio cum similitudine, aut proportio cum analogiâ Astronomicâ conjuncta reperietur; & tunc etiam utplurimùm ratio nævorum constabit. Denique sola cum similitudine proportio invenietur; & tunc non raro lubricâ suspicione divinatio laborabit. Sed nunc tres illas partes explicare eo ordine, quo proposui, aggredior.

16. Ac primò quidem, ut distinctè à me sub oculos ponatur proportio, quâ Faciei partes ad reliquum corpus referuntur, necesse est paucis, quam faciei partes proportionem inter se habeant, & qualem, perstringere: deinde, quomodo proportiones corporis inter se conveniant, declarare, ut tandem aliquando scopum meæ dissertationis intento digito significem, & quâ maximè ratione vultûs partes cum partibus corporis consentiant, innotescat. Itaque ut à Facie exordiar,

non

non eſt ignorandum, ternas hanc habere dimenſiones, quibus ad rectiſſimam menſuram revocari poteſt; nimirum longitudinem, latitudinem, profunditatem. Etſi verò communiter longitudo ſpectetur, cenſeo tamen, nec latitudinem omnino, nec craſſitiem prætermittendam eſſe. Vt autem hanc longitudinem rectâ ac æquâ normâ diſtinguamus, res videtur exigere, ut minimum illud menſuræ punctum indagemus, quo cæteræ deinceps particulæ faciei apertè dignoſcantur, inter ſe menſurentur, & denique ſubductis calculis ſumma totius vultûs ratio ducatur. Lacunula igitur, quâ labrum ſuperius duas in partes æquales, eminentem & cavam, dividitur; aut etiam alterutrum narium ſpatium, quod mediæ lacunæ pari dimenſione reſpondet, totius faciei minima erit, ſed peræqua dimenſio: aucta verò, ſive multiplicata plenam regulam, ac normam certiſſimâ ratione extendet: Duplicata enim ſpatium, quod à naſo ad labrum eſt, abſolutè complere ſolet: Quadruplicata aliarum plurium partium menſuram conſtituet, longitudinem ſcilicet oris, & oculorum, ſpatium, quod ab inferno labio ad menti terminum extenditur. Iam verò naſi, & aurium longitudo, illiúſque maximus ambitus, item ſpatium à naſo ſurſum ad confinium capillorum, ſeu frontis altitudo, & deorſum ad mentum pari menſurâ conſtat, atque ſeſquialterâ proportione ad prædictas quatuor particulas ſe habent; id eſt, ſex menſuras minimas exæquant. Oris, auriúmque ambitus pariter ſpatium, ab unius oculi extremo ad alterius productum, duplicatâ proportione proximè nominatas haſce reſpicit, atque duodecim minimas menſuras explet. Univerſæ autem faciei longitudo, frontíſque circuitus oris ambitum ſeſquialterâ proportione ſuperat, atque octodecim minimas menſuras complectitur. Spatium capillorum ab extremâ fronte ad primam poſtremi colli vertebram, item ſpatium, à mento ad verticem capitis productum, longitudinem faciei ſeſquialterâ proportione refert, ac viginti quatuor menſuras minimas comprehendit.

17. Quid pluribus me extendo? Admirabilem hanc potiùs partium ſymmetriam, & numerorum proportionem, & rerum concentum, atque harmoniam mirari ſubit. Videre, ſi diligentiùs mentis oculos adverteris, in faciei fabricâ liceat tot numerorum ſpecies, à Pythagoricis animadverſas, numeros pares, impares, pariter impares, impariter pares: Ex his verò primos, & incompoſitos, ſecundos compoſitos, perfectos, imperfectos, æquales, inæquales; omnéſque proportiones, tam Arithmeticas, quàm Geometricas, atque adeò Harmonicas. Deprehendas proportionem duplam, ſeſquialteram, ſeſquitertiam. Cognoſcas Harmoniam diateſſaron, diapente, diapaſon. Quæ omnia nimis longum eſſet, velut intento digito, demonſtrare, cùm ex iis etiam, quæ dixi, clara & manifeſta videantur. Quid verò, ſi ampliùs addam, in facie figuras omnes Geometricas, tam circulares, quàm rectas expreſſas videri? Mira profectò, atque planè ſtupore digna conſtitutio hæc faciei eſt: Quin digna potiùs, quæ univerſi hominis, imò univerſi Mundi perfectum, abſolutúmque quendam typum repræſentet. Repræſentare autem non poterat, niſi proportiones haſce omnes complecteretur. Etenim ſi totum corpus harmoniâ iſtâ compoſitum eſt, omnéſque ejus partes eaſdem proportiones habent, neceſſarium erat, unam aliquam partem conſtituere, quæ velut typus, ac regula reliquas omnes exactè, & veluti ad lineam menſuraret. Vnde ſimilis omnino

operi

operi universo typus esse debebat, & ab eo reliqui corporis signa, quasi cognatione quâdam paria, significari.

18. Quia verò summus ille rerum Plastes, vel ob materiæ seu exuberantiam, sive etiam defectum, vel ob agentis operationes, sive vehementes nimiùm, sive remissas, sæpius formâ laborare faciem animadvertebat, difficilémque hac de causâ divinationem, aut omnino falsam esse; regulam, ac certam quandam normam expositam oculis dare in corpore voluit, quâ & facies, & faciei omnes partes certò certiùs, an veræ, ac naturales essent, explorari possent. Hæc autem manus est, cui magnâ ex parte mortales immortalitatem debent. Manu enim & hostes debellantur, & vita defenditur, sphæræ, & novi velut cæli conduntur, urbes, domus, naves construuntur; manu vestes texuntur, omnia imitatione naturæ pinguntur; figuræ cælantur, statuæ sculpuntur, picturæ adumbrantur, & denique leges, historiæ, & libri scribuntur. Manus igitur, veluti totius corporis munus, faciei mensura est. Tanta enim faciei naturalis longitudo censeri debet, quanta à carpo ad extremitatem digiti impudici continetur, quæ quidem ratio in paucissimis hominum fallit: imò verò cùm faciei omnes partes proportione certâ mensurentur, ipsæ quoque partes manûs inter se, & cum reliquis membris dimensionem non fallacem habent. Ac primò quidem indicis longitudo, ab extremo unguis ad tertium articulum ab exteriori parte extensa, justam totius manûs dimidiatam magnitudinem docet: sempérque æqualis reliquo spatio, quod ad carpum usque procedit, invenitur. Intrinsecus verò id ipsum digitus impudicus demonstrat, quem si ab extremitate ad radicem usque trans monticulum mensuraveris, tantum inveneris spatij, quantum inde ad carpum reliqua manus tenet. Ungues ipsi singulorum digitorum longitudinem tantam habent, quantum est spatium à radice unguis ad primum articulum definitum. Digiti crassioris ambitus ejusdem longitudini certâ mensurâ respondet.

19. Aliæ multæ adferri in medium proportiones possunt, quibus manûs partes inter se mensurantur, nisi nimiùm prolixus videri possim, & illæ ipsæ facili videantur negotio deprehendi posse ex symmetriâ, sive similitudine, quâ partes inter se manûs, & faciei conveniunt. Quare, ut huc sermoni nostri operam transferre possim, universam faciem è manu, velut è tabulâ, accuratè constituam. Tanta est enim longitudo faciei, ac frontis ambitus, quanta est longitudo manûs. Spatium, quod à radice capillorum per frontem ad orbiculum nasi extenditur, medio digito; reliquum ad menti extremum reliquâ manu exactissimè mensuramus. Frontis prætereà altitudinem refert pars palmæ vicina, quæ prima & maxima indicis est: Secunda verò, simúlque juncta tertia, in extremitate unguis finiens, ab illo spatio, quod à supercilio ad nasi orbiculum decurrit, nunquam discrepâsse observatum est. Prima tamen, & major digiti medij pars æqualis omnino illi spatio invenitur, quod à naso ad mentum extremum porrectum est: secunda verò mentum ipsum mensurat: at annularis digiti pars major tractum illum justâ mensurâ exæquat, qui se à mento ad inferius labrum usque insinuat. Tertia verò medij digiti pars, ungui conjuncta, totam superioris labri lacunam, sive philtrum, à narium interstitio ad superius labrum deductum, æquè mensurat. Similiter in medio

digito, sive impudico tanta primi internodij versus manum est longitudo, quanta oris, si labri arcum filo commensuraveris; si enim rectâ in vacuis oris longitudinem mensuraremus, digiti pars illa excederet. Quin eadem pars frontis altitudinem etiam ostendet. Ipsa palma manûs in longitudinem latitudinémque mensurare malam solet. Atque in hunc modum manu, tanquam perfectâ mensurâ, uti possumus, quâ faciei dispositionem exploremus; ut facie tandem reliquas totius corporis partes sine errore secundùm proportiones à Naturâ constitutas, distinguamus. Id verò ut commodè fieri possit, planè necessum est, universum corpus ad symmetriam revocare. Neque molestus hac operâ ulli meritò videri debeo, cùm in hanc quisque curam incumbere toto studio deberet, ut seipsum ante reliquarum rerum contemplationem cognosceret; quare justâ reprehensione digni sunt illi, qui nullam cùm teneant suorum corporum rationem atque notitiam, in terrestrium tractuum investigatione, & maris immensitate pernoscendâ, atque adeò in vastissimis totius cæli spatiis circumscribendis totâ cogitatione desudant. Quemadmodum & illi aut ambitiosè nimis, aut nimis curiosè facere videntur, qui, rei domesticæ curis animo & cogitatione exclusis, ad civiles administrationes, & rerum publicarum gubernacula totis viribus feruntur.

20. Quare ut tandem aliquando manus ad institutum opus admoveam; Dico, Naturam summâ providentiâ, summóque studio corporis molem erexisse, facie in fastigio constitutâ, in quâ, velut in speculo, totus homo reluceret, & faciliùs in contuentium oculos incurreret, imaginésque affectionum animi repræsentaret. Corporis igitur veluti principium facies est, à quâ reliquæ totius corporis proportiones, sicuti à monade numeri, & à puncto lineæ dependent. Quare vulgatam statuo corporum longitudinem, siquidem hujusce regionis homines spectemus, novenâ totius vultûs longitudine constare potissimùm. Non enim inficias ibo, inveniri posse, qui majori porrectum, aut minori contractum mensurâ corpus habeant: cùm nonnulli corporis proceritate spatium faciei decies expleant; aliorum longitudo octies duntaxat: nonnunquam, sed perrarò, species faciem contineant. Grandiores verò faciem, decies repetitam corpore, reddunt; minores vix septimum spatium, rariùs octavum excedunt. Verumtamen est, ista Naturæ incrementa, & decrementa, in cujusque ætatis gradu quàm rarissimè deprehendi. Sed vix unquam brevitas corporis tam angustâ periodo concluditur, ut septenâ vultûs mensurâ non describatur, cùm peccare tam indigesto partu Natura non possit, corpus autem humanum rebus omnibus absolutum magnâ industriâ, ac harmoniâ architectetur. Grandiores verò in majori numero reperiuntur, qui integrâ mensurâ communem illam proceritatem superant. Sed illi, quidem felicioribus astris nati proportione perfectissimi sunt; ut hac quidem de causâ Aristoteles, ille optimus Naturæ interpres, pulchritudinem, majestatémque corporis magnitudine commensurare soleat. Itaque operæ pretium me facturum arbitror, si utriusq; hujus magnitudinis, illius, inquam, quæ noveno vultûs spatio absolvitur, pluriúmq; est; & illius, quæ hanc magnitudinem excedit, quæque perpaucorum hominum est, proprias mensuras indagare incipiam, ac ostendere, quomodo utræque istæ

magnitudines à capite ad calcem in novem, ac decem æquales, justasque partes distinctæ sint.

21. Quod ad priorem attinet, sciendum est, in facie, rectè, naturalique proportione formatâ (quemadmodum explicui) tria æqualia inter se spatia reperiri. Primum frontis est, à confinio capillorum ad nasi principium supercilia deductum; alterum nasi cum interstitio superciliorum; tertium, à naso ad menti extremum porrectum. Primum sapientiæ domicilium nonnulli veterum Philosophorum dixerunt: Secundum ad pulchritudinem retulerunt: Tertium bonitatis ædem interpretati sunt. Tria igitur hæc spatia, sive mensuræ faciei, sæpius sumptæ, certâ, ac exploratâ quâdam regulâ docent, perfectam, absolutámque corporis longitudinem novies faciem totam explere. Prima autem mensura facies ipsa est: Secunda, spatium à gulâ ad pectoris extremum, unde *ensiformis* dicta cartilago exoritur: Tertia, quæ hinc ad umbilicum; Quarta, ab umbilico trans inguina ad principium coxarum: Quinta & Sexta, inde ad genua: Septima & Octava inde ad talos porrigitur: Nona, ex tribus diversis particulis constituitur. Quæ quidem pares inter se, & cum tribus illis, quas in facie descripsi, & exactissimè conveniunt: Quarum prima arcus ille est, qui à confinio capillorum, & frontis ad verticem usque capitis extenditur: Secunda, subjectum faciei spatium est gula, quæ ab extremo mento ad pectoris usque furculam pertingit: Tertia pars illa, quæ à talo ad plantam usque pedis descendit. Videre igitur quàm sæpissime communitérque licet, in plerisque mortalium, ac præsertim iis, qui compressa, & quasi compacta membra habent, figuram esse quodammodo quadratam; quam certè perfectam, & æquilateram in primâ hominis formatione affectâsse mater Natura, atque adeò expressisse videtur, centrum in inguine constituens, hominémque æquè largum, ac longum effingens. Novem enim illæ partes, quibus universi corporis longitudo distinguitur, pariter in brachiis extensis cum thorace reperiuntur. Id verò quâ ratione fiat, quantum possum, breviter perstringo. Si enim, sive ab humeris forinsecus per cubitum ad primam digitorum juncturam, sive ab axillis intrinsecus ad palmæ, & digitorum confinium descendamus, justo calculo ter faciei longitudinem explebimus. Spatium verò digitorum utriusque manûs semel faciem continebit: Ita quidem, ut brachia ambo, manúsque simul longitudine suâ septies faciem reddant. Iam verò latitudo corporis, quæ ab uno humero ad alterum sumitur, tanta est, quanta facies ipsa, bis sumpta; ut hac quidem ratione brachia extensa justum illud spatium conficiant, quod à vertice capitis ad plantam usque pedis Natura descripsit.

22. Reliquum nunc est, ut, quâ ratione in alterâ illâ longitudine magis procerâ, magísque perfectâ, quæ perpaucorum hominum est, decem particulares mensuræ reperiantur, tradam: Quare nunc novæ mensuræ hominem subjiciamus. Prima illa decem partium à vertice capitis ad extremum narium describitur: Secunda à naribus ad principium pectoris: Tertia hinc ad extremum thoracem rectâ lineâ, ubi furculam infernam dicimus: Quarta ad umbilicum pertingit: Quinta deinde ad inguen, ubi centrum, mediúmque corporis locari solet. Reliquæ quinque partes per coxas, & crura deinceps justis spatiis comprehensæ & descriptæ

ſunt. Verùm enimverò non ſolùm faciem, quemadmodum jam fusè commonſtravi, ſed illud quoque ſpatium, quod à cubito ad extremum medij digiti percurrit, totius corporis juſta & exacta menſura eſſe poteſt. Sed ne extra fines propoſiti mei dicendi occaſiones perſequar, delicias haſce curioſas ſeponens, id quod agere potiſſimùm inſtitueram, quódq; fundamentum doctrinæ hujus cenſeri poteſt, facili & claro verborum contextu abſolvam; quam ſcilicet proportionē cum totius corporis partibus partes faciei, quámque ſimilitudinem proportionum inter ſe quoqu e habeant: ut hinc de nævis, quaſi explorato, robuſtóq; argumento judicemus. Itaq; quemadmodum tres æquales in facie partes diſtinximus; ita quoque docuimus, reliquum corpus tres æquales inter ſe diviſiones admittere, illam nimirum medij corporis, illam femoris, & tertiam à fine coxarum ad pedes uſque. Atque hanc ipſam trium partium diviſionem in medio corpore notare iterum licet, ſpatiúmque, quod à pube ad umbilicum; deinde, quod hinc ad mammillas; poſtea, quod inde ad colli principium extenditur, æquali proportione contineri. Spatium prætereà, quod inter mammillas, velut terminos quoſdã, intercluditur, frontis circumferentiâ menſuratur: Frons verò in longitudinem triplicata dorſum exactâ dimenſione æquat. Quemadmodum etiam faciei ſpatium, novies ſive etiam decies ſumptum, totius corporis proceritatem: ita quoque frontis altitudo, novies, deciésve accepta, longitudinem dorſi abſolvit. Supercilij ſemicirculus duplicatus ſcapularum rotunditatem comprehendit: pari omnino ratione, quâ circulus, per concavitatem oculum ambiens, peripheriam axillarum deſcribit. Quare ſi proportiones iſtæ partium faciei, nec non ſimilitudines proportionum, quibus inter ſe partes faciei, corporíſque univerſi conveniunt, admittendæ; inficias nemo ibit, quin aliquâ ex parte ratio, quâ nævi faciei cum reliquis, per corpus diſperſis, conſentiant, conſtet: Sicuti enim facies totius corporis, ita partes faciei partium corporis quaſi figuræ quædam, & typi ſunt. Cùm igitur, ut in principio propoſuimus, frons pectus, ſupercilia humeros, eorum cavitas axillas, aures brachia, mentum pubem, malæ coxendices, os in viris quidem anum, in fœminis etiam partes verecundas repræſentet: mirum nullo modo videri debet, cur nævi, quibus Natura velut ſignis quibuſdam partes illas corporis obſignavit, affinitatem & relationem inter ſe habeant. Quoniam igitur frons pectus, aliæ alias partes reſpiciunt ac referunt, nævus quoque in fronte nævum in pectore, nævus in aliis partibus faciei nævum itidem in aliis corporis partibus indicabit.

23. Sed ut exactiùs amœniſſimam hanc doctrinam explicem, operæ pretium me facturum arbitror, ſi ſimilitudines ipſas, quibus faciei partes cum partibus corporis comparantur, quàm diligentiſſimè excutiam, quâ tandem viâ ad lucem aliquam facilioris rationis per difficillimam hanc doctrinam poſſit perveniri. Nolim tamen quiſquam ſimilitudinum harum nimis diligens, aut accuratus inquiſitor ſit, néve exiſtimet, tam exactam regulam in partibus partium eſſe, quàm in illis faciei primis, quæ cum univerſo conferuntur, oſtendi reperiri. Cùm enim facies reliquorum membrorum; velut mercium quarundam conductarum, ſignum, typus, & index ſit, neceſſarium non fuit, eâdem penitus diſtinctione faciem corpúſq; ſignari; ut nec eodem, quo in tabernâ merces ordine diſpoſitę ſunt; foris

foris signa collocantur, præsertim cùm tam exiguus locus tam ingens,& figuris adeò diversis constitutum opus planè ac exactè non recipiat. Quare ad hanc considerationem,si non perfectissima,certè adumbrata aliqua similitudo suffecerit,quæ indicare etiam id, quod non indicat,& contemplantis desiderium abundè explere poterit. Sed nunc, ut missa verba faciam, rem ipsam, & exemplum exhibeo.

24. Frontem quisquis inspicit, eam situ eminentem invenerit, parte mediâ planam,lateribus circularem,supernè lineâ,quæ in triangulari figurâ terminatur, divisam, transversim vario linearum concursu velut aratam;habere dextrum,habere sinistrum, habere promontoria. Ecce universam hanc posituram illâ parte corporis, quæ gulæ subest, non obscurè expressam habes,quam quidem partem, etsi secundùm rationem sitûs *ventrem medium* Medici appellant,quia inter caput ventrémque inferiorem posita est:Hippocrates tamen, verus Philosophiæ pater; 7. *Aphorism. ventrem superiorem* nominavit. A Græcis θώραξ dicitur, fortassis ἀπὸ τοῦ θόρω id est,*salto*,quia in hac parte sedes cordis,ejusq; continuus motus est:vel,ut Stoïci arbitrantur,παρὰ τὸ θεῖον ὠρεῖν, quia mentem,animi nostri partem divinam, continent. Thorax igitur egregiè undique finitus, & limitatus est,à jugulo ad xiphoïdem cartilaginē,& diaphragma extensus,ita ut à claviculâ pars superior initium capiat,in diaphragmate finē;pars autem anterior osse sterno,posterior vertebris dorsi,dextra & sinistra duodecim costis,tāquam limitibus, circumscripta est. Formâ autem pulcherrimâ inter partes corporis excellit. Deinde capacissima est, fortissima,aliquantùm protuberans, & quasi per arcum extensa. Quæ omnia pariter in fronte reperiuntur,cùm & hæc capax,fortis, protuberans,& extensa cernatur;ut propè dubites,in fronte thoracem,an in thorace frontem dicas figuratam: Nam cum triangulo frontis os sternum, xiphoïdémque; cum lineis frontis costas pectoris;cum duobus promontoriis frontis duo mammillarum tubera rectè comparaveris. Non mirum igitur, si nævus quispiam, in fronte constitutus, alium sive in pectore, sive in dorso affinem,relativum positionis quodam ordine repræsentet. Iam verò si ad supercilia te convertis, horum eminentiam quò rectiùs, quàm ad eminentissimas totius corporis partes,humeros,inquam, referas? qui simili planè modo pectori, dorsóque vicini & annexi sunt,sicuti fronti supercilia junguntur. Vnde si in hoc tractu faciei nævum aliquem notaveris, sine ullâ dubitatione nævum pariter in humeris, dextrum aut lævum, pro variâ illius in facie positione facillimè colligas. Imò verò (ut hinc admiranda Naturæ diligentia manifesta evadat) si in supercilio nævus aurem respiciet, similiter in humeris (quemadmodum antea ostendi) partem,versus dorsum declinantem,possidebit.

25. Ad Malas Transeo, earúmque naturam,& situm considero,ut sub comparationem faciliùs mittam. At certè,quod ad naturam attinet,carneæ succíque plenæ sunt, quantum ulla alia faciei pars: quod verò ad situm, inter frontem mentúmque positæ sunt. Definio enim malas partes illas,quæ ab ore sursum eminentiores procurrunt. Cui igitur parti sine Naturæ ullo damno malas opponemus? Coxis;hæ enim,multâ carne vestitæ,succo & sanguine irrigatæ sunt,intérque ventrem superiorem,& tibias medium locum occupant; paritérque ut tertiam faciei

partem malæ, ita totius corporis tertiam tenent. Itaque si malis Natura nævum impresserit, coxis quoque impressum puta: ita tamen, ut, si in partibus, naso vicinis, appareat, adhærere partibus, Naturæ loco vicinis, sive anterioribus, sive posterioribus intelligatur. Quo quidem confinio fit interdum, ut, cùm proximus naso constitutus sit, ipsa quoque verenda contingat, ut jam in principio adnotavimus: Sed si prope maxillam, locum suum in natibus habebit. Quia verò non sine valle montem, nec sine concavitate, aut sinu promontorium invenias, ita supercilia cavum oculorum, sive sinum adjunctum habent. Quare cùm supercilia humeros, quasi mons montem, ita sinus oculorum axillas, quasi vallis vallem respiciunt; nævúsque, qui in oculi cavo, præsertim inferiori, conspicitur, certò certiùs alium sibi in axillâ oppositum esse indicabit; cum hac quidem differentiâ, ut, si versus nasum ad angulos majores, quos ῥαντῆρας, sive πηγὰς Græci nominant, quòd inde lacrymæ manent, nævus declinet, dici possit quasi in viciniâ pectoris hærere: Si verò versus tempora ad angulos minores, sive παρωπίας recedat, intelligi debeat dorso propior esse.

26. De naso, & oculis dicere supersedeo, cùm lippis penè & tonsoribus notum sit, quam partem corporis repræsentent: cúmque modesti hominis esse ducam, celare, ac velare potiùs pudendi membri imaginem, quàm in facie ipsâ detegere. Si quis tamen honesto sciendi desiderio nullam velut Naturæ partem philosophico studio excludere, per se quidem, si oculos animúmque animadvertat, curiosam poterit, & quasi nuptam scientiam adipisci. Etenim si quis porrectam nasi formam, & oculorum pupillas annexas considerat, ipsam mox partem, quâ vir est, & jus testimonij habet, non vanâ omnino contemplatione complectetur. Deinde, si examinare nævos voles, non difficili judicio à naso ad penem, à palpebris ad scrotum dextro sinistróve teste observato, comparationem transferet. In fœminis os utplurimùm arvum genitale commonstrat, & à labrorum ratione nescio quid simile ad naturæ alas deduci solet; in quibusdam tamen alia non remota lacuna, quod in viris perpetuum est, figuratur.

27. Aures verò, quæ, tanquam alæ, capiti utrinque adhærent, cui rectiùs parti, quàm brachiis conferes? & ipsa quasi alas corpori Natura affixit. Rectè igitur nævus, in auribus, aut circùm existens, brachia nævo insignita esse ostendet. Quia verò in varias brachium partes distinctum est, in spatium, quod ab humero ad cubitum descendit; in lacertum sive spatium, à cubito ad carpum productum; denique in manum: experientia ipsa, certissima Naturæ hac in parte ministra, edocuit, nævo, qui vicinus auribus est, alium in superiore parte brachij, humero vicinum, respondere; sed illi, qui super aures, alium in lacerto congruere. Discrimen tamen est, in superiore sui parte, sive in pinnâ, an in mediâ, an potiùs in inferiore, sive ansâ nævum auris habeat. Si enim in superiore, nævum lacertus habebit, cubito proximum: si in infernâ, lacertus nævum dabit, vicinum manui: si in mediâ, sive meatu, ipsa manus nævum porriget. Ipsâ quidem volâ, si ab intimâ parte auris, sive conchâ derivaverit: Dorso autem, si ab extimâ parte acceperit.

28. Quia verò, ut superiùs monui, ἀδύνατον videbatur, in tam pusillâ imagine tantam

tantam rerum varietatem exprimere, támque exiguo loco tantam totius corporis machinam quàm distinctissimè claudere, præter faciem membra quædam conspicua divinus ille Architectus fecit; partim, ut sine adminiculo ullo comparationis per se cognoscerentur; partim, ad reliquas corporis partes explicandas cum facie concurrerent. Cùm igitur tibiarum pedúmque figuram satis distinctam facies non caperet, successerunt lacerti, manúsque, sine ullo verecundiæ damno pariter nudæ, & hanc descriptionem perfectissimè expresserunt. Itaque quemadmodum aures brachia, sic brachia tibias repræsentant. Tanta enim similitudo utrorumque est, ut eædem penè partes, & iidem articuli ad paria quasi munia apti promptíque numerentur. Hinc inventi quidem non semel fuère, qui manuum defectum pedibus; pedum manibus suppleverunt; quibus scribere pedibus, pingere, texere, dare, accipere facilè; gradi autem manibus necessarium, atque expeditum fuit. Si quis igitur nævus lacertum, manum, digitúmque premet; tibiam pariter, pedem, digitúmque pedis eodem ordine, sitúque obtinebit.

29. Jam verò buccam, mentúmque, quò nisi ad ventrem pubémque referas? Mehercle, neque lac lacti, neque ovum ovo esse similius potest, si utraque ista curiosiùs componas. Bucca carnea, & talis venter est; & ut mentum, sic pubes pariter eminet: ut illud faciem, ita hæc abdomen terminat, & claudit. Hinc quidem nævus, in buccâ constitutus, alium in abdomine secundùm positionem dextri, atque sinistri revelabit: ita quidem, si prope cavum inferioris labri inveniatur, latere prope umbilicum; si in vertice, ut ita dicam, menti hærere extremâ pube intelligatur. Philtrum autem, sive cavum labri superioris sub naribus quàm aptissimè è comparatione confiniorum perinæum, sive interstitium inter scrotum & sedem exprimit, atque ita nævi utrobique quàm facillimè colligentur.

30. Hactenus quidem, & à proportionibus quibus corporis partes cum facie, & inter se consentiunt, & à similitudine, quâ figuram, materiam, sitúmque partium corporis faciei partes repræsentant, satis supérque eruisse mihi rationes videor, quibus certa & definita nævorum regula constituatur. Reliquum nunc est, ut, quod initio quoque proposueram, causam aliquam à cælo ipso derivem. Etenim si à divinis illis machinis humana corpora (quod in herbis, aliisque ignobilioribus fieri doctissimus Porta demonstravit) quasi à sigillo quodam certas notas atque characteres recipiunt, quibus Planetarum in singula dominium distinguatur; cur, obsecro, dictu absurdum sit, à stellis sideribúsque in tam egregium ordinem, atque chorum à supremâ Mente coactis, quemque nostrum, dum gignimur, effici, signúmque recipere, quo à suo astro corpus quoque, & membra quæque dependere, regi, ac quasi signari videantur? Hinc quidem Ptolomæus aurem dextram, vesicam, splenem, & ossa Saturno attribuit: manus, pulmones, hepar, sanguinem, & semen Iovi: aurem sinistram, renes, & genitalia Marti: oculos cerebrum, cor, nervos, cæteráque dextera Soli: nares, os, & pudendum Veneri: linguam, mentem, & rationem Mercurio: gulam, stomachum, omniáque sinistra Lunæ. Hinc etiam signis Zodiaci corporis partes distributæ sunt; Arieti, quasi capitis præsidi, facies, oculi, aures: Tauro collum, & gula: Geminis scapulæ, brachia, manus: Cancro pectus, mammillæ, venter superior, splen, & pulmones:

Leoni

Leoni cor,ſtomachus, diaphragma, & ſpina dorſi: Virgini venter, & inteſtina: Libræ renes,vertebræ,latera,& lumbi: Scorpioni clunes,genitalia,& veſica: Sagittario coxæ,atque etiam latera,& genitalia: Capricorno genua: Aquario tibiæ: Piſcibus pedes. Exiſtimârunt præterea Aſtrologi, quemque Planetarum partibus corporis ſingulis dominari, ſed ſecundùm varietatem ſignorum,in quibus generationis cujuſque tempore exiſtebant, dominium variare. Quo quidem ordine in Ariete Saturnus pectus obſidet, Iupiter ventrem, Mars caput, Sol latera, Venus pedes,Mercurius tibiàs,Luna genua: In Tauro Saturnus ventrem gubernat, Jupiter dorſum, Mars collum, Sol genua, Venus caput, Mercurius pedes, Luna collum & tibias. Atque ita deinceps mutant, variántque hoc imperium, & in corpore humano ſecundùm ſtellarum fixarum diverſam poſituram diverſimodè vim & characteres imprimunt. Quæ omnia, quia longè à limitibus argumenti mei recedunt, non proſequor.

31. Quod verò ad Nævos attinet, videntur illi quidem velut notæ aliquæ à ſignis cæleſtibus impreſſæ humano corpori, non tantùm ſitu,aut formâ, ſed ipſo quoque colore variæ, ut in ipsâ geniturâ Planetæ cujuſque & ſideris dominium obtinet. Quare cùm partes ſingulæ faciei cum reliquis corporis partibus affinitatem & neceſſitatem certam habeant, eaſdémque in prototypo repræſentent, naturæ congruum erat, ut quâ notâ, ſive charactere pars corporis à dominante Planetâ,atque aſtro inſignita erat, eâdem etiam parva faciei particula,quæ illam corporis partem exprimit, figuraretur: In primis, ſi nota, ſive character ille ejuſmodi ſit, ut magnitudine ſuâ ſtatim, ac facilè in oculos incurrat. Id enim non tantùm ſolo dominio hujus illiúsve Planetæ, aut ſigni, ſed conjunctione Planetæ cum ſigno evenire ſolet. Evidentiùs autem,ſi bonâ, aut malâ fortè conjunctio iſta in Planetam,qui idem cum ſidere habebit dominium,incidet: ita enim & Planeta, & ſidus pariter, & conjuncto influxu partem corporis afficient, notámque impriment,& grandiorem,& ſuo quaſi colore tinctam. Atque hæc tertia,ultimáque nævorum ratio eſt, ſic ſatis in vario & jucundo doctrinæ hujus guſtu delibata; nam ut omnia, quæ ad perfectam abſolutámque perfectionem examinandam curioſa Aſtrologia invenit,producerem, neque genij, neque etiam inſtituti mei fuit: cùm ſecreta illa, & ſæpius ſuperſtitioſa aſtrorum libare, non penetrare; intelligere, non profiteri; cúmque in Nævorum hac explicatione non tanquam Aſtrologus, ſed tanquam Philoſophus verſari voluerim; quem ut non modò ſcriptis, ſed vitâ,& moribus etiam agam, æternum Sapientiæ Numen rogo.

FINIS.



INDEX RERVM IN HOC TRACTATV CONTENTARVM,

in quo *Numerus* denotat *Sectionem*.

A



BENRAGEL *Arabs de Navis scripsit.* S.2
Analogia *partium humani corporis bifariàm consideratur.* 15
Aristoteles *pulchritudinem corporis magnitudine ejus mensurat.* 20
Aures *brachiis conferuntur.* 27
Aures terræ *naturam referunt.* 12

B

Brachia *extensa æquant mensuram corporis à vertice ad pedes.* 21
Brachia *tibias similitudine exprimunt.* 28
Bucca *& mentum cum pube habent analogiam.* 29

C

Causa, *cur navi in facie alios in corpore expressos notent.* 31
Causas *analogiæ navorum nemo nec Veterum, nec Recentiorum exactè tractavit.* 6.& 14
Cognitio *navorum Physiognomiæ pars.* 2
Coxarum *cum malis convenientia.* 25

D

Desiderium *Auctoris promovendæ utilitatis publicæ.* 1
Deus *mercatores imitatur.* 9
Difficultas *scientiæ Navorum.* 6
Dignitas *& utilitas manûs.* 18

E

Elementa *sensibus respondent.* 12

F

Facies *exemplar & pictura Dei.* 10
Facies *mensura & typus totius corporis.* 17.
Facies *non fuit figura tibiarum & pedum capax.* 28
Facies *ternas habet dimensiones.* 16
Faciei *dimensio quomodo fiat.* 16
Figura *capitis rotunda Mundi typus.* 10
Figuræ *Geometriæ omnes in facie expressa.* 17
Frons *intelligentias repræsentat.* 10
Frons *triplicata in longitudinem dorsum æquat.* 22
Frontis *descriptio cum medio ventre conveniens.* 24

H

Homo *animalium perfectissimus.* 3
Homo *Mundi similitudinem continet tam in animo, quàm in corpore.* 7. & 8

Homo *totus ex facie cognoscitur.* 9. & 20.

I

Indorum *mos in Rege eligendo.* 2
Inguen *centrum in homine.* 21. & 22
Investigatio *sui potior investigatione rerum aliarum.* 19

L

Labra & *os in fœminis pudenda referunt.* 26
Labra *tumida & rotunda quid denotent.* 2
Lacunula *in labro superiore totius faciei dimensio est.* 16
Longitudo *faciei manu mensuratur.* 18
Longitudo *hominis plerumque constat novenâ longitudine totius vultus.* 20. & 21.

M

Manus *regula & norma est faciei mensurandæ.* 18. & 19.
Maxillarum *circumscriptio, & situs coxis respondens.* 25
Melampus *de Nævis scripsit.* 2
Mensuræ *decem in homine quomodo reperiantur.* 22
Mensuræ *novem totius humani corporis.* 21.
Meteora *in capite & facie relucent.* 13
Mixta *perfecta ex vultu apparent.* 13
Monumentum, *seculis profuturum, relinquendum est.* 1

N

Nævus *in abdomine socium habet in malis infra labrum inferius.* 3. & 29
Nævus *in auribus alium in brachiis indicat.* 27
Nævus *in buccâ alium in abdomine ostendit.* 29
Nævus *in cavo oculi alium habet in axillis analogum.* 25
Nævus *in fronte alium in pectore, aut dorso habet.* 3. & 24
Nævus *in genis nævos in coxis indicat.* 3. & 25.
Nævus *in labris quid significet.* 2
Nævus *in labro superiori nævum in perinæo ostendit.* 3
Nævus *in lacerto alium in tibiâ habet.* 28.
Nævus *in palpebris, aut naso alium in pene, aut scroto indicat.* 3. & 26
Nævus *in superciliis sodalem suum habet in humeris.* 3. & 24
Nævi *brachiorum crurum nævos ostendunt.* 4
Nævi *corpori à signis cœlestibus sunt impressi pro varietate dominij Planetarum.* 31
Nævi *faciei reliquos in corpore nævos indicant.* 2
Nasus *penis indicium habet.* 3. & 26
Natura *in architectando corpore humano sollicita.* 20
Numeri *omnes in facie deprehenduntur.* 17.

O

Oculi *Solem & Lunam repræsentant.* 11

P

Partes *corporis quæ sibi proportione respondeant.* 22
Partes *manus seipsas mensurant, & quomodo.* 18. & 19
Pectus *qui apertum desiderant, Deum & Naturam injustè accusant.* 9
Pedes *sæpe vices manuum obeunt.* 28
Philtrum *sub naribus perinæo respondet.* 29.

Physiognomia *quid sit.* 2
Planetæ *quibus animæ potentiis præsint.* 8
Planetæ *septem quibus partibus corporis singuli præsint.* 30
Planetarum *cum lineis frontis analogia.* 11
Proportio *Arithmetica*, *Geometrica*, & *Harmonica in facie invenitur.* 17

R

Regula *cur non semper exacta in nævorum consideratione.* 23
Regula *nævorum non semper certa.* 5

S

Scientia *naturalis propria Medici.* 1
Semicirculus *supercilij duplicatus scapularum rotunditatem ostendit.* 22
Sensus *Planetis comparantur.* 11
Signa *duodecim Zodiaci quibus partibus corporis singula præsint.* 30
Similitudo *animæ cum elementis.* 8
Spatia *tria æqualia in facie.* 21
Status *hominis beati qualis.* 1

T

Thorax *unde*, & *cur sic dictus.* 24
Thoracis *circumscriptio*, *ejúsque cum fronte analogia.* 24

FINIS.

